gitized by Google

8
30 E
5

8.50.E.5

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE REGNO ITALIAE Libri Quindecim.

AD ILL.VM, ATQVE EXCELL.VM
D. IACOBVM BONCOMPAGNVM,
GENERALEM S. R. ECCLESIAE
GVBERNATOREM.

Qui libri omnibus in partibus ex reconditis ſcriptorum monumentis adaucti, eos, qui ſcripti ſunt de Imperio Occidentali, excipiunt, ac narrationem ab anno DLXV *vſque ad* MCC *perducunt.*

Index quoque rerum, & verborum copioſiſsimus additus, qui in priore Editione deſiderabatur.



38

BONONIÆ,
Apud Societatem Typographiæ Bonon. MDLXXX.
Curiæ Epiſc., & S. Inquiſit. conceſſu.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE REGNO ITALIAE

Liber Primus

AD ILL.^VM ATQVE EXCELL.^VM D. IACOBVM BONCOMPAGNVM, GENERALEM S. R. ECCLESIAE GVBERNATOREM.

PRAECLARA hominum Italicorum ingenia, Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. D. IACOBE, cum ætate noſtra, incredibili veterum omnium laudandarum artium ſtudio, ac ſingulari propè cupiditate flagrarint, in hoc tamen vno, quod interdum mihi mirabile accidit, præter modum obtorpuiſſe, atque à ſemet neſcio quo modo degeneraſſe videntur, quòd antiquum Italiæ ſtatum, remq. ipſam poſt Romanum euerſum imperium publicam prorſus adhuc in tenebris conſeneſcere, atque in ipſa vetuſtatis caligine obſoleſcere permiſerunt. neque ea aut cuiuſmodi fuerint, indagare, aut comperta in lucem ad poſterorum notitiam prodere ſtuduerunt. Hoc autem eò maiore mè afficit admiratione, quòd ij caſus poſt Romanas deletas opes in Italia inciderunt, qui non ſolùm magnitudine ſua poſſent doctorum omnium induſtriam, ac ſtudia excitare, verùm etiam varietate ipſa imperitorum animos facile retinere, eosq. iucunda quadam frugiferæ lectionis voluptate replere. Etenim, ſi ſuperiorum memoriam temporum cogitatione complecti, ac memoria repetere voluerimus; profecto inueniemus, nec memorabiliores vnquam motus in terris extitiſſe, quàm cum barbaræ nationes efferata libidine nouæ regionis elatæ florentem ſeſe in Italiam intulerunt; neque inſigniores Italicis rebus calamitates vllo tempore contigiſſe, quàm cum immani earundem

irruptione non pulcherrimi ſolùm agri, nobiliſsimaq. oppida eius direpta paſsim, vaſtata, atque incenſa, ſed integræ quoque familiæ, ac ciuitates deletæ prorſus, atque extinctæ ſunt. Iam verò quæ alia aut opportunior, aut rebus præſentibus aptior rerum eſſe cognitio poteſt, quàm varias ſuperiorum imperiorum mutationes, graues legum impoſitiones, tetra bella exhauſta, fœdas ſeditiones conflatas, ceteroſq. ancipites Italiæ caſus noſſe? vt ſi tam multis, tamq. diris perfuncti demùm diuina benignitate calamitatibus ſimus, nos aliquando tandem ſæuis illis emerſiſſe fluctibus gaudeamus; ſin, quod Deus auertat, aliquot adhuc malorum, ac peſtium tempeſtates noſtra nobis culpa ſuperſint, eas verò ſuperiorum exemplo edocti in poſterum prudentius euitemus, aut certe firmiore animi robore perferamus. Quinetiam illud meam in primis auget admirationem, neminem adhuc aut patrij ſoli caritate incenſum, aut domeſticæ laudis dulcedine captum ita fuiſſe, vt iniquo, atque acerbo, quemadmodum decuit, animo adhuc tulerit, Francos, atque Germanos, vnde ſuperiora nobis detrimenta illata, & fœda illa quaſi inuſta vulnera ſunt, veteres rerum ſuarum ſcriptores, atque explicatores habere; Italiam verò, vnde ad illos omnia ornamenta dignitatis, & ſubſidia humanitatis manarunt, omni prorſus litterarum ſplendore carere. Itaque magnam mihi iure egregiæ voluntatis, conſiliiq. laudem meruiſſe Blondus Foroliuienſis videtur, qui patrum noſtrorum memoria primus res omnes Romani labentis imperij ſcribere eſt profeſſus. Verùm maiora ille multo complexus, quàm præſtare homini occupatiſsimo licuit, nequaquam tantum, quantum oportuit, conſequi aut ſtudio, aut diligentia potuit. Nam cum omnium gentium, Regumq. bella, motusq. colligere, ac mandare memoriæ voluit, Italiam, quam intentiore ornare ſtudio, atque accuratiore perpolire opera debuit, feſtinanti propè ſtylo, ac præcipiti quadam, vt ita dicam, induſtria pertractauit. etenim cum res grauiſsimas multas, annorumq. deſcriptionem diligentem omiſit, tum quæ ſcripſit, tanta vbique breuitate perſtrinxit, vt hiſtoriam nobis non ſolùm mancam, ſed etiam propè orbam attulerit. Sabellicus autem, qui æmulatione laudis eius accenſus in eodem proxime poſt illum ſtudio videtur eſſe verſatus, quò altius narrationem repetiit, & latiore gentium, temporumq. quaſi campo ſe extulit, eò anguſtius, atque impeditius vniuerſa expoſuit. neque ſolum Blondum, quod voluit, diligentiæ laude non ſuperauit, ſed ſcribendi etiam copia inferior, atque elegantia fuit. Quanquam vterque eam eloquentiæ facultatem ad hoc genus ſcriptionis

videtur adhibuiſſe, vt omnes, qui eiuſmodi orationis capiantur illecebris, prorſus à legendo repulerit. Hæc igitur omnia cum ipſe mecum animo agitarem, ac voluntatis erga Italiam meæ teſtimonium relinquere non obſcurum alterum cuperem, eò me facile adduci ſum paſſus, vt cuius antiqua, eaq. pulcherrima tempora floreſcente adhuc ad eiuſmodi conatus ingenio prodidiſſem, poſteriora quoque, licèt longe ab illa dignitate remota, nunc demum matureſcente cum ætate iudicio mihi deſcribenda ſuſciperem. Hic ſtatim magna illa, qua ceteros quoque video circumuentos fuiſſe, difficultas occurrit: vndenam res tam antiquas, tam obſoletas, tam diſperſas eruerem, quas conſtaret à nemine accurate fuiſſe memoriæ conſecratas? Valuit hoc quidem plurimum ad meam in hoc officio debilitandam, ac propè frangendã induſtriam. Verùm contrà tanta fuit meę in hoc quoque genere operæ probandæ cupiditas, vt quod poſtea experiens ſenſi, nulla rem aggreſſo ſubſidia defutura ſperarem, ſi modò ad ea conquirenda paullìſper animum adieciſſem. Quamobrem ad perſcrutanda omnia ſiue manifeſta, ſiue occulta, ad hoc ſtudium quoquomodo pertinentia monumenta conuerſus, primùm omnes mihi ſiue profanarum, ſiue ſacrarum actionum, qualeſcunque eſſent, commentarios comparaui. deinde vetera Italiæ, & maxime Lombardiæ tabularia perluſtraui, atque omnia ferè, quæ apud ciuitates, eccleſias, monaſteria Pontificum, Regum, atque Imperatorum diplomata reſidebant, aut præſens inſpexi, aut certè abſens beneficio amicorum, hoſpitumq. cognoui. poſtremò ſingularum etiam Chronica ciuitatum, quæ poſt milleſimum à CHRISTO annum confici in Italia cœpta apud priuatas nunc etiam familias aſſeruantur, adiunxi. Ita his omnibus aſsidua opera, ac flagranti ſtudio lectis, & rebus, temporibus, locis, ac perſonis inter ſe accuratiſsime comparatis, ac iudicatis, fallacibus pleriſque huius operis anguſtijs, quæ obſtare videbantur, occurri. Ceterùm narrationem neque altius, quàm ab aduentu, regnoq. Longobardorum inſtitui, neque longius, quàm vſque ad mortem Imperatoris Henrici Quinti produxi. Neque enim aut ſolemnia anteuertere Italici regni primordia volui, quod à Longobardis illatum ad hæc vſque tempora continuata Regum, Imperatorumq. ſerie, permanauit. neque citeriora attingere tempora omnibus iam ſcriptorum deſtitutus auxiliis potui. Neque tamen deſpero, breui fore, vt, ſi ad diuinas humanæ ſe quoque opes adiunxerint, facile ex his etiam ſalebris, quæ progreſſum impedire meum videntur, emergam. Factum eſt autem, vt cum in horum, quæ dixi, tempo-

rum deſcriptione paullò intentiore cura verſarer, quæ nihil aliud, niſi continentes Italiæ clades, Regum diſcordias, populorum ſeditiones, variaſq. perturbationes Eccleſiæ continent, illa ſæpe animum meum cogitatio non iniucunda ſubierit, quantò melior noſtra nunc ſit, quàm auorum, maiorumq. noſtrorum conditio quondam fuerit. Nam quam illi ętatem in perpetuis olim barbarorum impreſsionibus, incendiis, direptionibus, principum, ciuitatumq. diſsidiis perferendis rerum ſuarum anxii peregerunt, eam nos quieto nunc animo, in ipſis pacis artibus et ſtudiis doctrinæ, pietatiſq. colendis traducimus. vt ſi quid in Repub. mali reſideat, id ſi adſit, auribus potius, quàm oculis hauriamus; ſi immineat, non certo præſentiq. ſenſu, ſed ſolicita ipſa rerum futurarum ſuſpicione percipiamus. Quæ quidem laus egregiis ſine dubio pontificibus vniuerſa debetur, qui nobis hac tempeſtate præcipuo Dei beneficio dati ſunt. Eſt enim, ſi qua alia, hæc maximè pontificia cura, concordiam in terris, pacemq. tueri, calamitates depellere, pericula propulſare, plebem alere, præclara honeſtarum artium ſtudia cuſtodire, ac demum recto ſui exemplò omnes homines eximio pietatis Chriſtianæ ſtudio inflammare. Quam curam GREGORIVS, vt omnes ſentiunt, Tertiusdecimus vſqueadeo ſibi depopoſcit, ac ſuam eſſe propriam voluit, vt vnus ſuperiores Gregorios omnes expreſſerit, quorum pleroſque ſingulari quadam erga Eccleſiam, atque ipſam Chriſtianam Rempub. arſiſſe caritate, accepimus. Nam vt eos præcipuè nominem, qui in meam hiſtoriam inciderunt, omnes ferme à primo vſque ad octauum ea vel maximo capitis ſui cum periculo ſuſceperunt, quibus non ſalutem ſolum, dignitatem, atque auctoritatem Eccleſiæ defenderunt, ſed ampliſsima etiam ei vrbium, prouinciarum, ac vectigalium patrimonia quæſiuerunt, atque omnino ſolidam illi adeo gloriam pepererunt, vt in hanc vſque diem integra, licèt impio multorum conatu tentata, atque oppugnata, peruenerit. Quamobrem gratulor primum bonis omnibus, quibus hoc tempore Pontificem videre antiquorum ſimillimum contigit, ideſt, perpetuò de veteri iure Eccleſię conſeruando, ac tuendo patrimonio laborantem, eundemq. de priſca diſciplina renouanda, et vera pietate in animis hominum excitanda aſsiduè cogitantem: deinde verò tibi IACOBE, ad quē propter arctam ſanguinis coniunctionem maxima huius pars voluptatis, & glorię pertinet, teque ipſum iuuenem excellenti virtutis indole, ac diuina animi moderatione ad ęternam famam hominum floreſcentem non ſolùm laudo, quòd diligenter in omni officii genere voluntati ſanctiſsimi parentis obtemperas, ſed communi etiam, ſi licet,

nomine

nomine gratias ago, quòd pia eiuſdem conſilia ad Chriſtianam fulciendam Remp. conſtantiſsimè adiuuas, ac prorſus domeſticarum voluptatum, & vrbanorum commodorum oblitus, nullum Reip. cauſſa, aut peregrinationis, aut concurſationis, aut laborum, aut vigiliarum incommodum reſpuis. vſque adeo vt, cum opus ſit, libenter te ab ipſa etiam liberalium artium commentatione, in quibus ab ineunte ætate vixiſti, ad Eccleſiæ vtilitatem, cuius præfectus es conſtitutus, abducas, ac ſtudia militaria, & bellica conſilia tractes. Neque enim minus notum eſt nobis, quanta tu animi alacritate ſuperiore anno claſſem conſcendere, mare nauigare, & aduerſus communes pergens hoſtes omnia prò Chriſtiana libertate pericula, dimicationeſq. ſubire volueris, quàm te nunc in Flaminia, & Piceno omnia, quæ ad tuenda ipſius Italię littora valeant, conſilia circumſpicere, atque in ea cura dies, noctéſq. elaborare, vt ciuitates intelligant, te procreatum à Deo eſſe, vt pontificia præcepta exhauriens ſaluti humanæ conſuleres, ac ſubiectorum vitam, libertatemq. defenderes. Quamobrem, cum ipſe ita te geras, vt dignus ſis, qui clariſsimis omnium linguarum præconiis prædiceris, atque ornatiſsimis omnium annalium monumentis orneris, monuit me vetus mea erga te pietas, vt quando ego virtutes complecti tuas hiſtoria mea, longè à tua ætate remota non poſſem, hanc ipſam hiſtoriam in tuo multo clariſsimo, atque ampliſſimo nomine publicarem; vt ipſe intelligeres, quantum ex virtute, prudentia, vigilantia tibi dignitatis, atque auctoritatis eſt additum, tantum ad veterem meã erga te obſeruantiam, atque officium acceſſiſſe; meq., ſi maiora pro tua illuſtranda, atque amplificandá dignitate præſtare potuiſſem, libenter vel cum grauiſsimo rerum mearum detrimento ſuſcepturum fuiſſe.

INITIVM HISTORIÆ.

ITALIA, cuius magna ſemper, atque excellens in omni virtute gloria fuit, illuſtres duos iam inde à primis temporibus nacta eſt principatus, vnum Imperium, Regnum alterum appellatum. Imperium Romani gens indigena, eaq. bellicoſiſsima peperit, atque armis, opibuſq. ſuis extra Europam per Aſiam, Africamq. longiſsimè propagauit. Regnum ab exteris nationibus, Romana virtute iam pridem extincta, inductum eſt, Longobardis, Francis, atque Germanis. Ex quibus Longobardi ipſum inſtituerunt, Franci auxerunt, Germani opportunioribus ad

conſtituendam libertatem legibus temperarunt. Verùm vt Imperium claris adeo, ac nobilibus veterum monumentis eſt commendatum, vt nemo poſsit eadem repetendo ſua vel induſtria, vel eloquentia aliquid ei ſiue lucis, ſiue dignitatis adiungere, ſic Regnum ita obſcurum eſt, atque ab omnium propè litteris, ingeniiſq. deſertum, vt laborem non ſolùm ad animi voluptatem iucundum, ſed etiam ad communem vitæ vſum vtilem ſuſcepturus eſſe videatur ille, qui ad tantas res illuſtrandas ſtudium, operamue ſuam contulerit. Atque hæc quidem nos ratio hoc tempore in primis adduxit, vt in hoc etiam genere, quantum perficere ſtudio, diligentiaq. poſſemus, voluerimus experiri. Quare huius narrationem hiſtoriæ iam inde ab aduentu Longobardorum, & primis Italici regni principiis orſi vſque ad ea tempora contexere inſtituimus, quibus liberatæ Italiæ ciuitates memorabilia inter ſe bella geſſerunt, grauiſsimaſq. ſeditiones exercuerunt: quouſque diuerſis regum beneficio principibus commendatæ eum, quem nunc obtinent, ſtatum ſunt conſequutæ: diligenter interim cum vetera, quę in promptu ſunt omnibus, exterorum Chronicorum monumēta peruolutantes, tum verò quæ iandiu ſingulis ciuitatum latent in tabulariis, è tenebris eruentes, &, quoad conſequi induſtria, ingenioq. potuimus, in ſuos quæque annos, ac tempora digerentes. Quamobrem Deo bene iuuante aggrediamur.

Regio est in Italia cum vetere agrorum, vrbiumq. nobilitate, tum ſpectata virorum, armorumq. potentia celebris, Galliæ olim Ciſalpinæ nomine appellata. Hanc alpibus, & Apennino monte tribus à lateribus, quaſi quibuſdam altiſsimis mœnibus cinctam, Padus interfluit, fluuius eximia magnitudine ſua, & fabuloſis Græcorum poetarum carminibus inclytus. Is ab occaſu in orientem excurrens, ac plurimos vtrinque ſecum amnes deducens, maximis in Adriaticum mare deuehendis lintribus fit aptiſsimus. Ex quibus nonnulli latiſſimos trans Padum efficiunt lacus, quibus ad amœnitatem, vſumq. nihil poteſt eſſe præclarius. Campi verò adeo culti, & vberes intercedunt, vt ſatis conſtet, haud temere alios reperiri aut natura feraciores, aut rebus neceſſariis ad hominum vitam inſtructiores. Ceterum hanc regionem primi omnium, quod memoriæ proditum ſit, tenuere Ligures, & Etruſci, ſecundi Galli, poſtremò cum certa totius Italiæ poſſeſsione Romani. Atque horum quidem omnium imperij indicia non dubia extitere, verùm Romanorum monumenta cum ad vſum præſtantiora, tum ad nomen, famamq. illuſtriora fuere, vt qui & diuturnius imperium habuerint, & vehe-

mentius huic regioni excolendæ præ populi opulentia, ac patrij ſoli caritate ſtuduerint. Nam Etruſci quidem, ac Galli oppida ferè omnia conſtruxerunt, quibus in hunc vſque diem plurimis hæc regio frequentatur. at Romani colonias deduxerunt, vias muniuerunt, iura, leges, moreſq. dederunt, &, cum incolas in partem libertatis, imperiiq. vocaſſent, eam demum humanitatem, eoſq. ſpiritus ipſis afflarunt, quorum ne nunc quidem poſt infinitas, atque effuſas immanium barbarorum incurſiones potuerunt penitus obliuiſci. Verùm, Romanorum ne æternum in Italia foret imperium, Gotthi effecere, qui ceteris Imperij Rom. prouinciis ab aliis, atque aliis populis occupatis, ipſi meliore, ſi diu vti licuiſſet, fortuna Italiam inuaſere, atque Momyllo Imperatore abdicare coacto, regni ſedem Rauennæ collocauere. Horum autem Imperio finem Iuſtinianus Imperator attulit Orientis. qui extorta ex manibus Vandilorum Africa dignitatis eſſe ſuæ ratus, Italiam quoque, vnde tanta ad ſe maieſtas Imperij peruenisset, in libertatem aſſerere, per Narſetem Totilæ, Teiæq. regum opibus fractis, poſt annum ſeptuageſimum Gotthos coegit aut finibus Italiæ cedere, aut ſuo demum imperio obtemperare. Verùm quod optatæ principium quietis eſſe oportuit, id inſignioris initium mutationis induxit. Nam Iuſtino ad Imperij faſtigium poſt Iuſtinianum euecto, nouo ſtatim Longobadorum dominatui eſt aditus patefactus, quod Regnum Italiæ eſt nominatum, de quo nunc ſcribere eſt inſtitutum.

Erat tum hic Italiæ ſtatus. Decem, ac ſeptem prouinciæ totam Italiam obtinebant, ſiue à Conſtantino Magno Imperatore, ſiue paullo ante illius tempora inſtitutæ, atque aliæ aliis præfectis gubernandæ erant commiſſæ. Prouinciæ erant Venetia, Liguria, Rhætia prima, Rhætia ſecunda, Alpes Cottiæ, Tuſcia, Campania, Lucania, Aemilia, Flaminia, Picenum, Valeria, Samnium, Apulia, Sicilia, Corſica, & Sardinia. Præfecti verò trium generum numerabantur, Conſulares, Correctores, & Præſides. Ex prouinciis, quæ noſtri præcipuè inſtituti ſunt, Venetia à finibus Pannoniæ vſque ad Abduam amnem porrigebatur, Liguria inde vſque ad Alpes, ipſorumq. Gallorum fines. Alpes Cottiæ ab occidente Alpibus, à meridie Tyrrheno pelago vſque ad oppidum Lunæ terminabantur. Tuſcia deinceps Apennino tenus vſque ad Tiberim pertinebat; Aemilia à Placentia vſque ad Forum Cornelij, atque ei continens erat Flaminia. Hanc deinde excipiebat Picenum ad mare Adriaticum vergens, cuius pars erat Pentapolis, Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anco-

nemq. complexa. & inter Picenum, atque Etruriam Vmbria, & Vmbriæ adnexa Valeria. Exactis autem Gotthis expulſor ipſe, victorq; Narſes à Iuſtiniano Imperatore ſummæ rerum præpoſitus titulo Ducis Italiæ ſumpto, Italiam per hos prouinciarum præfectos pro ſuo arbitrio adminiſtrabat. Præter Ducem autem, & præfectos reliquæ ſacræ erant dignitates, Pontifex Romanus, patriarcha Aquileienſis, archiepiſcopus Rauennas, & Mediolanenſis. Hos verò omnes Pontifex Rom. longè dignitatis faſtigio ſuperabat. Is à clero, populoq; Romano antiquo ritu ex ipſius Eccleſiæ Rom. ſinu delectus ab Imperatore ex recenti, ad tollenda, quæ inciderant, comitiorum diſſidia inſtituto, confirmabatur, deinde ab Oſtienſi epiſcopo conſecratus ſedem ſuam apud Lateranenſem D. Saluatoris baſilicam Conſtantinianam habebat. atque in tantis Italiæ calamitatibus in primis rectæ, & catholicæ fidei tuendæ, ac propagandæ, plebis Rom. inopiæ ſubleuandæ, & paci denique, atque concordiæ publicæ conſeruandæ ſtudebat. Ceterùm Eccleſia Rom. à Petro Apoſtolo, vrbis epiſcopo inſtituta, atque eiuſdem, & Pauli Apoſtoli ſacroſancto ſanguine conſecrata, vt principatum omnium eccleſiarum obtinebat, ſic maiores quoque opes, ac facultates habebat, præcipuè à Chriſtianis principibus ſtudio religionis, initio à Conſtantino facto, relictas. nam & pretioſis omnis generis argenteis, aureisq. donariis, & opimis agrorum, fundorumq. poſſeſsionibus erat inſtructa, quæ per omnes ferme Europæ, Africæq. prouincias diſperſæ Romanæ Eccleſiæ, ſiue ſanctorum Apoſtolorum patrimonia dicebantur; in Italia Patrimonium alpium Cottiarum, Tuſciæ, Sabinenſe, Bruttiæ, & Lucaniæ, Calabriæ, & Siciliç. eaq. per prçfectum, Rectorem Patrimonii appellatum, illuc à Pontifice miſſum gubernabantur. Ex quorum annuis vectigalibus Pontifex cum vetera vrbis templa reficiebat, atque in maiorem ſplendorem ornabat, tum frumenta publicè coemebat, atque in horrea publica ad neceſſarios vſus pauperum congerebat. Romani verò terrarum quondam victores, ac domini poſt ſedem Imperii ex vrbe remotam, quantum libertatis adepti erant, tantum antiquæ dignitatis amiſerant. Poſt autem vrbe ſæpius à barbaris capta, direpta, atque incenſa, vt opes infirmiores; ſic ſpiritus humiliores nacti erant. in tantis tamen detrimentis vna ipſius Pontificis latè eccleſiis omnibus imperantis ſede veterem ſplendorem nominis tuebantur. Nam cum vrbs ſiue religionis, ſiue negotiorum cauſſa paſsim non ſolum à vicinis gentibus, ſed etiam longinquis à nationibus adiretur, fiebat, vt haudquaquam antiquo excidiſſe imperio viderentur. Secundum ve-

rò à Pontifice locum obtinebat Patriarcha Aquileienſis. qui à clero item populoq. ſuo creatus conſecrationem à Pontifice poſtulabat, ac ſuffraganeorum epiſcoporum multitudine, atque ipſius eccleſiæ amplitudine longè inter ceteros eminebat. Eccleſia enim à Marco Euangeliſta Petri Apoſtoli, & ab Hermagora Marci diſcipulo inſtituta, cùm innocentiſsimos pleroſque antiſtites obtinuerat, tum præclaros multos ſanctitate homines tulerat. Vrbs ipſa cum olim opibus, & gratia populi Romani, ac principum, præterea nobilitate ædificiorum, ac ciuium magnificentia floruiſſet, nihil tamen ex antiqua fortuna niſi nomen, atque ipſum patriarchale decus retinebat. neque enim nuper ab Atthila Hunnorum rege euerſa, licèt Narſetis opera reſtituta, vetere incolarum celebritate fuerat frequentata. Tertium locum Rauennas ſibi vindicabat archiepiſcopus non vetere tantū eccleſiæ amplitudine, ſed etiam ipſius ciuitatis dignitate elatus. Quippè Rauennates cùm generis vetuſtate, tum inſignibus beneficiis Romanorum gloriabantur. Si quidem & populus prætorios apud eos fieri conuentus voluit, & Auguſtus Imperator eoſdem claſſe ad tuendam ſuperi maris oram inſtruxit. & poſtremo Honorius eam ſibi, atque Occidentis imperio ſedem vrbe Rom. relicta conſtituit. quòd inſtitutum ſucceſſores quoque illius tam Imperatores Rom. quàm reges Gotthorum cuſtodierunt. ex quo vrbs maximis cùm ædificiorum priuatorum, publicorumq. operibus, tum non mediocribus ciuium, atque incolarum opibus creuerat. &, quod ad dignitatem inſignius erat, à S. Apollinare ipſius Apoſtoli Petri diſcipulo Chriſtianis ſacris imbuti, & multorum ſanctorum miraculis apud ſe editis inſigniti, omnium merito Italicorum in ſe ora conuerterant. Quartus inde locus Mediolanenſi antiſtiti propter amplitudinem vrbis concedebatur. Etenim Mediolanum trans Padum inter Ticinum, & Lambrum amnes quondam à Gallis in Italiam traiicientibus conditum Inſubrium, dum res eorum floruerunt, caput extitit; Gallis autem ſubactis eandem potientibus rerum Romanis retinuit dignitatem, tum cum hæc regio Gallia Ciſalpina nuncupabatur. etenim & vigente populo prætor Galliæ forum ibi egit, & re ad Imperatores translata ibidem Liguriæ Conſulatis conſedit. addidit inde vrbi decus, quòd epiſcopum, ac doctorem Barnabam, CHRISTI Domini noſtri diſcipulum, nacta eſt. maximam inde ſeniore imperante Valentiniano, Ambroſius acceſsionem attulit dignitatis, qui ex Conſulari epiſcopus acclamatus, mirum in modum doctrina, atque exemplo Mediolanenſibus, & finitimis populis profuit ad ſalutem. ex quo eccleſia Mediolanenſium, non

aliter,

aliter, atque vrbs ipſa, magnam inter vicinas ſibi conciliarat auctoritatem. Omnes autem archiepiſcopi à clero, populoq. ſuo ex ipſo eccleſiæ gremio ſumebantur; ac priores à pontifice, Mediolanenſis iuſſu Pontificis à ſuffraganeis ſuis conſecrabatur. quin etiam omnes ſiue multitudine patrimoniorum, atque obſequio ſuffraganeorum inflati, ſiue prauorum principum inſtigatione, ſiue aliquo hæreſeos errore inducti, non ſolùm de dignitate inter ſe contendetunt, ſed etiam Catholicæ aliquando auctoritatem Eccesiæ reliquerunt, atque omnino eo nomine aliquot ei incommoda intulerunt. Epiſcopi verò, atque abbates metropolitis ſuis, ac pontifici Ro. ſubiecti, ſuas quiſque eccleſias, ac monaſteria ex præſcriptis legibus gubernabant. Ex reliquis ciuitatibus, ac populis haud temerè quiſquam omnium erat, qui magnopere aut opibus, aut auctoritate præſtaret.

CVM igitur hunc ſtatum Italia obtineret, Iuſtinianus Imperator
565 anno à CHRISTO nato DLXV per menſem Nouembrem eſt mortuus. imperium autem excepit Iuſtinus minor, ſororis eius filius, homo, vt res breui docuit, haudquaquam ſatis aut pacis, aut belli artibus ad tantam rerum molem ſuſtinendam inſtructus. Iampridem Romani ſiue noua Narſetis ſummi Italiæ gubernatoris in vrbe præſentia, qua libertatem ſuam imminutam arbitrabantur, offenſi, ſiue immodicis fortaſſe, vt fit in victoria, eiuſdem imperiis irritati, nouas moliri res cupiebant. verùm nimia eius apud Iuſtinianum auctoritate, gratiaq. deterriti, conquieuerant. vbi verò Iuſtinianum ex humanis rebus ereptum, & Iuſtinum ſubſtitutum audiuerunt, ingenti prope
566 lætitia exultarunt, ac locum fore querelis ſuis rati, ſequenti anno litteras ad Sophiam Auguſtam, quæ coniugis apud illum gratiã obtinebat, ſcripſerunt. Earum litterarum hæc erat ſententia: nihil præſenti fortuna ſua miſerius, nihil afflictius fingi poſſe. ſatius multo ſibi fuiſſe, Gothis regibus obnoxios eſſe, quàm Græcis Imperatoribus obedire; apud quos Narſes eunuchus imperet, & Romanos acerba, ipſo ignorante Imperatore, ſeruitute oppreſſos teneat. quamobrem omnibus precibus obteſtari, vt aut arctis ſeruituris ſe vinculis eximant, aut Romanos antiquæ virtutis, & gloriæ memores, ſibi conſulere nouis quærendis imperiis patiantur. Eas verò litteras vbi Sophia legit, extemplo Iuſtino oſtendit, & quo pridem erat aduerſus Narſetem odio inflammata, eodem mariti quoque animum leuem ſcilicet, atque infirmum accendit. Itaque litteræ è veſtigio ad Narſetem ab vtroque mittuntur. quibus à Iuſtino monebatur, vt primo quoque tempore decedens Italia Conſtantinopolim ſe reciperet, à Sophia verò, vt id eò ſtudio-

ſius

ſius facere maturaret, quòd ipſa illius opera vti in penſis lanarum gregi ancillarum ſuarum diſtribuendis vellet. Quas res poſtquàm Narſes accepit, æger animi, ac contumeliæ impotens reſpondit, Romanis quidem accuſantibus, ſe, ſi male meritus eſſet, pœnam non deprecari, Sophiæ vero conuicianti, eam illi ſe telam orſurum; quam neque ipſa, neque maritus eius, dum viuerent, retexere potuiſſent. imperio vero Iuſtini haudquaquam ſibi obtemperandum ratus ita, atq; dolore ardens vrbe exceſsit, ac Neapolim ſe recepit. Florebant eo tempore in Pannonia rei militaris, atque armorum gloria Longobardi. Hanc gentem ſcribit Paulus Diaconus, genere Longobardus, Scandinauiã quondam inſulam ad oceanum Aquilonarem incoluiſſe, indeq; in continentem Germaniam cum liberis, vxoribusq́; profectam certas ibi ſedes, ac domicilium poſuiſſe. poſt multos inde annos iniiſſe Pannoniam, quæ ab Hunnis, qui Abares dicebantur, incolebatur, atque eorum auxilio vicinos Gepidas prœlio deleuiſſe. quo factum eſt, vt præter ceteros virtutis fama, & rerum geſtarum gloria antecellerent, tum cum Gotthi rerum in italia potirentur. Præerat eis Alboinus Andoini filius, rex iam decimus numeratus. cuius claritate nominis Narſes motus cum bellum aduerſus Gotthos validius compararet, ipſum è Pannonia cum magnis ſuorum copiis accerſiuerat, ac Gotthis forti, ac fideli eius opera exterminatis domum inde præmiis ingentibus, ac mirificis laudibus oneratum dimiſerat. hoc vero tempore Iuſtinum, & Sophiam vlciſci, atque Italiæ ſpoliare poſſeſsione deſiderans, poſtquàm varia ſecum animo volutauit, nihil denique conſilio ſuo ipſis Longobardis opportunius eſſe conſtituit. qui & Italiæ finitimi eſſent, & ſpe præmiorum ad quamcunque ſubeundam fortunam impelli haud magno momento poſſent. itaque expedito conſilio litteras, nuncioſque propere ad Alboinum regem miſit, quibus eum cum popularibus ſuis ad inuadendã, & occupandam Italiam inuitauit, pretioſis nonnullis etiam frugibus, quæ in terra feruntur Italia, muneris loco ad illiciendos imperitę multitudinis animos miſſis: quippe terram eſſe cum cæli temperie, ac ſitus amœnitate præſtantem, tum vero rerum omnium, vt ipſe noſſet, copia, ad incolendum optabilem. ea vero conditione, ac fortuna iampridem eſſe, vt ipſe certam gentis victoriam, ac non dubium prouinciæ imperium, ſi virtute vti, atque occaſione vellet, ſpe ſibi poſſet haud difficile deſtinare. Gerebat eadem tempeſtate pontificatum Romanum Ioannes tertius, Aquileienſem Paulinus, Rauennatem Ioannes item tertius, Mediolanemſem vero Honoratus, atque eorum pro ſe quiſque commodis, ac ſaluti eccleſiarum ſuarũ anxius incumbebat. Ob id pon-

tifex Romanus, vt erat vir eximia prudétia, ac probitate ornatus, poſtquam Narſetem à Romanis apud Imperatorem accuſatum audiuit, ac repentinam illius ex vrbe profectionem vidit, ne quid per iram aduerſus commodum, & quietem Eccleſiæ, Italiæq; vniuerſæ moliretur, eſt veritus. itaque ſedandi hominis cauſſa ad eum Neapolim properauit. & ad colloquium progreſſus Narſetem primo comiter, ac benignè admonuit, videret, ne dum iræ dulcedini indulgeret, præclarum liberatæ à ſe Italiæ titulum, inſigni in perpetuum macula deformaret. plus enim ſine dubio omniũ opinione turpitudinis in accitis barbaris fore, quàm gloriæ, laudiſque fuerit in eiectis. deinde enixe orare incœpit, vt ſi quã ſe accepiſſe à Romanis iniuriam duceret, eam & ſibi, & vniuerſæ ſuppli canti Italiæ condonaret. Quibus verbis impulſus Narſes in vrbem ſe cum pontifice retulit. verum diuturnum huius lenitatis, ac manſuetudinis ſuæ fructum non tulit; ſi quidem mox rerum, quæ mouebantur, dolore, iraque conſumptus, interiit. Interim Longinus Patricius ſucceſſor ei à Iuſtino ſummiſſus, nouo cum exercitu Rauennam mari acceſſerat, atque, vt in rebus fit nouis, varias hominum cogitationes, ſermonesq; commouerat. Is Narſetem extinctum audiens, corpus eius locello plumbeo conditum cum omnibus theſauris eius, Conſtantinopolim miſit, & quòd ſumma cum poteſtate, atque imperio venerat, nouam pro arbitrio Italiæ adminiſtrationem induxit. primum Rauennæ, non Romæ, præfecturæ ſedem poſuit, ac ſe Exarchum Italiæ, quemadmodum & Africæ Exarchus erat, vocauit. &, prouinciarum Conſularibus, Correctoribus, Præſidibusq; ſublatis, ſingulis ciuitatibus ſingulos Duces impoſuit, ac varios eis ad reddenda iura iudices aſſignauit. quòd autem Longobardos à Narſete ſolicitatos in Italiam cogitare accepit, infeſta eorum arma formidans Rauennam, & pleraque Venetiæ oppida, quæ primam belli tempeſtatem videbantur exceptura,
567 per ſequentem annum præſidiis, atque operibus confirmare perrexit. Itaq; ab hoc tempore maioribus in Italię vrbibus, ſed præcipuè Romę, atque Rauennæ perpetua militum præſidia inſedere, quos Imperator publico ſtipendio ad vrbium cuſtodiam ſuſtentauit. quibus præfectos, iudices, & quæſtores præpoſuit. Stipendium illi Rogam, Præfectos magiſtros militum, iudices ſacellarios, quæſtores chartularios nominrunt. Interum Alboinus litteris Narſetis erectus, atque vtilia ſibi, & commoda proponi arbitratus, animum ad Italiam inuadendam contulerat. ſpem autem celeris, atque exploratæ victoriæ faciebat cum facilitas aditus, tum profligatus, ac prope perditus eo tempore ipſius Italiæ ſtatus. nam Italia aut lato mari, aut Alpibus altiſſimis ſepta ab

vna

vna parte, qua Pannoniæ adiacet, late patentem ingreſſum habet. per quem proxime Hunni quoque, Attila rege duce, perruperant. & ſęuo nouæ peſtilentiæ morbo armis, viriſque exhauſta, vix ſatis, vel nulla externa accedente calamitate, potentiam, ac ſtatum priſtinum retinebat. quippe ante Iuſtiniani Imperatoris exceſſum, nouum ipſam morbi genus inceſſerat, quo per contagionem vulgato non integræ ſolum ſtirpes, atque familiæ, ſed ciuitates quoque frequentes erant euerſæ. hæc inguinaria, ac bubonis peſtilentia nominata. quanquam autem Iuſtino ad Imperiũ euocato, vis mali reſederat, terror tamen adhuc, atque alienæ prorſus ab armis cogitationes, animis populorum obuerſabantur. Huius igitur ſtatus haudquaquam Alboinus ignarus, nulla ratione ſibi dubitandum eſſe putauit, quin oblatam occaſionem arriperet, atque armis apertam, ac propè deſertam Italiam occuparet. Itaque conuocatis popularibus ſuis conſilium ſuum relinquendæ Pannoniæ, atque adeundę Italiæ aperit; Pannoniæ anguſtias, ac paupertatem, Italiæ copias, affluentiamque proponit, ac facilem eius ingreſſum, multoque expeditiorem expugnationem ex præſenti rerum ſtatu demonſtrat. Neque vero vos, inquit, in deſertos nunc, incultoſque Pannoniæ calles, ſed in opimos, ac frequentes Italiæ agros, neque ad alienas confirmadas opes, ſed ad proprium conſtituendum imperium, ac perpetuas collocandas ſedes induco. quod tanta vos facilitate aſſequuturos polliceor, vt ne gladium quidem victoriæ cauſſa vos ſtricturos opiner; nam per patentem portam ſine certamine vllo ingreſſi omnia bello, peſtilentia, fameq; perculſa, ac proſtrata ita reperietis, vt qui vobis reſiſtat, ne armatus quidem vnus ſit futurus. quòd ſi ferro, acieve opus fuerit, non erit magni negotij, vos priſtina virtute veſtra afflictas laborantis iampridem Italiæ opes abiicere, qui integra Hunnorum, Gepidarumq;, gentium ferociſsimarum, arma fregiſtis. Quibus rationibus facilè perſuadet, vti cum coniugibus, & liberis ſuis ſe ad transferendas in Italiam ſedes ſequantur. Neque vero ſuos commouiſſe contentus, quo maiore cum multitudine notos in Italiæ fines irrumperet, ac victoriæ ſpem exploratiorem haberet, Saxones etiam amicos è Germania ſuos in eiuſdem expeditionis ſocietatem ſolicitauit, ac ſpe ingentium, quæ pollicebatur, præmiorum excitis, omnibus certam ad proficiſcendum diem indixit. hæc dies pridie Kal. Aprilis fuit, quæ poſtero anno indictione prima erat futura. His rumoribus in Italiam perlatis omnes ſubito nouarum cladium metus ingens inceſſit. nam Italia & moribus, & pietate iam inde ab initio humaniſsima cum barbararum nationum omnium arma, opeſq; mirifice formidabat, quarum

immanem in victoria impotẽtiam, ſuperbiamq́; ſemel, iterumque perſenſerat, tum in primis ipſum Longobardorum nomen horrebat. qui gentilitatis errore infecti, & natura præter alios inculti, atque aſperi, & militari pręterea conſuetudine efferati trucem ipſo etiam habitu ſpeciem præ ſe ferebant, caput à ceruice ad occipitium vſque radentes, capillosq́; à fronte vſque ad os demittentes, eosq́; ab vtraque parte in frontis diſcrimine diuidentes. Hunc autem terrorem dira auxerunt etiam cæleſtia oculis obiecta prodigia, nimirum haſtæ, atque acies igneæ aſſiduè à Septentrionis partibus apparentes. quæ, vt D. prodit Gregorius, ingentem inſtare mortalium ſtragem, & fœdam ſanguinis effuſionem
568 ab ea parte haud obſcurè denunciabant. Proximo anno, cum iam Saxonum viginti millia cum vxoribus & liberis euocata in Pannonia conueniſſent, Alboinus, paratis rebus omnibus ad profectionẽ neceſſarijs, Hunnos ſocios in concionem aduocat, &, conſilio ſuo patefacto, Pannoniam eis ſe, in qua Longobardi per quadraginta duos annos fuiſſent, relinquere ait, ea lege, vt ſi quo caſu ſibi redeundum in eam ſit, domos ſibi, ac prædia ſua reſtituant. atque his dictis cunctos inde cum familijs, ac ſuppellectile ſua auſpicatum iter ingredi iubet, Kalendis ipſis Aprilis, poſtridie Paſchatis. Progreſſus inde pacato agmine vſque ad primos Italiæ fines montem quendam excelſum aſcendit, biſontibus, bobus agreſtibus eximiæ magnitudinis, quos educit, inſignem. is deinde ab illo Mons regius dictus eſt. atque ex eo, quantum proſpicere oculis potuit, ſubiectam Italiam contemplatus, protinus expeditionis ſuæ conſilium expediuit. quippe ſingulari camporum, quos ab initio diximus, amœnitate, ac fertilitate illectus Italiæ dexteram ſibi petendam conſtituit. atque ita motis caſtris, Veneriam proximam regionẽ, armato nemine occurrente, ingreditur. Ad triſtem huius irruptionis nuncium prima latè trepidante, ac fugam capeſſente Venetia, Paulinus archiepiſcopus metu exanimatus, vt ſibi, eccleſiæq́; ſuæ conſuleret, Aquileiam reliquit, atque, omni eccleſiæ theſauro arrepto, in inſulam Gradi, vt ab hoſtium aditu liberam, ſe recepit. Reliquorum etiam multi alias item inſulas petiuerunt, Venetiæ in æſtuario ſitas, ſicuti prioribus annis, Hunnis duce Attila irrumpentibus, fieri cœptum erat. Alboinus primo aduentu Aquileiam recepit, inde, reliquis circumiectis oppidis ad deditionem adductis, demum Forum Iulium ipſius prouinciæ caput, acceſſit, oppidum olim à Iulio Cæſare conſtitutum, cum citeriorem Galliam proconſule adminiſtrans ibi iuris dicundi cauſſa forum haberet. eoq́; haud magno item certamine capto, haud longius eo anno ſibi progrediendum exiſtimauit. Dum autem ibi per hiemem fuit, cum

partam

partam regionem conſtituit, tum de futuro bello varia ſecum conſilia
volutauit. Regio in formulam Ducatus redacta: & Giſulfus nepos eius
Dux inſtitutus, ac familiæ Longobardorum, quas ille depopoſcit, con-
ceſſæ. Hinc Ducatus Foroiulienſis nomen inclaruit. Atque hic primus
fuit, qui perpetuam in Italia ditionem, Dux inſtitutus, adeptus ſit. An 569
nus tanta calamitate Italiæ funeſtiſsimus, ceteroqui inſigni rerum, quas
terra fert, omnium vbertate fuit lætiſſimus. Poſtero, Alboinus inchoa
tam auide victoriam perſecutus, Opitergio, ceteriſque Taruiſium vl-
que omiſſis oppidis, recto populabundus itinere ipſum Taruiſium are
perrexit. eò aduentans Felicem epiſcopum obuium habuit, eique oran
ti, ac ſibi, & rebus ſuis incolumitatem ſuppliciter imploranti haud gra-
tatè libertatem, atque omnes eccleſiæ ſuæ facultates indulſit. & Tar-
uiſium progreſſus, præſidio deiecto, oppidum ſuæ ditionis, ac iuris effe-
cit. Patauio inde, Monteſilicis, Mantua, & Cremona, quòd aut remo
tiora, aut maiore præſidio defenſa difficiliorem, ac diuturniorem oſten
debant oppugnationem, ne quid ſummæ celeritatem victoriæ morare-
tur, præteritis, Vicetiam, Veronam, Tridentum, & alia Venetiæ oppi
da ordine aggreſſus, atque omnium haud magno negocio eſt potitus.
Neque enim Longinus tantum contrahere copiarum poterat, vt aut
aperto campo occurrere, aut idoneis præſidiis ſingulas vrbes tutari ad-
uerſus tantam multitudinem poſſet: nec Iuſtinus ſubſidii, quod con-
ſter, aliquid è Græcia ſummittebat. In omnibus autem receptis oppidis
Duces, & valida præſidia Longobardorum impoſita. Quingen- 570
teſimo ſeptuageſimo inde anno, Alboinus Abduam amnem traie-
cit, atque infeſto exercitu Liguriæ fines iniuit. Sub eius incurſum, vt
in Venetia, ſic in Liguria tanta incolarum conſternatio, ac fuga facta
eſt, vt plerique, deſertis vrbibus, ad paludes, & lacus, quò adiri à Longo
bardis, niſi nauigiis comparatis, non poterat, ſe referrent. Erant tum
vaſtæ inter Cremonam, Laudemque paludes ab Olio, Serio, & Abdua
amnibus facile anguſto tū alueo exundantibus editæ, eædemque multis
ſed incultis inſulis interſtinctæ. harum quæ magnitudine ceteras ſupera
bat, vicinorū, vt fertur, populorum perfugiū fuit, cū eò plerimi inſtan
tis vitandi periculi cauſſa, vt in locum tutum ſe cū rebus ſuis, omnibus
ab vlteriore ripa remotis lintribus, rettuliſſent: ex quibus cum aliquot
perpetuas ibi ſedes ponere decreuiſſent, xvij. Kal. Septembris, qui dies
Diuæ Dei genitricis Aſſumptioni ſacratus eſt, locum munire cœperūt.
cumque à Cremete ſingularis inter ſe auctoritatis viro Cremæ nomine
appellarunt. exſiccatis inde paludibus, locus incolis frequentatus, atque
opibus ſenſim adauctus eſt. Erat inſula in Lario lacu, quē nunc Comen

ſem diximus, nomine Comacina: in hanc quoque, vt in tutum prorſus ab irruptione hoſtium locum, alij confugerunt, atque ingentes pretioſæ veſtis, auri, argentique theſauros ex vicinis vrbibus congeſſerunt. Alboinus autem Brixiam, Bergomum, Laudem, Comum, aliaque Liguriæ vſque ad Alpes oppida eodem armorum impetu cepit. inde exercitum ad ipſum demum prouinciæ caput Mediolanũ promouit. Vrbs neque firmo præſidio, neque validis munitionibus erat ſepta. itaque, imminente Alboini aduentu, Honoratus archiepiſcopus audita potentis hoſtis feritate perterritus Genuam vrbem ad mare ſitam ſe contulit: atque eum plerique ſubſequuti optimatium ſunt. Alboinus, exercitu ad mœnia admoto, cum vrbem ſe, ni dederent, expugnaturum oſtendiſſet, ciues extremi excidii terrore perculſos ad deditionẽ adegit. Ita Mediolanum Nonis Septembris, tertia indictione, receptum.

A L B O I N V S R E X.

MEDIOLANO, quod erat prouinciæ caput, in poteſtatem adducto, Longobardi continuò Alboinum ipſum regem Italiæ lætis acclamationibus ſalutarunt, eique haſtam inſigne regium porrexerunt. Atque hic annus regni Longobardorum in Italia fuit principium: ex quo ſcriptum eſt apud Landulfum, Longobardos anno DLXVIII, indictione prima, Kal. Aprilis de Pannonia egreſſos eſſe, ſecunda prædari in Italia cœpiſſe, tertia dominatum inſtituiſſe. Rebus inde regni ſatis, vt in præſens licuit, ordinatis Ticinum omnis belli moles tranſlata. Ticinenſes ab antiquis Liguribus conditi, cum ſub populi Romani Imperio obſcuriores fuiſſent, poſt, Tiberio imperante, in conſpectum, lucemque hominum prodierunt, à Syro præſertim Hermagoræ Aquileienſis epiſcopi diſcipulo Chriſtiana diſciplina imbuti. demum Gotthorum temporibus celebrari magis, magiſque cœpti ſunt, cum, incenſo ab Attila Mediolano, Theodoricus rex nobilem apud eos regiam conſtruxiſſet. Hanc vrbem naturali præterlabentis fluminis ſitu per ſe tutam omni quoque alio genere munimentorum inſtruxerant: itaque facilè admotam oppugnationẽ, primoſque incumbentium Longobardorum conatus eluſit. Quod cũ Alboinus videret, omiſſa oppugnatione, vrbem cingere obſidione con-
571 ſtituit. atque, caſtris in eam rem ab occidente locatis, per totam hiemẽ circumſedit. Tædio inde diutinæ ad Ticinum ſeſſionis affectus, cum neque ab irrita obſidione diſcedere, neque non arridentem in ſumma victoria complecti fortunam vellet, parte exercitus in obſidione relicta,

ipſe cum reliqua Aemiliam, Tuſciam, atque Vmbriam peragrauit. Ex Aemilia Derthon, Placentia, Parma, & Brixillum in poteſtatem venerunt, prætereaq; Regium, & Mutina, ſuperioribus barbarorum bellis magna ex parte ſubuerſa. Etruria penè tota ſubacta. Ex Vmbria Spoletum in primis eſt occupatum. Omnino Cottiæ tantùm Alpes, in primiſq; vrbes ad mare ſitæ in poteſtate Romanorum relictæ. Sed quantò bellum minoris negotij, tantò mitior victoria fuit. Spoletum nobilis quondam & originis vetuſtate, & Romanæ coloniæ dignitate, & egregia erga populum Romanum fide ciuitas fuit. Chriſtiana verò religione illata inſigni S. Sabini epiſcopi, qui ſub Diocletiano martyrio affectus eſt, ſanctitate ſeſe inter ceteras extulit. itaque à Gotthis euerſam & Narſes nobilitate eius captus reſtituit, & Alboinus receptam non ſolùm cōſeruauit, ſed etiam Vmbria in formulam Ducatus redacta, ipſam Ducatus caput, Duce Faroaldo impoſito, fecit. Hinc Spoletanus Ducatus celebrari cœptus. Etruria vlterior Romanis relicta, citerioris pars formulam Ducatus accepit. Reliquæ vrbes ſingulis Ducibus commendatæ. Hæc duorum annorum ſpatio geſta. quorum altero Honorato Me- 572
diolanenſi archiepiſcopo mortuo, eccleſiam Fronto gubernandam accepit. His rebus proſperè adminiſtratis, Ticinum inde interiore cura obſeſſum poſt tertium demū, quàm obſideri cœptum erat, annum per- 573
uenit in poteſtatem. Populum ſe trucidaturum, iratus Alboinus, ſi vrbem caperet, concepto voto iurarat. id ne poſt victoriæ compos efficeret, triſte omen oculis oblatum admonuit. ingrediente ferociter vrbem equus eius in limine portæ procubuit, neque aut calcaribus, aut verberibus vllis poterat excitari. qua re animaduerſa, vnus è Longobardis dixit: reuoca domine votum, quo te obſtrinxiſti, populum hunc, ſi vrbe potiteris, peſſum daturum, & vrbem ingredieris. nam verè Chriſtianus in hac vrbe reſidet populus. Tum Alboinus, Atqui ciuibus, inquit, veniam me daturum, ſi dicto audientes fuerint, ſpondeo. atque his dictis, repente equus magna cum omnium admiratione ſurrexit. Alboinus ingreſſus, in regiam Theodorici diuertit. eaque poſt totius regni regia fuit. populus ad bonam ſpem reuocatus extemplo ad regem ſalutandum confluxit. Atque hæc quidem prima regni Italiæ, de quo ſcripturi ſumus, primordia extitere. Eodem anno Paulino archiepiſcopo Aquileienſi mortuo Probinus ſucceſsit. Ceterùm Ticino capto Alboinus ſequenti 574
ineunte Veronam ſe contulit. ibi, dum matura formandi regni conſilia init ſua à ſe virtute, atque fortuna fundati, in medio rerum conatu, vt ſunt res humanæ inſtabiles, eſt ſublatus. Ea res in hũc modum eſt acta. Habebat Alboinus in matrimonio Roſimundā Chunimundi Gepida-

rum regis, quem quondam in prœlio interfecerat, filiam quodam die, cum in conuiuio plus ſolito lætus liberiore illi genio propinaret, poculum, quod de cranio patris eius condiderat, porrigi iuſſit, atque ipſam, vt hilariter cum patre ſuo biberet, inuitauit. cuius vocis fœditate icta mulier ſubitò animum iracundiæ impotem ad necem parentis, & mariti contumeliam vlciſcendam conuertit, ac, re cum Helminge, & Peredeo familiaribus regis communicata, ambos muliebri aſtu, blanditiiſq; in perniciem, exitiumq; regis armauit. ita non multò poſt, vbi res à muliere compoſitæ ad inſidias, inſtructæq; ſatis fuerunt, vir fortiſſimus, ac multarum gentium victor incautus, ac ſomnum capiens domeſtica vxoris fraude, atque inteſtina familiarium conſpiratione extinctus eſt. Hoc facinore perpetrato, Helmingis, Roſimunda in matrimonium aſcita, regnum occupare tentauit: verùm ſcelere palam facto à Longobardis Alboini mortem acerbè ferentibus repudiatus, non potuit. itaque, cum ſe apertis prætereà illorum peti inſidijs cerneret, conſilium Verona cedendi, & ad Romanos transfugiendi cepit, conſilioq; ſuo ad Longinum occultè delato, & accepto ab eo nauigio, ſecundo Pado nocturno Rauennam itinere properauit, ſecum Albiſindam regis filiam cum Roſimunda, & Peredeo, & vniuerſo Longobardorum theſauro deferens. Longinus cum benignè omnes accepit, tum præcipuè Roſimundam omni blanditiarum genere coluit. Quo facto, haud ægrè inde mulieri perſuaſit, vt ſpe matrimonij ſui Helmingem maritum extingueret. Quare mulier praua extemplò libidine coniugii ſpledidioris accenſa, Helmingi è balneo exeunti peſtiferum poculum pro ſalutari porrexit. Quo magna ex parte iam hauſto, poſtquam venenũ ille ſe bibiſſe animaduertit, extemplo exclamauit, atque eã quod reliquũ erat haurire nudo in pectus intentato gladio compulit. ita ambo vnius horæ momento vi veneni præſentis abſumpti, meritas parricidiĩ pœnas luerunt. Qua re lætus Longinus Albiſindam, & Peredeum Conſtantinopolim miſit, atque ipſum Longobardicum theſaurum ex Italica ferme clade collectum, hoſtilis prædæ loco adiecit. ea res grauem aliquantum Iuſtini ex amiſſa Italiæ poſſeſſione dolorẽ leuauit. Fuit Alboinus vir acer, & prudens, &, vt in gentili, ac Longobardo homine, ſumma clementia dignus certè, qui propter regnum hoc inſtitutum virtutis ſuæ hunc ferat fructum. Paulus & Annonius ipſum tres annos & ſex menſes regnaſſe in Italia ſcribunt, ex quo apparet, initium regni non ab aduentu eius in Italiam, ſed à victoria Mediolanenſi eſſe ſumendum. Quod qui non animaduerterunt, maximis ſe inde erroribus in ſubducendis ſequentium annorum rationibus inuoluerunt.

CLEPHO REX.

ALBOINO ex rebus humanis ſublato, ingens Longobardos mœſtitia, ac triſtis omnino luctus inceſſit, neque enim facilè parem ſe virtute, ac ſapientia reperturos eſſe credebant. Indictis inde creando regi comitiis, vniuerſi Ticini conuenere, ac,regio imperio comprobato, Clephonem, virum nobilitatis inter ipſos eximiæ, regem declarauere. Hic pro inſita genti ſuperbia, crudeliter in victos conſuluit. Quare quam furens Alboini victoria cladem Italiæ non intenderat, ſedata illius adminiſtratio attulit. ſiquidem ordinare regnum ingreſſus nobiles pleroſque ſubiectis in ciuitatibus homines, quibus ille pepercerat, aut ex vrbibus expulit, aut opibus excellentes morte affecit. Continuato inde Alboini exemplo bello, Tanetum oppidum ciſpadanum recepit. Eodẽ annò Probinus archiepiſcopus Aquileienſis, & Ioannes pontifex mortui. Probinum excepit Helias. Ioannes, funeſtiſsimo pontificatu acto, ex imminentibus vrbi cladibus ſuo magis, quàm reip. tempore,ereptus hoc anno non habuit ſucceſſorem. Poſtero, Clepho Forum Cornelii occupauit. Hoc oppidum quondam L. Cornelius Sylla dictator 575
conſtruxerat. inde,cum per bella ciuilia floruiſſet,tandem Narſes exciderat. Clepho autem occupatum arce ad debellandos Rauennates firmiſſima communiuit, quam Imolam dixit. vnde oppidum quoque ipſum poſt Imolæ nomen inuenit. Inde, cum menſes duodeuiginti regnaſſet, pueri familiaris ſui manu percuſſus interiit.

DVCES XXX.

ROMA

EA re cognita, Longobardi comitia creãdo regi iterum habuerunt. ac conſilio habito in poſterum abſtinendum à regibus decreuerunt. atque ex communi ſẽtẽtia rem vniuerſam triginta Ducibus permiſerũt. Ita ſua cuique vrbs gubernanda conceſſa, Zabano Ticinum, Alboino Mediolanum, Vallari Bergomum, Alahi Brixia, Eoino Tridentũ, itẽque ceteris ceteræ. Eodem anno IIII. Nonas Iunij Benedictus ciuis Romanus pontifex in locum Ioannis eſt conſecratus, homo, prout triſtia hæc Italiæ tempora poſtularunt, eximia pietate ornatus. Sequenti, Du- 576
ces,diuiſo inter ſe regno,certatim inſitam aduerſus Italos barbariem effuderunt. nam & nobiles reliquos aut è ciuitatibus ſuſtulerunt, aut tertiæ partis domeſticorum vectigalium tributarios reliquerunt,& popularibus eiectis ipſi cum ſuis ſoli ferè oppida tenuerunt. & baſilicis, tem-

plis, ac monaſteriis expilatis in epiſcopos, abbates, presbyteros, monachos, monialesq; exempla crudelitatis vltimâ, vniuerſa mœrente Italia, ediderunt. Itaque immanitate eorum offenſi Saxones, qui cum eis venerant, Italia exceſſere. Eodem anno Iuſtino Imperatore VI. Nonas Octobris extincto Tiberius Thrax, Imperator iampridem ab eo deſtinatus, ſuſcepit Imperium. Quo nuncio accepto Italiæ ſpes aliqua fortunæ eſt melioris oblata. Tenebant hoc tempore Galliam Franci, aliquot ante annis in eam ex Germania Transrhenana profecti. Regnum autem Clotharij regis filij quattuor inter ſe diuiſum adminiſtrabant, Cherebertus apud Pariſios, Guntrannus Aurelijs, Chilpericus inter Senones, Sigebertus Metis. Longobardi autem Duces Italia ſubacta,
577 atque ad nihilum propè redacta ſuperbi, præcipue Zabanus, & Amo, & Rhodanus proximo anno Franciam quoque ſibi diripiendam, ac vaſtãdam ſumpſerunt. ſiquidem expedito militum robore ſubalpina oppida, quæ ſuo nondum parebant imperio, cum cepiſſent, traiectis Alpibus, ac diuiſis copiis proxima quæque Alpibus loca effuſe populari cœperunt. atque in Prouincia Amatum regionis præfectum acie congreſſum interemerunt. Quibus detrimentis rex Guntrannus adductus aduerſus eos Mummolum, & Chrannichidem miſit. Ex quibus Mummolus magno prœlio victos Francia cum præda, captiuisq; relinquere extemplo coegit. atque Anagnij caſtrum in finibus Italię occupauit. Crannichis vero longius progreſſus Alpes ſuperauit, ac Tridentũ oppidum expugnauit. Verũ haud ita multo poſt in prœlio interemptus Eoino Duci occaſionẽ, vt Tridentum recuperaret, aperuit. Francis infelici euentu tentatis, Longobardi animum inde ad res Italicas retulerũt, vt quæ propter infirmitatem ſpem victoriæ celerioris præberent. ac po-
578 ſtero anno, Faroaldo Duce Spoletano præfecto bellũ facere inſtiterũt. Itaque exercitu aduerſus Longinum Exarchum adducto Rauennam, quæ ingenti præſidio tenebatur, tentare non auſi Claſſem inuaſerunt, rati locum illum ad premendam Rauennam fore opportuniſſimum. Erat Claſſis oppidum non longe à Rauenna ad mare locatum, ita dictum, quòd ibi quondam Auguſtus, & ſucceſſores eius claſſem ad tuendam ſuperi maris oram conſtituiſſent. id oppidum, cum haud magno præſidio ſeruaretur, leui certamime in poteſtatẽ adductum eſt. Faroaldus prędа ingenti auerſa, & valido ibi præſidio relicto exercitũ reduxit
579 domũ. Proximo anno Longobardi cõmuni conſilio Etruriam, quæ in ditione Romanorũ remanſerat, inuadere, &, ſi res proſpere cederet, ipſam demũ adoriri Romã, decreuere. Quare cõtractis vndique copiis infeſto agmine in fines irruperunt. ac populationibus effuſe factis, agrisq;

late igne, ferroq; vaſtatis oppida Romanę ditionis aggreſſi ſunt. Eo im petu Sutrium, Polimartium, Orta, Tudertum, Ameria, Peruſia, Luceoli, & alia, vix oſtentata oppugnatione, ad deditionem adducta. Nã Longinus ad ſuperiora incommoda graui Claſſenſi quoq; bello ita occupatus erat, vt vix ſatis virium ad Rauennatem agrum ab aſſiduis Longobardorum, qui Claſſem tenebant, incurſionibus vindicandum haberet, ne dum longinquis Etruriæ occurrere detrimentis, & cladibus poſſet. Longobardi inde ſpe certiore ſiue prædæ, ſiue victoriæ Romanæ illecti in agrum Romanum proceſſerunt. ac pecoribus, quæ adipiſci potuerunt, abactis fœde in homines etiam, arbores, ac ſegetes, & tecta occurrentia ſæuierunt, ac demum vrbi ipſi caſtra admouerunt. Erat vrbs non ſolum ſine præſidio, ſed etiam ſine Duce, militumq; magiſtro. quodq; calamitatem ciuitatis augebat, ne frumentariæ quidem rei, ſi diutius ſuſtinenda obſidio eſſet, affatim erat. quòd & continuæ Longobardorum incurſiones agreſtes in agris ſine periculo verſari non paterentur, & ea æſtate meſſium nihil feciſſent, & priorum annorum inopia ipſa Eccleſiæ horrea iam prope funditus exhauſiſſet. Quod cum Benedictus pontifex pro ſua prudentia cerneret, extemplo litteras ad Tiberium miſit, orans, vt ſi agrorum vaſtationi, atque vrbis obſidioni obuiam ire præ longo marium, ac terrarum interuallo non poſſet, ſaltem ſe inopiæ, ac famis impendentis periculo liberaret. ac magnum frumenti numerum mari ad vrbem ſummitteret. Quod poſtquam accepit Tiberius, continuò naues onerarias in Aegyptum ad coemendum frumentum ire, atque indè Romam contendere iuſsit. Interim Longobardi, cum tentata vrbis oppugnatione ſæpius à muris Romanorum virtute repulſi minus opinione profeciſſent, vrbem obſidione cinxerant, ſpe ducti, ſe, quemadmodum pleraque Romanorum oppida fame ad deditionem adegiſſent, ſic Romam quoque haud dubie compulſuros. Itaque ne quid in vrbem inferretur, quod ad leuandam obſeſſorum inopiam pertineret, vrbem tanta cura circumſedebant, vt neminem aut exire, aut ingredi paterentur. quo fiebat, vt propter gliſcentem in dies rerum omnium ad victum neceſſariarũ penuriam ciuitatis miſerior, atque afflictior in dies conditio fieret. Ceterum ad graue obſidionis incommodũ acceſsit importuna quoque mors Benedicti pontificis, qui miſerias Italiæ lugens III Kal. Auguſti ex humanis exceſsit. Hunc verò dolorem magna ex parte leniuit Pelagius II, ciuis Romanus, qui propter ſingularem ſanctitatis, & prudentiæ opinionem III Idus Nouembris eſt ſubrogatus. is, quòd cincta vndique Longobardorum ſtationibus vrbe nuncius ad Imperatorum mitti de more

non

non poſſet, extemplo ſine illius auctoritate eſt conſecratus. Iam con-
ſumptis rebus omnibus nec longius fames ferri, nec diutius ſuſtineri ob-
580 ſidio poterat, cum quingenteſimo octogeſimo ineunte anno naues Ti
berij frumento onuſtæ Oſtiam acceſſerunt. Frumentum in vrbem,
quãquam contra tendentibus Longobardis ſubuectum, ciuitas, quæ
iam ad extremum redacta, & inedia, qua multi quoque perierant, diu-
turna erat confecta, diuiſo frumento vehementius accenſa eſt ad reli-
qua obſidionis incommoda perferenda. Quod vbi Longobardi vide-
runt, de relinquenda obſidione conſilium habuerunt, ac Romanis pe
tentibus inducias cõceſſerunt, eaſque interpoſito ſacramento firmarũt.
Verum domos ſuas quiſque dilapſi temere ſæuire in agreſtes captiuos
præcipuo religionis odio inſtiterunt. Quippe alij, vt D. Gregorius in
Dialogo refert, cum gentilium more victimas cæderent, quos carnes
immolatitias ſecum edere nolle comperiebant, fœdiſſime trucidabant.
alii, cum caput capræ immolaſſent, idque poſt ſolemnes circumcurſa-
tiones, & nefandi carminis dedicationes ſummiſſis capitibus adorarent,
quos à tam barbara ſuperſtitione refugiẽtes videbant, miſere occidebãt.
His de rebus Helias archiepiſcopus Aquileienſis, cum Gradum deceſſo
rum ſuorum exemplo incoleret, decretum à Pelagio pontifice elicuit,
vt ipſius eccleſiæ ſedes ex Aquileia Gradum transferretur. eaque metro
polis omnium eccleſiarũ Venetiæ, & Iſtriæ eſſet. atque epiſcopis ſuis in
ædem S. Euphemiæ ad conuentum vocatis decretum recitauit. atque ex
eorum ſententia Aquileienſis eccleſiæ intereſſe conſtituit, vt relicta im-
manitati Longobardorum, Aquileia ſedes epiſcopi in Grado, vt ſe-
curiore ab eorum impetu loco, ſtatueretur, & poſthac Gradenſis eccle-
ſia Venetæ oræ, Iſtriæq; eccleſiarum caput, & mater appellaretur. Ab
illo tempore Aquileienſis antiſtes ſeſe patriarcham vocauit. Inſequen-
581 ti anno Frontoni archiepiſcopo Mediolanenſi mortuo Laurentius eſt
ſuffectus. Gregorius autem ciuis Ro. diaconus, à Pelagio pontifice
Conſtantinopolim, vt apocriſarium apud Tiberium ageret, miſſus Eu-
tychium patriarcham male de mortuorum reſurrectione libro edito
ſentiẽtem deprehendit, eiuſq; errorem tanta ſacrorum teſtimoniorum,
prout erat prompti, atque eruditi in primis ingenij, multitudine confu-
tauit, vt Eutychius, qui corpus noſtrum impalpabile in reſurrectione
fore cenſuerat, mox morti proximus cum manus ſuæ cutem teneret, plu
rimis præſentibus dixerit: Confiteor, fore, vt omnes in hac carne reſur-
582 gamus. Ceterum & hoc, & proximo Longobardi fidem, quam Ro-
manis dederant, violarunt, atque infeſtos iterum in regionem eorum
exercitus induxerunt, ac varijs vrbes, & caſtra maleficijs affecerunt, Lon

gino adhuc etiam quotidianis Claſſenſium incurſionibus, prœliiſque implicito. Eodem anno, vt ſcribit Beda, IIII. Idus Auguſti Tiberius Imperator eſt mortuus, maiorem laudem ferens Chriſtianæ pietatis, quàm militaris prudentiæ, aut virtutis. Mauricius ex Cappadocia, dux eius, vir egregius, ducta in matrimonium filia, ex teſtamento eius occepit Imperium. Hic, cum vt ſapientia, ſic fortitudine Iuſtinum, & Tiberium ſuperaret, ac quantum Imperio dedecus, & detrimentum, occupata à Longobardis Italia, afferret, animaduerteret, extemplo, quod illi facere neglexerant, de pellendis illis varia ſecum inire conſilia cœpit. Opportunè autem Pelagius pontifex legatos ad eum miſit, qui illum de vniuerſo ſtatu Romanæ vrbis, atque Italiæ, & de aſſiduis Longobardorum iniuriis edocerent. eademque mandata Gregorio apocriſario ſuo per literas edidit. *Omnia, quæ neceſſaria ſunt,* inquit, *tibi per Honoratum notarium iuſſimus indicanda. vt quoniam Rauennæ cum domino Patricio fuit, ipſe quæcũque opportuna iudicaueris, domino Imperatori exponas. Nam exprimi vix poteſt, quantis damnis, ac cladibus à Longobardis contra iuſiurandum affliciamur. Promiſit autem nobis Sebaſtianus, ſe neceſſitates, & pericula totius Italiæ piiſsimo domino Imperatori patefacturum. Agite igitur, & conſulite, quanam ratione poſsitis maturè noſtris periculis ſubuenire: quia reſp. in tantas anguſtias eſt adducta, vt niſi Princeps Magiſtrum militum, & Ducem huc mittat, omnibus ſimus auxilijs deſtituti. Nam pleraque partes Romanæ ditionis præſidijs vacant. atque Exarchus ſcribit, nullum ſe nobis ferre auxilium poſſe. nam ſe ne ad Rauennæ quidem partes tuendas ſatis valere. Faxit Deus, vt Imperator noſtris ſubitò periculis præſto ſit, priuſquam nefandiſsimæ gentis exercitus occupet, quæ adhuc à rep. obtinentur.* His de rebus Mauricius in præſens Longinum, vt parum ad tantam rerum molem ſuſtinendam idoneum, reuocauit, ac Smaragdum Patricium, virum impigrum, atque in primis militiæ gnarum Exarchum cum nouo exercitu Rauennam, Gregorium verò Ducem, & Caſtorium magiſtrum militum Romam deſtinauit. Poſtero anno Smaragdus cum firmo copiarum ſupplemento Rauennam aduectus non ipſos ſolùm Rauennates, ſed etiam omnes Italos melioris ſpe 583
conditionis impleuit. Is Rauennati re conſtituta, cum ad res militares animum intendiſſet, bellum Claſſenſe à Longino cœptum magna ope continuauit, ac variis prœliis hoſtiũ audaciam fregit. & Drocrulfum, virum bello egregium, à Longobardis ad Romanorum partes traduxit. Hic natione Sueuus erat, puer quondam à Longobardis captus. cæterùm occaſionem veteris vlciſcendæ fortunæ ſuæ quærentem Smaragdus ſub aduentum ſuum nactus perpulit, vt ad ſe tranſiret. quo facto, ille Brixillum oppidum ad Padum, Longobardis non cauentibus, oc-

C cupauit,

cupauit, acceptiſque ſubitis à Smaragdo præſidijs, aduerſus eos obtinuit. Gregorius autem Dux, & Caſtorius magiſter militum Romam progreſſi, ingenti omnes lætitia extulerunt, ſperantes, ſe eorum conſilio non tam vrbem, quàm agrum facilè tutaturos. Nec minore plauſu populi Gregorius apocriſarius propter integritatis, & eruditionis ſuæ præſtantiam in vrbem rediens, eſt exceptus.
584 Sequenti anno Mauricius, multis agitatis de pellendorum Longobardorum ratione conſiliis, nullum opportunius eſſe conſtituit, quàm, vt Francos ad arma ſolicitaret; vt qui & bello ſemel à Longobardis laceſſiti rurſus eandem timere non immeritò procellam poſſent, & propter locorum vicinitatem magnam inuadendi, atque euadendi facultatem haberent. quare legatos ad Childebertum regem ad eam rem accendendum decreuit. Huius conſilii certiores facti Longobardi continuò, vt auctor eſt Annonius, legatos duodecim ad Mauricium Imperatorem, totidemque ad Guntrannum, & Childebertum reges Francorum miſerunt, vt pacem cum Imperatore facerent, & amicitiam cum regibus inſtituerent. ac per eos Francis ſe tributo duodecim millium ſolidorum annuo deuinxerunt. Eodem anno Droctrulfus magna Longobardis, qui Parmam, Regiumque tenebant, incommoda aſſiduis in eorum agrum incurſionibus faciendis importauit, nec leuiora Smaragdo Claſſem oppidum oppugnanti adiumenta ſuppeditauit, opportunis ſecundo Pado ſubſidijs ſummittendis.
585 Inſequenti, legati Mauricij in Franciam acceſſerunt, ac, quinquaginta millibus ſolidorum Childeberto regi oblatis, iuuenem facilè perpulerunt, vt bellum cum Longobardis ſuſciperet, atque traiectis Alpibus eos ex Italia deturbaret. Qua re audita, Longobardi Duces rebus ſuis timentes, tranſacto decennio, circa Septembrem in concilium conuenere, ibique relatione de præſenti ſtatu reipub. facta, vt regius dominatus reſtitueretur, concordibus omnium ſententiis decreuere, rati, ſe in hunc modum facilius & partum imperium retenturos, & Romanis noua, vt apparebat, aduerſus ſe molientibus occurſuros.

FL. AVTHARIS REX.

Exequentibus inde, quinam tanto dignus titulo foret, præterquam quòd nemo Autharim Clephonis filiũ opinione virtutis antecedebat, nomen etiam patriũ ad dignitatem deferendam plurimum valuit. Autharis autem rex deſignatus, cum Droctrulfi defectionem, & Brixilli amiſſionem iniquo animo ferret, Romanoſque propterea ſuſtu

liſſe animos cerneret, omnium primùm rem eam ſibi conficiendam eſt
arbitratus. Itaque, vt celeritate hoſtes imparatos opprimeret, regno
nondum conſtituto, exercitum Brixillum adduxit, ac caſtris poſitis om
ni ope oppugnare inſtituit. Ibi, cum obſidio reſiſtentis virtute Dro-
ctrulfi in longum extraheretur, ſolemnes, quæ initio regni fiebant, mu
nerum, honorumque diſtributiones obiuit, ac ferme, quæ ad forman-
dum regnum pertinebant, cuncta tranſegit. ſiquidem ſatis conſtat, ip-
ſum regno Longobardorum, quod adhuc & viribus imbecillum, & di-
gnitate parum ſpecioſum fuerat, multum & amplitudinis ad decus, &
opum ad potentiam addidiſſe. Inſtituit enim, vt reges Flauij nomine
antiquo Imperatorum exemplo appellarentur; & vt à ſingulis Ducibus
vectigalium ſuorum dimidium ad regiam tuendam amplitudinē con-
ferretur. Is cenſus tertio quoque anno in Palatium regium à Iacobo
Gualla ſcribitur eſſe illatus. Illis verò vſum vrbium, dominio, & iure
ſibi retento, reliquit. neque ſucceſſores tradidit, niſi aut virili extincta
ſtirpe, aut conflata defectione. Brixillum interea & terreſtribus, & na-
ualibus apparatibus vehementiſſimè oppugnatum tamen Droctrul-
fo, & ſubſidiarijs ad omnes conatus hoſtium ſtrenuè occurrentibus va
lidè reſiſtebat. verùm infinita ingruente, & in muros aſſidue à Pado, ter
raque ſcandente multitudine Droctrulfus exterritus poſtremò oppi-
dum dedidit ea conditione, vt ipſe cum præſidio dimitteretur incolu-
mis. Autharis Brixillo potitus muros, ne in poſterum receptaculum
hoſtium eſſet, ad ſolum vſque deiecit. Droctrulfus Rauennam ad Sma
ragdum profectus. Is, Claſſis oppido militum corona circundato, Lon
gobardos aſſiduis oppugnationibus fatigabat. Droctrulfo autē ad ſe cū
ſuis veniente, viro non ſolùm manu, ſed etiam conſilio ad omnia au-
denda promptiſſimo hoſtes premere eò vehementius inſtitit. Eodem
tempore patriarcha Aquileienſis Helias veterem hæreſim renouauit de
tribus capitibus Concilij Chalcedonenſis. Nam id concilium Theodo-
rum epiſcopum Mopſueſtenum laudauerat, & Theodoritum Cyren-
ſem, atque Ibam Edeſſenum epiſcopos ab Epheſino Concilio prædato-
rio condemnatos, cum anathema Neſtorio, & Eutycheti dixiſſent,
eccleſiis reſtituerat. poſt autem Concilium Conſtantinopolitanum ſcri
pta eorum, tanquam à veritate Catholica diſſidentia, condemnarat.
Epiſcopi autem Venetiæ, Liguriæ, & Iſtriæ prioribus annis Concilium
Conſtantinopolitanum eo nomine reſpuerant, quòd Chalcedonenſe
damnaſſet. qua illorum opinione à Pelagio primo pontifice refutata,
Helias ad alteram partem ſe retulit, ac tria capita Chalcedonenſis Con

cilij reprobauit. Qua re cognita Pelagius pontifex prioris Pelagij exem
plum ſequutus errorem eius coarguit, atque, vt in fide Catholicorum
perſeueraſſe vellet, admonuit, eleganti epiſtola per Gregorium diaco-
num, virum, vt diximus, eruditiſsimum ſcripta. Quem errorem He-
lias non ſolum non abiecit, vt oportuit, ſed eodem etiam tres ſuos ex I-
ſtria ſuffraganeos imbuit. quin etiam Ioannem Rauennatem archie-
piſcopum in ſuam ſententiam traxit. Interim Autharis per hiemem re
liquis regni partibus ordinandis vacauit. In primis autem iuſtitiam cō-
ſtituit, & religionem. Iuſtitiæ opera fuere furta, rapinæ, cædes, adulte
ria, & reliqua eiuſmodi flagitia ipſo regnante ſeueriſſime vindicata; re
ligionis verò, quòd ipſe abiecta gentilitate Chriſtiana ſacra ſuſcepit, at-
que alios ad ſui imitationem multos adduxit. verum, quod gloriam
eius immortalem imminuit, Arrianam opinionem ipſe cum ſuis im-
bibit. quæ Chriſtum patre minorem, neque eiuſdem cum eo eſſe ſub-
ſtantiæ aſſerebat; ac Nicæno, alijſq; damnata Conciliis fuerat. Ita-
que Longobardi poſthac ſuos in ciuitatibus & ipſi epiſcopos habuerūt,
& Catholicis multis in rebus eo quoque nomine incommodi, in-
feſtique fuerunt. Narrat Diuus Gregorius in Dialogo, cum epi-
ſcopus Longobardus, ideſt Arrianus Spoletum veniſſet, ædem, in
qua ſacris operaretur, à Catholico epiſcopo flagitaſſe. Illo verò da-
turum ſe abnuente, Arrianum ſe poſtridie acceſſurum, atque baſi-
licam beati Petri Apoſtoli per vim occupaturum, eſſe minatum.
Quod vbi æditus ſenſit, continuò ædem occluſit, ſeraſque obie-
cit, ac lampades omnes, poſtquam aduesperauit, extinxit, ſeque ædis
in penetralibus abdidit. Poſtridie mane Arrianus ad ædem cum armata
multitudine venit, eo animo, vt ſi clauſas ianuas inueniſſet, poſtes ef-
fringeret. Ecce autem vbi acceſsit, repente omnes ſimul ianuæ patue
runt, atque vniuerſæ ſua ſponte lampades exarſerunt. Arrianus autem
ſubito luminibus captus alienas inter manus ad hoſpitium eſt reductus.
quam rem vbi Longobardi ex Ducatu Spoletano nouerunt, vltro ma-
586 nus inde à Catholicis templis abſtinuerunt. Poſtero anno Smaragdus,
cū terreſtri oppugnatione Claſſem fruſtra ſe tentare videret, Droctrul-
fi cōſilio vſus naues parauit, atque ad Claſſem, qua mari alluebatur, ad
mouit, ratus eam partem, vt mari tutam, fore propugnatoribus, ac ſtatio
nibus vacuam. neque ſecus, quàm putarat, inuenit. itaque ſcalis repente
in murum illatis facile, cum nemo armatus obſiſteret, in oppidum per-
rupit, ac Longobardos arma ponere, ac ſeſe dedere compulit. ex iis
alii vita, alii libertate multati. Autharis hac re accepta doluit, verum

Fran corum metu exanimatus re Romana in præſens omiſſa inducias cum Smaragdo in triennium pepigit. Hic erat Childebertus rex, qui Mauricij Imperatoris impulſu aduerſus Longobardos cum maximis Francorum copiis contendebat. Quem Autharis vbi Alpes ſuperare ac cepit, ſubito, vt erat egregie rei militaris peritus, vtile conſiliū expediuit. quippe æquo Marte ſe confligere cum eis poſſe diffiſus Ducibus Longobardis mandata edidit, vt vrbes ſuas idoneis munitionibus, ac validis præſidiis confirmarent, atque intra muros Franci procellam exercitus expectarent, reliqua iudicio, ac poteſtati ſuæ permitterent. Childebertus in Italiæ campos degreſſus de ſingulis oppidis adoriendis diſceptare conſilio aduocato inſtituit. Dum autem ille huic conſultationi, exercitu prædas ex proximis agris agente, intentus eſt, Autharis legatos ad eum de pace miſit, ac magnis muneribus datis, vt intactis Lōgobardis in Franciam ſe referret, euicit. Quod vbi accepit Mauricius, ſe deluſum à Childeberto querens quotidianis ſolicitare eum legationibus non deſtitit, vt aut pecuniam redderet, aut promiſſa ſeruaret, ac Longobardis bellum inferret. Per id tempus Ingundis Childeberti ſoror Leuigildo marito rege Hiſpaniæ interfecto ex Hiſpania metu perculſa profugerat. Hanc igitur Childebertus recepturum ſe ſperans, quòd Conſtantinopoli eſſe audiſſet, Mauricio roganti rurſus obtemperauit. ac poſtero anno firmum alterum Francorum, Alemanorumque exercitum in Italiam miſit. verum ſeditione in itinere inter Francos, Alemanoſque oborta, ne nunc quidem momenti quidquam ad victoriam attulit. Eo metu Autharis liberatus tertio ipſo pactarum induciarum anno Italicos duabus adhuc integris in partibus eſt aggreſſus. Vni erant Iſtri, quos in tranſitu Alboinus omiſerat, altera inſula Comacina, in quam ſub Alboini aduentum multi confugerant, atque ingentibus eò diuitiis ex vicinis vrbibus comportatis iam per viginti annos in medio Longobardorum regno tenebant. Ad Iſtros Eoinus Tridentinorum Dux cum firmo militum robore miſſus. ipſe bellum Comacinatibus intulit. Iſtri prædis, incendiiſque late in finibus ſuis factis exterriti legatos ſtatim ad regem de pace miſerunt, ac grandi pecuniæ ſumma ſoluta in annum inducias impetrarunt. Autharis nauigiis ad traiectionem paratis exercitū in Comacinam induxit. atque oppidum defendente Francilione magiſtro militum acriter oppugnauit. atq; ad extremum poſt ſex menſes in deditionem accepit. Francilio cum coniuge, boniſque ſuis Rauennā abire permiſſus. reliquus theſaurus Veronam auerſus prædam multarum captarum vrbium adæquauit. Smaragdus Exarchus opem ferre neutri parti in tempore potuit. Eodem

587

anno Helias patriarcha eſt mortuus. Seuerus ciuis Rauennas in eius locum ſuffectus. Hic deceſſoris ſui ſententia reprobata vnà cum Catholicis tria, quæ iactabantur, Chalcedonenſis Concilii capita comprobauit. Quod vbi Ioannes Rauennas antiſtes accepit, hominem de ſuſcepta dimouere ſententia niſus, poſtquam verbis, ac ratione non potuit, Smaragdum ad vim ei faciendam induxit. Smaragdus homo rudis facile auctoritati archiepiſcopi paruit, ac Gradum cum globo armatorum profectus Seuerum in baſilica comprehendit, atque inde extractũ Rauennam cum iis, quos diximus, Iſtriæ epiſcopis ab Helia quondam corruptis auexit. eumque variis minis illatis aſſentiri Ioanni coegit. Res erat nouo, eoque peſſimo exemplo acta. & propterea apud Catholicos non Ioannes ſolum, ſed etiam Smaragdus magna flagrabat infamia. Itaque vbi id Mauricius nouit, iracundia incitatus Smaragdũ
588 ab Italica præfectura remouit. & poſtero anno Romanum Patricium ei ſucceſſorem ſummiſit. Eo anno Seuerus patriarcha à Ioanne dimiſſus, cum Gradum ſe recepiſſet, ab epiſcopis, & clero ſuo, tanquam hæreticus, eſt repulſus. Qua de re animi anxius conuentum eorum in Mariano coegit, ac ſe hæreticis Rauennæ per vim aſſenſiſſe, ſeque Chalcedonenſe Concilium vnà cum Catholicis approbare iurauit. Epiſcopi, qui rectam fidem amplexi ſe à patriarchæ auctoritate remouerant, fuere Altinas, Sabionenſis, Tridentinus, Veronenſis, Vicetinus, Taruiſinus, Feltrinus, Saccilanus, Belunenſis, Iulienſis, & Polanus. Interim Mauricius, cum inanem ſuperioris quoque anni Francorum expeditionem audiſſet, ira percitus, atque animi dolore incenſus litteris, nunciiſque vrgere Childebertum perrexit, vt aliquando tandem promiſſa præſtaret, & Longobardos inuaderet. Childebertus autem agi dignitatem iam ſuam ratus, niſi certum fidei, virtutiſque ſuæ ſpecimen Imperatori toties repetenti præberet, tertiam in Italiam profectionem parauit, maioribus, quàm vnquam ante, copiis ex omni parte collectis. Hoc cognito Autharis omnem ſibi belli gerendi rationem mutandam exiſtimauit. nunquam Francos inferendi belli finem facturos, niſi vbi iuſto prœlio fuerint profligati. audendum igitur eſſe, atque omnibus Longobardi nominis viribus in aciem deſcendendum, ac Deo bene iuuante pugnandum. Martem belli communem eſſe. vt non ſemper in prœliis multitudinem, ſic plerunque virtutem maximum ad victoriam momentum afferre. Itaque delectus toto regno quàm acerrime haberi iubet, ac maximo cõfecto exercitu tranſgreſſis tandem in Italiam Francis occurrit. Ibi Longobardos hortatus, vt virtutem priſtinam retinerent, qua nuper Gepidas, atque Italos deuiciſſent, memoreſq; eſſent, ſe

nunc

nunc non, vt ante, de imperio, ſed de libertate,ac ſalute pugnare,neque cum Italis, ſed cum Francis certare, quos per annos quindecim prope quotidianos hoſtes,atque aſsiduè in lateribus hærentes haberent,deſcendit in aciem. Signo prœlij dato acriter vtrinque exercitus concurrere. æquata primo pugna poſtremò Francorum acies inclinauit. Fuſos,fugatosq; Longobardi inſequuti fœdiſsime conciderunt. Quos vero reliquos prœlium, atque ira Longobardorum fecit, eos domum repetentes frigus fermè,fameſq; conſumpſit. ad ſummum clades ingens illata. mirificè nomen Autharis illuſtratum. His rebus proſpere geſtis inflatus Autharis,cum citeriorem Italiam ferme omnem ſuum ad obſequium redegiſſet,quod nemo adhuc fecerat, vlteriorem ſibi tẽtandam exiſtimauit; ea ſpe illectus, ſi virtuti fortuna non inuideret, haud magno negotio breui ſe Romæ quoque, ac totius Italiæ potiturũ. Itaque conuocato exercitu appetente vere in Ducatum Spoletanum proceſsit, 589
ac diſsimulato itineris ſui conſilio repente inde in Samnium penetrauit.ea loca, quòd à Longobardorum ſedibus eſſent remota, exiguis ab Imperatore præſidijs tenebantur.Itaque,exercitu ad eas regiones ex improuiſo adducto,tantam populis trepidationem iniecit, vt ſine certamine cum alia oppida, tum caput ipſum prouinciæ,Beneuentum ad deditionem adduxerit. Addit Paulus, eundem eodem victoriæ impetu Rhegium vſque,extremum Italiæ oppidum,ad mare perueniſſe, & columnam in mari poſitam ex equo, cui inſidebat,haſta cõtigiſſe, eamq; terminum imperij Longobardorum futuram dixiſſe. eandem vſque ad ſuam ætatem columnam Autharis appellatam. Reuerſus inde Beneuentum Zotonem Ducem ibi inſtituit, ac reliqua omiſſa Italia Samnium in formulam Ducatus redegit.Ita ad duos Ducatus inſignes Foroiulienſem, & Spoletanum tertius Beneuentanus eſt additus. Authari Veronam reuerſo, Zoto homo auarus,&, quantum perſpici coniectura poteſt,à religione auerſus, cum monaſterium Caſſinas non longè à Beneuento abeſſe opulentiſsimum didiciſſet, temperare haud potuit, quin primo quoque tempore illud inuaderet. Hoc monaſterium S. Benedictus, qui grauiſsimas monaſtico ordini leges dedit, ac rigidam vitæ diſciplinam deſcripſit, conſtruxerat, neque poſſeſſionum ſolum multitudine ornatum, ſed etiam Scholaſticæ ſororis ſuæ corpore, & ſuomet ibi ſepulto venerandum omnibus Chriſtianis reliquerat. Huius igitur monaſterij opulentiæ Zoto admonitus per noctẽ ex improuiſo inuaſit. neque expoliaſſe, atque omnibus rebus exinaniſſe contentus, ad ſolum vſque ſubuertit. Dum autem Longobardi prædæ egerendæ erant intenti, Bonitus abbas, qui fuit à S. Benedicto quintus, itemque monachi

omnes, quos Zoto ſomno merſos oppreſſerat,euaſerunt,ac leges ſecum à S. Benedicto ſcriptas,& libram panis, ac menſuram vini, & pretioſiorem ſuppellectilem deferentes Romam incolumes peruenerũt. Eorum calamitate perſpecta Pelagius pontifex, vt qui maximè, doluit, ac benigne acceptis ſedes iuxta Patriarchiũ Lateranenſe conceſsit. Ibi condito monaſterio poſt per annos centum triginta ſederunt. Superiore anno Autharis ſororem Childeberti regis in matrimonium poſtularat,neque obtinere potuerat, Childeberto Ricaredum Gotthorum regem in Hiſpania præferente; quòd is nuper fidem Catholicam ſuſcepiſſet. itaque repudiatus à Franco ſeſe ad Baioarium contulit, ac Theodelindam filiam à Garibaldo rege popoſcit,neque ægre admodum impetrauit. Interim Autharim viſendæ ſponſæ iuuenilis ardor inceſsit.Itaque ſene comite aſſumpto per ſpeciem regij nuncij Verona ſecreto in Baioariam incognitus properauit.ambo in conſpectum regis progreſsi,nomine regis verba fecerunt. Autharis ad ea,quæ ſenex perorauerat,addidit,ſe iuſſu regis ſui Autharis ſponſam viſere velle, vt de forma eius certum poſſit iudicium domino nunciare. inde cum productam vidiſſet,vehementerq; laudaſſet,cupere ſe dixit, illam ſibi more patrio propinare. Quod cum iuſſu patris illa feciſſet, Autharis,poſtquam bibit,poculum eidem reddens manum eius digito attigit, ac faciem dextera, nemine animaduertente, permulſit. cui queribundæ ſubiecit nutrix: noli laborare. neque enim iſte, niſi rex, & ſponſus tuus eſſet,te tangere auſus fuiſſet. Profectus inde à rege cum, Baioarijs officij cauſſa proſequentibus, ad fines Italiæ perueniſſet,ſe ſuper equum erexit,& toto connixus corpore ſecuriculam, quam manu geſtabat, in arborem aduerſam adegit, inquiens: Sic ferire Autharis didicit. atque eo dicto regem ſe Autharim eſſe Baioariis eouſque ignorantibus prodidit. Per idem tempus agente Veronæ Authari Longobardus quidam Arrianus clauem auream, quæ S. Petri dicebatur, nactus, cum in rem ſuam vertere ipſo neglecto numine vellet, cultrum,quo clauem incidere volebat, proprium in guttur infixit, ac ſubito expirauit. iacentem autem humi clauem cum neque præſens rex ipſe Autharis, neque aliquis ex Arrianis, qui aderant, præ religionis formidine tollere è terra auderet, tum Minulfus vnus è Longobardis Catholicus,quid pauetis, inquit,ac ſtatim incolumis ſuſtulit. hac re viſa Autharis clauem alteram auream fabrefecit, eamque ad Pelagium pontificem ipſo deſcripto miraculo miſit, vt S. Gregorius in Dialogo ſcripſit. Ad cetera mala, quibus Italia per tot annos miſere affli‑ctabatur, nouum hoc quoque ipſo inclinante anno acceſsit incommodum. quippe continuis imbribus Octobri menſe cœlo effuſis tanta

aquarum illuuies Italiam totam inuaſit, quantam poſt antiquum dilu uium nulla hominum, aut litterarum memoria prodidit. nam exundantibus amnibus non campi ſolum paſsim in ſtagna conuerſi, & viæ, itineraq; confuſa ſunt, ſed tecta etiam ſubruta, atque homines paſsim, pecudesq; nullo diſcrimine perierunt. Veronæ Atheſis amnis ita creuit, vt aqua ad ædem D. Zenonis peruenerit. quod verò pro inſigni miraculo S. Gregorius ſcripſit, Authari ipſo rege ſpectante, aqua apertis templi ianuis ingruens templum tamen ipſum non iniit. & paullatim creſcens vſque ad feneſtras, quæ proximæ tecto erant, euaſit. qui verò in templo remanſerant, cum elabi inde non poſſent, aquam tamen ad ianuam templi venientes hauriebant, neque ab eius impetu aliquid noxiæ accipiebant. ea ædes fuit, quæ hodie in ripa Atheſis ſita Oratorium S. Zenonis vocatur. templo ipſo incolumi, tamen muri vrbis vi aquæ multis in partibus ſubruti prociderunt. Quin etiam Romæ Tiberis exitu Octobris adeo intumuit, vt ſuper mœnia ſcandens altiores quoque vrbis regiones latè omnes obſederit. itaque non ſolum innumerabiles domos ſubuertit, ſed horreis etiam Eccleſiæ deturbatis frumenti numerum ingentem corrupit. quodq; homines nouo ſtupore defixit, magna ſerpentum turba cum ingenti dracone ſecundo flumine in mare delapſa. quæ poſt ſalſis fluctibus hauſta, & ad littus eiecta intuentibus omnibus memorabile ſpectaculum edidit. Diluuium verò iterum fœdiſsima peſtilentia, quam inguinariam vocabant, excepit, nimirum aere ipſo ex tetro terrarũ humore corrupto, atque omnino ad exitialem inſalubritatem adducto. Hæc ante Longobardorum aduentum per Italiam cum maxima humani generis pernicie impotẽtius debacchata nouo impetu facto populos adhuc ad illius memoriam horreſcẽtes circa Idus Nouembris inuaſit. & cum ceteram plebis iuxta, ac nobilium turbam perculit, tum in primis ipſum pontificem, cuius ſanctis precibus ſe ſtare arbitrabantur homines, interemit. Is initio anni quingenteſimi nonageſimi, VIII Idus Februarias repente cum ingenti deſide rio ciuitatis eſt mortuus. Illo ſepulto clerus, populusq; conueniens Gregorium diaconum, de quo ſæpe ante diximus, mira animorum conſenſione ſuffecit. Quem ille honorem recuſans litteras extemplo ad Imperatorem Mauricium miſit, cuius filium quondam ex ſacro fonte ſuſceperat: atque illum, ne ciuitatis comitia comprobaret, orauit. verùm cum vrbis præfectus præoccupato illius nuncio Imperatorem de ingenti populi erga eum ſtudio docuiſſet, parum profecit. Hæc per menſem Februarium acta. quo eodem vrbs Veronæ conflato caſu incendio eſt pene tota conſumpta. Proximo paſchare, cum

590

ſacro lauacro opera à ſacerdoribus verere ritu Eccleſiæ nauaretur, Autharis iuſſit omnes Longobardorum filios in fide Arriana intingi. Sub idem tempus Childebertus acceptam cladem vlciſci cupiens, quartam in Italiam expeditionem parauit. Itaque maioribus, quàm ante, delectibus habitis, & copijs omnibus rebus magis inſtructis ſummam imperij ducibus viginti commiſit, eo conſilio, vt diuerſi diuerſa petentes ipſas Longobardorum vires diſtraherent, atque ita ſingulos Duces facilius in periculum aut aduerſæ edendæ pugnæ, aut propriæ amittendæ vrbis adducerent, mandato edito, vt in Baioariam ante, quàm in Italiam, penetrarent. Quæ res cum ingentem terrorem meritò Garibaldo regi attuliſſet, ac curis illum grauioribus occupaſſet, Gundoaldus filius ſororem Theodelindam ad maritum ſibi ducendam ſuſcepit. Cuius rei admonitus Autharis obuiam cum honeſtiſsimo comitatu prodijt. atque eam in campo Sardis ſupra Veronam excepit. Ibi Idibus Maij magnifico apparatu ſponſalia celebrata. Gundoaldus, cum in Italia remanſiſſet, poſtea Ducatum Haſtenſem adeptus eſt. Autharis inde, cum Francos, Baioaria ſubacta, in Italiam deſcendere exercitu infeſto audiret, metu perculſus ad vetus ſuum conſilium ſe recepit. quippè hoſtium numerum veritus, vniuerſi dimicationem certaminis improbauit, Francorum impetum intra mœnia ſingulis Ducibus excipiendum, ac ſuſtinendum exiſtimauit. Francis maxima, vt fama erat, mole traijcientibus, Duces aliquot Longobardorum ſiue promiſsis Francorum, aut Romanorum illecti, ſiue metu expugnationis inducti defecerunt, Minulfus Inſulæ S. Iulij in agro Nouarienſi, Gandulfus Bergomi, & Valfaris Taruiſij. Poſtquàm autem Francorum exercitus in campos eſt degreſſus, præfecti, collatis inter ſe capitibus alij alias partes communi conſilio petiuerunt. ex quibus Audoaldus cum ſex aliis ad dexteram, Chedinus verò cum duodecim ad læuam eſt verſus. Priores Mediolanum profecti caſtra procul in campis poſuerunt. ex quibus Holo ad Bilitionis caſtrum in campis Caninis ſitum inconſulto progreſſus, iaculo ſub mamilla traiectus interiit. reliqui ad prædandum egreſsi nō leue ab exeuntibus Longobardis incommodum retulerunt. Qua re animati Lōgobardi iuſto aduerſus eos exercitu proceſſerunt. Erat ſtagnū quoddam in agro Mediolanenſium nomine Ceresium. ex quo manabat fluuius quidam anguſtus ille quidem, ſed profundus. ad id cum conſediſſe Longobardos audirent, iter eò pugnandi cupidi direxerunt. Cum ventum ad flumen eſſet, prodiit in vlteriorem ripam Longobardus lorica, galea, atque haſta munitus, qui Francos his verbis eſt allocutus: Hic dies indicabit, vtris à Deo conceſſa victoria ſit. ac ſtatim à Francis

quibuſdam amnem occultè tranſgreſſis,eſt trucidatus. Quod vbi Longobardorum,qui in propinquo erat,ſenſit exercitus, repente celeri ſe in vrbem fuga proripuit.itaque Franci,cum tranato flumine caſtra hoſtiũ vacua inueniſſent, & ipſi in ſua ſe rettulerunt, ac conſilium abeundi ceperunt. Proficiſci inde parantes Mauricij legati ſuperuenientes retinuere, pollicentes ſe poſt triduum cum valido exercitu Rauenna auxilio affuturos, ſignumq; aduentus ſui cuiuſdam villæ, quæ proximo in colle erat, incendium præbituros. Verùm poſt ſex dies, cum nemo comparuiſſet, Franci abire perrexerunt. Sunt qui tradant, Ticinum à Papio Frãcorum Duce captum appellari tum nomine Papiæ incœptum. Chedinus autem cum ſuis læuam petens Tridentum vſque caſtrorum omnium latè victor peruenit. ac contra fidem datam oppidis, quæ cepit, excìſis,ciues captiuos fecit, ac vix rogatu Tridentini, & Sabionenſis epiſcopi paucos mercede redẽptos dimiſit. Interim exercitus dyſenteria ex inſolentia cœli ſolito etiam grauioris tentari cœptus. Quare, cum Autharis rex, & Duces ſe intra oppida continerent, Franci per tres fermè menſes Italiam peruagati,morbo ingraueſcente,domum ſe receperunt. Hoc cognito Autharis locum eſſe agendi de pacè datum arbitratus,continuò legatos ad Guntrannum regem miſit, atque eos ita diſſerere iuſſit,ſe quidem fidem,atque obſequium Francis, quæ adhuc præſtitiſſet, præſtare paratum eſſe, neque à ſacramentis,quibus ſe maiores ſui obligaſſent, recedere. orare autem illos, vt finem aliquando armorum facerent, ac ſuam ſibi gratiam,& pacem reſtituerent: vt, cum vſus eſſet, vtrique mutuis aduerſus hoſtes ſuos auxilijs iuuarentur, & inimici ſui, vbi vtranque gentem opibus florentem, & animis concordem eſſe accepiſſent, ob amicitiam iunctam potius terrerentur, quàm ob diſſociatos animos lætarentur. Quibus Guntrannus reſpondit,ſe de re tota cum Childeberto colloquuturum, & quod decretum eſſet, Authari reſponſurum. Hæc autem dum aguntur,interim Romæ ſurẽte in dies acrius peſtilentia,vrbs aſsiduis funeribus exhauriebatur. Itàque mœſtum vbique ſilẽtium, triſtisq; luctus paſsim vniuerſam ciuitatem tenebant, prementium malorum magnitudine iam prope animum deſpondentem. Qua re animaduerſa Gregorius IIII Kal.Septemb.populum ad concionem in baſilicam S.Sabinæ vocauit,& diuino repletus ſpiritu in hæc verba diſſeruit: *Oportet, Cariſsimi fratres, vt flagella Dei, quæ metui ventura debebant, ſaltem præſentia timeantur. & dolor aditum conuerſionis aperiat, ac ſupplicium inſtans noſtri duritiem cordis effringat. Etenim,teſte propheta, Peruenit gladius vſque ad animã. Quippe vniuerſus populus cæleſtis iræ mucrone confoditur, cum ſinguli repente adeo moriantur, vt non langor impetum mortis præ-*

ueniat,

ueniat, ſed mors ipſa languoris tarditatem præcurrat, ac perculſus quiſque ante rapiatur, quàm ad lamenta pœnitentiæ traducatur. Quinetiam habitatoribus promiſcuè pereuntibus domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes ſpectant, & quibus hereditatem quæſiuerunt, eorum ipſi heredes euadunt. Vnuſquiſque ergo noſtrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percuſsionem vacat. Reuocemus in memoriam quidquid peccando commiſimus. & quod nequiter egimus, id flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confeſsione. &, ſicut propheta monet, leuemus corda noſtra cum manibus ad dominum. Ad dominum namque corda cum manibus leuare, nihil eſt aliud, quàm orationis noſtræ ſtudium bonarum actionum meritis excitare. Præbet, verò, præbet, inquam, timori noſtro fiduciam idem ille per prophetam clamans: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Nemo autem ob flagitiorum ſuorum immanitatem deſperatione debilitetur. Veternoſa namque Niniuitarum crimina triduana pœnitentia obliterauit, & conuerſus latro vitæ præmia etiam in ipſa ſententia mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & putemus accepiſſe quod petimus. citius enim precibus inflectitur iudex, ſi reus ſceleris ſui correctionem adhibeat. Ac, tanto ſupplicio imminente, importunis fletibus incumbamus. quæ enim ingrata hominibus eſſe importunitas ſolet, ipſo ſanè veritatis iudicio placet. Deus autem miſericordiam ſuam cupit precibus poſci, nec pro merito noſtro vult iraſci. Siquidem voce pſalmiſtæ dicit: Inuoca me in die tribulationis tuæ, & ego eripiam te, & magnificabis me. Ipſe ergo teſtis eſt, ſe cupere miſericordiam implorantibus impertire, cum admoneat, vt inuocetur. Quamobrem Cariſsimi fratres, contrito corde, & emendatis operibus ad ſeptiformem, vt demonſtrabo, litaniam propenſa in lacrymas mente progrediamur, vt iudicem de flagitijs noſtris pœnas ſumere cogitantem à ſententia propoſitæ damnationis auertamus. Feria igitur quarta prima luce clerus egrediatur ab æde SS. martyrum Coſmæ, & Damiani cum presbyteris regionis ſextæ: omnes verò abbates cum monachis ſuis ab æde SS. martyrum Geruaſii, & Protaſii cum presbyteris regionis quartæ: omnes abbatiſſæ cum congregationibus ſuis ab æde SS. martyrum Marcellini, & Petri cum presbyteris regionis primæ: omnes pueri, & puellæ ab æde SS. martyrum Ioannis, & Pauli cum presbyteris regionis ſecundæ: omnes laici ab æde S. protomartyris Stephani cum presbyteris regionis ſeptimæ: omnes mulieres viris orbatæ ab æde S. Euphemiæ cũ presbyteris regionis quintæ: omnes coniugio ſociatæ ab æde S. martyris Clementis cum presbyteris regionis tertiæ. E ſingulis autem ædibus in hunc modum egreſsi in ædem beatæ Mariæ ſemper virginis matris IESV CHRISTI *Domini noſtri conueniamus, ac longis ibi fletibus, & gemitibus Domino ſupplicantes pececatorum noſtrorum veniam imploremus.* His peroratis, iuſsit, vt conuocati clericorum chori per triduum pſallerent, ac domini miſericordiam inuocarent. Itaque ab illo traditum nunc quoque manet, vt poſt miſſarum introitum nouies do-

mini,

mini Chriſtique miſericordia expoſcatur. Hora igitur tertia venerunt ipſi canentium chori ad templum per campos vrbis clara voce domini miſericordiam implorantes. Dum autem populus ſupplices ad Deum voces effundit, repente octuaginta homines in turba exanimes conciderunt. Quod vbi Gregorius animaduertit, haudquaquam exterritus, continuò populū monuit, ne ab obſecratione ceſſaret, ſed multò intentius in ſtudium diuinæ precationis incumberet. Poſt aliquot inde dies ſacra ab Imperatore iuſſio venit, qua Gregorium pontificem conſecrari concedebatur. Itaque Gregorius, quanquam renitens, ac tergiuerſans, III. Nonas Septembris eſt conſecratus. Ceterùm diram hanc peſtilentiæ cladem graues duæ quoque curæ aliæ onerarunt, ſumma rei frumentariæ inopia ex ſuperiore ſatorum inundatione profecta, & fœdæ Longobardorum Ducum in ipſam Romanorum regionem impreſsiones. Itaque Gregorius, vbi pontificatum iniuit, omnium primum his duobus incommodis occurrendum exiſtimauit, vt & annonæ copiam compararet, & auxilijs ſe aduerſus hoſtium iniurias confirmaret: argumēto ſunt litteræ, quas in Siciliam ad Iuſtinum prætorem miſit, (hæ Septembri menſe, Indictione nona, anno ordinationis ſuæ primo dicuntur datæ) vt Romam frumentū mittere maturaret. *De frumentis, inquit, quæ ſcribitis, longè aliter vir magnificus Citonatus aſſerit. quia ſolummodo tanta tranſmiſſa ſunt, quæ pro tranſactæ indictionis debito ad replendum Sitonium ſufficerent. de qua re curam gerite: quia ſiquid minus huc tranſmittitur, non vnus quilibet homo, ſed cunctus ſimul populus trucidatur. Ad regendum verò Siciliæ patrimonium, talem, vt exiſtimo, virum Deo auctore tranſmiſi, cum quo vobis omnino conueniat.* Indicio ſunt, quas ad Paulum Scholaſticum miſit, vt Romam difficillimo ciuitatis tempore venire ex Sicilia Mauricij chartularij auxilio properaret. *Etenim gladijs, inquit, hoſtilibus foris ſine ceſſatione confodimur, & ſeditione militum interno periculo grauius vrgemur.* Interim rex Autharis Verona Papiam profectus, veneno hauſto repente vitam Nonis Septembris amiſit.

FL. AGILVLFVS REX.

MORTE Autharis cognita, Longobardi Duces Papiā continuò cōuenerunt & comitijs habitis legatos ad Guntrannum regem decreuerunt, qui mortem Autharis nunciarent, & pacem, de qua agi cœptum erat, cōmuni omnium nomine poſtularent: deinde de nouo ſufficiendo rege diſceptari eſt cœptum. Ibi, quoniam nemo omnium virtute, atque auctoritate ita eminebat, vt dignus eo faſtigio cōmuni iudicio vi-

deretur, poſtquam diu diuerſis inter ſe certauere ſententijs, vniuerſi eò decurrerunt, vt Theodelinda ſpectatæ prudentiæ, ac moderationis animi femina in imperio permaneret. & quem ipſa ſibi maritum è Ducibus Longobardis optaſſet, ille regiam poteſtatem teneret. Illa, conſilio cum maioribus natu communicato, Agonē, ſiue Agilulfum, Taurinatium Ducem, Authari propinquitate coniunctum, elegit, virum præclaris omnibus corporis, animique virtutibus ad regni gubernacula tractanda aptiſſimum. atque eum pro imperio mox ſibi præſto eſſe ad Laumellum oppidum iuſſit. Affuit Agilulfus conſilij reginæ prorſus ignarus. Theodelinda, vt voluntatem ſuam nudaret, nobile conuiuium apparauit. Ibi, cum procedente cœna ſumpto poculo vini partem hauſiſſet, reliquam patrio more propinans præſenti Agilulfo porrexit. Cum autem Agilulfus accepto poculo reginæ dextram venerabundus cuperet oſculari, tum illa non ſine rubore aliquo ridens, Atqui te Agilulfe, inquit, non manum, ſed os ſuauiari oportet. ego namque te in thori communionem elegi. Ita Agilulfus, nuptiis ingenti omnium, qui aderant, gratulatione contractis, rex Nouembris initio ſalutatur. Scribit Paulus, cum Theodelindæ nuptiæ cum Authari nuper in agro Veronenſi celebrarentur, atque oborta tempeſtate ſtipes quidam è ſeptis regiis fulmine ictus eſſet, ariolum quendam ſecretò Agilulfo Duci præſenti dixiſſe, fore, vt is breui Theodelindæ coniugium ſortiretur: quod ille audiens manu ſua ſe vitam illi ademturum ſubiecit, ſi cui tale quidquam enunciaſſet. Erat Theodelinda eximio, quæ rara per ea tempora laus fuit, fidei Catholicæ ſtudio inflammata. itaque connubium viri Arriani faſtidiens, quod ab Authari impetrare nequiuerat, id ſibi ab Agilulfo extorquendum exiſtimauit, quem elegit, eoque maximo beneficio ſibi deuinctum habebat. Igitur locum agendæ rei nacta, omni precum genere obteſtari illum inſtituit, vt exploſum tot conciliis Arrianorum errorem relinqueret, & Catholicam veritatem aſciſceret. Agilulfus autem cum veritate compulſus, tum honeſta vxoris voluntate, cui ſumma ſe debere omnia intelligebat, adductus in eius ſe futurum auctoritate reſpondit, atque ita Catholicam fidem ſuſcepit. Regis inde auctoritatem Longobardi ſequuti, & qui gentilitatis, & qui hæreſeos labe erãt infecti, Catholica ſubinde dogmata ſunt amplexi. Agilulfus quaſi ſuperiorum errorum pœnitentia ductus, eccleſias, & monaſteria, quæ bello afflicta fuerant, inſtaurare, ac poſſeſſionibus cumulare, epiſcopos, atque abbates, qui depreſsi fuerant, ad priſtinos redigere honores inſtituit. Quod his verbis prodidit Paulus: *Per reginam Theodelindam multum vtilitatis Eccle-*

ſia Dei conſequta eſt. Nam pene omnium eccleſiarum ſublimitates Longobardi,
cum adhuc gentilitatis errore tenerentur, inuaſerant. Sed eius ſalubri ſupplicatio-
ne rex permotus & Catholicam fidem tenuit, & multas poſſeßiones Eccleſiæ lar-
gitus eſt, atque epiſcopos, qui in depreßione, atque abiectione erant, ad dignitatem,
& honorem reduxit. Ea res mirifice totius Italiæ animos recreauit. Gre-
gorius vero gratijs Theodelindæ actis ipſam cum marito contendit in
officio retinere, ſperans Longobardum religione captum haud ægre
pontificia auctoritate ab armis aliquando poſſe recedere, ac pacem Ita-
liæ reſtituere. quin etiam extemplo, ideſt ipſo Decembri menſe, litteras
ad epiſcopos Italiæ miſit, vt Longobardorum infantes nuper ſacro la-
uacro in hæreſi Arriana ablutos Catholicæ fidei conciliarent. *Quoniam*
nefandißimus, inquit, *Authari in hac, quæ nuper expleta eſt, paſchali ſolemni-*
tate Longobardorum filios in fide Catholica baptizari prohibuit, pro qua culpa eũ
diuina maieſtas extinxit, vt ſolemnitatem paſchalem vlterius non videret, ve-
ſtram fraternitatem decet, cunctos per loca veſtra Longobardos admonere, vt,
quia vbiq; grauis mortalitas imminet, eoſdem filios ſuos in Arriana hæreſi bapti-
zatos ad Catholicam fidem cõcilient, quatenus ſuper eos iram domini omnipotentis
placent. Eodem tempore Seuerum Aquileienſem antiſtitem, qui ſe iterũ
à Catholica ſocietate remouerat, atque aliquot epiſcopos temere in ſuã
ſententiam traxerat, Romam cum ſocijs euocauit, vt cauſſa eius cõ-
cilio conuocato cognoſceretur. Interim in dies magis peſtilentia ſæuie
bat. ad ceteros autem caſus, quibus homines fœde paſſim abſumeban-
tur, hoc etiam mali acceſſerat, quòd multi, cum ſternutarent, alij, cum
oſcitarent, repente ſpiritum emittebant. Quod cum ſæpius eueniret,
conſuetudo inducta eſt, quæ nunc etiam obſeruatur, vt ſternutantibus
ſalutem precando, oſcitantibus ſignum crucis ori admouendo præſi-
dium quærerent. Quibus rebus permotus Gregorius ad cetera cæle- 591
ſtis iræ piacula poſtero anno religioſam in die Reſurrectionis ſupplica-
tionem inſtituit: atque ſolemni in pompa Sanctam Virginis Dei geni
tricis imaginẽ extulit. Hæc ex ore eius Lucæ Euangeliſtæ manu affabre
ad viuum expreſſa iam tum in æde D. Mariæ ad Præſepe in Exquilijs ſi-
ta eximia populi religione conſeruabatur. Factum eſt autem, vt imagi
nem ipſam, quacunque ferretur, tetra peſtilentis cæli grauitate cedente,
optata ſalubritas ſequeretur. Qua de re Deo gratulantibus omnibus de
ce angelus ſanctam virginem his vocibus è cœlo alloquens eſt auditus:
Regina cœli letare alleluia, Quia quem meruiſti portare alleluia, Reſurrexit ſi-
cut dixit, alleluia. Quam vbi Gregorius auribus orationem excepit, ſta-
tim diuino inſtinctus ſpiritu in hũc modũ expleuit. *Ora pro nobis Deum*
alleluia. Exinde antiphona ſolemnis Eccleſiæ paſchalis argumento læ-

titiæ manſit. Neque ita multò poſt angelus ſuper Hadriani molem aſtans, ac ſtrictum mucronem vagina recondens conſpectus eſt. Quo viſo Gregorius exhilaratus conuerſo ad populum ore, Bono omnes, inquit, animo eſtote: nam optatus diuinæ iræ, ac furentis iampridem peſtilentiæ finis, Deo ipſo annuente, oſtenditur. Atque ita, vt ille præſenſit, ipſe deinde morbus elanguit. Ab hac re moli S. Angeli nomen eſt inditum. Hæc ita, vt in Ritualibus ſcripta ſunt, retuli. Per eoſdem dies Mauricius Imperator Theodoſium filium, quem ſibi Imperij conſortem adiunxerat, xvij Kalendas Maij coronari Auguſtum iuſſit. Agilulfus item, cum Longobardi Mediolani frequentes menſe Maio, aduocato concilio, conueniſſent, rex de integro concordibus omnium animis declaratus. Scriptores Mediolanenſes patrios ſequuti annales aſſerũt, coronam ei impoſitam fuiſſe, à Theodelinda regina inſtitutam, auream illam quidem, verum circulo ferreo interiore intextam. vnde poſt ferreæ coronæ nomen Italico Longobardorum in regno enituit. Agilulfus autem rex confirmatus omnium primùm captiuos ſuos ſibi repetendos, & Francos pace conciliandos ratus, ſtatim Agnellum epiſcopum Tridentinum in Franciam miſit ad eos, qui paullò ante ex Tridentino agro captiui abducti fuerant, redimendos; Eoinum verò Ducem ad pacem, ſicuti cœptum fuerat, flagitandam. Atque eorum vterque domum voti compos repetijt, Agnellus, captiuis pecunia Brunichildis reginæ redemptis, Eoinus inducijs in certum annorum ſpatium impetratis. His inde iterum, ac ſæpius renouatis, Franci neque ſuo, neque alieno nomine bellum Longobardis fecerunt, donec Pipinus rex à pontifice accerſitus ad defendendam Eccleſiæ ditionem accurrit. Bellum inde à rege per ocium rebellibus eſt illatum. Minulfus inſulæ S. Iulii Dux victus, &, quia apertè Francorum partes fouerat, vita exutus. Gandulfo ad deditionẽ cõpulſo ſatis viſum obſides imperare.

Dum hæc rex gerit, Ariulfus Dux Spoleti cũ lecta manu ad Romanã vrbem oppugnandam acceſsit, atque ibi hominum omnis generis cædẽ ingentẽ fecit. Fuitq; tum in magno periculo ciuitas, quòd Theodoſius Imperator veteranis eductis præſidia tironibus suppleuerat, neque ſolito ſtipendio illos affecerat. Digreſſus inde, q; ſpes omnis ad irritum ceciſſet, Camertes inuaſit, atque illis magno prœlio ſuperatis oppidum in poteſtatem redegit. Hunc, quanquam gentilem, narrat Paulus in acie à beato martyre Sabino protectum. Quod ille non ſine ſua, omniũque admiratione in hunc modum comperijt. Quippe domum repetens, inſtituto forte cum ſuis de rebus geſtis apud Camerinum ſermone, quæſiuit de proximis, quinam ille fuiſſet, quẽ in prœlio fortiter præ ceteris di

micantem vidiſſet? reſpondentibus autem illis, neminem ſe fortius pugnantem illo ipſo duce vidiſſe, ſubiecit: Profecto multo me in omnibus rebus meliorem vidi alium, qui me, quoties hoſtium aliquis petijt, ſcuto ſuo protexit. poſtquam autem Spoleto appropinquauit, vbi beati martyris Sabini epiſcopi ſita baſilica erat, cuiuſnam illa tam ampla domus foret, rogauit. cui reſponſum eſt à Catholicis, S. Sabinum martyrem ibi quieſcere, quem Chriſtiani in bello defenſorem haberent, ac propterea opem eius precibus expoſcere, conſueſſent. Tum Ariulfus, vt qui tenebris erat gentilitatis oppreſſus, Et fieri poteſt, inquit, vt homo mortuus aliquod viuentibus auxilium ferat? Atque hoc dicto, equo degreſſus baſilicam viſendi ſtudio inijt. Pleriſque autem in diuinam precationem conuerſis, ipſe picturas baſilicæ luſtrare oculis cœpit. Cum autem figura Sabini martyris occurriſſet, lætus mox iureiurando affirmauit, tali omnino & forma, & habitu virum fuiſſe illum, qui ſe in acie protexiſſet. Eodem anno ſiccitate laboratum eſt. ſiccitatem autem tenuis frugum omnium prouentus eſt conſequutus. Cum à Ianuario vſque ad Septembrem cæleſtes aquæ nullæ fuiſſent, ipſi etiam fontes exaruerunt. quæque terra edita ſunt, ea ingentium allapſa vis locuſtarũ exedit. His de rebus Gregorius animo anxius omnia experiebatur, quibus & inopiæ rei frumentariæ conſuleretur, & pax ab Ariulfo, & à Longobardis Etruriæ pareretur. neque enim pacatis Francis Longobardos amplius Italia exceſſuros, & eoſdem Chriſtianis ſacris imbutos accolas in dies mitiores, & ad humanitatem, pietatemque propenſiores eſſe ſperandos. Neque vero Longobardus à pacis conſilijs penitus abhorrebat. ſed Romanus Exarchus bellum, atque arma ſpectãs eam improbabat, neque aut ſibi, aut Imperatori decoram eſſe putabat. Extant vtraque de re Gregorij epiſtolæ. Ac de comparanda quidem annona ad Petrum rectorem Patrimonij in Sicilia in hunc modum: *Ex quinquaginta libris auri, quas habes, noua frumenta ab extraneis compara, & in Sicilia, quibus in locis non pereant, repone, & ad nos menſe Februario tranſmitte, exceptis frumentis, quæ nunc menſe Septembri, vel Octobri iuxta conſuetudinem tranſmitti præſtolamur. quia tam parua hic natiuitas fuit, vt niſi frumenta de Sicilia congregentur, fames vehementer immineat.* Narniæ quoque peſtilentiã recruduiſſe, idem ſignificat ſcribens ad Proiectitiũ Narnienſem epiſcopum: *Peruenit ad nos, peccatis imminentibus in ciuitate veſtra Narnienſi, mortalitatem omnino graſſari: quæ res nos nimis afflixit. Quamobrẽ ſalutantes fraternitatem tuã inſtantiſſime ſuademus, vt à Longobardorum, ſiue Romanorũ, qui in eodem loco degunt, admonitione nulla ratione ceſſetis; & maxime à gentilium, et hæreticorũ, vt ad verã, rectamq; fidem Catholicam conuertantur.*

592 De pace vero ſic ſcripſit Ianuario menſe ad Ioannem Rauennatem ar-
chiepiſcopum: *Quo tempore Ariulfus ad Romanam vrbem veniens alios oc-*
cidit, alios detruncauit, tanta moleſtia affectus ſum, vt in colicam moleſtiam ca-
derem. Pacem facere non poſſumus. Peccatis meis reputo, quia qui nunc intereſt,
& repugnare contra inimicos noſtros diſſimulat, & nos pacē facere vetat: quam-
uis iam modo, etiam ſi velit, pacem facere non poſſumus. quia Ariulfus exerci-
tum Ancturit, & Nordulfi habens eorum ſibi dari precaria deſiderat, vt nobi-
ſcum aliquid loqui de pace dignetur. & infra: *Mouere vos non debet Romani*
Patricij animoſitas: Age cum eo, vt pacem cum Ariulfo faciamus: quia miles
de Roma ablatus eſt. Theodoſiani vero, qui remanſerunt, rogam non accipientes
vix ad murorum cuſtodiam ſe accommodant: & deſtituta ab omnibus ciuitas,
ſi pacem non habet, quo modo ſubſiſtet? Addit etiam, Neapolim magno
niſi Dux mittatur, in periculo eſſe. Eodem anno Agilulfus rex Duces
Longobardorum rebelles perſequi bello perrexit. Ex quibus Gandul-
fus, cum ſe rurſus aduerſus eum occupata per fraudem Comacina mu-
niſſet, atque inde exactus deintegro Bergomum recepiſſet, ibi captus
tamen in gratiam eſt receptus. Valfaris autem Taruiſij aliquandiu ob-
ſeſſus denique vnà cum oppido conceſſit in poteſtatem. Extremo an-
no Gregorius pacem cum Longobardis Etruriæ fecit, ſcripſitque ad
Mauricium Imperatoré litteris Ariulfum facile etiam ad Romanorum
partes tranſiturum oſtendit. cũque acta Chalcedonenſis, & Conſtanti-
nopolitani Concilij, quæ in Theodoro, Theodorito, & Iba epiſcopis
approbandis, ac reprobandis aduerſari inter ſe videbantur, adhuc ec-
cleſiam væſana multorum pertinacia fatigarent, ad eam diſcordiam diſ-
ſoluendam ſic ad Sabinum ſubdiaconum ſcripſit: *Exeuntes maligni homi-*
nes turbauerunt animos veſtros, aſtruentes, quòd aliquid de ſancta Chalcedonen-
ſi Synodo Iuſtiniani temporibus ſit imminutum. quam omni fide, omnique deuo-
tione veneramur. De perſonis vero, de quibus poſt terminum Synodi aliquid actũ
fuerat, eiuſdem Iuſtiniani temporibus eſt ventilatum. ita tamen vt nec fides in ali-
quo violaretur, nec de eiſdem perſonis aliud aliquid ageretur, quàm apud eandem
ſanctam Synodum fuerat conſtitutum. anathemizamus autem, ſi quid ex defini-
tione fidei, quæ in eadem Synodo prolata eſt, aliquid imminuere præſumit, vel
quaſi corrigendo eius ſenſum mutare, ſed, ſicut illa prolata eſt, per omnia cuſtodi-
mus. Principio ſequentis Laurentius archiepiſcopus Mediolanenſis eſt
593 mortuus. Quo cognito Gregorius clerum de nouo ſubrogando antiſti-
te monuit, clerus Conſtantium ſubdiaconum ſubrogauit, & iudicium
ſuum ad pontificem detulit. Gregorius, quia cleri comitia à populo
confirmata non erant, Ioanni ſubdiacono negotium dedit, vti volun-
tates Mediolanenſium, qui barbaricã Longobardorum feritatem auer-

ſati Genuæ degerent, exploraret, &, ſi in Conſtantino conſentientes inueniret, ipſum de more conſecrari ab epiſcopis ſuis iuberet. quin etiam Conſtantium ipſum pallio decorauit, & Romano Exarcho commendauit. Poſt autem, cum accepiſſet, tres cum Theodelinda regina epiſcopos ſe ab illius obedientia ſubtraxiſſe, quòd Romæ damnationi trium capitum Chalcedonenſis Concilij aſſenſiſſe, atque ea de re profeſsionem edidiſſe diceretur, vtrumque crimen ſcriptis ad epiſcopos, & reginam litteris temerè confictum fuiſſe oſtendit, eoſq; ad archiepiſcopi au ctoritatem redegit. Extant litteræ eius ad Cōſtantium archiepiſcopum in hæc verba: *Peruenit ad nos, quod quidam epiſcopi veſtræ diœceſis exquirētes occaſionem potius, quàm inuenientes, ſeſe ſcindere à fraternitatis veſtræ vnitate tentauerint, dicentes, te apud Romanam vrbem in trium capitulorum damnationem cautionem feciſſe. ego tamen nominata inter nos neque verbo, neque ſcripto tria capitula recolo. ſed eis, ſi citius reuertuntur, de ſuo errore parcendum eſt. nos, n. fatemur, fidem S. Chalcedonenſis ſynodi per omnia illibatam cuſtodire.* Romanus Exarchus quinquennio iam, nulla re memorabili acta, in Exarchatu conſumpto nomini ſuo deforme ratus, niſi præfecturam eximio aliquo facinore nobilitatam relinqueret, animum ad Peruſiam, & vicinas eius regionis vrbes recuperandas adiecit, ante aliquot annos Longobardis à Ducibus occupatas. Itaque Ducem Peruſiæ Mauricionem ſolicitatum occultè ad partes ſuas traduxit. & cauſſa Romanæ adeundæ vrbis excogitata eò cum exercitu ornatiſsimo proficiſci contendit. Exarchi aduentum vbi Romani cognouerunt, præcipuò ſibi honore excipiendum exiſtimarunt. Itaque aduentāti ad vrbem ciuitas obuiam cum vexillis, vnaq; exercitus cum ſignis ad cōſtitutum locum occurrit. isq; ingeſſus ad pontificem adorandum Lateranenſi in baſilica ex compoſito cōſidentem acceſsit. Hic deinde honos ſolemnis omnibus Exarchis ad vrbem venientibus manſit. Romanus inde negocio, cuius cauſſa ſe veniſſe ſimulārat, expleto Rauennā per Etruriam, atque Vmbriam rediit. atque ex itinere, vt conſtituerat, Sutrium, Polimartium, Ortam, Tudertum, Ameriam, Luceolos, & alia oppida, quaſi aliud agens, recepit, prompto in primis, atque opportuno Mauricionis, qui etiam Peruſiam tradidit, auxilio ſubleuatus. Qua re accepta Agilulfus accenſus animum ad Mauricionis, & Romanorum vltionem intendit. & Ariulfum, vt ſecum bellum ſuſciperet, incitauit. Ita poſtero anno paratis in 594
fines Peruſinorum exercitibus eſt proceſſum. Primum ager militari licentia, ac conſuetudine Longobarda fœdiſsime deformatus, deinde exercitus vrbi admotus. Peruſia, quanquam à Gregorio præfecto, & Caſtorio magiſtro militum, dimiſſo ex vrbe Roma præſidio, fuerat confir-

mata, tamen diu valide oppugnata cum Duce Mauricione peruenit in poteſtatem. Agilulfus Mauricione vita orbato, ac præſidio Peruſiæ relicto repente caſtra inde Romam verſus promouit. ac direpto, & incenſo agro vrbem ipſam oppugnare, ac Romanos captiuos facere inſtitit. Vrbs erat præſidio vacua. neque enim præfectus Romam tentaturum Agilulfum, ſed à Peruſia protinus ad alia oppida ducturum exiſtimarat. Itaque caſtris mœnibus vrbis admotis ingẽs vniuerſæ ciuitati eſt pauor iniectus. Tum demum Gregorius de ſalute ciuitatis ſolicitus ab Expoſitione tẽpli Ezechielis deſtitit, & ſummis in anguſtiis poſitus ſacro Miſſarum in Canone verba illa: *Vt dies noſtros in tua pace diſpónas*, adiecit. In tanta tamen trepidatione vrbs ſingulari Gregorij, & Caſtorij vigilantia, nec minore Romanorum induſtria aduerſus varios Lõgobardorum incurſus acriter eſt defenſa. Quare poſt aliquot dies rex fruſtra ſe ibi ſedere cum cerneret, pactis inducijs abijt, & captiuos Romanos ſecum abducens, quaſi canes, funibus collo implicitis traxit, atque inde in Franciã vendendi cauſſa trãſmiſit. oppida cetera in poteſtate Romanorum relicta. Eodem anno Gregorius pontifex, cum Ioannem archiepiſcopum Rauennatem non ſolum in ſacris, ſed etiam in ſupplicationibus pallio contra apoſtolicam auctoritatem vti audiſſet, eumq; ſeuere, ſicuti decuit, caſtigaſſet, vt qui plus ſibi, quàm fas eſſet, aſſumeret; edoctus demum alios etiam ante illum antiſtites eum ritum ſeruaſſe, quieuit. atque ad retinendam Theodelindæ reginæ gratiam, fidemq; augendam Dialogum ei de vitis Sanctorum Italicorum hoc anno confectum inſcripſit. Sequenti Ianuario crinita ſtella mane, & veſpere toto appa-
595 ruit. Ioannes Rauennas antiſtes vita ceſſit. Hominis ab Eccleſiæ Romanæ obedientia præ inſita ingenii ſuperbia alieniſsimi exemplo nunquam poſtea Rauennati eccleſiæ antiſtites defuere, qui certamina Romanis cum pontificibus ſeruere. In eius locum Marinianus eſt lectus. Eoinus quoque Tridentinus Dux mortuus, atque ei Gundoaldus homo Catholicus à rege ſuffectus. Tum primum equi ſyueſtres, & bubali in Italiam adducti ingens ipſius rei nouitate ſpectaculum præbuerunt. Tertio Nonas Iulij Gregorius conuentum epiſcoporum in Vaticano habuit. in quo præter alios abuſus hic quoque correctus, ne rectores Patrimoniorum prædijs vrbanis, aut ruſticis, quæ quidem ad ius Eccleſiæ pertinere putarent, *titulos fiſcali more imprimerent*, neque id ius illatis manibus, vt aſſueuerat, ſed iudicio conſtituto defenderent. Huic decreto ſubſcripſit Marinianus archiepiſcopus deſignatus, quem paullo poſt Gregorius, Donato & Ioanne reiectis, ſacrauit, & vſu pallii decorauit. Quin etiam ſanctum, ne abbas Caſſinas bona monaſterii dilapidare poſ-

ſet; ne abbate mortuo alium, quàm monachum, & à monachis ſubrogari ius eſſet, ne regi iis ſe comitiis immiſcere liceret; ne eis comitiis pecunia intercederet; ne abbatem, aut preſbyterum abdicare ſine certo crimine fas eſſet, cuius cognitio ad pontificem pertineret; ne quem monachum ad epiſcopatum, aut alium eccleſiaſticum ordinem prouehere iniuſſu abbatis ius eſſet. atque de his rebus litteras ad Bonitum abbatem dedit III Nonas Octobris indictione quarta decima; quibus multi epiſcopi ſubſcripſerunt. Eodem tempore Mauricius Imp. dolore æſtuās, quod neque propriis, neque alienis opibus Longobardos eiicere ex Italia potuiſſet, omnem in ipſum pontificem Gregorium animi ſui acerbitatem euomuit. ſiquidem ab iniquis, & falſis hominibus inſtigatus litteris ſuo, & Theodoſi filii nomine ſcriptis ipſum ab Ariulfo deluſum, vt ſimplicem hominem, arguit. Ad quas Gregorius menſe Iunio cauſſam ſuam, atque afflictæ Italiæ agens ſic reſcripſit: *Ego igitur, qui in ſereniſſimis dominorum iuſsionibus ab Ariulfi aſtutia deceptus non adiuncta prudentia ſimplex denuncior, conſtat proculdubio, quia fatuus appellor. quod ita eſſe ego quoque ipſe confiteor. Ego enim, ſi fatuus non fuiſſem, ad iſta toleranda, que inter Longobardorum gladios hoc in loco patior, minime veniſſem. in ea autem re, quam de Ariulfo perhibui, quia toto corde venire ad remp. paratus fuit, dum mihi non creditur, & mentitus eſſe reprehendor. Et quidem ſi terræ meæ captiuitas per quotidiana momenta non excreſceret, de deſperatione mea, & irriſione lætus tacerem. Sed hoc me vehementer affligit, quia vnde ego crimen falſitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur ſub Longobardorum iugo captiua:* & infra: *Omnipotentem dominum tanto vobis amplius pacatis, quanto me ei facilè ſeruientem diſtrictius affligitis. multas enim iam plagas acceperam, & ſuperuenientibus dominorum iuſsionibus inueni conſolationes, quas non ſperabam. Si enim poſſum, has celeriter plagas enumero. Primum, quòd mihi pax ſubducta eſt, quam cum Longobardis in Tuſcia poſitis ſine vllo reip. diſpendio feceram. deinde corrupta pace de Romana ciuitate milites ablati ſunt, & quidem alij ab hoſtibus occiſi, alij Narnijs, & Peruſii poſiti, & vt Peruſium teneretur, Roma relicta eſt. Poſt hoc plaga grauior aduentus Agilulfi, ita vt oculis meis cernerē Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Et, quia nos qui intra ciuitatem fuimus, Deo protegente, manus eius euaſimus, quæſitum eſt, vnde culpabiles eſſe videremur, videlicet, cur frumenta defuerint, quæ in hac vrbe diu multa ſeruari nullatenus poſſunt. ſicut in alia ſuggeſtione indicaui. Inſuper de glorioſis viris Gregorio præfecto, & Caſtorio magiſtro militum non mediocriter ſum affectus, qui omnia, que potuerunt fieri, nullo modo facere neglexerunt, & labores vigiliarum, ac cuſtodiæ ciuitatis in eadem obſeſſione vehementiſſimos pertulerūt, & poſt hæc omnia graui dominorum indignatione percuſsi ſunt.* Non ceſſabant

interea

interea Longobardi non ſolùm in continenti Italia, ſed etiam in inſulis
Romanos variis iniuriis inſectari, idque, quod grauius erat, ipſo Exar-
cho non ſolum patiente, ſed etiam propè probante, conniuente qui-
dem certè, ac quaſi ex alienis calamitatibus proprium commodum au-
cupante. Itaque Gregorius hac cura anxius ad Sebaſtianum Serinien-
ſem epiſcopum ſcribens ſic conqueſtus eſt: *Quæ de amici veſtri domini*
Romani perſona in hac terra patimur, loqui minimè valemus. Breuiter tamen
dico, quia eius in nos malitia gladios Longobardorum vicit. ita vt beniguiores vi-
deantur hoſtes, qui nos interimunt, quàm reip. iudices, qui nos malitia ſua rapinis,
atque fallacijs in cogitatione conſumunt. Et vno tempore curam epiſcoporum,
atque clericorum, monaſteriorum quoque, & populi gerere, contra hoſtium inſi-
dias vigilare, contra Ducum fallacias, atque malitias ſuſpectum ſemper exiſte-
re, cuius laboris ſit, veſtra fraternitas tantò verius penſat, quantò me, qui hæc
patior, purius amat. Neque verò his ſolùm iniuriis grauiter Gregorius do-
luit, ſed opportuna etiam, quæ potuit, accuratè remedia conquiſiuit.
Nullum autem aptius eſſe, quàm pacem, ratus, pacem cum Agilulfo re-
ge tractare nunciis vltro citroq; mittendis inſtituit. Atque Agilulfus
quidem homo religioſus, neque omnino à pontificia auctoritate auer-
ſus libenter ſe facturum oſtendit, ſi Romanus Exarchus iudicium con-
ſtitui de rebus vtrinque per inducias ablatis vellet. Verùm Romanus
nullam eius rei mentionem admittere auribus voluit. Quarè Gregorius
litteras ad Seuerum Scholaſticum Rauennam Auguſto menſe miſit, ro-
gans, vt pro iure familiaritatis Romano pacem ſuaderet. *Quoniam,*
nouimus, inquit, *quanta fidei ſynceritate excellentiſsimum Exarchum diligatis,*
idcircò magnitudini veſtræ, quæ acta ſunt, indicare curauimus. vt hæc cognoſcen-
tes ad conſentiendum eum rationabiliter prouocetis. Scitote autem, quia Agilulfus
Longobardorum rex generalem pacem facere non recuſat, ſi tamen ei dominus
Patricius iudicium eſſe voluerit. Nam multa ſibi in locis ſuis intra pacis termi-
num queritur eſſe commiſſa. Et, quoniam ſibi, ſi ratio iudicantium inuenerit, ſa-
tisfieri poſtulat, & ipſe quoque ſe ſatisfacturum modis omnibus pollicetur, ſiquid
à partibus ſuis conſtiterit in pace commiſſum. Quia ergo rationi non ambigitur
conuenire quod petit, oportet eſſe iudicium, vt, ſi quæ ab vtraque parte malè facta
ſunt, componantur, dummodo generalis pax valeat, Deo protegente, firmari.
Nam qualiter ſit nobis in omnibus neceſſaria, bene noſtis. Sapienter itaque, ſicut
conſueuiſtis, agite, vt excellentiſsimus Exarchus ad hoc ſine mora debeat conſenti-
re, neue per eum pax renui, quod non expedit, videatur. Si enim conſentire vo-
luerit, nobiſcum quidem generalem pacem facere repromittit, ſed ſcimus quia &
diuerſæ inſulæ, & loca ſunt alia proculdubio peritura. Hæc autem conſideret, &
pacem habere feſtinet, quatenus in hac ſaltem dilatione & nos quidem poſſimus

habere

habere ad modicum, & reipub. reſiſtendi vires, adiuuante domino, reparentur. Ad has curas, quæ Gregorij animum mirifice cruciabant, alia quoque non mediocris adiuncta. Ioannes patriarcha Conſtantinopolitanus ſuperbia inflatus, ac nimio Imperatorum fauore ſubnixus, concilio vltimis Pelagii pontificis annis Conſtantinopoli habito, ſe œcumenicum, ideſt vniuerſalem, appellare epiſcopum inſtituerat, cum ſibi titulum vindicans, qui ex antiquis Conciliorum decretis ſoli pontifici Romano conueniebat. Qua re offenſus Pelagius concilium illud ſcriptis litteris infirmarat. Manente inde in ſua ſententia patriarcha, Gregorius inito pontificatu, eũdem admonuit, ne talem vſurpaſſe titulum vellet, quem ſedis Romanæ proprium eſſe non ignoraret. Quod cum ille non faceret, & Gregorius eum perſequi pro magnitudine poteſtatis Apoſtolicæ vellet, Mauricius Ioannis cauſſæ fauens Gregorio per litteras imperabit, vt cum eo pacem, ac cõcordiam agitaret. Quibus acceptis Gregorius iuſta ira incẽſus graues pro Apoſtolicæ ſedis defenſione litteras ad Mauricium, & Conſtantiam Auguſtos ſcripſit, atque ad Conſtantiam quidem hoc modo: *Indico vobis, quia pijſſimi domini ſcripta ſuſcepi, vt cum fratre, & conſacerdote meo Ioanne debeam eſſe pacificus. Et quidem ſic religioſum hominem decuit, vt iſta ſacerdotibus præciperet. Sed cum ſe noua præſumptione, atque ſuperbia idem frater meus vniuerſalem epiſcopum appellet, ita vt ſanctæ memoriæ deceſſoris mei tempore adſcribi ſe in ſynodo tali hoc ſuperbo titulo faceret, quamuis cuncta acta illius ſynodi ſede contradicente apoſtolica ſoluta ſint, triſte mihi aliquid sereniſſimus dominus innuit, quòd non eum corripuit, qui ſuperbit, ſed me magis ab intentione mea declinare ſtuduit.* & infra: *Vnde per omnipotentem dominum rogo, ne pietatis veſtræ tempora permittatis vnius hominis elatione maculari, neque tam peruerſo vocabulo vllum præbeatis aſſenſum: atque in hac cauſſa nequaquam pietas me veſtra deſpiciat: quia etſi peccata Gregorij tanta ſunt, vt pati talia debeat, Petri tamen apoſtoli peccata nulla ſunt, vt veſtris temporibus pati iſta mereatur. Vnde iterum, atque iterum omnipotentem dominum rogo, vt, ſicut parentes priores veſtri principes ſancti Petri apoſtoli gratiam quæſiuerunt, ita vos quoque & hanc vobis quærere, & conſeruare curetis. & propter peccata noſtra, qui ei indigne ſeruimus, eius apud vos honor nullatenus minuatur, qui & modo vobis adiutor eſſe in omnibus, & poſtmodum veſtra valeat peccata dimittere. Viginti autem iam & ſeptem annos ducimus, quos in hac vrbe inter Longobardorum gladios viuimus. Quibus quàm multa hac ab Eccleſia quotidianis diebus erogentur, vt inter eos viuere poſſimus, ſuggerenda non ſunt. Sed breuiter indico, ſicut in Rauennæ partibus dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ Sacellarium habet, qui cauſſis ſuperuenientibus quotidianas expenſas faciat, ita & in hac vrbe in cauſſis talibus eorum Sacellarius ego ſum. Et tamen*

men hæc eccleſia, quæ vno, eodemq́ tempore clericis, monaſterijs, pauperibus, po-
pulo; atque inſuper Longobardis tam multa indeſinenter expendit, ecce adhuc ex
omnium eccleſiarum premitur afflictione, quæ de hac vnius hominis ſuperbia mul
tum gemunt, etſi nihil dicere præſumunt. Ad Mauricium verò ita: *Cunctis*
Euangelium ſcientibus liquet, quod voce dominica ſancto, & omnium apoſtolo-
rum Principi apoſtolo Petro totius eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur,
Petre amas me? paſce oues meas: Ipſi dicitur: Ecce Satanas expetijt cribrare vos,
ſicut triticum, & ego pro te rogaui Petre, vt fides tua non deficiat, & tu aliquan-
do conuerſus confirma fratres tuos. Ipſi dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc pe-
tram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam,
& tibi dabo claues regni cælorum. & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit liga
tum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cælis. Ec-
ce claues regni cæleſtis accipit, poteſtas ei ligandi, & ſoluendi tribuitur. cura ei to-
tius eccleſiæ, & principatus committitur, & tamen vniuerſalis apoſtolus non vo-
catur. & vir ſanctiſsimus conſacerdos meus Ioannes vocari vniuerſalis epiſcopus
conatur. Exclamare compellor, ac dicere: O tempora, ò mores. Ecce cuncta in
Europæ partibus barbarorum iuri ſunt tradita, deſtructæ vrbes, euerſa caſtra, de-
populatæ prouinciæ, nullus terrarum cultor inhabitat. ſæuiunt, & dominantur quo-
tidie in necem fidelium cultores idolorum, & tamen ſacerdotes, qui in cinere, &
pauimento flentes iacere debuerunt, vanitatis ſibi nomina expetunt, & nouis, ac
profanis vocabulis gloriantur. Ceterum ipſe ad affectati principatus ſu-
ſpicionem, atque inuidiam apud homines euitandam ſeruum ſe ſeruo-
rum Dei appellare inſtituit. quem morem ſucceſſores ſubinde eius ac-
ceptum in hunc vſque diem conſtantiſsime tenuerunt. Interim à Lon-
gobardis premebatur ex omni parte ſine vlla intermiſsione Italia. Ita-
596 que ſequenti anno Crotonis oppidum in Calabria à Zotone Duce Be-
neuantano captum. atque omnes oppidani captiui abducti. In alijs
etiam regionibus Romani fœdis oppreſsionibus lacerati. Gregorius
ob id eò intentius agere, vt pax cum Agilulfo confirmaretur, ac modus
tandem tot calamitatibus poneretur. Itaque ad Secundinum eam Ra
uennæ procurantem menſe Aprili ſic ſcripſit: *Poſtquam reuertens Caſto-*
rius omnia nobis, quæ inter vos, & Agilulfum regem acta ſunt, indicauit, ne ac-
cuſationem contra nos de mora potuiſset aliquis inuenire, ſub omni illum celeritate
illuc tranſmittendum præuidimus. Ab eo ergo quæ ſunt agenda cognoſcens eſto ſo-
licitus, & omni modo imminę, vt pax iſta debeat ordinari. quia quantum dicitur,
aliqui hoc impedire conantur. pro qua re feſtina ſolicite agere, vt labor veſter ſine
effectu nō valeat remanere. Nam iam & partes iſtæ, & diuerſæ inſulæ in graui
ſunt periculo poſitæ. Eodem anno Auguſtinus, & Melitus in Britaniam
597 ad indicendum Anglorum genti Euangelium miſsi. Poſtero Caca-

nus,

nus,id eſt rex,Hunnorũ(hi ſunt,quos in Pannonia Longobardi reliquerant) quanquã vicinis alijs omnibus formidabilis, tamen Agilulfi regis amicitiam expetiuit, miſsiſq; Mediolanũ legatis, fœdus cũ eo percuſsit. Exarchus (quod ex litteris Gregorij ad Cyprianũ mẽſe Maio datis appa ret,) in Pado fuit occupatus. Gregorius captiuis Crotoniatis redimẽdis operã dedit.Itaq; Theoctiſto,& Andreæ ſic ſcripſit: *Indico vobis,quia ex Crotonẽſi ciuitate, quæ ſuper Adriaticũ mare in terra Italia poſita tranſacto anno à Lõgobardis capta eſt, multi viri,ac multæ mulieres nobiles in prædã ductæ ſunt,et filij à parẽtibus,et parẽtes à filijs,et coniuges à cõiugibus diuiſi.ex quibus aliqui iã re dẽpti ſunt.Sed quia grauia pretia eis indicũt,multi apud nefãdiſsimos Lõgobardos hactenus remanſerunt. mox autẽ medietatẽ pecuniæ,quam tranſmiſiſtis,in eorum redẽptionem tranſmiſi.* Ne hoc quidẽ anno conuenire pax potuit. Sequen 598
ti Zoto Dux Beneuentanus, & Romanus Exarchus diẽ ſuũ obierunt. Zotoni Agilulfus rex Arichim ſuffecit, qui Giſulfum Ducẽ Foroiulienſem propinquitate generis attingebat. Romano Callinicus Exarchus à Mauricio ſubſtitutus. Mauricius Gregorium inſimulauit, quòd de Malcho Longobardo, epiſcopo, qui in carcere ob delictũ ad iudicium ſeruabatur,ſupplicium ſumi iuſsiſſet. Quare Septembri menſe,indictione prima Gregorius ſic apud Sabinianum diaconum, tum apud Imperatores legatum expoſtulauit: *De qua re vnum eſt, quod breuiter ſuggeras ſereniſsimis dominis noſtris, quia ſi ego ſeruus eorum in morte Lõgobardorum miſcere me voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diuiſa.* Poſtero anno pax tam diu optata inter Romanos, & Longobardos tandem tranſacta eſt. 599
Callinicus Exarchus pontifici obſequentior, quàm Romanus, eam confecit, Probo abbate, quem Gregorius miſit, & Theodoro curatore Rauennæ, agẽte. Quod ex epiſtola Gregorii ad Ianuarium epiſcopum Caralitanum Septembri menſe ſcripta perſpicitur: *Cognoſcatis*, inquit, *abbatem, quem ad Agilulfum ante multum iam tempus tranſmiſimus, pacem cum eo, Deo propitio, quantum nobis ab Excellentiſsimo Exarcho ſcriptum eſt, ordinaſſe. & ideo quouſque pacta de confirmatione pacis ipſius conſcribantur, ne fortè hoſtes noſtri in hac dilatione ad partes illas iterum velint accedere, murorum vigilias, & ſolicitudinem in locis facite omnibus adhiberi.* Pace tranſacta, verùm non dum, vt opinor,ſacramento ſancita, Gregorius extemplo binas ad reges litteras miſit; vnas ad Theodelindam, ad Agilulfum alteras: Theodelindæ gratias egit, quòd operam paci componendæ nauaſſet, eamque hortatus eſt, vt apud regem, virum ſuum, ageret, ne Chriſtianæ reip. ſocietatem reiiceret. Agilulfo gratias egit,quòd rogatu ſuo pacẽ vtrique parti vtilem conſtituiſſet. ſimulq; obſecrauit, Du-

cibus ſuis præciperet, vt pacem, ſicut promiſſum erat, in poſterum cu-
ſtodirent, neque materiam ſibi aut contentionis, aut ſeditionis aliquam
quærerent. Pax inde regis iureiurando ſine vlla exceptione firmata eſt.
Ariulfus conditione adiecta iurauit. Varnafrida, cuius conſilio Ariulfus
vtebatur, omnino iurare recuſauit. Cuius rei indignitate commotus
Gregorius ne ipſe quidem ſibi decorum eſſe putauit iurare. ſed alteri id
munus mãdauit, ſicut ipſe ad Theodorum curatorẽ Rauennæ ſcripſit:
Indicamus, inquit, *Ariulſum de ſeruanda pace non vt ipſe rex iurauit, ſed ſub
conditione, ſi ſibi in quoquam exceſſum non fuerit, aut ſi nullus contra Arichis exer
citum ambulauerit, ſacramenta præſtitiſſe. Quod quia omnino iniquum, & do-
loſum eſt, nos, tanquam ſi non iuraſſet, putamus. quia in aliquid parum facilem ſi
bi exercendi occaſionem inueniet, & plus nos, ſi de eo ſuſpecti non fuerimus. Var-
nafrida verò, ad cuius conſilium idem Ariulſus cuncta agit, omnino iurare deſpe
xit. Et ideo contingit, vt ex pace, quam multum deſiderauimus, nos in his parti-
bus nullum pene remedium habere poſsimus. quia de ijſdem hoſtibus, de quibus ſu
ſpecti nunc vſque fuimus, adhuc, & in poſterum ſuſpecti ſumus. Cognoſcat præ-
terea gloria veſtra homines regis, qui huc tranſmiſsi ſunt, vt in pacto debeamus
ſubſcribere, ſed recordantes eorum, quæ Agilulſus Baſilio viro clariſsimo conuicia
ſuper nos in beati Petri dixiſſe fertur iniuriam, quamuis hoc penitus idem Agilulſus
negauerit, à ſubſcriptione tamen abſtinere præuidimus. ne nos, quæ inter eum, at-
que Excellentiſsimum filium noſtrum, dominum Exarchum, petitores ſumus, &
medij, ſi quid fortè clam ſublatum fuerit, falli in aliquo videamur, & noſtra ei
promiſsio in dubium veniat. &, ſi qua de futuro, quod abſit, neceſsitas fuerit, oc-
caſionem inueniat, qualiter noſtræ petitioni conſentire non debeat. Et idcirco peti-
mus, vt ſicut & à filio noſtro Excellentiſsimo popoſcimus, gloria veſtra ea, quæ no
bis caritate vnita eſt, peragat, quatenus, antequam homines ipſi ab Arichi reuer-
tantur, rex eis ſub feſtinatione ſcripta tranſmittat, quæ tamen ad vos deferantur,
in quibus eis præcipiat, vt nos ſubſcribere non petant. Sed ſi tantum eſt, glorioſum
fratrem noſtrum, vel de epiſcopis vnum, aut certè archidiaconum ſubſcribere fa
ciemus.* Ex his verbis, atque ex ijs, quæ poſtea cõſequutæ ſunt, rebus, ſa
tis apparet, hanc pacẽ parũ ſanctam, nec firmo admodum vinculo con
600 ſtrictã fuiſſe. Annus inde Chriſti ſexcenteſimus quiete Romanis tota
Italia parta fuit inſignis. Eo anno Agilulfus Romani belli cura perfun-
ctus, fœdus cũ Theodeberto, nouo Frãcorũ rege, inſtaurauit. ac Duces
Longobardorũ, qui rebellauerant, Zangrulfum Veronæ, Gandulfum
Bergomi, & Varnecauſum Papiæ inuaſit, atque armis ſubactos prodẽdi
exempli cauſſa vita exuit. Conſtantio Mediolanenſi archiepiſcopo
mortuo, cum ſucceſſori ſubſtituendo comitia haberentur, duo ad eam
dignitatem euecti ſunt, Adeodatus Mediolanenſis, & Agilulfus Longo

bardus,

bardus ille à clero catholico, hic ab Arriano electus. Diſſidio autem ecclesia laborante, Gregorius pontifex de more conſultus, omnem auctoritate ſua controuerſiam ſuſtulit, Adeodato, quem catholici deſignauerant, confirmato; haud æquum eſſe exiſtimans, in hominem, qui à non Catholicis, & maximè Longobardis lectus eſſet, præbere aſſenſum. Proximo, quod homines tacita iampridem animorum ſuſpicione præceperant, in apertum euaſit. Callinicus namque, cum propter ambiguam pacem vtrinque infida, ac ſuſpecta eſſent omnia, bellum potius inferendum, quam expectandum ratus, Ducibus aliquot Longobardorum ad ſe traductis, Regis in fines impetum facere occupauit. Quippe Mutinam, & Regium infirma tum Longobardorum oppida, cum exercitu prætergreſſus, Parmæ oppipum ex improuiſo inuaſit: eoque expugnato Godeſcalcum regis Agilulfi generum Ducem vnà cum vxore regis filia comprehendit, ac Rauennam captiuos abduxit. eodemque tempore cohortes aliquot expeditas miſit, quæ Brixillum à Longobardis deſertum occuparent, ac præſidio firmo tenerent. Quæ vbi comperit Agilulfus, iracundia ſtatim, eaque non iniuſta exarſit, ac bellum maiore, quàm ante, mole inſtaurare decreuit. Ceterùm inferẽdi belli hæc eſt ratio inſtituta. Longobardorum, qui in fide eſſent, copijs, quàm maximas potuit, conuocatis, Romanos pluribus in partibus armis ſibi premendos ſuſcepit, vt viribus, animiſque in diuerſa diſtractis, facilius eos adduceret in diſcrimen aut ſalutis, aut libertatis. Itaque Ariulfo, & Tuſciæ Longobardis aduerſus vrbem Romæ, & Rauennæ ſolicitatis, ipſe nobiles vrbes Venetiæ, quæ Romanorum in ditione remanſerant, Cremonam, Mantuam, Montemſilicis, Patauiũq; tentauit. pertinere non ad animi dolorem ſolum, ſed etiam ad nominis ſui gloriam exiſtimans, ſi quæ oppida ferox Alboini victoria dimiſiſſet, ea ipſe Longobardorum ditioni, imperioque adiungeret. Quod vero longius à periculo videbatur abeſſe, illud primum inuaſit. Hoc fuit Patauium, oppidum & vetuſtate originis, & oppidanorum quondam opulentia inclytum. &, licet ſuperioribus impreſſionibus barbarorum accisum, tamen nuper magna Longini Exarchi diligentia permunitũ. Huc igitur magno collecto exercitu adijt. atque oppidum ingenti virorum, atque armorum apparatu oppugnauit. ac tandem, quanuis ſtrenue ab oppidanis, præſidioque defenſum, cepit, Longobardis non vim magis, quàm iram in prœlium afferentibus. Præſidio Rauennam dimiſſo iracundia omnis in oppidum eſt effuſa. Quippe iniecto in ædificia incendio vrbs paruo momẽto, vt quæ ex materia magna ex parte recta eſſet, tota flagrauit. Patauio expugnato, exercitũ inde ad Montẽ 601

Smaragdum iterum ei ſucceſſorem ſubſtituit. Is Rauennam cum ſupplemento copiarum aduectus Mantuam, & Cremonam maioribus, & validioribus præſidijs confirmauit, haud dubius, Agilulfum Patauio, & Monteſilicis non contentum ad eas quoque oppugnandas ducturum. Agilulfus autem, apparatu illius percepto, ad domeſticas copias magna quoque alienigenarum auxilia comparauit. Hi Sclaui fuerunt, quos Cacanus Hunnorum ſocietate cum Agilulfo coniunctus è Pannonia miſit. Quibus conuocatis, ac ſimul omnibus expugnandarum vrbium inſtrumentis expeditis, Iulio menſe Mediolano egreſſus eſt. ac ſolicita expectatione tanti vtrinque apparatus Italia Cremonam duxit. Vrbs vehementiſſimè oppugnata omnem hoſtium molem fortiter per multos dies ſuſtinuit; verùm ſuperante, atque muros vndique ſupergrediente hoſtium multitudine, demum XII Kalendas Septembris conceſſit in poteſtatem. Capta verò non aliter, ac Patauium, ad ſolum vſque euerſa eſt, Agilulfo non victoriæ magis, quàm iræ, atque vltionis libidine perfurente. Cremona recepta, bellum inde Mantuam eſt tranſlatum. locatiſq; circũ caſtris, ac fixis idoneo loco tormentis, mœnia tanta ictuum grandine verberari cœpta ſunt, vt percutiendi non ante finis ſit factus, quàm in vrbem miles victor inductus. vrbs Idibus Septembris capta, auariſſimè, fœdiſſimèque diripitur. Hoc metu Romani, qui Volturniæ caſtrum tenebant, adacti, ilico deditionem fecerũt. qui verò Brixillum inſederant, igne in tecta illato, præcipiti ſe inde fuga proripuerunt. Cremonæ, & Mantuæ cladibus Cremenſe caſtrum, accolis in eum locum, vt à Longobardorum iniurijs tutum, confluentibus, ita creuit, vt tribus vicis ad nouam recipiendam multitudinem augeri neceſſe fuerit. Cremete inde ſine filiis mortuo, Crema peruenit ad Agilulfum. Ariulfus vt ſuperiore anno Callinicum, ſic hoc Smaragdum hoſtilibus incurſionibus fatigando ab oppugnando Agilulfo auertit, ac Romanos, Rauennateſque acrius vexare perrexit. Qua de re Gregorius animo anxius ad magiſtros militum, vt ſe ad opprimendum eum accingerent, ſcripſit. Eæ litteræ Iunio menſe ſunt datæ: & quidem ad Velocem magiſtrum militum in hunc modum:

Et pridem expreſſimus gloriæ veſtræ, quia milites illuc parati erant venire: Sed quoniam idem nobis congregatos & hic diſcurrere epiſtola veſtra ſignificauerat, hæc eos hic cauſa retinuit. Vtile verò omne eſt viſum, vt aliquanti illuc milites tranſmittantur, quos gloria tua admonere, & hortari, vt parati ſint ad laborem, ſtudeat. Ex occaſione inuenta, cum glorioſis filijs noſtris Mauricio, et Vitaliano loquere, et quæcunque eis vobis Deo adiutore pro reip. vtilitate ſtatuerint, facite. Et ſi huc, vel ad Rauennates partes nec dicendum Ariulfum cognoueritis excurrere, vos à dorſo

eius ita, vt viros fortes decet, laborate. Et ad Mauricium, ac Vitalianum magiſtros militum ita: *Allidio nobis ſcripſit, quia in proximo iam Ariulfus eſſet. Et timuimus, ne milites, qui ad nos diriguntur, in manus eius inciderent: & tamen hic, quantum Deus adiuuerit, contra eum filius noſter glorioſus magiſter militum ſe parauit. Sed et gloria veſtra, ſi huc perrexerit ipſe hoſtis, ſicut conſueuiſtis, cum auxilio Dei à dorſo eius, quod poteſtis, perficite. Speramus enim in omnipotentis Dei virtute, & ipſius beati Petri Apoſtolorum principis, in cuius natali ſanguinem effundere deſiderat, quia ipſum ſibi contrarium ſine mora inueniet.* Item ad eoſdem: *Vndecimo die menſis Iunij Ariulfus hanc epiſtolam, quam vobis direximus, tranſmiſit. Et ideo relegentes eam videte, ſi in fide ſua Soanenſes, quam reip. promiſere, perſtiterunt, obſides dignos, de quibus poſsitis confidere, ab eis percipite, & inſuper eos ſacramentis obſtringite, reddentes illis, quod loco pignoris ſuſtuliſtis, ſermonibus veſtris eos ſanantes. Si autem manifeſtiſsime cognoueritis, eos cum Ariulfo de ſua ſubditione loquutos fuiſſe, vel certos obſides ei dediſſe, ſicut nos Ariulfi epiſtola, quam vobis direximus, dubios reddidit, ſalubri conſilio pertractantes, ne in aliquo anima noſtra de ſacramentis grauetur, quod vtile reipub. iudicaueritis, peragite. Sed ita gloria veſtra faciat, vt neque ſit aliquid, vnde poſsimus ab aduerſarijs comprehēdi, neque in quo, quod vtilitas reip. exigit, quod auertat dominus, negligatur. Præterea glorioſi filij eſtote ſoliciti, quia, quantum comperi, hoſtis collectam habet, & Narnijs dicitur reſidere, & ſi huc curſum, deo ſibi irato, non præuoluerit, vos loca ipſius, quantum dominus iuuerit, deprædate, aut certe foſtra, quos mittitis, ſolicite requirant, ne dolens factum ad nos diſcurrat.* Arichis Dux Beneuenti, quantum coniectura colligi licet, quieuit: indicio eſt epiſtola Gregorij ad illum hoc anno ſcripta, qua petit, miniſtros ſuos à procuratoribus eius ad trabes quaſdam ad vſum baſilicæ Vaticanæ incidendas, atque ad mare deportandas iuuari. Scripſit etiam ad Smaragdū Exarchum epiſtolam, ſexta ineunte Indictione, qua Iſtriam adhuc in poteſtate Romanorum fuiſſe oſtendit. Eodem tempore, Septembri menſe, acris eſt in Oriente ſeditio concitata. Quippe exercitus Mauricij tumultu in caſtris facto Phocam centurionem virū manu, conſilioq; promptiſſimum Imperatorem acclamauit, atque in Hebdomum adductum per Cyriacum patriarcham coronandum x. Kalendas Nouemb. curauit. Phocas poſt quintum diem in vrbem inuectus Leontiam coniugem Auguſtam coronauit: ac deinde immiſſis ſatellitibus Mauricium, qui ad primum ſeditionis nuncium vrbe profugerat, cum filijs, & tota familia, atque amicis ſuis viii. Kal. Decembris interfici iuſſit. Idem, cū coronaretur, à patriarcha iureiurando, ſe Catholicam diſciplinam tutaturum, adactus eſt. Quæ res Gregorio nunciata ipſum nō ſecurum modo, ſed lætum etiam, ac bonæ ſpei plenum ef-

ſecit. Itaque nuncium extemplo ad eum miſit cum litteris, quibus affli-
ctum iam per triginta quinque annos Italiæ ſtatum edocuit; eumq; ad
opem primo quoque tempore ferendam orauit: *Latorem*, inquit,
præſentium diaconum feci, & ſub celeritate tranſmittere ſtudui, qui cuncta, quæ in
his partibus aguntur, inuento opportuno tēpore valeat clementiæ veſtræ ſuggerere.
Propter quod rogo, vt ſerenitas veſtra pias aures inclinare dignetur, vt tanto no-
bis valeat celerius miſereri, quanto afflictionem noſtram verius ex eius relatione
cognouerit. Qualiter enim quotidianis gladijs, ac quantis barbarorum incurſioni-
bus ecce iam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis exple-
re vocibus ſuggeſtionis valemus. Sed in omnipotente Deo confidimus, qui ea,
quæ cœpit, conſolationis ſuæ bona perficiet. Scripſit etiam alteras ad Leon-
tiam Auguſtam, quibus tantum ei dignitatis faſtigium gratulatus eſt.
Sequenti anno natus eſt Agilulfo ex Theodelinda filius. quem die pa- 603.
ſchatis iuſsit ſacro lauacro tingi, atque Adalualdi nomine appellari. Se-
cundus Tridentinus epiſcopus ipſum de fonte ſuſcepit, vir probata ſan-
ctitate vitæ per ea tempora clarus. Septimo Calendas Maij imagines
Phocæ, & Leontiæ Auguſtorum Romam de more delatæ ſunt. Eis in
conſpectum productis clerus, & ſenatus in Lateranenſi baſilica Iulij læ-
titia geſtiens acclamauit: *Exaudi Chriſte. Phocæ Auguſto, & Leontiæ*
Auguſtæ vita. Inde iuſſu Gregorij in oratorio S. Cæſarij martyris in Pa-
latio ſunt repoſitæ. Iam omnis belli procella Rauennæ, atque Exar-
chatui imminebat. neque ad eam excipiendam tantum erat in Smarag-
do neruorum, quantum ipſius periculi magnitudo poſcebat; cum Agi-
lulfus, & Ariulfus ſociatis armorum conſiliis eodem omnes curas,
opesq; intenturi ſuas viderentur. Quod cum Smaragdus haud obſcure
videret, animum ad conſilia pacis Gregorio præcipue ſuadente conuer-
tit. ſeq. regi Parmam, & filiam, ac generum cum bonis eorum omni-
bus redditurum, ſi finem facere armorum vellet, oſtendit. Neque eam
conditionem Agilulfus eſt aſpernatus; vt qui gloriæ, atque iræ ſuæ cu-
mulate ſatisfactum putaret, & rebus proſpere geſtis modum aliquem
imponendum cenſeret; & Rauennæ expugnandæ difficultatem non
ignoraret. Pax igitur per legatos inuicem miſſos tractata tandem ix
Kalen. Iulias die Sanctorum Geruaſii, Protaſiiq; conuenit. Itaque Gre-
gorius e(x)re lætus, vt in ſolemni eorum martyrum commemoratione
Miſſarum initium ab ipſius pacis commemoratione duceretur, inſti-
tuit. Quod inſtitutum adhuc in Eccleſia ſanctiſsime cuſtoditur. tertio
vero Kalendas in feſto Apoſtolorum, eadem iureiurando vtrinque ma-
gna ceremonia confirmata eſt. Quo nuncio erecta Italia ingenti gau-
dio exultauit. Paulus inducias pactas ſcribit vſque ad Kalendas Aprilis,

indictione octaua; anno ſexcenteſimo quinto futuras. Indictione inde
ſeptima ineunte, Gregorius, quanquam exitiali morbo implicitus, lit-
teras ad Theodelindam miſit, quibus filium ei natũ, & ſacra vnda ablu-
tum gratulatus, ſimul etiam gratias apud eam Agilulfo egit, quòd pa-
cem cõpoſuit: *Scripta, inquit, quæ ad nos dudum à Ianuenſibus partibus tranſ-
miſiſtis, gaudij veſtri nos fecere participes; propterea quòd omnipotentis Dei gra-
tia, & filium vobis donatum, &, quod valde excellentiæ veſtræ eſt laudabile,
Catholicæ eum fidei nouimus ſociatum. Oramus omnipotentem Deum, vt &
vos in mandatorum ſuorum via cuſtodiat, & eundem excellentiſsimum filium
Adulouuldum in ſuo munere faciat proficere. Paterna præterea caritate perſoluen-
tes ſalutationis officium petimus, vt excellentiſsimo filio noſtro coniugi veſtro pro
nobis de facta pace gratias referatis, atque eius animum, ſicut conſueuiſtis, ad pa-
cem de futuro per omnia prouocetis.* In eadem etiam epiſtola ſcribit, ſe ita
affectum eſſe, vt in magnum vitæ diſcrimen adductus ſit. Agilulfi fi-
lia Rauenna Parmã reuerſa mox partus difficultate defuncta eſt. Ariul-
fus item Dux Spoleti deceſsit, Teudolapius Faroaldi ſuperioris filius,
fratre in certamine victo, ditionem obtinuit. Aeſtas infeſta frugibus
omnibus fuit, vredine ſegetes omnes extinctæ. quam hiems plus ſoli-
to frigida excepit, quæ vites quoque omnes abſumpſit. Hæc mala
604 Gregorij pontificis mortem prænunciaſſe ſunt viſa. Ille verò ſequen-
ti anno ſæuientem diutius ferre morbum non potuit, ac IIII. Idus Mar-
tias magno Italiæ cum dolore vitam reliquit, cum eximia doctrinæ, ac
pietatis ſuæ magnitudine Eccleſiæ Catholicæ adiumenta ſubminiſ-
traſſet. vnde merito poſt mortem in numerum Sanctorum Confeſſo-
rum, & Doctorum Eccleſiæ eſt relatus, ac Magni cognomine decora-
tus. Poſt obitum eius induciis ſæpius inſtauratis quieta à Longobardis
incurſionibus fuit Italia. Quàm verò neceſſaria pax iſta fuerit, ex mi-
ſero, ac perdito priorum annorum Italiæ ſtatu cognoſci poteſt, quem
Gregorius idem in Expoſitione Ezechielis ita deſcripſit: *Vbique luctus
aſpicimus, vndique gemitus audimus; deſtructæ vrbes, euerſa ſunt caſtra,
depopulati agri, in ſolitudinem terra redacta eſt: nullus in agris agricola, pene nul-
lus in vrbibus habitator remanſit. & tamen paruæ humani generis reliquiæ adhuc
quotidie, & ſine ceſſatione feriuntur. alios in captiuitatem duci, alios detruncari,
alios interfici videmus. ipſam autem, quæ aliquando mundi domina videbatur,
qualis remanſerit, Roma, cõſpicimus, immenſis doloribus multipliciter attrita, de-
ſolatione ciuium, impreſſione hoſtium, frequentia ruinarum: ita ut de illa omnes po-
tentes ablati ſint. vbi enim ſenatus? vbi iam populus? omnis in ea dignitatum or-
do extinctus, & tamen nos ipſos paucos, qui remanſimus, adhuc quotidie gladij,
adhuc quotidie innumeræ tribulationes premunt, & poſtquam defecerunt homines*

etiam parientes cadunt. Venerabilis Beda Gregorii mortem in octauam indictionem, & annum ſexcenteſimum quintum coniicit, in eoque ſibi aduerſatur. Nam conſentientibus annalibus omnibus Gregorium ſediſſe annos tredecim, & ſex menſes prodit. & tamen ad quartum decimum vſque annum pontificatum eius perducit, nimirum deceptus ab iis, qui epiſtolas Gregorii digeſſerunt. qui extremas indictionis ſextæ in ſeptimam tranſtulerunt, atque non diligenter cauentibus erroris materiam præbuerunt. quod etiam in aliis nonnullis peccatum fuiſſet animaduertimus.

CAROLI SIGONII
HISTORIARVM
DE RERNO ITALIAE
Liber ſecundus.

QVEMADMODVM Alboinus rex Italicum regnum eximia virtutis, ac clementiæ laude fundarit, Agilulfus verò hortatu Theodelindæ miro religionis, ac pacis ſtudio ſtabiliuerit; vt præterea Italia, Eccleſiaq; Romana per triginta ſex annos fœdis à Longobardis vulneribus lacerata, egregia tandem Gregorii Magni pontificis cura, atque auctoritate ſanata ſit, libro ſuperiore rettulimus. Hoc verò, qua ratione Græci Imperatores, propter nefandam hæreſim à pontificibus Romanis alienati, Eccleſiæ tranquillitatem euertere, Longobardi verò reges propter inſanam dominandi libidinem capitalibus inter ſe odiis inflammati, ocium Italiæ perturbare contenderint, conabimur enarrare.

PACATO regno, ac tranquillata Eccleſia, Agilulfus animi quietus, quod nemo adhuc fecerat, animum ad ſucceſſorem ſibi ſubſtituendum adiecit. neque, quin id decus ad filium Adaluáldum, licèt adhuc infantem, deferret, ſibi dubitandum exiſtimauit, Quare conſilio ſuo nudato, conuentum in eam rem in Iulium menſem Mediolanum indixit. vbi verò conſtituta dies aduenit, ac Longobardi frequẽtes affuere, tum, legatis Francorum regis Theodeberti præſentibus, Adaluáldus in Circo, patre ipſo aſsidente, rex à populo ſalutatus, atque inſigni regio decoratus eſt. Quin & ſocietate cum Francis renouata fœdus cum eis in perpetuum eſt percuſſum. Neque dies alius Italiæ ſpecioſior, aut lætior poſt ingentes tot annorum calamitates illuxit. Sabinianus inde, qui in lo-

cum

cum Gregorij pontifex ſuffectus ex diacono fuerat, Idibus Septembris conſecratus, ipſam populorum lætitiam magna omnia de illo ſperantium cumulauit; verùm breui omnium opinionem fefellit. Laborabat tum ingenti rei frumentariæ inopia ciuitas. Qua re animaduerſa, ille, cum extemplò horrea, ſicuti aſſueuerat, Eccleſiæ aperuiſſet, frumentū quidem populo diuidi iuſſit, verùm non gratuitò, vt Gregorius, ſed pretio ſolidorum tredecim in ſingulos modios conſtituto. Quo facto offenſi pauperes, quos Gregorius in monaſterijs, xenodochijs, & diaconijs, frumento publico ſuſtentarat, ipſum facto agmine adierunt, obſecrantes, ne quos Gregorius tanta caritate pauiſſet, eos ipſe extrema contabeſcere inedia fineret. Quibus vocibus ille perſtrictus turbato vultu reſpondit; ſi Gregorius laudis quærendæ cauſſa vniuerſos ad ſe attrahere populos voluiſſet, ſe illos ſaturare non poſſe. Dicto autem erga Gregorium iniquo mox facti quoque grauioris acerbitatem adiunxit. ſiquidem vſque adeo inuidum ſe gloriæ eius exhibuit, vt etiam ſcripta illius ſanctiſſima criminatus, ea delere, atque ex hominum memoria euellere cogitarit. feciſſetque æquis multorum animis, vt ea combureret, niſi Petrus diaconus, intimus Gregorij quondam familiaris in medium progreſſus, iureiurando affirmaſſet, ſe columbam lucubrantis ipſius auribus aſſidentem ſæpius conſpicatum eſſe; ex quo intelligi poſſe, quæ ſcripſit, cum non ſine cæleſti Spiritus ſancti afflatu ſcripſiſſe. Qua voce æſtimari vix poteſt, quantum præclaris Gregorij monumentis fidei, atque auctoritatis adiecerit. Poſtero vero anno in quiete à Gregorio ter liberalitatis erga pauperes adhibendæ admonitus, ne ita quidem illius auctoritati obtemperauit, itaque rurſus acrius caſtigatus in capite leuiter eſt percuſſus. Quem ictum ſæuus adeo dolor excepit, vt XI Kalendas Martias eo ipſo confectus obierit. Sabiniano inde Bonifacius tertius ſubrogatur. Menſe Aprili, & Maio ſtella crinita conſpecta eſt. Mortuus eſt Seuerus patriarcha Aquileienſis. Poſt Longobardorum in Italiam aduentum, antiſtes Aquileienſis, relicta Aquileia, Gradum tenuerat, atque vnus ipſe omnibus epiſcopis Venetiæ, Iſtriæque præfuerat. Ab hoc tempore duo patriarchæ fuerunt, vnus, qui Aquileiam, alter, qui Gradum inſedit. Huic inſtituto cauſſam attulere Longobardi. Giſulfus enim Dux Foroiulienſis, Chriſtiana religione ſuſcepta, vetus ditioni ſuæ dignitatis huius faſtigium quærens, ſacros honores nouo exemplo diſtribuere auſus, Ioannem abbatem per clerum Aquileienſis Eccleſiæ deſignandum patriarcham curauit. Contra verò, Candianū clerus Gradenſis elegit. Diſſidio pernicioſi in futurum exempli oborto, re Romam delata, Pontifex Ioanne reiecto Candianum probauit,

605

eumque pallio exornauit. Neque eo ſecius Giſulfus ſuum patriarcham retinuit. Hinc ipſarum eccleſiarum diuiſio cōſecuta. Aquileienſi omnes epiſcopi paruerunt, qui in continenti Venetia, quæ erat Longobardorum, ſederunt. Gradenſi ij, qui æſtuaria, atque Iſtriam Imperatorem reſpicientia tenuerunt. Ea re Ioannes epiſcopus Concordiæ motus ſedem ſuam Caprulas ad æſtuarium tranſtulit. Vt autem Longobardi poſthac, prolatis armis, Venetos inſulanos infeſtos habuerunt, ſic patriarcha Aquileienſis, quem Longobardi fouebant, Gradenſis, cui Veneti obediebant, poſſeſsiones,& iura nunquam deſtitit oppugnare. Eodem tempore Bonifacij pontificis latè virtus emicuit. nam,cum Eccleſiā Romanam duplici infamia laborantē videret, vna,quòd ſacro ardente ambitu viuentibus epiſcopis de ſucceſſore deligendo conſultaretur, altera, quòd eccleſia Conſtantinopolitana ſuperbo ſibi Vniuerſalis aſciſcendo titulo omnium principatum eccleſiarum aucuparetur, qui ſoli Romanæ ex omnium Conciliorum decretis deberetur, vtramque labem pro ſua prudentia, ac magnitudine animi ſibi eluendam eſſe eueſtigiò cenſuit. Itaque, conuentu ſeptuaginta epiſcoporum Romæ coacto, ex eorum ſententia ſtatuit, ne quis, pontifice, aut epiſcopo ciuitatis ſuæ viuente, de ſublegendo ſucceſſore tractaret, ſed poſt tertium diem, quàm epiſcopus deceſsiſſet, in æde conuocati, quem idoneum iudicarent, omni remota gratiæ, ambituſque ſuſpicione, communi conſenſione deligerent. quin etiam, legatis ad Phocam Imperatorem miſſis, obtinuit, vt controuerſiæ de principatu Conſtantinopolitanæ eccleſiæ,quam Mauricius fouerat, modus imponeretur. decretumque factum, vt Romana Eccleſia prima omnium eccleſiarum eſſet, perinde atque veteribus in Concilijs ſanctum eſſet; Romanam verò proximè non, vt ante, Alexandrina, ſed Conſtantinopolitana exciperet. Hoc propter auguſtam ipſius Imperij ſedem illi eccleſiæ honoris iam inde à Conſtantinopolitano primo vſque Concilio fuerat habitum. Menſe Nouembri, cum ſtella comata iterum hominibus affulſiſſet, pridie Idus pontifex ipſe Bonifacius obijt. Longobardi Etruriæ, cum, inducijs Aprili menſe exactis, repente duo ex Romana ditione oppida, Orbitum, & Balneoregium inuaſiſſent, Smaragdum Exarchum earū inſtaurationem ab Agilulfo petere coegerunt. Eæ Nouembri menſe in alterum annum, duodecim millibus ſolidorum acceptis, conceſſæ. Subſequenti anno Agilulfus graue, ac gloria maiorum indignum arbitratus, regem Longobardorum tot rebus fortiter,ac proſperè geſtis inſignem tributum adhuc Francorum regi annuū penſitare, legatos tres hac de re cum ingenti vi pecuniæ ad regem Clotharium miſit. qui inti 606

mis regis conſiliariis pecunia ſibi conciliatis, per eos triginta ſolidorum millia regi obtulerunt,ac tributi remiſſionem in perpetuum rettulerũt. Ex altera parte Smaragdus curis omnibus belli ſolutus, liberiore animo pacis tractare opera cum cœpiſſet, opus inſigne molitus eſt. quippe Ferrariam, qui tum vicus erat ad Padum exiguus, mœnibus, quibus adhuc caruerat, ſepſit. atque eam in formam caſtri redegit. quæ poſt ad inſignis vrbis magnitudinem, atque amplitudinem aucta, potentiſſimorum in hunc vſque diem Principum ſedes eſt conſtituta. Eodem anno Bonifacius quartus in locum Tertij ſubrogatus, pontifex v. Kalen. Septembris eſt conſecratus. Nouembri menſe induciæ inter regem,
607 atque Exarchum in triennium ſunt renouatæ. Sequentibus inde duo-
608 bus annis, Italia nouis calamitatibus, nempe annonæ inopia, aquarum
609 illuuie, & morborum vi grauiſſimè fatigata eſt, proximo verò, cum Agilulfus rex legatos ad Phocam Imper. pariterque Phocas ad Agilulfum regem iungendæ amicitiæ cauſſa miſiſſent, ac fœdus inter ſe percuſſiſſent, eadem certiorem in ſpem veteris aliquando quietis, dignitatiſque recuperandæ venit. Hanc verò etiam cumulauit præclarus Bonifacius Quarti pontificatus. qui inſignem Tertij gloriam æmulatus, illuſtria duo ad memoriam opera edidit. Anno namque, qui ſubſequu-
610 tus eſt, ſexcenteſimo decimo, conuentu epiſcoporum habito, legibus labentem monachorum diſciplinam coercuit, vt Beda horum temporum æqualis ſcriptum reliquit; & litteris ad Phocam miſſis templum, quod erat in vrbe nobiliſſimum,iam inde à M. Agrippa ſub feliciſſimo Augusti Imperio conditum, nomine Pantheon poſtulauit. idque adeptus, omni idolorum ſuperſtitione ſublata, IIII. Idus Maij Virgini
611 Dei matri, & omnibus martyribus dedicauit. Inde AEdes Virginis ad Martyres appellata. iſque dies feſtus omnium martyrum inſtitutus. Poſtero, ſeditio in Oriente ingens oborta. Heraclius Heraclij præfecti Africæ filius, adiuuante patre, Phocam in Imperio ſe crudeliter, impotenterque gerentem occidit, atque à Patriarcha Sergio coronatus ſtatim Imperium occupauit. Is, cum prouincias ordinaret, Smaragdo Exarcho ſucceſſorem in Italiam Ioannem Lemigium Patricium dedit. Lemigius pacatam Italiam, ac quietam Eccleſiam nactus, eum ſibi ſtatum enixè tuendum eſſe conſtituit. Itaque exemplo Smaragdi inducias ab Agilulfo rege in ſingulos deinceps annos popoſcit, neque in præfectura ſua vel ingenij lenitate, vel conſilij maturitate bellicæ rei ali-
612 quid attigit. Sequenti, Mariniano Rauennati antiſtiti vita functo ſuffectus eſt Ioannes Quartus Claſſenſi oppido natus. qui & ipſe Apo-
613 ſtolicæ ſedi fuit deditus. Proximo, VI Kal. Aprilis Heraclius Conſtan-

tinum filium conſortem recepit Imperij. eodemque anno VIII Idus Maij Bonifacius pontifex obiit. eique Deuſdedit ſuffectus XII Kalen. Nouembris conſecrationem accepit. Sub id tempus Columbanus, homo in inſula Hybernia natus, atque eximia doctrina, & rigida vitæ innocentia notus, poſtquam Luxouienſe monaſterium conſtituerat, ac ſanctitatem ſuam Francorum regibus multis modis probarat, in Italiã venit, atque ab Agilulfo rege benignè acceptus cum multa alia egregiæ pietatis ſuæ monumenta edidit, tum in primis Mediolani agens, Arrianos, qui multi adhuc in regno erant, & verbis, & ſcriptis, ipſo probante Agilulfo, concidit. ſequenti verò, cum optionem à rege accepiſſet, vt 614
vbicunque vellet, ſibi monaſterium conderet, neque de loco ſecum conſtituere incertus animi poſſet, vbi Bobij nomen apud regem celebrari audiuit, noua ſubitò loci cupiditate exarſit, atque eum à rege popoſcit. Erat autem ad regem delatum, baſilicam Petri apoſtoli quandam Apennini in ſaltibus reperiri; locum circa ſoli vbertate fœcundũ, aquis irriguum, copia piſcium affluentem, quem veteres Bobium ab riuo ibi fluente vocaſſent, non multis millibus paſſuum à Papia diſtantem. Hunc igitur locum Columbanus adeptus, extemplò baſilicam, quæ ſemiruta erat, refecit, & monaſterium addidit, & aduocatis monachis abbas præfuit. atque ibi poſt annum interijt. Columbanum inde Attala, Attalam Bertolfus abbas eſt conſecutus. Quos omnes inter Sãctos relatos Beda prodidit, qui illorum vitas deſcripſit. Monaſterium ab Agilulfo, & poſteris eius ditatum, & monachorum ſanctitate, & Catholicæ fidei defenſione præcelluit. Inſequens annus memorabili Foroiulienſium clade, & Rauennati, Campanoque tumultu fuit inſignis. Ceterùm Longobardorum opes in Foroiulienſi Ducatu hoc modo acciſæ ſunt. Cacanus Hunnorum adoleſcens prædandi cupiditate illectus cum expeditis militibus è Pannonia exiit, atque ex improuiſo in Ducatum Foroiulienſem irrupit. Ad huius rei nuncium excitus Dux Giſulfus haudquaquam ſe deſeruit, verùm impigrè, ac fortiter cum omnibus, quos contrahere in tempore potuit, Longobardis occurrit. & in conſpectum hoſtis progreſsus, rem ſummæ committere pugnæ non dubitauit. verùm virtutem fortuna deſtituit. nam collatis ſignis, cum multitudine hoſtium circunuentus vim, ac molem eorum ſuſtinere non poſſet, ipſe cum ſuis ferè omnibus eſt occiſus. Hac clade accepta, Romilda vxor, & filij Ducis, atque eorum, qui in pugna ceciderant, in oppidum ſe Foriiulij receperunt. reliqua vicina caſtra reliqui tenuere. in iiſque, ne prædæ Hunnis eſſent, idoneis ſe præſidiis muniuere. Hunni inde, cum cetera latè incendio peruaſtaſ-

ſent, poſtremò ad Forumiulium acceſſerunt, atque illud corona circun dederunt. Interim Cacanum oppidi mœnia explorandi cauſſa obequitantem, Romilda è muris conſpicata, repente inſano amore adoleſcentis exarſit, &, nuncio ad illum miſſo, ſe, ſi iungi ſecum matrimonio vellet, oppidum tradituram oſtendit. Cacanus accepit conditionem, verùm fefellit fidem. namque in oppidum receptus omnia direptione, atque incendio miſcuit, ac Longobardos captiuos fecit, & Romildam vna nocte vxoris loco habitam duodecim inde Hunnis ad libidinem exatiandam proſtrauit. ac demum ſupplicij cauſſa erecto palo ſuffixit. Hunni filiabus eius virginibus, cognito eximio pudicitiæ ſtudio, pepercerunt. Perfidia Hunnorum perſpecta, Giſulfi filij Tato, Caco, Rodoaldus, & Grimoaldus, cum occultè ſe ex hoſtium manibus eripuiſſent, fuga ſaluté petere contenderunt. Ex quibus vnus eorum Grimoaldum puerum currenti effusè equo malè hærentem perimere, ne in manus perueniret hoſtium, voluit. verùm puero clamante, & ſe aptè inſeſſurum, & ceterorum curſum æquaturum eſſe dicente deterritus, ipſum in equum nudum impoſuit, & ſe ſubſequi iuſſit. Reliquis autem elapſis, Grimoaldus ægrè equo inſiſtens ab inſequente Hunno eſt captus. verùm, cum in caſtra reueheretur, facinus in viro, ne dum in puero, memorabile edidit. Nam præeuntis equitis, & equum ſuum freno trahentis caput tanta vi gladio apperiit, vt ſopitum, exanimemque reliquerit. Ita repetita fuga curſu intentiore vſus, fratres tandem eſt aſſecutus. Hunni verò ex Ducatu proficiſcẽtes Longobardos viros, mulie-
610 res, ac pueros abduxerunt captiuos, fide data, ſe eos, vnde digreſſi eſſent, Pannoniæ in finibus locaturos. verùm ſolita perfidia vſi, vbi ad Sacrum Campum peruenerunt, Pannoniæ in finibus trucidarunt. Giſulfi filij, poſtquam hoſtes è finibus abijſſe cognouere, continuò domum repetiuere. ex quibus, qui ceteros ætate antecedebant Tato, & Caco paternam ditionem adminiſtrarunt. Dum hæc inter Longobardos geruntur, Rauennates tumultum in vrbe grauiſsimum concitarunt. Nam Ioannis Exarchi ſuperbiam, atque intolerantiam auerſati, quòd onera ſolito grauiora imponeret, ad arma conſurrexerunt, atque ipſum, concurſu populi in regiam facto, cum iudicibus, quos ad ius dicendum ſecum adduxerat, occiderunt. Neque verò magis quietæ res in Campania, alterius Ioannis Conſinij, Ducis Neapolitani, cauſa fuere. Is libidine dominationis incenſus, fide violatâ, Neapolim occupauit, atque ibi ſe validis aduerſus Imperatorem præſidijs confirmauit. Quibus rebus in Græciam nunciatis, Heraclius Eleutherium, Patricium, & cubicularium ſuum, hominẽ conſilio, virtuteque præſtan-

tem

tem Exarchum in Italiam deſtinauit. Eodem anno Auguſto menſe, indictione tertia, terra ingenti motu contremuit. Terræmotum verò fœdiſsima lues eſt conſequuta. Hoc erat Scabiei genus, Elephantiæ nomine appellatum, quod affectorum ora adeo lacerabat, vt viuentes, ne dum mortui, haud poſſent dignoſci. quo tempore pontificia ſanctitas inſignem ſe hominibus declarauit. nam, cum pontifex obuio elephantiaço homini oſculum obtuliſſet, extemplo priſtinæ illum ſanitati reſtituit. Clarus annus ceteris rerum nouitatibus trium illuſtrium virorum obitu euaſit illuſtrior, Secundi Tridentini epiſcopi, Gundoaldi Theodelindæ fratris Ducis Haſtenſis, & regis ipſius Agilulfi. Agilulfus per annos xxv. regno erat potitus, homo cum bellica laude, tum Chriſtiana fide egregiè culta inſignis. Hic enim primus rex Catholicam doctrinam probauit, atque, eccleſiis, & monaſterijs priuilegijs honeſtiſsimis, ac poſſeſſionibus fructuoſiſſimis exornatis, ſucceſſores ſuos honeſto exemplo ad ſui imitationem accendit.

FL. ADALVALDVS REX *Cum Theodelinda matre.*

Post exceſſum Agilulfi Adalualdus filius, vt qui iampridem fuerat regni ſocius à parente aſcitus, & à Longobardis confirmatus, regnum gerere cum Theodelinda matre perrexit. Ab his, compoſitis Italiæ rebus, nihil rei bellicæ adminiſtratum. Magni verò progreſſus Catholicæ pietatis in ſtudio facti. templa paſſim inſtaurata, ac magnificis operibus exornata. epiſcopi, atque abbates eximiis priuilegijs honeſtati. Extant adhuc verba, quibus ipſi inſignis S. Ioanni Baptiſtæ donationis tabulas obtulerunt: *Offert glorioſiſsima Theodelinda regina vnà cum filio ſuo Adalualdo rege S. Ioanni patrono ſuo, de dono Dei, & de dotibus tabulas ſuæ donationis, quas in ſuorum præſentia ſcribi iuſsit. Si quis quolibet tempore has teſtes voluntatis ſuæ corruperit, is iudicij extremi die cum Iuda proditore damnetur. Bonis S. Ioannis nullo modo ſe debeat aliquis immiſcere, niſi tantùm ſacerdotes, qui ibi ſeruiunt die, ac nocte, tantumq́ famuli, ac famulæ, qui ibi ſubiecti ſunt, communiter debeant viuere.* Quieta in Occidente Eccleſia, in Oriente Perſæ Chriſtiano nomini infeſtiſsimi bellum internecinum, odio maximè religionis, gerebant. ac Chriſtianorum prouincias auarè, crudeliterq; vaſtabant, Præcipuè hoc anno Coſrois regis ductu facinus memorabile perpetrarunt. Si quidem cũ ingenti armatorũ numero Iudæam ingreſsi, Hieroſolymis captis, nonaginta Chriſtianorum millia occiderunt, atque inde abeuntes Zachariam patriarcham captiuum abduxe-

runt, & ligna Crucis Domini abſportarunt. Adiiciunt etiam, qui ritua les libros compoſuerunt, Coſroem, vt ſanctiſsimæ Trinitati in contumeliam Chriſtianorum illuderet, domum cælo ſimilem in Perſide conſtruxiſſe, atque à dextra parte Crucem, à læua gallū, in medio ſemetipſum ſtatuiſſe. ac ſe patrem eſſe, qui medius inter filium, & Spiritum ſanctum ſederet, dixiſſe. Poſtero anno Gregorius Patricius aduerſus

616 Duces Giſulfi filios Hunnorum perfidiam adæquauit. Hic Opitergiū, ceteraſque citra oppidum Foriiulii ciuitates, nomine Imperatoris, adminiſtrabat. adoleſcentes autem Tatonem, & Caconem improuidos nactus, facilè ſe in inſidias trahere poſſe, eſt arbitratus. Itaque ſimulata amicitia Tatonem ſe filium adoptare velle cædenda Longobardorum more barba dixit, atque ipſum propterea Opitergium accerſiuit. Vbi verò credulus ille cum Cacone fratre, atque alio non indecoro comitatu vrbem iniuit, continuò portas iuſsit occludi, atque in eos à parata armatorum multitudine impetum fieri. Quod vt Tato perſenſit, alacriter ſe cum ſuis ad prœlium præparauit, ac varia per vicos, & fora vrbis certamina, eaque haud incruenta commiſit. verùm, ſuperantibus oppidanis, tandem ipſe cum ſuis omnibus eſt extinctus. Gregorius, capite Tatonis ad ſe delato, ne periurus videretur, barbam præcidit. Hoc nuncio accepto, repente patruus eorum Graſulfus Ducatum inuaſit, Rodoaldo, & Grimoaldo nondum ſatis viriū ad imperandum propter ætatis imbecillitatem habentibus. Hi poſtea ſeuerum patrui imperium aſpernati, ad Arichim Ducem Beneuentanum nutricium nuper ſuū ſe contulerunt. Eodem anno Eleutherius Exarchus infinita cum poteſtate Rauennam acceſsit. ac ſtatim iudicio conſtituto quæſtionem de cæde Ioannis, & iudicum eius ſeueriſsimam habuit, quoſque eius flagitij auctores, aut participes comperit, ſupplicio capitali affecit. Inde Neapolim aduerſus Conſinium maturatum. Ex itinere Romam progreſſum vniuerſa ciuitas cum vexillis, atque exercitu obuiam effuſa excepit. Vrbe inde digreſſus Neapolim adiit, eamque, cum à Ioanne excluderetur, admotis caſtris oppugnare inſtituit. Vrbs munita aliquandiu egregiè ſe ſuſtinuit. demum qui in præſidio erant, crebris prœliorum contentionibus fatigatis vnà cum ipſo Ioanne venit in ditionem. Ioanni vita adempta. oppidanis venia data. vrbi Dux alius eſt impoſitus. His rebus geſtis elatus Eleutherius, quod ſcelus in aliis acerrimè erat vltus, eodem mox ſe obſtringere non eſt veritus. Quippe, animo ad occupandum per occaſionem Italiæ dominatum conuerſo, Rauennam repetiit, &, quòd ſine auxilio militum cogitata perficere ſe non poſſe cernebat, integrum exercitui ſtipendium mira benignitate perſol

uit, atque

uit, atque eos omni humanitatis genere ſibi adiungere inſtitit. Dum hæc ille animo agitat, pontifex Deusdedit, v i Idus Octobris ex hac vita deceſsit. Tum verò occaſionem ſibi præbitam Romanæ vrbis occupandæ ratus, dũ ciuitas nouo pontifici creando ſtuderet, exercitui profectionem indixit. verùm, vbi Bonifacium Quintum celerius, quàm putarat, ſuffectum audiuit, benignè milites allocutus ingentiũ ſpe præmiorum corrupit, atque, eis patientibus, titulum Regis aſſumpſit, ac protinus Romam ducere quaſi ad inſignia accipienda, contendit. Ceterùm, cum Luceolos perueniſſet, milites concepti flagitij turpitudinẽ auerſati, defectionem fecerunt, ac tumultu concitato ipſum, tanquam maieſtatis compertum, manifeſtumque tyrannum, ix Kal. Ianuarij occiderunt, Rauennamque reuerſi caput eius ad Imperatorem, crimine palam facto, miſerunt. poſtero die in ipſo Nataliciorum ſolemni, Bonifacius pontifex conſecratus eſt. Ciuitas conſilio, atque exitu Eleutherij cognito, ingẽti lætitia triũphauit. Eodem anno Candiano Gradenſi patriarcha mortuo, ſuffectus eſt Epiphanius notariorũ primicerius; & poſtero, Ioanni Quarto archiepiſcopo Rauennati, Ioannes Quintus. Tumultibus Italicis perlatis in Greciam excitatus Heraclius in locum Eleutherij Iſaacium Patricium Exarchùm ad gubernandam Italiam deſtinauit. Idem quotidianis cladibus, quas Perſæ Chriſtianorum inferebant prouincijs, irritatus, legatos ad Coſroem regem de rerum compoſitione miſit. à quo cum reſponſum tuliſſet, ſe Chriſtianis non ante parſurum, quàm illi, Crucifixo abnegato, ſolem adorare cœpiſſent. bello ipſum vindicare conſtituit. Itaque vt quietiore animo in eam vnam curam incumberet, poſtero anno legatos ad Cacanum Hunnorum, qui in Thraciam cum exercitu venerat, de pace miſit, cumque eã ſe daturum Cacanus oſtendiſſet, regio aſſumpto comitatu, ad eam firmandam proceſsit. verùm inſidiis petitus, relictis regalis opulentiæ impedimentis, in vrbem refugit, ac ſequenti anno, qui fuit à Chriſto nato ſexcenteſimus viceſimus, ne quid hoſtile domi ad Perſicum bellum contendens relinqueret, rurſus eam & petiit, & impetrauit. Eo anno Perſæ Anaſtaſium Perſam, Chriſtianis iam ſacris imbutum, monachũque cõprehenderunt, & poſt acerbiſsimos cruciatus manu appenderũt, ac demum truncato capite vnà cum aliis ſeptuaginta ſacro martyrio affecerunt. Huius deinde oſſa miraculis præfulgentia Romam delata ſedem ad Aquas Saluias tenuerunt. Poſtero anno, vt narrat in Vita S. Euſtaſii Beda, Agreſtinus monachus Luxouienſis, relicto abbate ſuo Euſtaſio, venit Aquileiam, atque eccleſiã illam nactus, ab Eccleſia Romana propter tria Chalcedonenſis Concilii capita diſsidentẽ, ſe diſsidii

617 (beside "lam facto, miſerunt…")
618
619
620
621

eius defenſorem exhibuit, ac venenatam ſuper ea re epiſtolam per Aurium Adalualdi regis notarium ad Bobienſem abbatem Attalam ſcripſit. Eidem etiam Attalæ bona monaſterij ab Adalualdo rege, reſcripto Papiæ prid. Kalendas Auguſti dato, firmata. Heraclius, vt bellum Perſis inferret, exercitum traduci in Aſiam iuſſit, ac proximo an-
622 no, peracto Paſchate, & ipſe traiecit. ac per quinque continentes annos bellum cũ Coſroe rege proſperè adminiſtrauit; præfectis eius occurrentibus multis prœliis profligatis. Eo anno in Italia Epiphanium patriarchã Gradenſem Fortunatus, & Bonifaciũ pontificẽ vii. Kal. Nouem-
623 bris extinctum Honorius exceperunt. Proximo, Euſebius ad regem Adalualdum magnis de rebus ab Heraclio venit legatus. Is, cum apud regem familiariter ageret, ſiue iuſſum Imperatoris, ſiue conſilium ſuũ ſequutus, Adalualdo è balneo exeunti poculum ſpecie ſalutiferum dedit. quo epoto, rex deſipere, ac planè mentis impos eſſe inſtituit. alij vnguentis quibuſdam deliburum ſcripſerunt. Quod vbi ſenſit Euſebius, ipſum & iuuenem, & amentẽ impulit, vt propriæ ſecuritatis cauſſa principes Longobardorum è medio tolleret. Cœpta inde cæde, ac iam duodecim è primoribus interemptis, ne malum longius ſerperet, & quaſi lentæ tabis contagione ſenſim ad ſingulos perueniret, veriti Longobardi, ipſum tyrannum, non regem agere criminati ſunt, ac po-
624 ſtero anno, tumultu excito, regno cum regina matre Theodelinda exegerunt. atque in eius locum Arioaldum Ducem Taurinatium ſuffecerũt, cui Gundeberga, Adalualdi regis ſoror, erat matrimonio copulata.

FL. ARIOALDVS REX.

Qvo facto, ingens ſubitò in Regno eſt coorta ſeditio, vniuerſis ſiue ſacris, ſiue profanis proceribus in duas partes diſtractis, atq; aut huic, aut illi adiunctis. Quippe Arioaldum epiſcopi Tranſpadani complexi alios etiam in ſuas partes traducere contenderunt. Honorius autem põtifex, atque eius hortatu Iſaacius Exarchus, ſiue Theodelindæ ſtudio incitati, ſiue Arioaldum, vt Arriana labe infectum auerſati, Adalualdum ſibi ſuſceperunt defendendum. Iſaacius etiam ipſum exercitu in regnum reducere eſt conatus. Honorius autem, cum epiſcopos Tranſpadanos audiſſet nobilibus magnopere ſuadere, vt, deſerto contra iuſiurãdum Adalualdo, ſe ad Arioaldum conferrent, poſtero anno ad Iſaaciũ
625 ſcripſit, vt, Adalualdo reſtituto, aduerſæ factionis epiſcopos Romam ad dicendam cauſſam mitteret. Eæ litteræ adhuc ſeruantur apud Iuonem: *Delatum eſt ad nos, epiſcopos Tranſpadanos Petro Pauli filio ſuadere co-*

natos eſſe, vt Adalualdum regem deſereret, Arioaldoque tyranno ſe applicaret. Quamobrem, quia Petrus prauis eorum conſilijs reſpuit obedire, & ſacramenta regi Agoni Adaluald patri præſtita ſanctè cupit ſeruare; & quia hoc Deo, & hominibus eſt ingratum, vt qui tale facinus vindicare deberent, eorum ipſi ſuaſores exiſtant, rogamus vos, vt, poſtquam Adalualdum diuino in regnum, vt ſperamus, auxilio reduxeritis, prædictos epiſcopos Romam mittere velitis, ne ſcelus impunitum eiuſmodi relinquamus. Ceterùm, cum Adalualdum Iſaacius non reduxiſſet, atque ille tandem veneno infectus interiiſſet, Arioaldus regnum obtinuit. Hic pacis cum Romanis ſeruatæ laudem tulit, verùm hæreſi Arriana colenda eam penitus obſcurauit. itaque ſequenti 626
anno, quamquam certum Beda huius hiſtoriæ auctor occultat, Bilidulfum monachum Bobienſem ab illa animi prauitate malè multauit. Quippe Bilidulfus ab Attala abbate Papiam miſſus fortè in ipſum incidit. quo conſpecto, rex ad ſuos conuerſus dixit; Hic de Columbani monachis eſt, qui Arrianis ſalutantibus abnuunt reſpondere. Inde iocabundus ſaluere monachum iuſſit. Cui monachus: *Grata mihi ſalutatio tua eſſet, niſi tu ſeductoribus tuis, & nefarijs de Chriſto Deo doctrinis aſſentires, verùm ineffabilem in vna Deitate vnitatem aſſereres.* Quæ cum audiſſet rex, indignatione accenſus, Bone Deus, inquit, cur miniſtrum non habeo, per quem intemperantem huius monachi procacitatẽ vlciſcar? Cui vnus è ſtipatoribus; Atqui ego ſummo ſtudio præſtabo operam, inquit. Et, annuente rege, primis tenebris monachum ab amico ſe recipientẽ, ſolus ſolũ adeptus, vulneribus multis affecit. ac nemine exaudiẽte, aut vidente, pro exanimi in via reliquit. Haud ita multò poſt amicus vicẽ monachi ſub noctẽ domũ repetentis ſolicitus venit, &, cũ eũ humi iacentẽ reperiſſet, perinde ac ſi ſopore oppreſſus eſſet, excuſſit. Quo motu monachus graui quaſi è ſomno excitatus, ſurrexit incolumis, & cũ familiari ad monaſteriũ reuerſus ſe à latronibus pro mortuo relictũ, tamẽ innoxiũ euaſiſſe narrauit. Qui verò tãti patrator facinoris fuerat, mox à dæmone correptus, vltro ſuum flagitium prodidit. Qua re palam facta, vox in populo increbuit, talem exitum manere omnes, qui aut monachis Bobienſibus nocuiſſent, aut Arrianis hæreticis ſtuduiſſent. Arioaldus autem de ſalute ſua ſolicitus abbatem Attalam adiit, ac, percuſſore tradito, vt ignoſceret, poſtulauit. ſeque in auctoritate eius futurũ, ſi munera ſua recepiſſet, oſtendit. Quæ aſpernatus Attala, monachis tamen, vt pro ſalute ſcelerati hominis ſupplicarent, admonitis, ipſum priſtinæ ſanitati reſtituit. Sequenti anno Theodelinda regina, cum 627
ſummo ſe deiectam regni faſtigio cerneret, nec ſpes vlla recuperandæ dignitatis extaret, mœrore, vt veriſimile videtur, extabuit, femina cum

propter ceteras animi, corporiſque virtutes, tum maximè propter flagrans Catholicæ fidei ſtudium omni litterarum laude digniſsima, nec ſolùm regno Italiæ, cuius ornamenta, atque inſignia ipſi penè vniuerſa debentur, ſed etiam grauiſſimo ipſo S. Gregorij teſtimonio inter claras, ac memorabiles mulieres numeranda. Idem annus nobili victoria Perſica, & Cruce Domini recuperata apud Chriſtianos fuit clariſsimus. Heraclius continuis victorijs ſuperiorum annorum elatus ſexto demum cum exercitu ſeſe in Perſidem intulit. ac Razaſtem præfectum regis magno prœlio ſuperauit. Cuius rei terrore perculſus Coſroes, vt aduentum eius vitaret, ex regia Daſtagardæ præcipiti ſe fuga proripuit, ac Cteſiphontem prætergreſſus ad Tigrim contendit. Sarbarus præfectus, & Siroes filius, cum priuatis ſe prouocatos iniuriis quererentur, ab eo defecerunt. Siroes, patre per inſidias capto, ac vita ſpoliato, regnum, quod ille ad alterum filium traducere volebat, inuaſit. ac ſtatim pacem cum Heraclio fecit, atque omnes Chriſtianos vnà cum patriarcha Hieroſolymorum captiuos dimiſit. Tum verò, inſtante Heraclio, ſanctiſsima ipſa Dominicæ Crucis ligna ſunt reſtituta. Quo ſpolio nullum putans Heraclius eſſe opimius, ſequenti anno, quo Aſterius in Italia eccleſiam Mediolanenſem accepit, ex Perſide Conſtanti- 628
nopolim rediit, & quidem, quod prætermittendum non videtur, in itinere à Mahometho Sarracenorum principe ad ſe veniente, & quædam poſtulante, honoribus haud mediocribus cultus. Hic eſt Mahometus ille, homo Arabs, qui noua religione ex Iudaica, atque hæretica Chriſtiana conflata, rudes Sarracenorum animos imbuit, ac primùm pro vate habitus, deinde exercitus Imperator effectus, Chriſtianis bellum in Oriente inexpiabile intulit, ac primus nomen, & arma Sarracenorũ, quæ poſt maxima noſtra pernicie magis in dies clarueru nt, in lucẽ produxit. Exceptus eſt Conſtãtinopoli Heraclius ingenti omnium gratulatione, atque lætitia, ciuibus obuiam vniuerſis effuſis, ac viis floribus, & feſta fronde, quibus ingrediebatur, ornatis, cum Fortunatus patriarcha Gradenſis ab Eccleſia Ro. quinto improbato Concilio, diſceſsiſſet, eccleſiam ipſam Gradenſem, reliquaſque Iſtriæ baptiſmales vnà cum Xenodochiis auro, veſtibus, & ornatu reliquo ſpoliauit, ac Cromonum Foriiulii caſtrum ad Longobardos ſe contulit. Qua de re Honorius pontifex certior factus Fortunatum damnatũ ſacerdotio exuit, & Primigenium ſubdiaconum ſubrogauit. Quin etiam ad regem Longobardorum ſcripſit, vt opes omnes, quas Fortunatus Grado abſtuliſſet, reſtituendas curaret. Cum autem Primigenius nihil extorquere per regem potuiſſet, legatum ad Heraclium miſit, atque ab eo plus auri,

quàm quod amiſerat, rettulit. ac prætεrea cathedram S. Marci, quam ille nuper Alexandria reportarat, obtinuit. Proximo, Conſtantinopoli profectus Hieroſolyma adiit, ac Crucem, & patriarcham ſedi, atque honori ſuo reſtituit. In ritualibus inuenio, cum equo inſidens ad vrbem acceſsiſſet, portam ſua ſponte eſſe occluſam. Cuius rei admiratione attonitus, dum cauſſam quærit, vocem è cælo audiuit: *Regem regum non ita Hieroſolyma eſſe inuectum.* qua audita, extemplo ſe ex equo deiecit, ac nudis pedibus, porta vltro patente, intrauit. Factū eſt autē, vt, multorum morbis ad Crucis recuperationem ſanatis, Eccleſia diem feſtum in eius honorem inſtituerit, quem *Crucis Exaltationem* vocauit. Heraclius, Iudæis vrbe pulſis, Edeſſam recepit, eamq; Catholicis tradidit, quòd Neſtoriani à Coſroe acceptam tenerent. Inde Hierapolim adiit. vbi de morte Sirois regis Perſarum accepit. Iam Arioaldus aduerſus Bobienſes monachos, ſanctitate eorū perſpecta, mitior erat factus. Itaque Bertolfo, Attalæ ſucceſſori, eximiū hoc anno officiū præſtitit. nā, cum Procus, Derthonenſis epiſcopus, monaſteriū ſibi ſubiicere cupiens, vicinis ſolicitatis epiſcopis, regem conſuluiſſet, ipſe reſpondit, videndum eſſe, num monaſteria procul ab vrbibus ſita, fas eſſet epiſcopis eſſe ſubiecta. & à Bertolfo abbate ſuper eadem controuerſia, quid ſentiret, interrogatus, rem ſynodali iudicio permittendam eſſe aſſeruit. quærente verò nuncio, ſi res ad pontificem deferretur, num abbati, an epiſcopo eſſet ſuffragaturus, minimè verò, inquit, fauebo eis, qui negocium famulis Dei faceſſunt. Tum Bertolfus miratus, regem tam benignè de ſe eſſe loquutum, petiit, vt auxilio ſibi ſuo proficiſci Romam liceret. eoque impetrato, Honorium pontificem adiit, ac cauſſam ſuam edocuit. Honorius, cauſſa, & diſciplina monachorum percepta, collaudatis eis conceſſit, vt in priſtina libertate manerent, atque Arrianam perfidiam acriter inſectari perſeuerarent. iuſque indulſit, ne quando Bobienſe monaſterium epiſcopali poteſtati eſſet obnoxium. Interim Italia, Eccleſiaque bellicis à tumultibus quieſcente, atque Honorio pōtifice in inſtaurandis, atque ornandis ſacris vrbis ædibus inſiſtente, noua ſeditio regiam Conſtantinopolitanam inceſſit. quæ poſtea ipſam etiam Italiam, Eccleſiamque Romanam grauiſsimè perturbauit. Hæc fuit fœdiſsima eorum hæreſis, qui vnam in Chriſto Deo, atque homine voluntatem, atque actionem ponebant. quæ, cum aliquot per annos Oriētales epiſcopos infeciſſet, ad extremum ipſos etiam Imperatores corrupit. qui poſt, cum ſe à pontificibus Romanis pro officio caſtigari, &, cum correctionem non admitterent, à corpore Eccleſiæ ſegregari indignè ferrent, eouſque odio, atque animi impotentia proceſſerunt,

629

runt, vt etiam nefarias ipſis ſacroſanctis ſacerdotibus inſidias fecerint, eoſque palam tollere ferro, copiiſque conati ſint. Ceterùm Heraclius
630 in hunc modum Monotheletarum hæreſi eſt imbutus. Annus erat à Chriſto nato ſexcenteſimus triceſimus, cum ipſe annum Imperij viceſi mum Hierapoli agens Athanaſium patriarcham, vt vocabant, Iacobitarum, à quo conuentus erat, rogauit, vt Concilium Chalcedonenſe de duabus Chriſti naturis acciperet, pollicitus, ſi in officio fuiſſet, ſe illum patriarcham Antiochiæ creaturum. Athanaſius, conditione accepta, dixit, libenter ſe in eius auctoritate futurum, vt duas in Chriſto naturas aſſereret, verùm illud aſtutè de Imperatore quærere inſtitit, num vt duæ naturæ, ſic duæ item voluntates, atque actiones ineſſent. Heraclius quæſtionis nouitate permotus vt reſponſum, cuius ipſe incertus erat, eliceret, rem ad Sergium patriarcham Conſtantinopolis, & Cyrum epiſcopum Phaſidis rettulit. &, cum conſtans ab vtroque reſponſum accepiſſet, vt vnam naturam, ſic vnam in Chriſto voluntatem hærere, imprudens eorum opinionem ſuſcepit. Eodem anno Bonus Ra
631 uennas archiepiſcopus creatus. Poſtero, quantum coniici ex verbis Annonij licet, regia Longobardorum magna eſt perturbatione iactata. Adalulfus quidam ſummo inter Longobardos loco natus reginã Gundebergam de ſtupro interpellare auſus cum repulſam, conuiciumque tuliſſet, veritus, ne ab ea proderetur, regem adiit, & ſecreti colloquii copiam nactus dixit, Taro Dux Etruriæ conſilia de nece tua cum regina communicauit, vt, te ſublato, illam ſibi coniugio ſociet. Quibus verbis rex incenſus ira ſubitò prope amens, coniugem in arcem Amelli có
632 iecit, atque ibi per triennium in arcta cuſtodia habuit. Poſt tertium an
633 num Clotharius rex Francorum mulieris miſericordia motus, legatos ad Arioaldum miſit, perperam feciſſe arguens, quòd Gundebergam ex regio Francorum ſanguine ortam iniuſta cauſſa damnaſſet, atque honore ſuo diſpoliaſſet. Rege autem ſe iuſtam cauſſam habere dicente, Anſoaldus è legatis vnus, Facilè id tibi aſſentiemur, inquit, ſi quem ex reginæ familiaribus, ſingulari cum accuſatore commiſſo certamine, reginam ipſam permiſeris expiare. Hæc erat antiqua Longobardorum con ſuetudo, vt crimina vel maxima ſingulari prœlio purgarentur. quæ po ſtea in leges tranſlata per multa tempora obſeruata eſt. Quibus dictis Charibertus quidã natione Pitto, ab Ariperto reginæ conſobrino productus cum Adalulfo eſt comparatus. Certamine inito à veritate victoria ſtetit. Itaque proſtrato Adalulfo victus Arioaldus reginam è cuſtodia eduxit, atque in antiquum locum gratiæ, honoriſque reſtituit.
634 Eodem anno Maximus, & poſt eum Martinianus ad Aquileienſem ec-

cleſiam eſt euectus. Sequenti, Sarraceni, licèt Mahometo duce quadriennio ante deſtituti, exercitum Heraclij in Syria profligarunt. (quo metu adactus Heraclius Syriam reliquit, & Crucem Domini, ne barbarorum in manus perueniret, ex vrbe Hieroſolymorum extraxit), ac proximo, partem Syriæ, & Aegiptum in poteſtatem adduxerunt. Eo 635
anno Honorius pontifex, baſilica S. Petri æneis tegulis cooperta, Confeſſione verò, & valuis maioribus bracteis argenteis incruſtatis, III. Idus 636
Octobris deceſſit. poſteroque toto, nemine per menſes decem, & nouem ſubrogato, Apoſtolica ſedes vacauit. Hoc anno Sarraceni Hieroſolyma, cum Sophronius eccleſiam regeret, occuparunt. Sequenti, 637
Seuerinus pontifex creatus. Eo nondum conſecrato, ingens flagitiũ, ac neſcio an aliàs ante auditum, Romæ patratum eſt. Quippe theſaurus Lateranenſis eccleſiæ, qui omnium tum erat opulentiſsimus, ad eã diem intactus à miniſtris eſt Imperatoris, à quibus cuſtodiri oportuit, expilatus. Mauricius chartularius auctor tanti ſacrilegij fuit. Hic ſiue malè erga Eccleſiam animatus, ſiue ab Heraclio non bene ſentiente impulſus, perditis hominibus adhibitis, exercitum Ro. ad concionem vocauit, atque ita diſſeruit: *Veſtræ me miſeriæ admonent milites, vt vobis, quod in rem veſtram ſit, ſuggeram. Vos quanta omnium rerum inopia laboretis, ipſi omnium optimè noſtis, quibus ne ſtipendia quidem debita, ne dum præmia officij extraordinaria perſoluuntur. Hoc non culpa Imperatoris accidit, ſed clericorum, qui ea ſupprimunt, auaritia. Exiſtimari enim vix poteſt, quantas pecunias Honorius in Patriarchium Lateranenſe congeſſerit. quæ quid proſunt, quando milites, qui earum conſtituti cuſtodes ſunt, nihil inde emolumenti capiant, ſed ibi ſine vllo vſu recondita conſeruentur? Quin igitur itis, & quod clericorum malignitate negatur, id ipſum veſtra fortitudine vindicatis?* Quibus vocibus auditis, milites acri aduerſus Eccleſiam odio incitati ſubitò ad diripiendum Patriarchium diſcurrerunt, ſed à clericis, qui cum armata iuuenũ manu ad Seuerinum, re prouiſa, coierant, magna animorum alacritate repulſi eò perrumpere nequiuerunt. Hoc vbi vidit Mauricius, opinione ſua lapſus milites aliquot in Patriarchio quaſi cuſtodiæ cauſſa locauit, atque ipſe poſt triduum frequenti iudicum, qui conſilio affuerant, agmine circunfuſus acceſſit. ac pacis ſtudio ſimulato diligenter ipſum veſtiarium obſignauit, ac continuò Iſaacium Exarchum de omni re tranſacta edocuit. Hoc nuncio excitus Iſaacius repente tanto theſauro inhians Rauenna Romam aduolauit, & ſolemni honore exceptus primores Eccleſiæ, quaſi ſuperioris tumultus auctores, in exilium egit, ne quis eſſet, qui conatis occurrere ſuis aut poſſet, aut auderet. & poſt dies aliquot in Patriarchium profectus, veſtiarium totum exhauſit, om

ni genere

ni genere donorum refertum, quæ ſuperiores Imperatores, Patricij, & Conſules S. Petro pro ſalute animarum ſuarum ad pauperes ſubleuandos, redimendosque captiuos obtulerant. Quas facultates cum Rauennam auertiſſet, partem inde ad Heraçlium miſit, peſſimè iampridem de Romana Eccleſia promerentem, Eo profecto, Seuerinus pontifex Kalendis Iunijs conſecratus eſt. Arioaldus rex Tatoni Duci Tuſciæ inimicus, cum aliam rationem vlciſcendi hominis non haberet, nuncijs ſecretò miſſis, Iſaaciũ Patricium rogauit, vt ipſum quocunque modo poſſet, euerteret. ſe eo nomine tertiam Imperatori partem tributi annui remiſſurum. Ea conditio Iſaacio repudianda in tantis difficultatibus non eſt viſa. Itaque, pactis confectis, Tatonem continuò monuit, vt ſecum contra Arioaldum arma coniungeret, atque ad ſe exercitum duceret. mox autem Tatoni Rauennam aduentanti, obuiam miſit, qui diceret, ſe exercitum eius timore Imperatoris in vrbem recipere non audere. Itaque Tato nihil ſubeſſe doli ſuſpicatus, relicto extra portas exercitu, cum paucis comitibus vrbem ingreſſus eſt. Quo facto, extemplo ab iis, qui ab Iſaacio præparati fuerant, oppreſſus fœdiſſimè eſt interemptus. Quo beneficio accepto, Arioaldus Patricio centum libras auri remiſit, neque ita multò poſt vita ceſſit.

FL. ROTHARIS REX.

ARIOALDO verò ſine virili ſtirpe mortuo, Longobardi comitia creando regi habuerunt, ac Gundebergæ mariti, regiſque optionem, vt ante Theodelindæ, dederunt. Illa Rotharim Harodum genere, Ducem Brixiæ accerſiuit, ac maritum ſibi aſcitum Longobardis, vt ad regnum eueherent, auctor fuit. Rotharis autem cum alia ſolemnia iureiurando affirmauit, tum in primis, ſe Gundebergam ſummo & amore, & honore proſequuturum. Hic rex hæreſi Arriana, quam maiore, quàm adhuc quiſquam alius, ope defendit, fuit imbutus, verùm ceteris virtutibus illo loco digniſſimus. Itaque principio regni, vt opes ſuas ſtabiliret, nobiles quoſdam Longobardorum, quos alienos à ſe animos gerere ſenſerat, de medio ſuſtulit, atque inde animum ad mouendum Romanis bellum contulit. Erant quippe citeriore in Italia duæ inter Longobardos prouinciæ adhuc Imperatoriæ ditioni ſubiectæ, Alpes Cottiæ, & Opitergium cum omnibus oppidis vſque Taruiſium.
638 Has igitur regno Longobardorum adiungere cupiens, poſtero ineunte anno Cottias Alpes cum infeſto exercitu iniit, ac primo aduentu Genuam, Albigaunum, & Lunam oppida capta, direptaque incendit.

Quo facto non ſolum prouinciam Imperatori eripuit, ſed etiam pontificem opulento, quod ibi antiquitus poſsidebat, patrimonio exuit. Inde terrore belli in Venetiam tranſlato Opitergium, & cetera, quæ commemorauimus, loca ad deditionem adegit. Exarchus autem, poſtquam mature exercitum ſe ad ea loca adducere non poſſe animaduertit, haud tamen ſibi committendum exiſtimauit, quin, quàm maximis poſſet, opibus in proximos regis fines irrumperet, atque omnia terrore, ac tumultu repleret. Itaque Rotharis, poſtquam eum, recepta Peruſia, ingenti cum exercitu ad Aemiliam properare accepit, quanta maxima aſſequi celeritate potuit, ei ſeſe obiecit. &, ad Scultemnam amnem Mutinenſem, ipſius prouinciæ finem, nactus ſine cunctatione in certamen deſcendit. Ibi collatis ſignis octo millia Romanorum occidione occiſa. reliqui præcipiti ſe mandare fugæ coacti ſunt. Ea pugna finis inde omnium inter Exarchos, regeſque bellorum vſque ad Luitprandi tempora fuit. Primores Opiterginorum amiſſa patria antiquos Venetos imitati & ipſi ſe ad æſtuaria contulerunt. atque ad Plauis amnis oſtia euecti, locatis ſedibus, vrbem ex Magni epiſcopi ſui auctoritate ſibi condiderunt. quam à nomine Imperatoris Heracliam nominarunt. Magnus, baſilica Sancto Petro apoſtolorum principi dedicata, ibi ſedem perpetuam poſuit. Agreſtes homines aliquot cum pecoribus ſuis ſequuti, cum Heracliæ contineri muris non poſſent, alium ſibi locum vlterius muniuerunt, eumque Equilium appellarunt. Qua re animaduerſa Paulus epiſcopus Altinas Torcellum ſedem ſuam Catholicam tranſtulit. atque ea omnia Seuerini pontificis, & Primigenij patriarchæ probata auctoritate ſunt. Seuerino inde per Auguſtum menſem morbo abſumpto Ioannes Quartus natione Dalmata pontificatum accepit. Hunc demum Heraclius à Sophronio Hieroſolymorum patriarcha commonitus de vna Chriſti voluntate conſuluit, atque acrem à ſanctiſſimo viro de eiuſmodi opinionis peruerſitate obiurgationem rettulit. itaque pudore affectus, cum neque ſuſceptum errorem abiicere vellet, neque aſpera Catholicorum ſuſtinere conuicia poſſet, edictum propoſuit, ne quis vnam, neue duas in Chriſto voluntates aſſereret. Mortuo Sergio patriarcha Pyrrhus vt eccleſiam, ſic opinionem eius accepit. Ioannes autem pontifex Iſtros, ac Dalmatas, qui captiui apud hoſtes tenebantur, miſſa per Martinum abbatem pecunia redemit. & relliquias ſanctorum martyrum Anaſtaſij, Ve-

nantij, & Mauri, ne à barbaris incumbentibus diſſiparentur, è Dalmatia Romam traduxit, atque ad fontem Lateranenſem æde con-
639 dita collocauit. Poſtero anno Sarraceni Meſopotamiam, inuaſerunt. Paulus epiſcopus Patauinus Catholicus, ne inter Arrianos viueret, ex auctoritate Ioannis pontificis ſedem Metamaucum traduxit, ac Riuoaltum, & Oliuolam inſulas ſibi ſubiecit. Sequenti
640 anno, qui fuit ſexcenteſimus quadrageſimus, Sarraceni, pulſo rege Hormiſda, regnum Perſarum armis occuparunt. Ioanni pontifici mortuo Theodorus homo Græcus eſt ſubrogatus. Proximo He-
641 raclius è vita deceſſit. Imperium autem primùm Conſtantinus filius, deinde, eo intra paucos menſes mortuo, Heracleonas excepit. Eo anno grauis alius à Mauricio chartulario Romæ tumultus eſt concitus. is ab Iſaacio Exarcho alienatus cum ijſdem, per quos ante Lateranenſem eccleſiam diripuerat, aduerſus Iſaacium coniurauit. accitiſque ex omnibus finitimis ditionis Romanæ caſtris hominibus Iſaacium, regnum affectare inſimulauit, atque ob id ſolemni eos ſacramento adegit, ſe nunquam in eius auctoritate futuros. quod vbi accepit Iſaacius, haud mediocriter re nec opinata perculſus continuò Romam Sacellarium cum ſecretis mandatis, atque expedito militum robore, ingentique vi pecuniæ miſit. Is vrbem ingreſſus, palam iuſſit edici, ſe veniam, ac pecuniam iis, qui Mauricium reliquiſſent, & ad ſe tranſiſſent, daturum. Quo audito, confeſtim milites, ac iudices, qui ſe Mauricio dediderant, ad Sacellarium tranſierunt: ac totos eius ſe iudicio permiſerunt. Mauricium autem, qui cum paucis in ædem Diuæ virginis ad Præſepe confugerat, Sacellarius conſequutus, ipſum cum ſociis comprehendit, & per vim inde abſtraxit. atque ad extremum omnes boia in ceruices inducta Rauennam perduxit. Cum autem Ficoclas veniſſet, locum XII millibus paſſuum ab vrbe diſtantem, ibi iuſſu Iſaacij Mauricio caput abſcidit, idque ſumma haſta præfixum Rauennam detulit. Quo conſpecto Iſaacius haud leuiter gauiſus, ipſum in Circo ſummo in ſtipite, prodendi exempli cauſſa, iuſſit locari, ſocios verò eius in cuſtodiam tradidit maturius de illorum ſupplicio ſtatuturus, neque ita multò poſt ipſe obiit repentina morte oppreſſus. Quæ vbi palam facta eſt, illi, effracto carcere, è cuſtodia euaſerunt.
642 ac domos quiſque ſuas ſalui repetiuerunt. Poſtero anno Conſtans Heraclij nepos, pulſo Heracleona, à ſenatu ad Imperii faſtigium eſt elatus. Is, Iſaacii morte accepta, Theodorum Calliopam Patricium ſuc-

ceſſorem

ceſſorem ei conſtituit. Pyrrhus patriarcha Conſtantinopolitanus maie-
ſtatis crimine vrbe pulſus Romam venit. atque in baſilicam S. Petri in-
greſſus, tabulas manu ſua ſubſcriptas Apoſtolicæ ſedi, præsēte clero, po
puloque vniuerſo, obtulit, quibus omnia condemnabat, quæ à ſe, aut
à deceſſoribus ſuis ſcripta, aut acta aduerſus Catholicam fidem fuiſſent.
Qua re peracta, magnus ei à pontifice honor eſt habitus. Nam & mu-
nera eum populo diuidere, atque in ſella aſſidere iuxta altare permiſit.
in Græciam inde reuerſus, cum in eundem impietatis morbum deinte-
grò incidiſſet, pontifex ſequenti anno iuſta ira incenſus, clerum, & ſa- 643
cerdotes in eandem ædem vocauit, & dirum in ipſum anathema con-
torſit. &, vbi per litteras ad ſanitatem non potuit reuocare, epiſcopi ei
quoque officium abrogauit. Pyrrho abdicato, Paulus eiuſdem aſſertor
opinionis eam dignitatem iniuit. Erat annus, poſtquam Longobar
di in Italiam venerant, ſeptuageſimus ſextus. quam ad diem ipſi ſic vi-
xerant, vt legibus nullis ſcriptis, verùm veteribus ſcitis vſu quotidiano,
ac repetita memoria conſeruatis obtemperarent. Huic igitur incom-
modo occurrere Rotharis cupiens, omnia ſcita collegit, ac multis nouis
decretis reip. ſalutaribus aucta, in Tabulas retrulit, quas Edictum voca-
uit. atque hoc anno x. Kalendas Decembris Papiæ publicauit cum hoc
prooemio: *Incipit edictum, quod renouaui cum primatibus meis iudicibus,*
ego in Dei nomine Rotharis Rex, vir Excellentiſſimus, ſeptimus decimus Rex
gentis Longobardorum, anno Regni mei, Deo propicio, octauo, ætatiſque meæ
triceſimo octauo, indictione ſecunda, & poſt aduentum in prouinciam Italiæ Lon
gobardorum, ex quo Alboinus tunc temporis Rex procedente diuina clementia
aduenit, anno ſeptuageſimo ſexto, feliciter, datum Ticini in Palatio. Quan-
ta pro ſubiectis, noſtriſque noſtra fuerit ſolicitudinis cura, vel ſit, ſubter adnexa
ratio, & norma declarat. Tam propter aſſiduas præcipuè fatigationes paupe-
rum, quàm etiam propter ſuperfluas exactiones ab ijs, qui maiorem virtu-
tem habent, quos vim pati cognouimus, ob hoc conſiderantes Dei omnipotentis
gratiam, neceſſarium eſſe perſpeximus, præſentem corrigere, & componere le-
gem, quæ priores omnes remoueat, & emendet, et quod deeſt, adiiciat, quod ſu-
perfluum eſt, abſcindat, in vno præuidimus volumine complectendam. quatenus
liceat vnicuique ſalua lege, ac iuſtitia quietè viuere, & propter operationem con-
tra inimicos laborare, ſuoſque fines defendere. Concluſio verò talis eſt. *Præ-*
ſentis verò noſtræ diſpoſitionis edictum, quod, Deo propicio, cum ſummo ſtudio,
ac ſummis vigilijs, ac cæleſti fauore præſtitis inquirentes, & rememorantes an-
tiquas leges patrum noſtrorum, quæ ſcriptæ non erant, condidimus. Et quæ com-
munibus omnium gentis noſtræ vtilitatibus expediunt, pari conſilio, plerique con-

ſenſu cum primatibus principibus, cunctoque feliciſsimo exercitu augentes conſti-
tuimus, & in hoc membrano ſcribere iuſsimus, pertractantes, & ſub hoc tamen
capitulum reſeruantes, vt quod adhuc diuina annuente clementia per ſubtilem
inquiſitionem de antiquis legibus Longobardorum tam per noſmetipſos, quàm per
antiquos homines memorare poterimus, in hoc Edicto ſubiungere debeamus, ad-
dentes quin etiam & pergarethix ſecundùm ritus gentis noſtræ confirmantes,
vt ſit hæc lex firma, & ſtabilis, quatenus noſtris feliciſsimis, & futuris tempo-
ribus firmiter, & inuiolabiliter ab omnibus noſtris ſubiectis cuſtodiatur. Et hoc
addimus ac decernimus, vt cauſæ, quæ finitæ ſunt, non reuoluantur, quæ autem
finitæ non ſunt, à præſente viceſsima ſecunda die menſis huius Nouembris in-
choatæ, aut ortæ fuerint, per hoc edictum emendentur, ac finiantur. Et hoc gene
raliter damus in mandatis, ne aliqua fraus per vitium ſcriptoris in hoc Edicto
adhibeatur. ſi aliqua fuerit intentio, nulla alia exemplaria credantur, aut ſuſci-
piantur, niſi quod per manus Anſualdi notarij noſtri ſcriptum, aut recognitum
644 *eſt, & reuiſum. quia per noſtram iuſsionem ſcripſit.* Poſtero anno Paulus
patriarcha palam vnam in Chriſto voluntatem docere inſtituit, &
cum multos alios, tum in primis Conſtantem ipſum Imperatorem cor
rupit. Qua re cognita, Theodorus pontifex ipſum per legatos ſuos
identidem, vt rectam fidem amplecteretur, primùm admonuit, dein-
de, vbi pertinaciter in ſua opinione permanentem audiuit, pro pote-
ſtate, atque officio acriter etiam obiurgauit. Vbi verò inania omnia
645 eſſe officia animaduertit, ad extremum ſequenti etiam anno patriar-
chali honore priuauit. quo anno Rotharis Gundebergam vxorem
in cubiculum Ticini incluſit, & priuatam vitam degere coegit; vbi
mulier per quinque annos in ieiuniis, & precationibus Deo gratias
646 agens tranſegit. Proximus Martiniano antiſtiti Aquileieſi mortem,
Felici verò eam attulit dignitatem. Paulus patriarcha, decreto abdi-
cationis ſuæ accepto, qui ſuſceptum deponere errorem debuit, igno-
miniæ dolore accenſus, cumulauit. ſiquidem, vt fidem Catholicam de
duabus Chriſti voluntatibus vehementius oppugnaret, typum Impera
tori propoſuit, in quo falsò ex ſanctorum patrum auctoritate docebat,
neque vnam, neque duas in Chriſto voluntates verſari. quod hæreticus
adhuc nemo cenſuerat: quin etiam longius inſania, furoreque proue-
ctus, altare ſedis Apoſtolicæ, quod erat in ædibus Placidiæ cōſecratum,
diripuit, & legatos pontificis de more ad ſacram hoſtiam adorandam,
atque accipiendam adire prohibuit. Conſtans autem ab illo inductus
eoſdem pontificis legatos grauibus ſeſe monitis ſæpius à tanta turpitu-
dine reuocare conatos, ceteroſq; Catholicos ſimul inuaſit, atque alios

carceribus, alios verberibus, partim exilio, partim aliis detrimentis affecit, & per totum Orientem ſubinde crudeliſſimè diuexauit. Quæ dum impunè patrantur, ſequenti anno Theodorus pontifex moritur, 647
atque in eius locum Martinus, domo Tudertinus, ſufficitur, vir ſanctitate, & conſtantia incredibili præditus. Is xvi Kal. Octobris conſecratus, his nunciis acceptis, primo quoque tempore furenti tanto ſibi occurrendum incendio exiſtimauit, ac ſtatim omnibus Italiæ epiſcopis concilium Romam in certam poſtero anno diem indixit. Cùm ad conſti- 648
tutam diem centum quinque epiſcopi conueniſſent, eos exemplo Symmachi pontificis Lateranenſi in baſilica Saluatoris coegit, Indictione ſeptima, menſe Octobri. ac, relationè de Monotheletarum opinione facta, rem ad diligentem diſquiſitionem adduxit. Eodem anno Rauennas eccleſia rurſus à Romana defecit, auctore antiſtite Mauro, qui Bono ex humanis rebus erepto ſucceſſit. Ille verò cum inſita ingenio ſuperbia inflatus, tum opportuno Conſtantis Imperatoris fauore ſubnixus, neque conſecrationẽ, neque pallium à pontifice ſumere voluit, verùm illam à tribus ſuffraganeis ſuis, hoc ab Imperatore accepit, ac ſuffraganeos ſuos iniuſſu pontificis conſecrauit. Ex quo per multos poſt annos eccleſia Rauennas hæreſi, quam vocabant Autocephaliam, laborauit. Arichis Dux Beneuenti poſt annum, quàm Ducatum acceperat, quinquageſimum, diem extremum expleuit, atque Aionem filium Ducem reliquit. verùm, quia parum recti ſenſus erat, Rodoaldo, & Grimoaldo Giſulfi quondam Foroiulienſium Ducis filiis, apud ſe agentibus commendauit. Iampridem Conſtans concilium aduerſus ſe à Martino indictum acceperat, itaque infeſtà illius decreta horreſcens, ac remedium ei malo aliquod quærẽs Olympium cubicularium ſuum ad ſe vocauit, atque ita dixit. Perge in Italiam Exarchi auctoritate ornatus, & quoſcunque nactus eris epiſcopos, alioſque nobis in typo à Paulo antiſtite edito aſſentientes, ſubſcribere iube. &, ſi Romanum exercitum huic ſententiæ aſtipulantem, vt Platon exarchus oſtendit, inueneris, Martinum etiam ipſum, qui in hac vrbe fuit apocriſarius, idem facere coge, ſin minus, quieſce, donec prouinciam obtinueris, & exercitum maiorem Romano, Rauennatique confeceris. Quod ſi apertæ vi ſeptum aditum ſenſeris, Martinum ipſum per aliquam doli commentationem aggredere. His mandatis inſtructus Olympius poſte-
ro anno Romam, concilio nondum dimiſſo, venit. atque in conſpectũ 649
progreſſus, pontifici, atque epiſcopis Imperatoris mandata de typo à Paulo edito comprobando expoſuit. Poſtquam autem ea contemni, ac diſertè repudiari ab omnibus magno animorum conſenſu vi-

dit, quod erat ſecundum, armato exercitu terrorem, ac diſſidium patribus inferre tentauit. verùm ne ita quidem conatus ſucceſſit. Quibus rebus cognitis, pontifex, vt concilium quàm maturrimè perageretur, elaborauit. Itaque ad extremum, re diligenter excuſſa, decretum aduerſus Monotheletas ex patrũ omnium auctoritate compoſitum, ac certorum ſcribarum manu deſcriptum per omnes Orientis ciuitates dimiſſum eſt. Cyrus, Sergius, Pyrrus, & Paulus nominatim damnati. Eodem anno Sclaui, & Sarraceni diuerſis è partibus Italiam inuaſerunt, Sclaui ex Dalmatia, quam occuparant, Sypontum claſſe appulſi Apuliam, Sarraceni ex Africa ad littora Siciliæ delati ipſam inſulam populationibus, & incendijs vaſtare, ac Chriſtianos in ſeruitutem abſtrahere inſtiterunt. Sclauorum incurſum vbi Aio Dux Beneuentanus cognouit, tumultuariis cohortibus aliquot ſumptis, raptim eò, imprudẽtibus tutoribus ſuis, occurrit. Sed prœlio commiſſo incautus ab eis circunuentus occiſus eſt. Eo mortuo, Rodoaldus cum validiore manu ſuperueniens Sclauos victoria ouantes inuaſit. atque, eis profligatis, Aionis necem fortiſſimè vindicauit, ac Ducatum inde Beneuentanum excepit. Aubedo legatus à Clothario rege ad Rotharim miſſus ab eo liberationem Gundebergæ impetrauit. itaque regina priſtinæ dignitati eſt reſtituta. Interim Olympius decreto Concilij cognito grauiſſimè perturbatus, quod vltimum erat iuſſum, ſeſe ad ipſum tollendum per fraudis
650 machinationem Martinum conuertit. Iam appetebat ſolemnis Naticiorum Domini dies, qui anni ſexcenteſimi quinquageſimi principium erat futurus. quo die pontifex antiqua cæremonia ad baſilicam Præſepis nocturnum Deo ſacrificium facit. Eò igitur Olympius ſolemni ſimulata religione petrexit. & ſpatharium ſuũ, quid facere præſentem vellet, admonuit. Vbi verò venit hora, qua pontifex ſacratũ Domini corpus in eam vnam curam intentus porrecturus de more Exarcho erat, ſpatharius, vt erat iuſſus, ad illum feriendum ſtrictum, præparatumque gladium extulit. verùm diuina voluntate ſubitò luminibus captus propoſitum tenere non potuit. Qua re perculſus Olympius poſtea pontificem allocutus, ſecreta, quæ habebat à Conſtante, mandata aperuit, ac nefarij conatus ſui veniam poſtulauit, ad omnia ſe illius obſequia paratum eſſe pollicitus, cuius caput diuino auxilio cuſtodiri inanis ſuis argueret Natalicia noctis conatus; cui Martinus, Ego verò te in gratiam ſumma voluntate recipiam, inquit, ſi in hoc conſilio, voluntatique meæ parueris, vt exercitum in Siciliam primo quoque tempore ducas, ac pulſis, deletiſque, qui ibi ſæuiunt, Sarracenis, Siculum populũ acerbiſſima ſeruitute eripias. Quod ſe facturum Olym-

pius dixit, ac, paratis copiis eò traductis, aſſiduis prœliis premere Sarracenos perrexit. Sub eoſdē dies multi religioſi principes in diœceſi Torcellana, Iuliano epiſcopo aſſentiente, templa aliquot conſtruxerunt, eumque vicum Conſtantiacum appellarunt. Eodem anno Rodoaldus, Dux Beneuentanus, moriens Ducatum fratri Grimoaldo reliquit. Poſtero Olympius, cum ingenti labore, ac multo ſuorum ſanguine Sarracenos Sicilia deturbâſſet, morbo, quem ex labore contraxerat, periit. 651
Conſtans conatu ſuo lapſus, quòd per Olympium vita Martinum ſpoliare non potuiſſet, magno dolore tulit, neque tamen propoſito ſuo deterritus, Olympii morte accepta, Theodorum Calliopam acceſſiuit; atque, vt iterum Exarchus in Italiam iret, atque omni arte Martinum capere, & ad ſe tranſmittere conaretur, iniunxit. Eo anno Rhodum Sarraceni ceperunt, ac coloſſum Solis fama nobilitatum ad terram deiectum deleuerunt.

FL. RODOALDVS REX.

Proximo, Rotharis rex, Rodoaldo filio rege relicto, vita ceſſit, legibus à ſe latis, & bello proſperè geſto inſignis: & quidem vir inter paucos numerandus, niſi ingentia fortitudinis, ac iuſtitiæ decora vna Arriana perfidia maculaſſet. Rodoaldus vt belli cauſſam pacis cupidus non quæſiuit, ſic patria labe pollutus Catholicos epiſcopos variis afficere detrimentis perrexit. Theodorus autem Exarchus, fraude ſibi capiendum Martinum cum ſtatuiſſet, Romam ſimulata itineris cauſſa conceſſit, ac ſolemni cum pompa ingreſſus de more in baſilicam Lateranenſem proceſſit, vt Martinum adoraret ibi ex compoſito aſsidentem. Vbi verò ad illum peruenit, extemplò, ſigno, quod conſtitutum erat, accepto, intromiſsi ſatellites ipſum omnia alia ſuſpicantem corripuerũt, ac, nemine propter armatum circunſiſtentem exercitum opem ferre audente, in cuſtodiam tradiderunt. Qua re vulgata, ingens ſubitò terror, ac magna trepidatio inter Catholicos orta. Miſſus inde ſub cuſtodia Conſtantinopolim pontifex curas quoque, ac ſermones hominum grauiores exciuit, pleriſque ſuperiora pontificis Vigilii tempora, cladem que illam Eccleſiæ memorantibus, atque ad præteritorum malorum recordationem planè horrentibus. Conſtans Martino capto, & ad ſe perducto lætatus, ipſum Ponticam Cherſonis in inſulam relegauit, atque ibi teterrimum condi in carcerem iuſsit. Martinus ætate, ac dolore Eccleſiæ pereuntis confectus diu miſeriam, fœditatemque carceris ſuſtinere non potuit. Itaque poſtero anno rerum omnium diffi- 653

cultatibus afflictatus pridie Idus Nouembris deceſsit, ſanctitate, & miraculis ita fulgens, vt dignus habitus ſit, qui in Sanctorum numerum
654 ab Eccleſia referretur. Vacauit inde pontificia ſedes, donec certus de ipſius obitu nuncius eſt allatus. Tum verò IIII Idus Auguſti pontifex in eius locum Eugenius factus. Eo anno Conſtans Conſtantinum filium, cognomento Pogonatum, conſortem ſibi aſciuit Imperij. Próximo,
655 Petrus patriarcha Conſtantinopolis in locum Pauli mortui ſubrogatus eſt. Hic, obſequio, vt Catholicos falleret, ſimulato, ſynodicam ille quidem, vt moris erat, de fide ſua ad ſedem Apoſtolicam miſit, verùm obſcuram adeo, atque perplexam, vt vnam ne, an duas in Chriſto voluntates ſtatueret, iudicari non poſſet. Quam vbi clerus Romanus legit, qui fuit ſemper in tuenda diſciplina Catholica conſtantiſsimus, ſtomacho, atque iracundia ſic exarſit, vt neque illam accipere voluerit, & pontifici ſacrificium ſe ad Præſepe interdicturum minatus ſit, niſi promitteret, ſe nunquam illam approbaturum.

FL. ARIPERTVS REX.

656 SEQVENTI, Rodoaldus rex à Longobardo, cuius vxori ſtuprum intulerat, interfectus eſt. Quod vbi Longobardi cognouerũt, quia virilis ſtirps eius nulla ſupererat, continuò nouo creando regi comitia habuerunt, ac ſummis ſtudijs regnum ad Aripertum, Gundoaldi Theodelindæ fratris filium, detulerunt. Huius item res geſtæ nullæ commemo-
657 rantur, Catholicæ verò doctrinæ deditus fuiſſe exiſtimatur. Eodem etiam anno Aſterius archiepiſcopus Mediolanenſis, & poſtero Eugenius pontifex Romanus vitæ finem fecerunt. Fortis ad archiepiſcopatum, Vitalianus ad pontificatum erecti. Vitalianus conſecratus legatos de more cum ſynodica ad Imperatores miſit, qua ſe pontificem deſignatum ſignificauit. Principes, legatis benignè acceptis, & priuilegia Romanæ Eccleſiæ renouarunt, & codices Euangeliorum auro, gemmiſque diſtinctos beato Petro inſignis loco muneris remiſerunt. Idem Maurum Archiepiſcopum Rauennatem auctoritatem pontificiã præ ſuperbia recuſantem ad ſe vocauit, & venire detrectantem à ſacris amouit. Maurus autem eouſque furoris proceſſit, vt eadẽ in Vitalianum tela retorſerit. Quin etiam Ferraria, quam à Smaragdo mœnibus cinctã fuiſſe ſupra commemorauimus, incolarum iam multitudine aucta, ab eodem Vitaliano, epiſcopi dignitate ornata eſt. Marinus epiſcopus datus duodecim ei vicos (Maſſas appellarunt) attribuit. Aripertus autem rex Papiæ oratorium D. Saluatoris extruxit, idque poſſeſsionibus exi-

mijs honeſtauit. Per eoſdem etiam annos clara Ioannis epiſcopi Bergomatis fama enituit. Hic Arrianos Bergomo expulit, & Farram oppidum ad Catholicam fidem traduxit,ac ſacello beati martyris Alexandri conſtructo ornauit. & Ioanni Bono Mediolanenſi archiepiſcopo, 659
qui anno ſexcenteſimo quinquageſimo nono inijt, familiaris admodum fuit. eiuſque auxilio opportunè ſummiſſo, ſæpe Arrianos inceſsit, homo tantæ ſanctitatis, vt aliquando, cum Mediolano Bergomum ſe referret, Abduam amnem ſiccis inſignitus pedibus pertranſiuerit. Anno inde ſexcenteſimo ſexageſimo Felici antiſtiti Aquileienſi Ioannes II, 660 661
& poſtero,quantum colligi coniectura licet, Graſulfo Foroiulienſi, & Theudolapio Spoletano Ducibus Ago, & Zotho ſuffecti. Eo quoque Aripertus rex vita functus eſt, Perthatito, & Gundeberto filijs regni heredibus inſtitutis. quorum Pertharitus Mediolani, Gundebertus Papiæ conſedit.

FL. PERTHARITVS, & FL. GVNDEBERTVS FRATRES REGES.

VARIIS inde inteſtinarum diſcordiarum procellis Longobardorum agitari regia cœpta multum vt firmitatis,ſic etiam dignitatis,nō ſine magno Italiæ damno amiſit. Omnis verò principium labis ab immoderata dominandi libidine ortum. Quippe Gundebertus ſua ſorte non contentus cum fratre de regno contendere,eumq; inde deiicere inſtitit. atque adeo in eo perſeuerauit, vt, quod ſe viribus ſuis tentare vix poſſe vidit, id aliena ſibi virtute obtinendum exiſtimarit. Nam Garibaldum Taurinatium Ducem ad Grimoaldum Beneuentanum petitum auxilium miſit, ſororemque ſe, ſi enixè ab eo iuuaretur,nuptui daturum ſpopondit. Garibaldus profectus egregiè legationem eſt ementitus. ſiquidem Grimoaldum non ad opem, vt iuſſus erat, ferendam acuit, ſed ad regnum ſibi ex opportuna fratrum diſcordia vindicādum. Grimoaldus ad nouam regni cupiditatem erectus auida continuò ſpe facilem totius rei exitum deuorauit, ac Romualdo filio Duce Beneuenti inſtituto,maximiſq; repente cōtractis & domi, & initinere copiis, Papiam verſus proficiſci contendit. Vbi verò Placentiam venit, Garibaldum miſit, qui præſentem ſuum regi aduentum prænunciaret. Is à Gundeberto de ratione Grimoaldi ex dignitate recipiendi conſultus, auctor ei fuit, vt honoris cauſſa illum in regiam ſuam acciperet, quippe qui & auxilio ſui veniret, & mox ſororem eius ſibi copulaturus matrimonio eſſet. quòd ſi de illius fortaſſe erga ſe animo dubitaret, lorica ſub veſte

indutus occurreret. Quod cum Gūdeberto probaſſet, tū ad Grimoaldum profectus, per fidè ipſum, vt ſibi à Gundeberto caueret, admonuit, nam ſe compertum habere, illum occidendi ipſius cauſſa cum lorica futurum. Credidit id Grimoaldus. itaque, cum in regiam receptus per mutuam ſalutationem regis in amplexum veniſſet, vereque eum, vt Garibaldus docuerat, lorica munitum eſſe ſentiret, id ad cædem ſui paratum criminatus, ipſum confeſtim gladio ſtricto confodit, ac ditionē eius inuaſit. Ea re accepta, Pertharitus, qui Mediolani regnabat, in timorem ſui adductus, quanta maxima celeritate potuit, fugam arripuit, atque ad Cacanum Hunnorum ſe recepit, Mediolani Rodelinda vxore, & filio Cuniperto relictis. Garibaldus poſt Taurini ab amico Gundeberti meritò in Paſchate interfectus.

FL. GRIMOALDVS REX.

GRIMOALDVS Mediolano potitus, auidè vtrumque. & Rodelindam, & Cunipertum atripuit, ac Beneuentum exilij cauſſa tranſmiſit. mox Papiam reuerſus, regnum, ipſis conſentientibus Longobardis, excepit, ac nuptiis cum ſorore Gundeberti ingenti omnium lætitia celebratis, exercitum Beneuentum remiſit, paucis duntaxat optimatibus ſecum honoris cauſſa retentis. Hinc in vnum Pertharitum conuerſus, quo viuente, ipſe de regno ſemper ſibi videbatur eſſe laboraturus, legatos ad Cacanum miſit, obteſtatum, vt Pertharitum è regno ſuo dimitteret; ni faceret, pacem cum Longobardis nullam ſibi poſthac futuram ſciret. Hac de cauſſa Pertharitum Cacanus ſuis cedere finibus iuſſit. Pertharitus, cum ſubſidium aliud nullum ſalutis occurreret, ad Grimoaldi clementiam ſibi confugiendum exiſtimauit. itaque in Italiam reuerſus, cum Laudem perueniſſet, Vnulfum ad eum vnicum amicum ſuum præmiſit, qui de aduentu ſuo commonefaceret, ac ſupplex ſibi veniam ab eo, & incolumitatem expoſceret. Ea re cognita, Grimoaldus miſericordià tactus illum ſe ſummo ſtudio recepturum eſſe reſpondit, atque hoſpitium Papiæ pro dignitate inſtui, ac res neceſſarias expediri mandauit. Confluente inde ad eum viſendi, ac ſalutandi cauſſa frequenti Papienſium multitudine, in ſuſpicionem, vt ante, regni ab amicis adductus, ſubitò de ſententia deſtitit, atque eum proxima nocte cuſtodiri, & comprehenſum interfici per diſpoſitos ad id facinus homines imperauit. Fortè accidit, vt amici beneficio Pertharitus id ſenſerit. itaque ſingulari Vnulfi induſtria, expedito fugiendi conſilio, habitū permutauit. &, cuſtodibus deceptis, noctu domo, atque vrbe per auerſam

partem,

partem, qua diſpoſitæ vigiliæ nullæ erant, ad amnem euaſit. atque, arreptis, quos forte in paſcuis nactus eſt, equis, ipſe cum comitibus ab Vnulfo datis Haſtam primùm, deinde Taurinum, amicas ciuitates, appetiit. atque inde in Franciam tranſiit. Fugam Perthariti cognitam Grimoaldus iniquè tulit, ita tamen, vt Vnulfo, cuius opera ſaluus aufugerat, non ſolùm non ſuccenſuerit, verùm præmia etiam propter fidelem nauatam domino ſuo operam ampliſſimè impertierit. ac magnificè col laudato liberam, & ſecum manendi, & Pertharitum ſequendi fecerit poteſtatem. Perthariti miſericordia rex Francorum commotus poſtero anno aduerſus Grimoaldum maximum in Italiam militum numerum miſit. Aduerſus quos Grimoaldus progreſſus, quos vi ſuperare ſe poſſe diffidebat, arte capere ſtatuit. quippe, commiſſo prœlio, fugam ſimulatam arripuit, ac quaſi trepidans caſtra omnibus rebus, ſed præcipuè vino, referta reliquit, ratus Francos opimæ prædæ intentos omnem rei militaris induſtriam remiſſuros. Neque aliter, quàm putarat, euenit. Franci Grimoaldum vero metu ceſſiſſe arbitrati, caſtris opulentis potiti, vltra hoſtem perſequuti non ſunt, verùm per ocium epulas inſtruxerunt, &, cum auidius cibo, potuque corpora ab omnibus hoſtium ſecuri inſidiis oneraſſent, quieti ſe tradiderunt. Quo cognito, Grimoaldus poſt ſecundam vigiliam ſomno, vinoque merſos adortus, tantam eorum ſtragem edidit, vt paucos tantùm reliquerit, qui nuncium cladis domum rettulerint. is locus non procul ab Haſta ab re ipſa Francorum eſt riuulus appellatus. Poſtero anno Conſtans Imperator in Italiam venit. Eius profectionis multæ cauſſæ produntur. alij triſti Theodoſij fratris viſo deterritum, qui ab eo interfectus ſæpe ſe in quiete obtulerat, ac, poculo ſanguine pleno porrecto, vt biberet, inuitarat, terram inuiſam relinquere voluiſſe ferunt. alii odio Conſtantinopolitanorum, quos propter hæreſim à ſe auerſos videbat, impulſum Imperium Romam traducere cupiuiſſe. quidam cupiditate Longobardorum ex Italia pellendorum arſiſſe tradunt. inter quos eſt Anaſtaſius, & Paulus, quos ſequi libet. Ineunte igitur vere, Conſtans maximam, atque ornatiſſimam omnibus rebus claſſem Tarentum applicuit, eo animo, vt bellum Longobardis inferret. Ibi cum eremitam quendam ſedere, qui diuino afflatus ſpiritu multa vaticinaretur, audiſſet, experiendæ artis eius ſtudio ipſum conſuluit, num, quod moliebatur, Longobardos eſſet Italia exacturus, cui ille, minimè omnium, inquit. neque enim per D. Ioannem Baptiſtam licet. cui gens illa eximio cultu, ac præcipua religione deſeruit. Qua voce haudquaquam deterritus Tarento Beneuentum exercitum duxit, Luceria, & ceteris Longobardorum vrbibus

662 (margin, beside "ro anno aduerſus Grimoaldum")

663 (margin, beside "Francorum eſt riuulus appellatus")

bus in itinere occupatis. atque eam vrbem corona circundatam, magna vi oppugnare inſtituit. Præerat Ducatui, vt diximus, Romualdus Grimoaldi regis filius. Is de ſua ſalute ſolicitus ſub ipſum Conſtantis aduentum Ieſualdum nutricium ſuum ad patrem maturato itinere proficiſci, &, quanto ipſe verſaretur in periculo, oſtendere iuſſit. Eo profecto, ipſe vniuerſi certaminis caſum detrectans, crebris eruptionibus, ac leuibus prœliis faciendis hoſtem diſtinuit, primùmque illius impetũ ſumma arte deluſit. Grimoaldus autem periculi filij certior factus, ſubitò quàm maximum potuit, exercitum comparauit, ac Lupo Duci Foroiulienſi, quem Agoni mortuo ſubſtituerat, regiam commendauit. Inde licèt à multis in itinere deſertus, ac ſummis ab aliis incommodis conflictatus, Beneuentum magnis itineribus ire contendit. ac Ieſualdũ ad ſignificandum aduentum ſuum maturè præmiſit. Ieſualdus prægreſſus, cum Beneuento vicinus eſſet, eſt captus, atque ad Imperatorem adductus. Quærenti Imperatori vnde veniret, & quonam pergeret, ſyncero animo ſe à Grimoaldo venire reſpondit, ab eo miſſum, vt filio maturum ſuum aduentum ſignificaret. Qua re audita, Conſtans in timorem rerum ſuarum adductus ineundæ cum Romualdo pacis cepit conſilium, vt incolumis Neapolim ante aduentum Grimoaldi rediret. acceptaque in id obſide Romualdi ſorore Giſa, cõpoſuit pacẽ. Verùm fallendi illius gratia Ieſualdum ad muros prodire, ac patrem auxilio venire non poſſe, iuſſit nunciare, præſentem mortem minitatus, ſi ſecus eſſet locutus. Ieſualdus ad mœnia productus Romualdum exciuit, & clara voce, vt omnes audirent, eum bono eſſe animo iuſsit. nam patrẽ eius ea nocte ad Sagrum amnem eſſe caſtra metatum. Quo dicto exaſperatus Imperator confeſtim caput à ceruicibus abſcindi, ac per lithobolon in vrbem proiici imperauit. ac ſubitò Grimoaldi aduentum metuens, ſoluta Beneuenti obſidione, Neapolim ſe recepit, nonnullis interim ad Calorem amnem à Tranſemundo, Comite Capuano, detrimentis affectus. Tum Saburrus, vnus ex optimatibus eius, profeſſus, ſe, ſi viginti millia peditum accepiſſet, facilè Grimoaldi exercitum deleturũ, cum iis perrexit ad Formias. Quod vbi Grimoaldus, qui iam Beneuentum peruenerat, intellexit, primùm ipſe proficiſci aduerſus eum in animo habuit, deinde, mutato conſilio, filium miſit, præſertim verò id ſibi muneris ſummo animi ſtudio depoſcentem. Ibi commiſſo prœlio, cum ancipiti ab vtraque parte dimicaretur euentu, Amelongus quidam, qui regiam haſtam ferebat, victoriam ad Longobardos memorabili caſu traduxit. quippe haſta ambabus manibus nixus Græcum quendam fortè obuium tanta mole percuſsit, vt ipſum è ſella decuſſerit, atque haſta

infixum in ſublime ſupra caput extulerit, omnibus ingenti nouæ rei admiratione prope attonitis. Quod vbi Græci viderunt, metu perterriti in fugam ſe conuerterunt, ac non dubiam Romualdo victoriam reliquerunt. His de rebus Conſtans, cum ſe fruſtra aduerſus Longobardos laborare, quemadmodum ſacro acceperat à vate, videret, ne temere in Italiam veniſſe videretur, Romam ſibi adeundã putauit. Ea re Romã nunciata, placuit pontifici, quoniam res erat noui, aut certè vetuſtate obliterati exempli, vt Græcus Imperator Romam accederet, nouo, eoque omniũ ampliſſimo pompæ genere illum excipi. neque.n. vt in Exarchis accipiendis, obuiam miſiſſe ſatis habuit, ſed ipſe quoque occurrit, neque in Laterano expectauit, ſed in Vaticanum ad vota facienda deduxit. Ita Conſtans Imperator à Vitaliano pontifice, & vniuerſo clero, populoque Ro. obuiam ad quintum lapidem honoris cauſſa progreſſo exceptus III Nonas Iulias vrbem iniuit. (id cum ſexta indictione factum ſcribatur, in annum DCLXIII incurrit.) atque ad baſilicam Vaticanam venerabundus acceſſit, & precationem adhibuit, ac dona tulit. poſt triduum autem, qui dies fuit Sabbati, ædem ad Præſepe inuiſit, eamque pariter donatam reliquit. poſtridie cum exercitu reuertit in Vaticanum, ac comiter à clero S. Petri exceptus, ſacrificio perpetraro, pallium auro textili obrulit. inde ſequenti Sabbato ad Lateranum progreſſus, in baſilica Iulij accubuit. poſtridieq; in Vaticanum regreſſus, re diuina audita, ſalutem pontifici dixit. &, cum duodecim dies in vrbe moratus omnia ex ære ornamenta, quibus vrbs antiquitus fuerat inſigniter exornata, ſurripuiſſet, ita vt ne tegulis quidem nobiliſſimi templi S. Virginis ad Martyres abſtineret, poſtridie haud bona pontificis, Romanorumque cum gratia, terreſtri itinere Neapolim, atque inde in Siciliam ſe recepit. Grimoaldus, Beneuento liberato, Tranſemundum Capuæ Comitem, cuius ſtrenua in eo bello vſus opera fuerat, generum ſibi aſciuit, ac, mortuo Zothone, Spoleti Ducem effecit, atque inde Papiam repetiit. Lupi Ducis Foroiulienſis multa nefaria facinora abſente rege edita ferebantur. Nam inter Venetos per viam, quæ antiquitus in mari ſtrata fuerat, equeſtrem ad Gradum inſulam exercitũ introduxerat, ac, direpto oppido, veteres Aquileienſis eccleſiæ theſauros auerterat. & apud Papiam, cum relictus regiæ cuſtos à Grimoaldo fuiſſet, multa ſuperbè, impotenterque commiſerat, quòd Grimoaldum à bello non reuerſurum eſſe ſibi perſuaſiſſet. Itaque vbi eum domum repetere victoria ouantem audiuit, flagitiorum conſcientia tactus, ſeſe in Forum Iulium rettulit, ac defectionem à rege iniuit. Ob eam rem Grimoaldus vehementer ira, atque indignatione exarſit.

belloque aduerſus eũ decreto, ne Longobardos ciuilibus bellis aſſuefaceret, Cacanum Hunnorum ad eius excidium inuitauit. Neque Caca-
664 nus præclaram tantæ prædæ dimiſit occaſionem. Itaque poſtero anno cum infinito popularium numero in fines eius irrupit, ac latè populari omnia cœpit. His detrimẽtis Lupus impulſus impigrè, fortiterque & ipſe cum ſuis occurrit. Pugnatum eſt per quattriduum tanto animorum ardore à Foroiulienſibus, vt ſatis conſtet, Cacanum primis diebus multò plus cladis, quàm intulerit, accepiſſe. Ad extremum ira ſimul, ac cupiditate victoriæ inflammatus tanto ſe cum omnibus ſuis impetu in Longobardorum aciem incitauit, vt non eos ſolùm loco motos auerterit, ſed ipſum etiam in prœlio Lupum occiderit. Arma inde aduerſus Lõgobardos, qui caſtella inſederant, ſummo ſtudio circumlata, regioque latè populationibus, atque incendiis diripi, ac vaſtari temere cœpta. Id verò vbi Grimoaldus audiuit, nunciis miſſis Cacanum monuit, vt, Lupo vindicato, Foroiulienſi regione decederet. Cui reſpondit Cacanus, ſe haudquaquam terram eam relicturum, quam ipſe armis, ac multò ſuorum ſanguine partam teneret. Quo reſponſo Grimoaldus incenſus bellum aduerſus eum decreuit, ac copias in eam rem, quàm maximas potuit, comparauit, verùm haudquaquam cum immenſo Cacani exercitu conferendas. Aderant fortè legati Cacani, cum ipſe exercitum recenſebat. ibi exiguitatem copiarum ſuarum occultare, ac maioris ſpeciem præbere exercitus volens, legatoſque decipere, eoſdem milites diuerſo habitu, atque armatu inſtructos in præſentia legatorum per dies aliquot quaſi nouum ſemper exercitum, decurrere iuſſit, atque ad eos conuerſus ita dixit. Cum hac, quam vidiſtis, multitudine Cacanum inuadam, niſi protinus Foriiulij finibus ceſſerit. Quæ cum Cacano legati renunciaſſent, territus extemplo ſe in regnum ſuum recepit. Lupo interfecto, Varnefritus filius, Sclauis in auxilium aduocatis, Ducatum occupare tentauit, verùm Grimoaldus, eo deleto, Vectarum Vicetinum ſuffecit. & Theoderatam Lupi filiam Romualdo filio Beneuenti Duci matrimonio ſociauit. His rebus ex ſententia admi-
665 niſtratis, Grimoaldus inde ſequenti anno omnes ſuas ad eos vlciſcendos cogitationes conuertit, qui ſe bello Beneuentano reliquerant. Præcipuè autem Forum Popilij in Flaminia diruit, cuius ciues ſibi, legatiſque ſuis vltro, citroque belli Beneuentani cauſſa commeantibus incõmodi fuerant. Quippe Quadrageſimæ tempore, alio ſimulato bello, per montem Bardonis Tuſciam iniit. inde nec opinantibus omnibus repente ſe ex Apennino demiſit, ac pridie Paſchatis oppidum ea ipſa hora, qua pueris ſacra aqua ad ſalutem inficiendis opera impendebatur,

inuaſit,

inuaſit, ac tanta cæde totam vrbem expleuit, vt ne à diaconis quidem, qui ei ſeruiebant officio, militaris licentia temperauerit. Inde Opiterginæ fraudis recordatus, per quam fratres ſui Tato, & Caco miſerè fuerant interfecti, Opitergium adortus deleuit, eiuſque fines Foroiulienſibus, Taruiſinis, & Cenerenſibus diuiſit. eius oppidi clade Equilium auctum epiſcopum & periit, & obtinuit. Poſt biennium Alzeco, Dux Bulgarorum, cum popularibus ſuis pacato in Italiam agmine venit, agrumque à Grimoaldo ſibi, & ſuis ad incolendum poſtulauit. 667
Eius petitioni Grimoaldus obſequutus, in Ducatum eos Beneuentanũ tranſmiſit, atque oppida Sepiam, Bouianum, & Aeſerniam, tum deſerta, à filio iuſſit concedi, eorumque gaſtaldium, ſiue Comitem appellari. Bellicis inde curis omiſſis, ſequenti anno ad pacis ſtudia ſe conuertit, iuraque populis deſcribere inſtitit. Quippe ex iudicum ſuorum ſententia cum Edictum à Rothari editum nonnullis in partibus 668
imperfectum eſſe ſentiret, aliquot ei leges adiecit, quas maximè idoneas iudicauit. eaſque cum hoc prooemio diuulgauit: *Superiore pagina huius Edicti legitur, quod adhuc annuente domino memorare poterimus, de ſingulis cauſis, quæ præſenti non eſſent adſictæ, in hoc Edicto adiungere debeamus, ita vt cauſſæ, quæ iudicatæ, & finitæ ſunt, non reuoluantur. Ideo ego Grimoaldus, vir excellentiſſimus, rex gentis Longobardorum, anno, Deo propicio, ſexto regni mei, menſe Iulio, Indictione vndecima, per ſuggeſtionem iudicum, omniumq́ conſenſum, quæ illi dura, & impia in hoc Edicto viſa ſunt, ad meliorem ſenſum reuocare præuidimus.* Proximo, Ioanne Bono Mediolanenſi antiſtite mortuo, Antoninus eſt ſubſtitutus. Eo anno Conſtante Imperatore Idibus Iulijs, XII Indictione, in Sicilia occiſo, Conſtantinus 669
filius, vt cœperat, continuauit Imperium. Hic paterno exemplo vitæ, mortiſque euentu deterritus fautor Eccleſiæ Romanæ fuit acerrimus. Itaque ægrè patiens, diſsidium inter Conſtantinopolitanam, & Romanam Eccleſiam de duabus Chriſti voluntatibus ortum, ſtatim cogitare de concilio ad eam rem indicendo cœpit, ſperans, ſi pontifex annueret, rem poſſe haud difficilè conuenire. Annus inde ſexcenteſimus 670
ſeptuageſimus, quique proximè conſequuti ſunt, nulla re alia memorabili, niſi variis principum funeribus, & ſucceſsionibus claruerũt. Eo an 671
no Ioanne Aquileienſi antiſtite mortuo, Petrus Eccleſiam adminiſtran 672
dam accepit. Biennio verò interiecto, VI Kal. Februarias pontifex Vitalianus eſt mortuus, eique Adeodatus ſubrogatus. Neq; ita multò poſt Maurus archiepiſcopus Rauennas, qui eccleſiam illam à Romana obedientia reuocarat, diem ſuum obiit, præcepto clericis ſuis relicto, ne quando pontifici Ro. parerent. Quod vbi Adeodatus accepit, ne Mau

ro iuſta ritu Eccleſiæ ſolueretur, edixit. In Mauri locum ſuffectus Reparatus eandem contumaciam tenuit: & ad Imperatorem profectus, iura eadem, quæ Maurus obtinuerat, impetrauit. Antoninus etiam Mediolanenſis antiſtes extinctus ſucceſſorem Mauricilium eſt adeptus. Eodem quoque anno Grimoaldus rex memorabili caſu migrauit è vita: quippe vena nono poſt ſanguinis miſſionem die, dum arcus tendendi cauſſa conniteretur, aperta. Hic Arriano errore à Ioanne epiſcopo Bergomate ſpectatæ ſanctitatis, atque doctrinæ viro liberatus baſilicam Fartæ in inſula Fulcheria, quæ nunc Abduana eſt glarea, Diuo Alexandro ſacram attribuit, & baſilicam Diuo Ambroſio Papiæ extruxit, virque fuit in omni vitæ officio ſagacitatis, ac ſolertiæ ſingularis.

FL. GARIBALDVS REX.

673 MORTVO Grimoaldo, regnum ad Garibaldum filiũ puerili præditum ætate peruenit. Eo tempore Pertharitus è Francia latè patentem Grimoaldi potentiam fugiens in Angliam cogitauit. Verùm vix dum è littore ſoluit, cum repente vocem inde audiuit, Pertharitum in patriam reuocantis, quòd Grimoaldus die ante tertio eſſet defunctus. Quam vbi Pertharitus accepit, raptim littus repetiit, nemineque, qui de Grimoaldo nunciaret, inuento, haud dubiè diuino ſe reuocari nuncio ratus, magnis in Italiam redire itineribus maturauit. Neque verò ipſius coniecturam inanis eluſit euentus. Nam ad Alpium clauſtra cum acceſſiſſet, omnia obſequia Palatina, omnemque aulæ regiæ pompam cum ingenti Longobardorum multitudine præſtolantem inuenit. Quare erectus animo Papiam adiit, ac, puero Garibaldo exturbato, poſt mẽſem à morte Grimoaldi tertium regnum ſummis ſtudijs Longobardorum iniuit. ac ſtatim Rodelindam vxorem, & Cunipertum filium ab exilio Beneuentano reduxit.

PERTHARITVS ITERVM REX.

cum CVNIPERTO FILIO

673 POSTERO verò anno, vt Deo, cuius beneficio vitam, & regnum retinuerat, ſe gratum oſtenderet, ab ea Ticini parte, qua olim euaſerat, monaſterium nouum S. virgini, & martyri Agathæ cõdidit, idque multis virginibus aggregatis, & poſſeſſionibus attributis cohoneſtauit: cuius exemplum vxor Rodelinda ſequuta, ædem S. Dei genitrici extra mœ-

nia ædi-

nia ædificauit, quæ ad Perticas dicta. Regnum inde quietè, ac iuſtè administratum. Eodem anno Ampelius ad archiepiſcopatum Medio- 674
lanenſem euectus. Poſt triennium, ſublato è rebus humanis vi Kal. 675
Iulij pontifice Adeodato, ſæui admodum imbres, & fœdæ tempeſtates 676
fuerunt. Fulminum ictu magna pecudum, hominumque manus exanimata. Frumenta, cum vi tempeſtatis colligi nequiuiſſent, in agris renata maturuerunt. Demum populis diuinas in ſupplicationes conuerſis pax à Deo eſt imperrata. In locum Adeodati pontificis mortui Do 677
nus eſt cõſecratus. Sequenti anno Reparato Rauennati archiepiſcopo vita functo Theodorus, & proximo, Ampelio Mediolanenſi Manſue
tus eſt ſubſtitutus. Eo demũ anno Conſtantinus Imperator, quod diu ſe 678
cum animo agitarat, ad effectum perduxit, vt concilium aduerſus Monotheletas indiceret, & Romanæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanam adiungeret, ſcilicet inſolentia Georgij noui patriarchæ impulſus, qui, adiuuante Macario, patriarcha Antiocheno, aduerſus duas Chriſti voluntates ita inuehebatur, vt non agere, ſed furere videretur. Quippe indictione VI. pridie Idus Auguſti ſacram epiſtolam ad Donum pontificem miſit, qua decreto animi ſui nudato petiit, vt legatos ad ſe mitteret, qui generali, quod Conſtantinopolim indixiſſet, concilio præſiderent. nam ſe Theodoro Exarcho mandaſſe, vt legatis, & epiſcopis ad Conciliũ venientibus naues idoneas, & neceſſarios ſumptus ſuppeditaret. Extat adhuc epiſtola in ipſius Concilij actis intexta. Eodem anno Rauennas eccleſia hoc modo ad Romanæ obſequium eſt redacta. Theodorus archiepiſcopus, cum veterem cleri diſciplinam nimia ſuperiorum antiſtitum indulgentia lapſam vellet reſtituere, cle-
ricos pleroſque nouorum ſeueritate inſtitutorum offendit. Itaque die 679
natali Domini ad ædem Diui Apollinaris Claſſenſem ad rem diuinam de more faciendam ipſum contra inſtituta deducere noluerunt. Quam iniuriam vt vlciſceretur, eccleſiam Rauennatem, quod ipſos magno dolore laturos ſciebat, Eccleſiæ Romanæ litteris ad pontificem ſcriptis reſtituit. Tertio inde Idus Aprilis Dono pontifici mortuo Agatho ſubrogatus, ac VI. Idus Iulias conſecratus. Hic deſignatus litteras extẽplo ad Imperatorem de more miſit, quibus, præter cetera, illud poſtulauit, vt ſumma pecuniæ releuaretur, quæ pro pontificis conſecratione dabatur. idque obtinuit. quin etiam cum Diualem accepiſſet, quæ ad Donum pontificem de Concilio mittebatur, eueſtigio illius collaudato cõſilio legatos ad id propediem ſe miſſurum oſtendit. atque epiſcopis Occidentis conuentum in Lateranum indixit, vt, te ex eorum ſententia cõſtituta, (quoniam omnibus Conſtantinopolim ire non erat commo-

dum,) ſingulorum voluntates ad Concilium mitteret. Eodem anno Theodorus Rauennas archiepiſcopus Romam conuentus cauſſa profectus, ad Agathonis pedes acceſſit, ac præſens obedientiam, quam Maurus, & Reparatus deceſſores ſui abnuerant, Eccleſiæ Romanæ reſtituit. Manſuetus item Mediolanenſis archiepiſcopus, conuocatis ſuffraganeis ſuis, Mediolani conuentum habuit, ac decretum de duabus Chriſti voluntatibus ex eorum auctoritate confecit. id quod epiſtola à Damiano, epiſcopo Papienſi, excellentis ea tempeſtate doctrinæ viro ad Imperatorem conſcripta complexus eſt. atque inde cum ſuffraganeis

680 ad conuentum Romanum proceſſit. Quæ dum aguntur, Perthari-tus rex, Cunipertum filium in regni ſocietatem vocauit. Anno inde, qui ſubſequutus eſt, ſexcenteſimo octuageſimo, Luna Iunio menſe nitorem ſuum mirabili obſcuritate fœdauit. Iulio autem, Auguſto, & Septembri, Romam tetra adeo peſtilentia eſt adorta, vt frequentatis funeribus libitina non ſufficeret. reliquam inde Italiam cum inceſſiſſet, in primis Papiæ vrbem prope ad vaſtitatem redegit. Cùm ingraueſcente vi morbi, ciues ad iuga montium receſſiſſent, in plateis, viiſque vrbis herbæ, ac frutices paſſim enatæ. In tantis rerum aſperitatibus multi cacodæmonem venabulo domorum oſtia ferientem ſe animaduertiſſe affirmarunt, & quàm multis ille ictibus cuiuſque domus oſtium percuſſiſſet, tam multos ex illa homines poſtridie periiſſe. His calamitatibus modus tandem diuina ope implorata paratus. Cum diuino proditum oraculo eſſet, peſtilentiam non ante remiſſuram, quàm in æde D. Petri ad Vincula ara D. martyri Sebaſtiano ſtatueretur, haudquaquam contempta oraculi fides eſt. delatiſque ad Vrbem ſacris Sebaſtiani relliquiis, ara ibi conſtituta, ſubitò morbus elanguit. Ab eo tempore obſeruatum, vt qui inciderent, martyrem ipſum in vota vocarent. Conuentus interim Romæ à pontifice eſt habitus, centum viginti quinque epiſcopis, quorum nunc etiam extant nomina, conuocatis, decretumque de duabus Chriſti naturis, voluntatibuſque confectum, atque ſingulorum manu firmatum. Quibus rebus ritè peractis, tandem pontifex, epiſcopis quibuſdam diu, ſed fruſtra, ex longinquis regionibus expectatis, legatos tres Conſtantinopolim, qui vices ſuas implerent, miſit, Theodorum, Sergiumque presbyteros, & Ioannem diaconum, qui poſt ad pontificatum euectus eſt; Conuentus verò totidem alios, qui ſuo nomine ei intereſſent, Ioannem Portuenſem, Abundantium Paternenſem, & Ioannem Rheginum epiſcopos. Theodorus etiam Rauennas archiepiſcopus Theodorum presbyterum deſtinauit, pro partibus ſuis agendis. Hi cum magno clericorum, & monachorum numero, conſcenſis na-

uibus, Octobri menſe Conſtantinopolim peruenerunt, atque honorificè ab Imperatore in Palatio excepti litteras ei pontificis, & conuentus Romani reddiderunt. quibus excuſatio de legatis ſerius miſsis, & fides epiſcoporum de duabus voluntatibus Chriſti continebatur. Quibus lectis, Imperator legatos hortatus eſt, vt veritatē, remotis omnibus philoſophorum concertationibus ex vnis ſanctorum ſcriptorum monumentis conarentur eruere, atque eis hoſpitia parata diſtribuit, & quotidianos in eos ſumptus aſsignauit. ac mox Georgium Conſtantinopolis, & Macarium Antiochiæ patriarchas, vt primo quoque tempore ſuos metropolitas, atque epiſcopos in vrbem aduocarent, admonuit. Die inde dominico, ſacta pompa Spiritus ſancti inuocandi gratia per vrbē ducta, ad eamque legati equis ſtratis miſsis mira benignitate Principis inuitati. Tandem vii Idus Nouembris in penetrale Palatij, qui Trullus dicebatur, concilium conuocatum. Ibi Conſtantino Imperatore, Georgio patriarcha Conſtantinopolitano, Petro patriarchæ Alexandrini vicario, Macario patriarcha Antiocheno, & Georgio legato Theodori ſedis Hieroſolymitanæ, quæ vacabat, vicarij reſidentibus, Legati pontificis, Conuentuſque Romani, atque omnes Orientalium eccleſiarum metropolitæ, epiſcopique recepti. & ſuo quiſque loco aſsidere iuſsi. Quibus ritè perfectis, Georgio, & Macario mandatū, vt quibus ſuam ſententiam de vna Chriſti voluntate conciliorum auctoritatibus fulcirent, expromerent. Illi tria ſuperiora concilia protulerunt, verùm multa eis de ſuo affinxiſſe conuicti riſum omnibus præbuerunt. xvii verò Kal. Decembris Catholici decretum pontificis, Cōuentuſque Romani de duabus voluntatibus ediderunt. His vtrinque prolatis, data eſt inde opera Sanctorum patrum teſtimoniis ab vtraque parte prodendis. Cum menſis Decembris in audiendis hæreticorum tabulis abiiſſet, Idus inde Februariæ Catholicorum cognoſcendis teſtimoniis ſunt conſumptæ. Quorum multitudine, atque auctoritate Georgius patriarcha permotus ſtatim de ſententia deſtitit. Itaque reuocatis v. Nonas Martias in conciliū patribus cum ſurrexiſſet, clara voce ſe cū epiſcopis ſuis decreto de duabus Chriſti voluntatibus aſſentiri dixit, ac continuò in partes Catholicorum tranſiuit. Macarius autem patriarcha, quid ſui iudicij eſſet, rogatus, ſe cum ſuis in priſtino manere propoſito affirmauit, citiuſque millies moriturum, quàm de ſuſcepta ſententia deceſſurum. Quam vocem vbi Imperator, & Catholici audierunt, ira perciti orarium collo demi iuſſerunt. eumque cum ſuis ex concilio pulſum ſacro anathemate perſecuti ſunt. Factum eſt autem, vt eadem hora atræ omnes aranearum telæ conclauis è laquearibus lapſæ 681

ſint. Qua re conſpecta, cuncti ſubitò viles ipſas hæreticorum ſordes euanuiſſe lætis vocibus, atque animis ominati ſunt. Macario inde cum ſocijs abdicato, atque in Italiam relegato Theophanes abbas eſt ſubſtitutus. Nomina omnium antiſtitum, qui ſuperioribus annis vnam volunratem defenderant, ex omnibus locis deleta Cyri, Sergij, Pyrrhi, Pauli, & Petri. Die inde Reſurrectionis Ioannes epiſcopus Portuenſis, legatus in æde S. Sophiæ Miſſarum ſolemnia, Imperatore, populoque præſente, Latinè celebrauit tantò cum populi plauſu, atque lætitia, vt is nouo more Latinè quoque Imperatorum laudibus acclamarit. Ex quo omnes dirum tandem duarum eccleſiarum diſſidium penitus eſſe ſublatum iudicarunt, ac maximas de conciliata concordia gratias Deo egerunt. Poſtremò v. Idus Septembris profeſsio fidei à Cōcilio conſtituta, ac poſt quinque dierum ſpatium ſingulorum epiſcoporum ſubſcriptionibus roborata eſt. Nulli tamen ex more canones ſcripti. Hoc eſt ſextum generale Concilium ad Nicænum, Epheſinum, Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitana duo adiectum. quibus ſumma fidei Chriſtianæ fundata eſt. Decimo Kalendas Ianuarias Conſtantinus, remiſsis legatis, litteras ad pontificem, & conuentum Romanum dedit, quibus ſe rem ex ſententia confeciſſe ſignificauit. Extant horum omniū acta, quæ ſcripſimus. Simul alias litteras dedit, quibus capita patrimoniorum Siciliæ, & Calabriæ, annona releuauit, & frumenti coemptionem
682 remiſit, & alia, quæ Romana ſoluendo non erat Eccleſia. Poſtero anno Agatho pontifex IIII Idus Ianuarias morte abſumptus. In eius locū Leo ſecundus creatus: atque à tribus epiſcopis Oſtienſi, Portuenſi, & Veliterno conſecratus, cum adhuc ab vno tantùm Oſtienſi conſecrari moris fuiſſet. Hic menſe Iulio legatos à Concilio reuerſos cum litteris Imperatoris, & ipſius Concilij actis accepit, eaque auctoritate ſua firmauit. Conſtantinus, eccleſia Conſtantinopolitana ad amicitiam, concordiamque cum Romana redacta, graue eſſe arbitratus, Rauennatem ſuperbiæ cauſſa à communi conſenſione, & iudicio diſſentire, Diualem ad Leonem miſit, præcipiens, vt poſthac archiepiſcopus Rauennas deſignatus ex antiquo inſtituto Romam ad conſecrationem à pontifice accipiendam contenderet, neque conſecratus vltra octo dierum ſpatium Romæ maneret. Cui decreto Leo mira benignitate adiecit, ne quod Romanum officium pecuniæ quidquam pro pallij conceſſione repeteret.
683 Sequenti anno Luna in Paraſceue pene tota ſuffuſa ſanguine laborauit, neque, niſi poſt gallicinium, fulſit. Nonis Aprilis Leo pontifex litteris ad Conſtantinum miſſis ſe Concilium ab eo peractum approbare oſtendit. ac IIII Kal. Iulias petiit. Et hic in Sanctorum numerum eſt

relatus.

relatus. Eodem anno Antoninus Ioanni epiſcopo Bergomati ſuffectus: Ioannes ab Arrianis, quos perſequebatur, occiſus eſt, vir eruditionis, atque innocentiæ ſingularis. Hunc Cunipertus rex iuuenis libertate eius offenſus perdere aliquando in animo habuit. atque ei ad hoſpitium ſuum reuertenti effrenem, atque indomitum equum, qui cum fremitu excutere inſeſſores ſolebat, de induſtria præbuit. Qui à Ioanne inſeſſus ita lenitus eſt, vt placido, mitiq; paſſu domũ vſque deuexerit. Quare Cunipertus commotus poſtea Ioannem magno in honore habuit, atque ei mitem alterum proprio ante commodo deſtinatum donauit. Non ceſſabat interim Conſtantinus dies noctéſque cogitare de dignitate, auctoritateque Romanæ Eccleſiæ adaugenda. Itaque ſequenti anno, quo Leoni mortuo Benedictus ſecundus pontifex eſt ſuffectus, hoc deeſſe illius cumulandæ amplitudini arbitratus, antiquam ei comitiorũ 684
in legendo pontifice libertatem reſtituit. Quippe diuali ad clerum, populum, exercitúmque Romanũ miſſa indulſit, vt quem ipſi pontificẽ, iuſtis comitiis, concordibus animis deſignaſſent, eum extemplo conſecrare ſine Imperatoris auctoritate ius eſſet: quod Odoacris regis ætate illatum poſt Iuſtiniani tempora ita fuerat obſeruatũ, vt rarò ſine ſumma neceſſitate eſſet prætermiſſum. Initio inde Ianuarij apparuit Stella noctu cælo ſereno ea obſcuritate infecta, veluti cum lunam nubes ſubiit. & menſe Februario meridie altera ab occaſu cum magno fulgore ad orientem decurrit. Martio verò Veſuuius mons in Campania per dies aliquot ignes euomuit, atque omnia virentia circumquaque aduſſit. Hæc prænunciaſſe obitum Benedicti pontificis iudicata. qui Idibus Maijs ſupremum vitæ ſuæ diem confecit. In eius locum Ioannes Quintus Auguſto menſe ſuffectus, qui Agathonis pontificis fuerat in Concilio Conſtantinopolitano legatus. Eius põtificatum, quòd diutino morbo implicitus fuerit, nulla res memorabilis inſigniuit. Chriſtophorus Gradenſem eccleſiam adminiſtrandam accepit. Ioannes pontifex deceſſit è vita poſtero anno III Nonas Auguſti. Comitiis inde nouo pontifici creando indictis, extemplo ciuitas comitiorum libertatem adepta, vetere diſſidio conflagrauit. nam clerus Petrum presbyterum, exercitus intulit Theodorum. vtraque autem parte in ſua per aliquot dies pertinacia perſiſtente, tandẽ clerus, relicto Petro, Cononem presbyterum arreptum, pontificem ſalutauit. Quod vbi iudices, & primores exercitus cognouerunt, ſine vlla mora in eandem ſententiam diſceſſerunt, nuncijſque ad Theodorum Exarchum miſſis Cononem XII Kal. Nouembris conſecrarunt. Principio verò menſis Septembris, indictione XIIII, mortuo Conſtantino Imperatore, Iuſtinianus, qui fuerat à

685 (margin, beside "Initio inde Ianuarij")
686 (margin, beside "ceſſit è vita")

patre in Imperij ſocietatem aſcitus, continuauit imperium, cum annū eſſet natus XVI. Is ſancta patris veſtigia perſecutus, extemplo ſacram ad Ioannem pontificem, quem nondum vita exceſſiſſe audierat, miſit, qua nunciauit, ſe reperiſſe codices ſexti Concilij à patre Conſtantino confecti, ac ſtatim patriarchas, epiſcopos, apocriſarium pontificium, & ſenatum, exercitumque adhibuiſſe, atque eos iis audientibus recitandos, & manu ſingulorum, ne vitiari poſſent, obſignandos curaſſe. Ea extat ad pontificem Ioannem inſcripta. Anaſtaſius verò ad Cononem miſſam eſſe ſcribit, quod eſt interpretandum, mortuo Ioanne Co-
687 noni pontifici redditam fuiſſe. Poſtero verò anno, quo Benedictus eccleſiam Mediolanenſem accepit, cognita Cononis conſecratione, alteram ad eum ſcripſit, qua ducenta ſe capita releuare ſignificauit, quæ cuſtodes Patrimonij Bruttiæ, & Lucaniæ quotannis pendebant, &, vt reſtituerentur familiæ eius Patrimonij, & Siciliæ, quæ pignoris nomine à militia tenebantur. Cono verò rectorem Patrimonij Siciliæ Conſtantinum eccleſiæ Syracuſanæ diaconum fecit, atque ei præter conſuetudinem multa indulſit. Interim regum ocium, quo regnum ſumma cũ omnium gratulatione refloreſcebat, Dux Tridentinus Alahis interrupit. Is victoria parta de Comite Baioariorum inflatus regem deſpiciens validis ſe Tridenti aduerſus eum præſidijs communiuit. quamobrem Tridenti ſumma à Perrharito ope obſeſſus eſt. verùm vrbe ſubitò ex improuiſo egreſſus, caſtra regis inuaſit, atque eum cum ſuis fugæ ſe mandare coegit. Fortè Cunipertus iam inde ab adoleſcentia magna cum eo fuerat familiaritate coniunctus. Itaque veteris neceſſitudinis memor patrem precibus exorauit, vt eum in gratiam reciperet, licèt caſtris ab eo exutus, atque in fugam compulſus eſſet. quin etiam eodem erga illum ſtudio incitatus patrem poſt ſæpe illi inſidias molientem ab inceœpto non ſolùm deterruit, ſed etiam fidelem ſperans fore, Ducem Brixiæ creandum curauit, Pertharito ſæpe monente, videret, quid pararet. non enim ſibi ipſi amicum beneficio deuincire, ſed inimicum in exitium ſuum præſidiis haud modicis confirmare. regnum illum nouo Brixianorum, quorum maximæ ſemper inter Lõgogardos copiæ fuerint, auxilio tentaturum. Vt Ioannes, ſic Cono aduerſa per totum pontificatum valetudine eſt conflictatus. Cono verò, cum ſe morti propinquum videret, clero, & monaſterijs ingens auri pondus legauit. cuius cupiditate incẽſus Paſchalis archidiaconus litteras ad Ioannem miſit, qui paullo ante Theodoro mortuo ſubrogatus Rauennam Exarchus aduenerat. atque ei grandem ſe pecuniam daturum, ſi ipſius beneficio pontificatum obtinuiſſet, oſtendit. Qua re cognita, Ioannes iudicibus ſuis,

quos paullo ante Romam ad ius dicendum miſerat, imperauit, vt Conone mortuo, omni ope Paſchali ſubrogando adeſſent. Conone inde xi Kal. Octobris extincto, ciuitas in duas, vt ante, partes conceſſit, ac Theodorum archipresbyterum, & Paſchalem archidiaconum pontifices legit. atque vna pars interiora Patriarchij, altera verò exteriora inſedit. Gliſcente verò certamine, atque altera alteram de loco pellere cõtendente, primores iudicum, exercitus, cleri, & populi ſaniore conſilio vſi ad ſacrum Palatium perrexerunt, ac quo modo cœptæ occurrendũ eſſet ſeditioni, conſultare cœperunt. ac demum expedito conſilio Sergium presbyterum pontificem deſignarunt. Quippe ex media populi turba arreptum in oratorium beati Cæſarij, quod erat intra Palatium, deinde in Lateranenſe Patriarchium cum fauſtis clamoribus perduxerunt. &, foribus, quæ clauſæ erant, effractis, ingreſſi ſunt. Ea re cognita, Theodorus ſubitò ſe abdicauit, atque vltro Sergium adorauit. Paſchalis autem ſpe ſua ſe fruſtratum dolens, ſubitò Exarchum cum ſuis iudicibus Romam auxilio aduocauit, & coactus inde ſe abdicauit. Exarchus ſpe præmii excitatus tanta celeritate, tantoq; ſilentio ad vrbem acceſſit, vt neque vexilla, neque exercitus ſolito in loco occurrere ſolemnis honoris cauſſa potuerit, ſed vix extra portas obuius fuerit. Ingreſſus autem vrbem, cum Sergium ab omnibus coli, eundem omnium ſtudiis defendi videret, Paſchalem reliquit. verùm, ne fruſtra Romam veniſſet, pecuniam à Paſchali promiſſam à Sergio flagitauit. Cui Sergius vehementer eiuſmodi petitione offenſus reſpondit, talem pecuniam ſe neque ſoluere æquum eſſe, neque, ſi æquum eſſet, facultatem ſuppetere. &, vt hominis animum permoueret, canthara, & coronas aureas, quæ ante aram, & Confeſſionem S. Petri ab antiquo pendebant, demi iuſſit, & pignori tradi. neque propterea quidquam profecit. Reuerſo inde cum ingenti pecunia Rauennam Exarcho, Sergius VIII Kal. Ianuarii conſecratus eſt. Eo anno Theodoro archiepiſcopo cum mala clericorum Rauennatum gratia mortuo, Damianus ſublectus exemplo 688
eius Romam venit, atque à Sergio conſecrationem accepit, & ſolemne obſequium præſtitit. Poſtero, Paſchalis falſæ religionis conuictus 689
depulſus eſt ab officio archidiaconatus, atque in monaſterium truſus. Cradualla item rex Angliæ, & Offa rex Cantuariorum Romam religionis cauſſa profecti à Sergio in monachos ſunt attonſi. Anno inde 690
ſexcenteſimo nonageſimo Perthari tus rex vitam reliquit. Cunipertus autem filius regnum continuauit, atque Hermelindam ex Angloſaxonum genere ſibi matrimonio copulauit.

FL. CVNIPERTVS REX SOLVS.

MVTATA eſt inde & Eccleſiæ, & Regno fortuna, ac veteres ſeditiones, & antiqua diſſidia inſtaurata. Quippe & Iuſtinianus Imperator aduerſus pontificem, & Alahis Dux aduerſus regem hoſtilia machinati inteſtinis tumultibus omnia miſcuerunt. Ceterùm Imperatoriæ alie-
691 nationis hæc fuit cauſſa. Iuſtinianus poſtero anno à ſuis deprauatus cõcilium Conſtantinopoli habuit. atque ei capita quædam contra Eccleſiaſticum ritum affinxit. Cui concilio cum apocriſarij pontificis per imprudentiam ſubſcripſiſſent, Sergius pontifex, fallacia cognita, ſubſcribere noluit. Ea de re Iuſtinianus vſqueadeo eſt offenſus, vt ab Eccleſiâ Romana, quam hucuſque enixè defenderat, ſe remouerit. Itaque
692 dolori indulgens proximo anno Conſtantem auum imitatus, Sergium Magiſtrianum Romam miſit, negocio dato, vt Ioannem Portuenſem epiſcopum, & Bonifacium ſedis Apoſtolicæ conſiliarium caperet, & ad ſe perduceret. qui profectus proſperè imperata perfecit. Regnum verò idem, qui antea, perfidiæ, atque impotentiæ morbus inceſſit. Quippe Alahis acceptorum beneficiorum, ac fidei regi datæ oblitus, Cunipertum de regno extrudere cogitauit. &, Aldone, ac Grauſone fratribus, ciuibus Brixianis ſummæ potentiæ viris, aliiſque Longobardis conſilij ſui in ſocietatem aſcitis, captato tempore, quo Cunipertus ab omnibus inſidiis ſecurus, Papienſi fortè ab vrbe receſſerat, Papiam introiuit, regiaque cuſtodibus perterritis, in poteſtatem adducta, ſalutari ſe regem iuſſit. Qua re Cunipertus exanimatus, inops conſilij in Comacinam inſulam ſeſe abdidit, ibique opere ſe, ac præſidio communiuit. Ceterùm quo ſcelere ſibi regnum Alahis vindicauit, eodẽ quoque adminiſtrare inſtituit. Præerat eo tempore eccleſiæ Papienſi Damianus ſingularis ſanctitatis, atque doctrinæ vir. Is, cum Alahim regiã occupaſſe videret, ne ipſe, aut eccleſia ſua detrimenti aliquid caperet, Thomam diaconum prudentem, ac religioſum virum ad ſacram ſalutationem offerendam miſit. Thomas profectus nunciari Alahi iuſſit, ſe pro foribus ſtare, & ab epiſcopo benedictionẽ afferre. Tum Alahis, qui præcipuum in clericos gerebat odium, reſponderi imperauit, ſi mũda fœmoralia haberet, intraret, ſin minus, foris ſe contineret. Tum Thomas, nunciate, inquit, me fœmoralia munda habere, quia hodie bene lota induxi. Quod cum nunciatum Alahi eſſet, Atqui ego, inquit, non de fœmoralibus loquor, ſed de iis, quæ intra fœmoralia continentur. Thoma verò hanc Dei, non illius curam, & cognitionem eſ-

ſe ſubiiciente, Alahis ad ſe venire hominem iuſſit, atque aſperis, & contumelioſis verbis excepit. quin etiam, vt Arrianus, Antonino Bergomati epiſcopo Farrenſem baſilicam, redditusq; eius à Grimoaldo arrributos eripuit. Quibus, aliiſque ſimilibus facinoribus plerique commoti Cuniperti deſiderio flagrare, ipſumq; odio habere cœperunt. Acceſſit etiam Aldo, qui priuata iniuria inſidiarum ſibi meditatarum exacerbatus, Cunipertum in regiam reducere deſtinauit. Itaque, Grauſone fratre aſſumpto, Alahim pro intimæ familiaritatis neceſſitudine adiit, ac, quin tu, inquit, Alahis vrbe tandem ſecurus egrederis, atque animi cauſſa venatum in ſyluam cum tuis iuuenibus abis, nobiſque, qui ex te toti pendemus, vrbis, ac regiæ cuſtodiam tradis? Quod ſi feceris, pro certo ſpondemus, nos caput ad te Cuniperti relaturos, & te omni tandem timore liberaturos. Probauit Alahis quod Aldo admonuit, & primo quoque tempore ex vrbe in maximam ſyluam venationis cauſſa proceſſit. Quo facto, Aldo ad Cunipertum ſe contulit, ac, ſuppliciter venia erroris ſui petita, inſidiiſque tyranni patefactis, vrbem ſe illi tradere paratum eſſe oſtendit, ſi certa die propius acceſiſſet. Cunipertus, gratiis actis, libenti animo conditionem accepit, ac conſtituta die ad vrbem prodiit. receptusq; ab Aldone regiam ſine vllo tumultu recuperauit. Cunipertum in regiam reuerſum ſtatim clerici omnes, epiſcopiq; complexi ſunt. Tum Aldo nunciari Alahi in ſyluam iuſsit, cumulatè ſe, quæ promiſerat, expleuiſſe. non enim Cuniperti caput ſolùm, ſed totum etiam corpus habere in poteſtate, ſi quidem ipſum in regia eſſe. Eo Alahis nuncio attonitus, multa, grauiaque ei eſt comminatus. Bellum inde paraturus in Iſtriam iter inſtituit, atque in itinere Vicetiã, & Taruiſium amicitiam ſuam repudiantes vi, alias vrbes blanditiis ſibi adiunxit. & nouo aſtutiæ genere Foroiulienſem exercitum ad ſe traduxit. Quippe eum ad Pontem Liquentiæ nactus, vt miles quiſque traiiciebat, ſacramentum ſibi dicere iuſsit, cauens ne quis regreſſus rem patefaceret, ac reliquos, qui tranſituri erant, à tranſitu deterreret. Neque ita multò poſt firmo inſtructus exercitu aduerſus Cunipertum proceſsit, ac caſtra ad Abduam in Campo Coronatæ locauit. Qua re cognita, Cunipertus, copiis impigrè comparatis, & ipſe contra eum ire perrexit. Ibi, cum in conſpectu exercitus eſſent, Cunipertus Alahim miſſo nuncio ad rem ſingulari dirimendam certamine prouocauit. quod Alahis reſpuit, roboris Cuniperti, atque audaciæ recordatus. Itaque in ſummi prœlij caſum inſtructæ acies ſunt. Cum verò iam prope eſſet, vt vtrinque concurreretur, Zeno diaconus vicem regis ſolicitus ipſum cõuenit, atque ita dixit: Domine rex, omnis vita noſtra in ſalute

tua conſiſtit: quia, ſi tu in acie cecideris, omnes nos tyrannus Alahis per ſummos cruciatus necabit. Quin tu igitur mihi ornatum regium tradis, & ego manum cum illo conſeram? Nam, ſi ibi ego periero, tu facilè cauſſam recuperabis tuam, ſi vicero, maior ex victoria ſerui tui in te gloria redundabit. Quod vbi Cunipertus audiuit, haudquaquam ſe permiſſurum eſſe reſpondit. verùm paucorum, qui aderant, amicorum precibus, & lacrymis victus demum conceſſit. ac loricam, galeam, ocreas, ceteraque ſua arma diacono tribuit, atque eum pro ſe in prœlium miſit. Erat eiuſdem ſtaturæ, & habitus. itaque cum eſſet de tentorio armatus egreſſus, ab omnibus pro rege acceptus eſt. Commiſſum inde prœlium, & totis vtrinque viribus decertatum eſt. Ceteris ſtrenuam operam in ſua quoque parte nauantibus, Alahis opimum decus expetens, acriter in eam ſe præcipuè intulit, in qua ſtare regem exiſtimauit. ac diaconum vnum ſpecie armorum deceptus telo appetens interfecit, ac ſtatim iacenti caput præcidi, ac pilo ad terrorem hoſtibus incutiendum iuſſit præfigi. Verùm vbi dempta caſside clericum ſe pro rege vidit interemiſſe, ira furens, Malum clericis omnibus, inquit, ſi quando integram victoriam comparauero. Cunipertus autem vt ſuos eodem errore ductos in fugam ſe dare præcipites ſenſit, nudato capite ſeſe oſtentans eos à fuga retinuit, ac bene ſperare de tota victoria iuſsit. Poſt paucos inde dies iterum exercitus in prœlium prodierunt. ante verò, quàm confligerent, Cunipertus rurſus Alahim, num viritim dimicare vellet, prouocauit, verùm nihil obtinuit. Pugnatum eſt inde ab vtraque parte maximo armorum, & animorum ardore. ac, neutra parte cedente, magna ſtrages eſt edita. Tandem penes Cunipertum victoria ſtetit: nam & Alahis interemptus, & exercitus eius in fugam auerſus, & qui à ferro integri remanſerunt, dum fugam capeſſerent, cæcis amnis gurgitibus hauſti ſunt. Deleto Alahi, Cunipertus victorem exercitum domum reduxit, ac Zenonem diaconum funere ſepeliri honorifico iuſsit. & regnum inde quietè, ac ſanctè adminiſtrauit. In Campo Coronatæ, vbi proſperè pugnauerat, monaſterium ab eo D. Georgio ædificatum, & Farrenſis baſilica Antonino epiſcopo Bergomati reſtituta. & præter alios Comenſis, ac Mutinenſis epiſcopi poſſeſsionibus decorati. Iuſtinianus autem Ioanne, & Bonifacio captis non con-
693 tentus, iracundia ſtimulante, poſtero anno Zachariam protoſpathariũ Romam ire, ac Sergium ipſum eodem modo prehendere, atque ad ſe perducere imperauit. Alienus protoſpatharij in vrbem aduentus omnium in ſe animos, oculoſq; Italicorum conuertit. Itaque, cum Romani rem mirati, inſidias capiti pontificis parari haud obſcuris ſuſpicio

nibus diſtuliſſent, repente exercitus Rauennas, & Pentapolitanus, & finitimarum regionum excitus pōtificis protegendi cauſſa Romam ver ſus iter ingreſſus eſt. Quod vbi Zacharias audiuit, in timorem propriæ ſalutis adductus protinus ad pontificem ſe recepit, atque ad pedes proſtratus veniam ſupplex orauit. &, ne furori militum ſeſe dederet, obſecrauit. Exercitus autem per portam Oſtienſem ingreſſus proceſsit ad Lateranum, pontificem viſere geſtiens, quem rumor increbuerat, ſuperiore nocte naui impoſitum Conſtantinopolim eſſe deuectum. ac ianuas clauſas nactus, fores ſe moliturum, niſi repente aperirentur, eſt comminatus. Quod vbi Zacharias ſenſit, ſic animo eſt conſternatus, vt præ metu ſe ſub lecto pontificis occultarit, ac propè de poteſtate deceſſerit. Qua re animaduerſa, pontifex eum in lucem exire, ac bonum habere animum iuſsit. Inde ad placandum profectus exercitum, pro baſilica Theodori pontificis patefactis valuis aſſedit, ac militibus, & populo ſedato, quòd pro ſalute ſua tanta alacritate arma ſumpſiſſent, gratias egit. Neque tamen milites ante excedere vrbe voluerunt, quàm Zachariam indeconuiciis, & contumeliis exegerunt. Biennio 694
inſequenti hæc inter Longobardos adminiſtrata. Romualdus Beneuēti Dux parato exercitu in Calabriam, prouinciam Imperatoris, irrupit, 695
& Tarentum, Brunduſium, atque omnem circumiectam regionem præſidiis vacuam nactus, imperio ſuo adiunxit. ac mox moriens Ducatum magna parte auctum filio Grimoaldo reliquit. qui poſt ei per triennium præfuit. Tumultus etiam haud contemnendus in Ducatu Foroiulienſi eſt excitus. Ea ditio iampridem à Vectaro ad Landarum, à Landaro ad Rodoaldum peruenerat. Cum autem fortè Dux Rodoaldus vrbe Foroiulij abeſſet, Anſfridus quidam è caſtro Reuma Ducatū ſine regis auctoritate inuaſit. Qua re cognita Rodoaldus attonitus per rexit in Iſtriam, atque inde, naui conſcenſa, Rauennam, & Rauenna Papiam confugit ad regem. Anſfridus autem ſuperbia, ac libidine elatus Foroiulienſem ditionem ſibi vindicaſſe haud ſatis habuit. quin etiam regnum ipſum auiditate deuorauit. verùm in ipſo rerum apparatu Veronæ captus, & ad regē perductus meritas væſaniæ ſuæ pœnas luit. quippe luminibus orbatus in exilium eſt proiectus. Inde Foroiulienſem Ducatum Aldo Rodoaldi frater ſuſcepit, eúmque per ſeptennium tenuit. Cunipertus autem rex Aldonem, & Grauſonem ſuſpectos habens, eos tollere de medio cogitauit, idque fortè cum vno homine ſtratore ſuo cōmunicauit. Caſu autē accidit, vt, cum illi de more ad regem venirēt, ab ignoto homine iniqua de regis aduerſus ſe voluntate commonefacti ſint. Quo cognito, ambo confeſtim incolumitatis gratia ad aram ſe

S. Romani martyris proximam receperunt. Quod vbi rex audiuit, in eam opinionem venit, conſilium ab eis ſuum eſſe præreptum. Itaque ira furens Stratorem, qui id enunciaſſet, arguere. Stratore verò ſe cum aliquo loquutum eſſe negante, atque id ipſum aſſidua apud illum præſentia confirmante, de Aldone, & Grauſone, vnde nam voluntatem ſuam intimam perſpexiſſent, iuſſit exquiri. illis verò ſe à claudo quodam fortè obuiam facto accepiſſe dicentibus, malignum eum fuiſſe ſpiritum credidit. memor, ſe conſilium ſuum cum Stratore communicantem, præſenti muſcæ crus ſuccidiſſe. atque eos venia data dignos,
696 qui in amicitiam reſtituerentur, putauit. Sequenti anno Sergius pontifex ægrè ferens, Aquileienſem eccleſiam tria Chalcedonenſis Concilij capita reprobare, conuentum Aquileiæ conuocandum curauit. atque omnes, qui conuenerunt, epiſcopos auctoritate ſua ad ea accipienda, tanquam cum Catholica doctrina congruentia, perpulit. Interim tumultus alius grauior in regia Conſtantinopolitana exortus totum Imperium perturbauit. Quippe Leontius præfectus militum, ſeditione in populo concitata, Iuſtinianum Imperatorem omnia alia metuentem comprehendit, ac, mutilato ad contumeliam naſo, propè exanguem Cherſonem in Pontum relegauit: & Imperium, Callinico patriarcha probante, inuaſit. Triennio poſt Leontius Imperator
697
698 tor patrati ſceleris pœnas dedit. Nam per tumultum à Tiberio Abſimaro captus, & pariter naſo multatus in carcerem eſt coniectus. Imperium idem Tiberius tenuit. Annus ſeptingenteſimus nulla re memorabili fuit inſignis. Proximo, Sergio pontifice mortuo, Ioannes ſextus ſublectus. quo ſedenre, Petrus item Aquileienſem gubernauit eccleſiam. Theophylactus Patricius, Exarchus ab Imperatore in Italiam deſtinatus. Is contra conſuetudinem Romam ante, quàm Rauennam,
699
700
701
702 ſequenti anno aduectus non leuem animis hominum ſuſpicionem iniecit, ne quid pontifici inſidiarum occultè meditaretur. Itaque, aduentu eius cognito, confeſtim Romam militares, vt paullo ante, copiæ conuolarunt, vt eum, antequam cogitata aggrederetur, opprimerent. Verùm pontifex, ne qua per tumultum militarem committeretur cædes, portas vrbis ad excludendos armatos occluſit: ac ſacerdotes ad ſedandum militum furorem obuiam miſit. Inanem autem fuiſſe ſuſpicionem poſt res ipſa edocuit. nam Exarchus, rebus Romanis compoſitis, Rauennam inde ſe tacitus contulit.
703 Eo verò, qui inſequutus eſt, anno Cunipertus exceſſit è vita, Luitperto filio rege inſtituto, atq; Aſprando ſummæ nobilitatis, ac ſapientiæ viro pueri tutore relicto. Fuit Cunipertus, vt inquit Paulus, vir mira elegantia vitæ, ac morũ ſuauitate orna-

te ornatus, atque in bello audaciæ ſingularis, in primiſque Catholicus: quæ laus ſuperiorum regum pauciſsimis contigit.

FL. LVITPERTVS REX.

ASPRANDVS regnum Luitperti pueri nomine octo menſium ſpatio vt pacatè, ſic ſanctè, adminiſtrauit. Quibus exactis, ſequenti anno 704
Ragumbertus, qui fuerat Gundeberti regis filius, Taurinatium Dux, arma parauit, patrii regni recuperandi occaſionem ſibi ex infirma Luitperti ætate oblatam ratus. Quod vbi Aſprandus cognouit, Rhotharito Duce Bergomati, atque Laudenſi in auxilium euocato, in agro Nouarienſi occurrit. Ibi ſummo prœlio depugnatum. Ragumbertus, Aſprando, & Rotharito ſuperatis, mox magna vi regnum inuaſit.

FL. RAGVMBERTVS REX.

RAGVMBERTO verò rerum potiente, Giſulfus Dux Beneuentanus, qui Grimoaldo ſuffectus fuerat, valido cum exercitu Campaniæ fines ingreſſus, omnia igne, ferroque vaſtauit, atque ingentem pecoris, maioremque hominum prædam abegit, vſque ad Horrea, nomen id loci erat, nemine reſiſtente, progreſſus. Quod vbi ad aures Ioannis pontificis accidit, viribus ciuitatis diffiſus, quod ipſe præſtare poterat, ad preces ſe contulit, ac, ſacerdotibus obuiam cum ampliſsimis muneribus miſsis, vt retrocederet, ac captiuos reſtitueret, impetrauit.

FL. ARIPERTVS II REX.

EODEM anno, mortuo Ragumberto, Aripertus filius ſuſcepit regnum. VIII inde Idus Ianuarias Ioannes pontifex naturæ conceſsit, 705
atque eius locũ Ioannes VII tenuit. Aripertus rex, vt ſecuritatẽ ſibi, ac regno pararet, bellũ Luitperto regi, quem regno pater ipſius Ragũbertus expulerat, internecinũ redintegrauit. & cũ eo, & Aſprando, & Rotharito partes eius tuẽtibus ſummo apud Papiã prœlio decertauit. In eo Luitpertus puer captus. Aſprandus, & Rotharitus fugati, ille in inſulam Comacinã, hic Nouariam ſe recepit. Inde arma ad Aſprandum, Rotharitumque debellandum tranſlata. Laude capta, Bergomum obſidione eſt cinctum. eoque ingenti bellicorum tormẽtorum mole expugnato, Rotharitus captus, atque in Taurinos in exilium actus. Poſtremò exercitus aduerſus Aſprandum in Comacinam miſſus oppidũ circumſedit,

atque Aſprando elapſo in ditionẽ redegit, idque ſine cunctatione ſubuertit. Quibus rebus proſperè geſtis, pulcherrimam inde victoriam tetra animi impotentia deformauit. nam & Luitperto regi innocenti vitam ademit, & Sigiprando, Aſprandi filio, oculos eruit, & Theoderaræ vxori, atque Aurunæ ſorori miſerandum in modum naſum, aureſque vulnere fœdiſſimo detruncauit. Luitprando tantùm puero ignorum, & ad patrem, qui in Baioariam exulatum cõtenderat, ſe conferre permiſſum. Eodẽ anno Ferdulfus, qui, mortuo Aldone, Ducatum Foroiulienſem ſuſceperat, Sclauos, qui in Ducatum irruperant, temere aggreſſus, ſe cum tota Foroiulienſium nobilitate peſſundedit. Ex ingenti numero ſolus Munichis, Petri Foroiuliani, & Vrſi Cenetenſis Ducum pater, euaſit. Is, cum de equo deiectus eſſet, manibus licèt vinculis impeditis lanceam ei, qui ſe vinxerat, abſtulit, atque, eo vulnerato, ſe per aſpera, ac prærupta loca deiecit. Ferdulfo ſuffectus eſt Corbolus. quo non ita multò poſt vita functo, Ducatum rex ad Pemmonem traduxit. qui ex Ratberga vxore filios tres ſuſcepit Rachim, Rathaitum, & Aiſtulfum. Quorum Rachis, & Aiſtulfus poſt ad regiam dignitatem euecti longè, latèque famam ſui nominis extenderunt. Aripertus, hac crudelitate remota, regnũ prudenter, & ſanctè adminiſtrauit. Ad ceteras eccleſias, quas liberaliſſimè donauit, erga Romanã præcipuè munificus fuit.
706 quippe ſequenti anno põtifici multos fundos, & nominatim Patrimonium Alpium Cottiarum, à Rothari rege ademptum, reſtituit. eamque donationem aureis litteris exaratam ad pontificem miſit. Eodem anno Iuſtinianus, cum per decennium imperio ſpoliatus exulaſſet, inſidias Cherſonenſium, & Boſphoranorum metuens è Ponto profugit. atque ad Trebellium regem Bulgarorum ſe contulit: atque inde auxilio eius regnum recuperauit. & Leontium, ac Tiberium, qui ſedem ſuã vſurpauerant, captos in medio iugulari Circo præcepit. Callinicum verò patriarcham luminibus exuit, ac Cyrum abbatem, qui ſe exulem in Ponto aluerat, ei ſubſtituit. Hinc noua rerum, quàs aduerſus Romanam Eccleſiam impiè aut geſſerat, aut cogitarat, pœnitentiã adactus, eximium ſe Catholicæ propugnatorem fidei declarauit. Itaque volumen Concilij, quod contra Romanæ ritum Eccleſiæ ſcripſerat, Romam per duos metropolitas ad Ioannem pontificem deſtinauit, idque ab eo, non, vt ante, approbari, ſed nunc demum emendari, & corrigi poſtulauit. quin etiam epiſcopos Orientis iterum aduocauit, &, quod deſiderari videbatur, ex eorum ſententia canones centum duos ſexti Concilij, qui ſcripti non fuerant, ſcribi iuſsit, vt Theophanes prodidit.
707 Id Concilium in Ianuarium vſque menſem ſequentis anni productum.

ductum. Sic enim in Canone LIII proditur. Sub hunc annum Romualdus Dux Beneuentanus Giſulfo eſt ſubſtitutus. & Ioanni pontifici vita functo Siſinius. qui ſæuo pedum dolore iactatus poſt viginti dies è vita migrauit. Nouo inde ineũte anno, Conſtantinus pontifex 708
in eius locum eſt conſecratus. Eodem anno, mortuo Damiano, Rauennate archiepiſcopo, Felix eſt ſuffectus. Moris iam tum erat, vt epiſcopi, antequam conſecrarentur, rationem fidei, atque obſequij ſui ederent, eamque in pontificium tabularium referrent. quod *cautiones in ſcrinio facere* illi dicebant. Felix autem Romam ad conſecrationem accipiẽdam profectus, cauſſam defectionis, & tumultus quærens, rationem ex inſtituto non edidit, ſed potentia Romanorum iudicum nixus eam pro arbitratu expoſuit. ac domum reuerſus Rauennates ab obedientia Romani pontificis, propoſita antiqua ſedis ſuæ libertate, ac dignitate, auertit. Ratio eius à pontifice in Confeſsione beati Petri poſita poſt aliquot dies, atro quaſi incendio afflata, reperta eſt. Manente inde in contumacia ſua Felice, neque aut pontificis monitis, aut Imperatoris edictis obtemperante, annus abiit. Ea res Iuſtiniano relata mirificè animũ eius offendit. Itaque ſequenti anno, cum, Theophylacto Exarcho mortuo, 709
Felicem furere, neque præceptis vllis aures præbere, verùm pontificẽ in ordinem cogere, audiret, iuſta indignatione accenſus armis ſibi cogendum, qui pontificis imperium detrectaret, exiſtimauit. ac propterea Theodorum Patricium, & primicerium exercitus Siciliæ cum claſſe Rauennam ire, atque archiepiſcopi, & Rauennatum inſolentem vindicare ſuperbiam iuſſit. Quod vbi cognouit Felix, confeſtim & ipſe auxilia ex vicinis, & ſubiectis eccleſiis aduocauit, Ceruienſi, Comaclenſi, Popillienſi, Cæſenate, Imolenſi, & Fauentina. & cum iis ad littus ad exſcenſionem hoſtium impediendam occurrit. Theodorus autem, claſſe ad oram Rauennatem appulſa, vt copias exponeret, variis in locis cum occurrentibus Rauennatibus depugnauit. atque iis demum in fugam compulſis, bellicum vrbi ipſi terrorem admouit. eamque breui vnà cũ ciuibus, & archiepiſcopo in deditionem accepit. Quæſtione inde de ſeditionis ſociis habita, pleroſque optimatium eius ſceleris manifeſtos aut vita, aut ciuitate, aut fortunis multauit. præcipuè autem archiepiſcopum cathenis vinctum Conſtantinopolim iuſſit deuehi. ac, conſtitutis Rauennatum rebus, recepit ſe in Siciliam. Archiepiſcopus à Iuſtiniano cãdenti lamina obiecta luminibus exutus, atque in Pontum relegatus. Ita inſignis Rauennatis eccleſiæ contumacia exemplo apud poſteros memorabili caſtigata. Anno inde ſeptingenteſimo decimo, Iuſtinianus Cherſonenſes, & Boſphoranos, à quibus exul appetitus inſidiis fue 710

rat, vlciſci geſtiens, exercitum ad eos miſit, & Cherſonem expugnari, ac mira crudelitate omnes eius incolas interimi iuſsit. Quo facto, pueros, à quibus temperatum iniuſſu ſuo fuerat, ad ſe mitti imperauit. ac ſe Ponticos internecino bello perſecuturum oſtendit. Pueri Octobri menſe in naues impoſiti omnes ſæua oborta tempeſtate ſubmerſi ſunt. Quod poſtquam Cherſonenſes, qui reliqui fuerant, vnà cum Boſphoranis cognouerunt, Philippicum, cognomento Bardanem, apud ſe exulantem ducem ſibi legerunt, ac vicinis populis adiunctis Imperatorem aduerſus Iuſtinianum appellauerunt. Quæ dum geruntur, Iuſtinianus pontificem videre, ac de rebus ſuis opportunè conſulere cupiẽs, ſacra miſſa, vt ad ſe accederet, obſecrauit. Imperatoris voluntati, quòd Catholicæ Eccleſiæ rationibus conducere videbatur, nihil abnuit pontifex. Itaque nauigiis comparatis III Nonas Octobris, indictione nona, conſcendit honeſta clericorum, epiſcoporumque caterua ſtipatus; ac Neapolim prouectus illic Ioannem Tizocopum Patricium repperit, qui in locum Theophylacti mortui Rauennam mittebatur Exarchus. Soluens inde Neapoli Siciliam adiit. atque ibi à Theodoro Patricio, licèt infirma valetudine oppreſſo, liberaliter eſt exceptus. Rhegium inde, & Crotonem prætervectus Callipolim, & Callipoli Hydrontum peruenit, ibique hiemauit. Iuſtinianus bellum aduerſus Philippicum exulem moliens, principio ſequentis anni in Bithyniam abiit, mandatis editis, vt quocunque pontifex diuerteret, ibi non aliter à magiſtratibus reciperetur, ac ſi ipſe adeſſet.

711 Itaque Conſtantinus, ineunte vere, Hydronto digreſſus in omnibus, quæ attigit, Græciæ oppidis omni genere liberalitatis eſt cultus. Conſtantinopolim inde accedenti Tiberius Iuſtiniani filius, & Cyrus patriarcha cum Patriciis, clericis, & ciuibus vniuerſis obuiam ad ſeptem millia paſſuum exierunt, ac diem feſtum agentes in vrbem equis ornatiſsimis cum comitatu ſuo impoſitum, ac pontificiam chlamydem de more indutum induxerunt, atque in ædibus Placidiæ, vbi paratum erat hoſpitium, collocarunt. Iuſtinianus de aduentu pontificis certior factus ſacram alteram ad eum ex Bithynia miſit, gratiis actis rogans, ne Nicomediam accedere grauaretur. nam ſe illuc quoque Nicæa proceſſurum. Profectus eſt ergo Nicomediam Conſtantinus ingenti honore ab illa quoque ciuitate exceptus. Neque ita multò poſt Iuſtinianus aduenit. Inauditus poſt hominum memoriam in iis locis pontificis, Imperatoriſque congreſſus omnes vicinos populos ad viſendum tam rarum in terris ſpectaculum concitauit. Itaque frequentiſsima omnis generis multitudine circunfuſa Imperator vrbẽ ingreſſus, ad pontificem ex compoſito expectantem acceſsit, ac de more coro-

re coro-

re coronatus ad pedes eius procubuit, atque eis oſculum tulit: & ſolem
nibus datis vtrinque amplexibus benignè in primis, ac liberaliter appel-
lauit, omnibus, qui aderant, ingentes præ lætitia plauſus edentibus, nec
minus noſtris propter inſignem principum concordiam, eccleſiarũque
lætantibus. Inde ad ſuas vterque ædes digreſsi ſequentes dies variis de
eccleſia, imperioque conſtituendo ſermonibus traduxerunt. Quibus
cum Imperator, ſe claſſem, exercitumque aduerſus Philippicum mitte-
re velle diceret, pontifex, ne id faceret, magnopere diſſuaſit. Verùm ir
rita omnis eius oratio fuit. Placuit inde vtrique, vt die dominico res di
uina à pontifice fieret. Ea verò appatatiſſima pompa confecta, Impe-
rator peccatis ante ſuis expiatus corpus ab eo domini ſumpſit, ac vete-
ra omnia Romanæ Eccleſiæ priuilegia confirmauit: atque eum inde
Romam dimiſit. Pontifex proſpera nauigatione vſus, licet aduerſa va-
letudine ſæpe tentatus ſoſpes peruenit Caietam, vbi ſacerdotes, & má-
gnam populi Ro. partem obuiam ſibi profectos offendit, atque eis pro-
ſequentibus VIII Kal. Nouembris, Indictione x. ad vrbem acceſſit. Dum
autem pontifex Romam nauigauit, Iuſtinianus claſſem, exercitumque
in Pontum miſit. Qui ab oppugnatione Cherſonis à Ponticis auxilio
Chazarorum depulſus, cum re irrita ad Imperatorem redire non aude
ret, ad Philippicum eximiis muneribus inuitatus defecit. Quod vbi Iu-
ſtinianus ſenſit vſque ad Synopem rei propius cognoſcendæ cauſſa pro
greſſus, Conſtantinopolim redire maturauit. Verùm à Philippico
præuentus non ſolùm Imperio, ſed etiam vita eſt ſpoliatus, nã ab exer-
citu ſuo relictum ad Amaſtridem Helias Philippici Dux interfecit. Ti-
berium verò eius filium Philippici iuſſu, cum in templum Blacherna-
rum confugiſſet, inde abſtractum ſatellites eius miſerè iugularunt. Phi
lippicus Imperium occupauit, ac caput Iuſtiniani Romam miſit. Tri-
ſtis eius cladis nuncius tertio poſt reditum pontificis menſe Romam al
latus vniuerſam ciuitatem mœrore, atque acerbitate repleuit. Princi-
pio inſequentis anni Aſprandus, cum aliquot annos in Baioaria exulaſ- 712
ſet, de repetenda Italia cogitauit. Animum autem addidit Baioarius
rex, qui ſe ad Aripertum regem vlciſcendum auxilia enixè ſubminiſtra
turum ſpondebat. Itaque, idoneo ab illo exercitu accepto, ſeſe in Ita-
liam rettulit, ac Papiam progreſſus prœlium cum eo intrepidè occur-
rente commiſit. quod nox magna vtrinque edita cæde diremit. Ari-
pertus, quãquam conſtabat, Baioarios eo prœlio fuſos, victoſque ceſ-
ſiſſe, tamen non in caſtra, vt victor, ſed quaſi victus in vrbem refugit.
Quare, cum ſe ſuis metum, hoſtibus audaciam inieciſſe videret, conſi-
lium cepit in Franciam abeundi, atque auro, quantum potuit ferre, è

regia ſumpto, clam ex vrbe exceſſit. verùm in tranando flumine pondere auri, & fluminis vnda oppreſſus indigna morte occubuit. Cadauer eius poſtridie inuentum, & in regiam cum ingenti omnium dolore relatum in baſilica D. Saluatoris ab ſuperiore Ariperto conſtructa ſepultum eſt. Hæc menſe Martio geſta. Aripertus tanta regnum induſtria gubernauit, vt per noctem è regia egrediens, atque vrbem mutato habitu luſtrans, quid de ſe ſinguli dicerent, exploraret, ac diligenter, quemadmodum ius à ſuis iudicibus diceretur, inueſtigaret. Idem aduenientibus ad ſe gentium exterarum legatis vilibus indutus veſtibus occurrebat, quo minus ipſis Italiæ delicijs caperentur. neque apparatis epulis illos excipiebat, neque, præſentibus illis, magnificas vllas in aliis rebus impenſas edebat. Eodem tempore Tranſemundo Spoletanorum Duce mortuo, ſucceſſit Faroaldus filius, iſque cum Volchila fratre ditionem adminiſtrauit.

FL. ASPRANDVS REX.

Ariperto rebus humanis exempto, Aſprandus victor regno potitus eſt, vir ſapientiæ laude nemini poſtponendus, atque in omni vitæ officio ſingularis. Is poſt tres menſes Idibus Iuniis, Indictione decima, vita cedens effigiem morum, virtutis, ac prudentiæ ſuæ filium Luitprandum reliquit, eum, cui puero victor Aripertus pepercerat, atque ad patrem in Baioariam ſe conferre permiſerat. qui, cùm à Longobardis de Aſprandi ægroti ſalute deſperantibus regnare eſſet iuſſus, poſt exceſſum eius in regno eſt confirmatus.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE REGNO ITALIAE

Liber Tertius.

SEQVENTI libro inſignes duos, ac maximè memorabiles Italiæ motus aperiemus. quibus noua duo in illa imperia inſtituta ſunt. Nam qua ratione Græcis Imperatoribus Romana, Rauennatiq; ditione lapſis, & Longobardis regibus Italico regno depulſis, illam Romani pontifices, hoc Francorũ reges inierint, exponemus. Quas mutationes ſatis conſtat ab iiſdem fontibus ambas fluxiſſe, nempe prauo hæreſeos ſtudio, & dira latè dominandi cupiditate. quæ omnibus populis, regniſq; certum ſemper exitium intulere.

CETERVM hæretica peſte non amplius Longobarda, ſed adhuc Conſtantinopolitana regia laborauit. Philippicus enim, Imperio accepto, nihil prius habuit, quàm vt ſexti Concilij acta peruerteret, ac fractam, abiectamq; Monotheletarum hæreſim excitaret. Id autem non ſuo iudicio, ſed Ioannis monachi cuiuſdam impulſu ſuſcepit. qui, cum vaticinandi artem profiteretur, Imperium illum adepturum, diuque potiturum oſtenderat, ſi ipſum de duplici Chriſti voluntate Concilium ſuſtuliſſet. Quod cum ſacramento ſe facturum Philippicus affirmaſſet, inito Imperio, omnium primum id ſibi præſtandum exiſtimauit. Itaque, Cyro patriarcha ſede depulſo, Ioannem ei ſubſtituit. conciliòq; nouo coacto, ſextum pro imperij magnitudine Concilium abrogauit. Quin etiam idem eodem Ioanne doctore nouam alteram hæreſim hauſit, quæ nouas alias inter Græcam, & Romanam Eccleſiam diſcordias excitauit. Etenim in eam opinionem impulſus eſt, vt, veteribus Concilijs aduerſantibus, crederet, ſanctas Chriſti Dei genitricis, aliorumq; Diuorum imagines nullo cultu, ac veneratione dignandas, ac nullo loco, nulloque numero eſſe habendas. Itaque nouo furore, atque vecordia percitus picturam ſexti Concilij è baſilica abradi, & ſacras omnes è templis imagines aboleri præcepit. atque his de rebus ſacram ad Conſtãtinum pontificem miſit, neque tam fœdæ actionis poſcere comprobationem erubuit. Hac re cognita, pontifex vehementer eſt animo perturbatus. occurrerunt enim continuò prudentiſ-

ſimo, atque optimo viro omnia, quæ ex hac labe poterant Eccleſiæ Romanæ accidere detrimenta, hærentibus præſertim adhuc in omniū animis cladibus, quas proxima Monotheletarum hæreſis ex iiſdem ſedibus attuliſſet. cum ea controuerſia componi non ſine acerbiſsimis Catholicorum cruciatibus, atque adeo etiam ipſius pontificis ſanguine potuiſſet. Quare, veritus ne ſi orientem illum ignem non continuò opprimeret, ingenti mox omnia, tum cum opem ferre non poſſet, ardere incendio cerneret, ſtatim Italiæ epiſcopos ad concilium aduocauit. atque eis coactis miſeram Eccleſiæ Catholicæ conditionem, quæ paullulum per ſceleratos, ac perditos homines non poſſet interquieſcere, deplorauit. Inde breui ſuperioribus hæreſibus memoratis nouam nunc emerſiſſe aliam addidit. quippe exiſtere homines Deo ipſi vſqueadeo inimicos, atque infeſtos, vt ſanctam eius imaginem, cuius aſpectu homines ad religionis, pietatisq; memoriam accendantur, neque pictam, neque fictã pati poſſint. in hac verò opinione nouum eſſe Imperatorem. Hunc enim non ſolùm ſacras omnes ex Conſtantinopolitana eccleſia imagines iniuſſu ſedis Apoſtolicæ ſuſtuliſſe, ſed etiam tam proiectæ audaciæ eſſe, vt ſcelus ſuum ipſius comprobari auctoritate non dubitet poſtulare. Exquiſitis inde de more ſententiis, cum nemo eſſet, quin rem tantam grauiſſimo notandam eſſe decreto cenſeret, ex omnium conſenſu omnes, qui ſanctis imaginibus venerationem conſtitutam ab Eccleſia denegarent, damnati. & Philippicus ipſe, qui tantum eſſet facinus auſus, nominatim diro in eum compoſito carmine pœnis inferorum deuotus. Inde ad populum progreſſus eandem cauſſam ingenti animi magnitudine perorauit. atque, eo conſentiente, atque iubente, decreuit, ne Philippici, tanquam hæretici Imperatoris, aut litteræ, aut nummi reciperentur, neque imago eius, vt aſſueuerat, in templum inferretur, neque nomen in ſacrorum ſolemnibus ederetur. Quin etiam ſexti concilij pictura, quæ deleta Conſtantinopoli fuerat, iuſſa eſt egregio opere in porticu Vaticana reponi. Quibus decretis auditis Italia tota nouarum rerum expectatione ſuſpenſa, Rauennates tumultum in vrbe concitauerunt, ac Ioannem Exarchum ſuperbè, atque auarè nimis imperitantem interfecerunt.

FL. LVITPRANDVS REX.

DVM autem hæc aguntur, mortuo Idibus, vt diximus, Iuniis Aſprãdo, Luitprandus Papiæ regnum occepit. Hic præclaro patris, ac ſuperiorum regum exemplo Catholicam fidem amplexus, non minus pacis ſtu

dia, quàm belli, vt cuiuſque tulit occaſio, coluit. Primum auté virtutis
ſpecimen dedit, quòd inſidias ſibi ab Rothari cognato ſuo domi para-
tas ingenti ſolertia, atque animi magnitudine ſuperauit. Quo pericu-
lo proſperè, egregieq; perfunctus animum inde contulit ad regnum le-
gibus inſtruendum. Quippe omnes ex regni partibus iudices Longo-
bardos in regiam euocauit, eoſque de nouo iure conſtituendo conſu-
luit. Itaque re ſequenti anno confecta nouæ leges ad antiquum Rotha- 713
ris Edictum adiunctæ, Indictione XI, pridie Kalendas Martias diuulga-
tæ ſunt, anno adhuc illius primo, vt ipſe in earum proœmio ſcripſit:
*Recolimus, quoniam robuſtiſſimus deceſſor noſter, atque eminentiſſimus Rothar
rex, ſicut ipſe eſt in ſcriptis effatus ſuis, ſuperius in Longobardis Edictum renoua-
uit, atque inſtituit, vbi & prudenter inſerere curauit dicens, vt quiſque Longo-
bardorum Princeps eius ſucceſſor ſuperfluum quid ibi reperiret, ex eo ſapienter au-
ferret, & quod minus inueniret, Deo inſpirante, adijceret. Poſt hunc enim glorioſiſ-
ſimus Grimoald rex, quæ illi ſecundum dominum placita fuerunt, minuit, & am
pliauit. Cuius nos normam ſequuti, diuinitus, vt credimus, inſpirati ſimili modo
ea, quæ iuxta Dei legem nobis congrua apparuerunt, ſubtrahere, & addere decre-
uimus, ſicuti & in præſenti pagina ſcribere iuſſimus. Ob hoc ego in Dei omnipo-
tentis nomine Luitprand excellentiſſimus, Chriſtianus, & Catholicus Deo dile-
ctæ gentis Longobardorum rex, anno, Deo Propicio, regni mei primo, die Kalen.
Martiarum, indictione vndecima, vnà cum omnibus iudicibus de Auſtriæ, &
Neuſtriæ partibus, & de Tuſciæ finibus cum reliquis fidelibus meis Longobardis,
& cuncto populo aſſiſtente hæc nobis iuxta Dei timorem, atque amorem ſancta
comparuerunt, & placuerunt.* Atque has quidem leges aliarum inſuper
legũ additamento cumulauit. quas pro re nata ſingulis ferme deinceps
annis Kal. Martiis promulgauit. Regno inde adiunctis legibus conſti-
tuto, Luitprandus ſimul etiam regiæ conſulendum vectigalibus ratus,
Patrimonium Alpium Cottiarum paullo ante ab Ariperto rege ponti-
fici reſtitutum repetiit, & alterum etiam Sabinenſe ademit. Eodem an-
no Petrus à Philippico Imperatore in Italiam venit, vt Romanam vr-
bem Ducis nomine adminiſtraret. Hominem ab hæretico, & damna-
to Imperatore miſſum Romani pro inſito pietatis ſtudio auerſati, po-
ſteaquam Rauennam aduectum acceperunt, in vrbem haudquaquam
recipiendum eſſe conſtituerunt. Itaque Petro vrbem cum valido co-
mitatu ingredieti Chriſtophorus primicerius, vir ſummæ in vrbe aucto
ritatis, cum firma ciuium manu ſe ſe obiecit, &, vt progreſſum impedi-
ret, atrox in Sacra via pro Palladio certamen iniuit. Cũ ingenti vtriuſ-
que partis ſtrage dimicaretur, pontifex cædem auerſatus, extemplo ſacer
dotes cum ſacris Euangelijs, & Cruce domini ad dirimendam pugnam

immiſit. Eorum interuentu tumultus ſedatus, ita tamen vt pars Petri
714 ſuperata diſceſſerit. Sequenti, Philippicus, cum ſuſceptam de religione ſententiam, Ioanne patriarcha animum aſsiduè ſtimulante, pertinaciter tueretur, turpiter parti Imperij culmine deturbatus eſt. Nam pridie Pentecoſtes Rufus Opſicianorum præfectus cum valida Thracum manu ex improuiſo in vrbem per Auream portam irrupit, & regiam ingreſſus ipſum incautum arripuit, atque in Armatorium Praſinorum deductum, nemine animaduertente, cæcauit. poſtridie verò in Pentecoſte, populo in Magnum templum coacto, ab Ioanne patriarcha Artemius, princeps ſecretariorum, Imperator eſt conſecratus, atque Anaſtaſius appellatus. Hic litteris egregiè doctus fuit, & Catholicæ pietatis apprime ſtudioſus. Itaque Scholaſtico Exarcho Rauennam, quæ poſt Ioannis mortem eo magiſtratu vacauerat, contendenti ſacram ad Conſtantinum pontificem dedit, qua ſe Catholica decreta, & ſextum concilium enixè tutaturum eſſe promiſit. qua pontifici Romæ reddita, Scholaſticus Rauennam inde ſe contulit. Eo tempore Romani demum Petrum Ducem, cum ſe commodis eorum conſulturum iuraret, in vr-
715 bem receperunt. Poſtero, lis inter archiepiſcopum Mediolanenſem, & epiſcopum Papienſem exorta. Benedictus archiepiſcopus noui parandi iuris cauſſa epiſcopi conſecrationem ad ſe traducere voluit. Quod ius ad eũm nõ pertinere epiſcopo contendente, ex communi ſententia res eſt Romam reiecta. Ibi, cauſſa vtrinque apud pontificem agitata, archiepiſcopus aduerſantibus omnibus vetuſtatis exemplis victus abſceſsit. Felix item archiepiſcopus Rauennas ab exilio reuocatus ad eccleſiam ſuam ſe, quanuis luminibus captus, recepit, & pœnitentia factorum impulſus ſolemnem, ac legitimam fidei profeſsionem exhibuit,
716 & debitum pontifici obſequium reddidit. Proximo, III. Idus Februarij Conſtantinus pontifex ex humanis exceſsit. Locum eius Gregorius ſecundus, diaconus, idemque ciuis Romanus tenuit, vir eximiè ſacris, & profanis litteris eruditus. Is, cum ægram, ac variis diſsidijs laborantem eccleſiam accepiſſet, maximum ſtudium ad eam ſanandam, atque ad concordiam redigendam adhibuit. & magna eo nomine pericula, ac labores ingentes exhauſit. In primis autem, cum cauſſa ſanctarum imaginum in animis Catholicorum hæreret, Conſtantinum imitatus conuentum in Laterano coegit. atque ex epiſcoporum ſententia veterem earum venerationem retinendam eſſe ad excitandam langueſcentem multitudinis imperitæ memoriam ſtatuit. Luitprandum autem regem haud obſcurè Italiæ imperium affectantem grauibus, ac piis admonitionibus tanto pietatis ſtudio inflammauit, vt mox Patrimonium

Alpium Cottiarum Romanæ Eccleſiæ reſtituerit,& ratam Ariperti donationem habuerit. Eodem anno XIII Kalen. Septembris Imperatoris Anaſtaſij milites aduerſus Sarracenos miſſi Imperium ipſi Rhodi abrogarunt, atque ad Theodoſium quendam Adramyttenum, pium in primis hominem, detulerunt. Anaſtaſius ad Nicæam prœlio à Theodoſio ſuperatus, vt vitæ ſuæ conſuleret, clericum eſt profeſſus. Theodoſius Conſtantinopolim adiit, atque, vt erat Catholicæ fidei deditus, extemplo ſexti Concilij acta, quæ in baſilica quondam picta Philippicus aboleuerat, reſtituenda, ſacraſq; imagines reponendas curauit. Quinta decima inde indictione Romæ ingenti eſt aquarum illuuie laboratum. Continuis multorum dierum imbribus Tiberis amnis vſqueadeo intumuit, vt ſtupentibus ſimul, ac timentibus omnibus, vrbis muris ſuperatis, æſtus vſque ad baſilicam S. Marci defluxerit, atque in via Lata ad vnius hominis,& ſemis ſtaturam aſcenderit. A porta S. Petri ad pontem Miluium aquæ decurrentes cum incredibili & vrbis, & agri detrimento coiuerunt. Demum poſt ſeptem dies, populo ex optimi pontificis inſtituto diuinas in preces effuſo, impetus omnis aquæ reſedit, ædificiis tamen pleriſque, arboribuſq; ſubtractis. Eodem tempore Cumarum oppidum in Campania à Duce Beneuentano per dolum eſt captum. Qua de re laborantibus Romanis, pontifex precibus primùm, deinde pretio cum eo egit, vt redderet. Quod poſtquam impetrare non potuit, graue in eum anathema contorſit. vbi verò contemni etiam anathema cognouit, Ioannem Ducem Neapolitanum impulit, vt firma militum manu parata nocturno oppidum impetu occuparet, atque inde Longobardos eiiceret. Conſilio pontificis Dux paruit.atque oppidum per noctem ex improuiſo adortus, trecentos Longobardos cum eorum gaſtaldio cæcidit, & viuos amplius quingentos in poteſtatem redegit, Neapolimq; deduxit. Receptum oppidum à pontifice ſeptuaginta auri, quæ promiſerat, pondo redemptum.

Poſtero anno Leo Iſaurus, qui & Cono eſt appellatus, cum dux eſſet legionum Orientalium, atque Anaſtaſij partes aduerſus Theodoſium tueretur, Imperator eſt ſalutatus. Quo facto elatus confeſtim Nicomediam cum ingenti exercitu prodiit, atque occurrẽtem Theodoſij filiũ, congreſſus prœlio, profligauit, atque vnà cum proceribus, & theſauro in poteſtatem adduxit. Aduentu inde eius Conſtantinopolim Theodoſius territus, ſalute impetrata, ſe Imperio abdicauit, atque vnà cum filio clericum reddidit. Hic Leo Philippici exemplo, vano duorum Hebræorum vaticinio inductus, cum ſe ſanctis imaginibus hoſtem fore, ſi prædicto potitus eſſet Imperio, promiſiſſet, fidem haudquaquam feſel- 717

lir, verùm Eccleſia haud ita multò poſt apertiſſimè eo nomine oppugnata Imperium & ſibi,& poſteris ſuis funeſtiſſimum comparauit. Eodem anno, quod ad memoriam eſt inſigne, Sarraceni ex Mauritania in Hiſpaniam tranſuecti Gotthos expulerunt, eamque occupatam in multa regna diſtribuerunt. Donatus patriarcha Gradenſis in locum Chriſtophori eſt ſuffectus. Sequenti, Nonis Aprilis Luitprandus rex ædem
718 D. Carpophoro extra Comi mœnia dedicauit. & per idem tempus arcem ibi munitiſſimam condidit, quam Barratelium vocauit. Faroaldus, Dux Spoletanorum, Narniam oppidum dolo ademit Romanis,& ſimulato ad regem itinere Claſſem, Rauennatium caſtrum, furto intercepit. verùm vtrunque iuſſu regis ſtatim reſtituit. Aduerſus eum filius inde Tranſemundus exortus, patre abdicato, & clericum profiteri compulſo, Ducatum arripuit. Sclaui, cum iterum in Foroiulienſem Ducatum populabundi veniſſent, magno prœlio à Pemmone Duce, vno tantùm ſene Siualdo amiſſo, deleti. Sarraceni, cum littora alia omnia Orientis infeſtis incurſionibus laceraſſenr, in Thraciam ex Aſia tranſgreſsi, ingenti admoto exercitu Conſtantinopolim obſederunt. Quod vbi Sergius prætor Siciliæ accepit, de Leone actum exiſtimans, Gregorium quendam Conſtantinopolitanum Imperatorem ſalutauit, eumque Tiberium appellauit. iſque inito Imperio quoſdam etiam ad magiſtratus euexit. Qua re audita, Leo Paulum chartularium, Patricium, ac prætorem Siciliæ deſignatum, duobus ſpathariis,& magna militum manu tributa, in Siciliam cum litteris ad magiſtratus, & ciuitates miſit, orans, ne officio deceſsiſſe, fidemque, quam ſemel dederanr, vlla violaſſe ratione vellent. Is dromone magna celeritate Syracuſas aduectus Sergium ſtupore, metuque perculſum in Italiam ad Longobardos ſe conferre coegit. Populus verò Syracuſanus, litteris Leonis acceptis, poſtquam Imperatorem incolumem eſſe audiuit, Tiberium, & magiſtratus ab eo creatos dedidit. Quorum capita à ceruicibus
717 amputata Paulus Conſtantinopolim miſit. alios verò eius coniurationis affines aut ſacra tonſione affecit, aut virgis cæſos, naribuſue multatos in exilium egit. Sarraceni interim vi famis, peſtilentiæque
719 adacti XVIII Kal. Auguſti obſidionem ſoluerunt. Poſtero anno Leoni filius Conſtantinus eſt natus. Is, cum ſacro lauacro ablueretur, aquam ſtercore forte infecit. qua re animaduerſa, patriarcha ſtatim oraculum cecinit, fore vt is aliquādo omnia ſacra pollueret. ab illa re Copronymi cognomen eſt inditum. Sereno patriarchæ Aquileienſi creato Gregorius pontifex Luitprandi regis rogatu pallium, quod prædeceſſoribus eius fuerat denegatum, indulſit. & ne Gradenſis eccleſiæ iura inuade-

ret, monuit. poſt autem cum accepiſſet, eum præcepta ſua deſpexiſſe, iterum vt poſſeſſionibus ſe contineret, quæ in regno Longobardorum eſſent, edixit. Extant his de rebus literæ. Erat eo tempore monachorum ordo, Caſſinate monaſterio ante annos centum triginta à Longobardis incenſo, & monachis in diuerſa palatis, ad paucos redactus, ac valde debilitatus. Hoc cum Gregorius cerneret, item pro viribus reſtituendum eſt arbitratus. Itaque Petronacem, ciuem Brixianum, virum pietate commemorabili præditum nactus, ſanctis præceptis, vt huic officio inſeruiret, hortatus eſt. Quo facto, Petronax, aſſumptis ex Lateranenſi monaſterio monachis, Caſsinum perrexit, addiditque, qui ibi dudum conſederant, in commune vitam agere cœpit anno à Chriſto nato ſeptingenteſimo vigeſimo. A quibus abbas aſci 720
tus, decoris ædibus inſtauratis, Sācti Benedicti diſciplinam prope intermortuā excitauit. Itaque ſextus à Sancto Benedicto abbas numeratur, atque alter Caſsinatis monaſterij conditor prædicatur. Eodem anno in die Reſurrectionis, Indictione tertia, puer ipſe Copronymus à patre Imperator per Germanum patriarcham eſt coronatus. Sarraceni, cum infeſtis incurſionibus latè maria omnia vagarentur, exſcenſione in Sardiniam facta, inſulam, quæ exiguo Græcorum præſidio tenebatur, in poteſtatem adduxerunt, ac ſæuire in templa, & ſepulchra omnia Sanctorum inſtituerunt. In primis autem locum, in quem ſacra D. Auguſtini Hipponenſis epiſcopi oſſa ex Africa tranſlata fuerant, barbara impietate fœdarunt. Quod vbi rex Luitprandus accepit, magno repente dolore exarſit, ac legatis eò miſsis magno illa pretio à Sarracenis redemit. ac poſtero Papiam ad ſe tranſportari curauit. Poſtquam autem ea Genuā 721
appulſa audiuit, Papia egreſſus obuiam eis illuc vſque proceſsit, eaque editorum miraculorum magnitudine percitus diuino honore coluit. Cum autem poſtridie à miniſtris nulla neque vi, neque arte moueri poſſent, vehementer ea re perturbatus, Sancte Confeſſor, inquit, Si tua hinc oſſa tolli, & Papiam trāsferri propicius patieris, ſpondeo, me hic tēplum in tui honorem ædificaturum. Quæ vbi vota concepit, oſſa ſubitò nullo molimine ſuſtulit, & Papiam, effuſa obuiam cum clero ciuitate, deuexit. Eodem anno, quippe Indictione quarta, menſe Aprili, Leonis Imperij anno ſexto, Conſtantini ſecundo, Gregorius pontifex conuentum in Laterano habuit, cuius canones ſeptemdecim extant aduerſus eos, qui virgines, aut Deo ſacratas, aut ſibi ſanguine cōiunctas ducerēt. Sequenti Luitprandus oſſa S. Auguſtini in tēplo S. Petri ad Cœlū aureū 722
à ſe cōdito poſuit. Magnarum abhinc rerum, & grauiū ſeditionū initia ſunt inducta, quibus inſignis in Italia Eccleſiæ dominatus eſt cōſtitu-

tus. Quippe Leo dirum ſacris imaginibus bellũ Philippici exemplo moliens, Gregorij pontificis inſidiari capiti cœpit. quod, eo viuente, ac Catholicorum cauſſam ſtudioſè, ardenterq; tuente, ſe flagitium, quod animo conceperat, commodè ad exitum perducere poſſe diffideret. Ita
723 que poſtero anno Marino ſpathario ſuo, quem Ducem Romæ declarauerat, ſecreta mandata proficiſcenti dedit, vt quoquo modo poſſet, Gregorium ipſum occideret. Is tantum parricidium per Baſilium Ducem, Iordanem Chartularium, & Ioannem ſubdiaconum occultè molitus, propoſito excidit, aperto Dei miraculo, antequam rem aggrederetur, apoplexi repentina correptus. Reuerſo inde Marino Conſtantinopolim, Leo in ſuſcepta ſententia manẽs Paulum Patricium cum iiſdem mandatis Exarchum in Italiam miſit. Is Rauennam profectus, cum neminem tanto facinori patrando Baſilio ipſo, & ſociis aptiorem exiſtimaret, eoſdem per litteras, vt inchoata perficerent, eſt hortatus. Verùm ne tum quidem res ex ſententia ceſſit. nam Romani, coniuratione detecta, ſocios eius omnes comprehenderunt, in primiſq; Iordanẽ, & Ioannem vltimo ſupplicio, Baſilium monaſtica incluſione mul-
724 tarũt. Poſtero anno, mortuo Donato, Gradenſi patriarcha, Petrus epiſcopus Polanus contra leges ad patriarchatum euectus; cum eſſet à Gregorio pontifice indignus vtraque ſede iudicatus, tamen cleri, & populi Veneti, Iſtrique precibus priſtinæ eſt eccleſiæ reſtitutus. Antonius inde legitimè ſubrogatus conſecrationem cum pallio impetrauit. Leo Imperator rebus Romanis perceptis haudquaquam propoſito ſuo dimotus, Spathario altero in Italiam miſſo, Paulum Exarchum monuit, vt ſi vita expellere Gregorium haud poſſet, ſaltem de pontificatu deiiceret, atque ei alterum ſubſtitueret. Ita Paulus ſimul mandato Imperatoris adductus, ſimul Gregorij odio ſtimulatus, quòd ab eo tributum eccleſijs imponere vetaretur, exercitum Rauennatem Spathario tribuit. eumq; Romam contendere, & pontificem in vincula conijcere iuſſit. Atque ne hæc quidem latere Gregorium res potuit. Itaque, vt libertatem ſuã ſimul, ac ſalutem defenderet, coactus eſt aduerſus prauas Chriſtiani Imperatoris inſidias barbarorum ſimul, atque hoſtium auxilium implorare. Quippe, reliquis remotis ſubſidiis, Longobardos ex Spoletano, Tuſcoq; Ducatu exciuit, ac ſpe, præmiiſq; repletos aduentantibus Exarchi legionibus obtulit. Hi magna animorum alacritate ad vrbem profecti, pontem Salarium, pontemq; Miluium cum validis armatorum cohortibus inſederunt, &, commiſſo cum adueniente Spathario prœlio, Rauennatem exercitum ab vrbis aditu ſummouerunt, Spathariumq; ipſum Rauennam ſe referre, incœpto irrito, coegerunt. Bel-

lum inde à Longobardis interueniens aliquantum hæc conſilia interrupit. Poſt Rotharis regnum nullum Longobardis regibus cum Exarcho Italiæ, ipſiſq; adeo Romanis extiterat bellum, nempe Longobardis ipſis aut pacem ſtudioſè fouentibus, aut armis inter ſe exitioſè certantibus. Tranquillato verò poſt multos annos regno, Luitprandus à ſuis quietus idoneam ſe prolatandi regni adeptum occaſionem ex ipſa Romanorum diſcordia ratus, vetus bellum cum Exarcho redintegrare cõſtituit. Quod bellum inde à Rachi, Aiſtulfo, & Deſiderio regibus deinceps quaſi hereditario iure exceptum prorſus regnum ipſum, nomenq; clariſsimum regum Longobardorum extinxit. Itaque proximo anno, inſtructiſsimo exercitu comparato, repente in Exarchatum, vt qui ditioni ſuæ continens erat, irrupit, ac caput ipſum ditionis Rauennam magna militum corona circundedit. Paulus ex ſumma proſperitate in magnam repente difficultatem adductus haudquaquam ſe deſeruit. verùm vrbem, adiuuantibus enixè Rauennatibus, ingenti animi magnitudine cuſtodiuit; ſeq; paratum eſſe ad vltima omnia potius perferenda, quàm ad dedendam vrbem oſtendit. Qua re Luitprandus permotus caſtra inde mouit, ac quaſi re deſperata Claſſem acceſsit, eamque, cum exiguo præſidio teneretur, breui expugnauit, direptamq; deleuit. Claſſe diruta, Rauennates timere, ac rebus ſuis diffidere incœperunt. Quod vbi rex ſenſit, continuò victorem exercitum Rauennam reduxit, ac ſpe opimioris multò prædæ incenſum vrbem aggredi iuſſit. Oppidanis, ac præſidiariis aſsiduis oppugnationibus aut deletis, aut feſsis, Paulus ſe ſine externis ſuſtinere auxiliis poſſe deſperans, vrbe exceſsit. qua re animaduerſa, Luitprandus vrbem acrius inſtans intrauit, eamque captam militibus diripiendam conceſsit. Vrbs, vt quæ diu Imperatorum, regum, Exarchorum, ac ſummorum denique antiſtitum ſedes fuerat, variis & priuatis, & publicis opibus affluens erat. Rex autem, ditato exercitu, cum alia inde antiquæ fortunæ monumenta egeſsit, tum in primis veterem æneam equeſtrem Romani Imperatoris ſtatuam miro opere, artificioq; perfectam euexit, ac Papiam deferri curauit. quæ propter eximiam nobilitatem ſuã in hodiernum vſque diem inter præcipua vrbis eius ornamenta ad amiſſæ ſolatium gloriæ in foro à ciuibus oſtentatur. Rauenna capta, pleræque Exarchatus ciuitates confeſtim in deditioné venerunt. Exarchatus inde in formulam Ducatus redactus, eique Hildebrandus nepos, qui poſtea rex fuit, impoſitus, &, quòd puer erat, Peredeus Dux Vicetinus ſocius ei conſiliorum adiunctus. Paulus Rauenna pulſus ſe ad Venetos Heracliam contulit, atque Vrſi Ducis auxilium implorauit. Hoc vbi Gregorius ſenſit, priuatas iniurias publicæ cauſſæ

725

cramenti, quo ſe illi obligauerant, religione exoluit. &, ne ei aut tributum darent, aut alia ratione obedirent, indixit. Quo decreto accepto, Romani, Campani, Rauennates, & Pentapolitani à Leone ſubitò defecerunt, ac, variis tumultibus excitatis, ipſos etiam violare magiſtratus non dubitarunt. Quippe Rauennæ Paulus Exarchus occiſus eſt. Romæ Petrus Dux luminibus exutus. In Campania Exhilaratus Dux, cum populos aduerſus pontificem incitaret, à Romanis eò profectis vnà cum filio Hadriano eſt obtruncatus. Quin etiam odii ſui vim aduerſus eum vehementer adeo intenderunt, vt ad hoſtiles acerbitates prouecti de Imperio illi abrogando, alioque Imperatore legendo rettulerint. Quod conſilium pontifex, vt parum præſenti tempori aptum, opportunumq; repudiauit. Eodem tempore ingens prodigium è Græcia nunciatum. Inter Theram, ac Theraſiam inſulas per aliquot dies è profundo maris caligo quædã, quaſi ab ardente fornace ſurgens, emerſit. quæ paullatim denſata, in lapidemq; concreta totum illum locum, ac cælum ardore ſuo accendit. In medio verò ignis inſula in terram conſtipata, Theræ inſulæ eſt aggeſta. Quâ re audita, iudicatum ab hominibus eſt, Deum inſignem Imperatorij flagitij nouitatem voluiſſe memorabilis huius prodigij nouitate notare. Eodem anno Sereno patriarchæ Aquileienſi mortuo Caliſtus Tatuiſinæ eccleſiæ archidiaconus regis Luitprandi fauore eſt ſubſtitutus. Erant inter Imolam, & Mu-
727 tinam nonnulla ex regione Aemiliæ loca, nondum à Longobardis aut armis tentata, aut certè oppreſſa. His igitur Luitprandus poſtero anno, noua concitati tumultus occaſione allectus bellum intulit. ac leui certamine Feronianum, Montem bellum, Buxetum, & Perſicetum in ditionem cum adduxiſſet, demum ipſam etiam vrbem Bononiam occupauit. Hæc vrbs ab Etruſcis tum, cum imperio regionem Tranſapenninam tenebant, conſtructa Gallorum inde Boiorum in Italiam tranſcendentium ſedes fuit. deinde à populo Ro. recepta ius coloniæ Latinæ obtinuit. Demum ad Chriſtiana ſacra traducta cum alios ſanctos epiſcopos, tũ maximè Petronium, hominem Conſtantinopolitanum, eruditione, ac pietate inſignem eſt conſequuta. Gotthis Italia pulſis, cum ſub ius Romani recidiſſet Imperij, nunc demum Longobardæ potentiæ ceſsit. Hac igitur capta, Luitprandus fortunam voto arridentem ſequutus, Rauennate ditione omiſſa, ſeſe in Pentapolim intulit, ac, nemine reſiſtendi gratia occurrente, victor ab Arimino vſque Auximum penetrauit. ac demum ad Vicum Pileum regionis conſtituendæ cauſſa conſedit. Quo cognito, ciuitatum oratores cum muneribus, & ſacris epiſcoporum ſuorum ſalutationibus ad eum de more ſe contulerunt.

verum

verùm à Romanis militibus in itinere fortè oppreſsi ad vnum capti omnes, atque interfecti ſunt. Rumore Italicæ defectionis in Græciam perlato, Leo rabie furens Eutychium Patricium Exarchum primò quoque tempore in Italiam contendere, ac Gregorio eius auctori vitam, quoquo modo poſſet, adimere imperauit. Profectus Neapolim Eutychius Campanorum patrem in fide retinuit, atque inde Romam miniſtrum miſit, ſecreto mandato dato, vt pontificē cum optimatibus Romanorum extingueret. Vt omnia Imperatoris acta ea tempeſtate ſuſpecta erant, ſic alienus miniſtri Exarchi in vrbem aduentus hominum oculos in ſe conuertit, omnino, ne quid inſidiarum pontificis capiti ſtrueretur, extimeſcentium. Itaque, re patefacta, Romani ſtudio incitati eum comprehenderunt, & ſceleris meditati conuictum grauiter punire voluerunt; verùm pontifex eiuſmodi conſilio maturè occurrit, atque Eutychium diro anathemate percuſſiſſe, ſatis habuit. Multa egregia Romani præ inſito genti gloriæ, pietatisq; ſtudio pro libertate Italiæ, ac dignitate Eccleſiæ auſi ſunt: nihil magnificentius, quàm quòd Longobardos reges, Græcosq; Imperatores ſiue dominandi libidine, ſiue hæreſeos prauitate vrbi, pontificibusq; impotentius imminentes ſemper pro viribus arcuerunt, fidemque Catholicam conſtantiſsimè defendentes libertatem, dignitatemq; Eccleſiæ ſuam eſſe libertatem, ac dignitatem putarunt. Quod igitur iampridem grauibus flagitiis Leonis impulſi ſpe, ac ſtudio deſtinarant, id hoc maximè tempore vt facerent, præſenti pontificis, Eccleſiæq; inducti periculo ſunt. Quippe rebus commemoratis exaſperati certa animi ſententia impium, ſæuumque Leonis Imperium reſpuerunt, ac ſolemni ſacramento ſe pontificis vitam, ſtatumq; in perpetuum defenſuros, atque eius in omnibus rebus auctoritati obtemperaturos iurarunt. Ita Roma, Romanusq; Ducatus à Græcis ad Romanum pontificem propter nefandam eorum hæreſim, impietatemq; peruenit. Fuerunt autem hæc oppida: Roma cum caſtellis, oppidis, & viculis in Tuſciæ partibus, ideſt Portus, Centumcellæ, Cære, Bleda, Maturanum, Sutrium, Nepet, Caſtellum Galleſij, Orta, Polimartium, Ameria, Tuder, Peruſia, Narnia, & Ocriculi. & in partibus Latii Signia, Anagnia, Ferentinum, Alatrium, Patricum, Fruſino, ac Tibur. Eutychius inde cum exercitu Rauennam profectus vrbem tenuit, ac Rauennates Imperii ſtudioſos facilè ad fidem redegit. Qua cura perfunctus cogitare inde de ſancti Pontificis exitio cœpit. quo ſublato, facilè ſe & Romanam ditionem amiſſam recuperaturum, & ſanctarum imaginum cultum profligaturum ex Leonis auctoritate ſperabat. atque adeo totus in eam curam incubuit, vt etiam Longobardos

muneribus aduerſus eum ſolicitare non dubitarit. Itaque, eo, vt exiſti-
728 mari licet, auctore, ſequenti anno Luitprandus Sutrium oppidum do-
lo Eccleſiæ ademit. Verùm mox muneribus, monitisq; pontificis victus
poſt dies XL reſtituit. Hoc cum XI Indictione factum notet Anaſtaſius,
profectò anno ſeptingenteſimo viceſimo octauo factum eſſe apparet,
vt ille ſcribit. Hac re animaduerſa, Eutychius regem ſibi alliciendum,
atque ſocietate, amicitiaq; adiungendum quoquo pacto conſtituit. De-
fecerat à rege illo tempore Tranſemundus, Dux Spoletanus, eumque
pro merito vlciſci mirificè cupiebat Luitprandus. Id vbi ſenſit Euty-
chius, legatos ad eum de ſocietate, atque amicitia miſit, ac fœdus cum
eo ea conditione percuſſit, vt ſociatis armis ille Ducem, ipſe pontificem
vindicaret, ac ditione, vtraque & hunc, & illum exueret. Ita proximo
729 anno, comparatis, coniunctisq; exercitibus, ambo magno ſe in Ducem
impetu intulerunt. Is, cum imminentem belli tempeſtatem propriis ſe
propulſare viribus non poſſe perſpiceret, vltro ſe regis imperata factu-
rum dixit. atque, obſidibus datis, ſolemni illi ſe ſacramento deuinxit.
Itaque, cum nulla in Longobardum belli materia remanſiſſet, omnis
inde Romam tranſlatus eſt terror, caſtraque in Campo Neronis à rege,
& Exarcho è regione templi S. Petri locata, atque acri Roma premi
obſidione eſt cœpta. Iampridem hoc ſentiens pōtifex præſidiis, & ope-
ribus, quibus potuerat, vrbem firmarat. Quæ cum ſatis non eſſe aduer-
ſus tantam molem videret, ac ſimul agri vaſtationem, & templorum
violationem effugere vellet, quoad eius fieri poſſet, Spoletani Ducis
exemplo armorum conſilium poſuit. & ad preces ſibi confugiendum
conſtituit, inſigni pietatis Luitprandi regis fama permotus. Itaque vr-
be cum decoro comitatu clericorum, & optimatium Romanorum
egreſſus in caſtra ad regem venit, atque in hanc diſſerere ſententiam
cœpit: *Si ſolo, Luitprande rex, Leonis ipſius exercitu hanc vrbem obſideri no-
uiſſem, omnes, mihi crede, obſidionis labores potius exhauſiſſem, quàm aut ad pa-
cem, aut ad inducias vllas poſtulandas exiſſem. Quid enim de ſacris templis, &
religioſis ſepulchris liberandis agere cum eo conuenit, qui nuper ſanctas Chriſti, ac
Diuorum imagines ferro, atque igne delere, ac ſacrata templa nefariis manibus
inceſtare non dubitauit? Nunc verò, cum tuo potiſſimùm ductu hoc bellum audi-
rem adminiſtrari, teque præcipuè in caſtris ad vrbem poſitis obuerſari, cuius inter
eximias prudentiæ, virtutis, ac iuſtitiæ laudes egregia pietas, ac ſumma Sancto-
rum veneratio commendatur, non dubitaui ad te venire, & quæ ad Dei cauſſam
pertinere mihi viderentur, monere. Non credo, te ignorare rex Luitprande, te
vrbem illam infeſto exercitu oppugnare, cuius Eccleſiam principes ipſi apoſtolorum
Petrus, & Paulus pretioſo ſuo ſanguine conſecrarunt; terram verò ſanctiſſimis*

ſuis

ſuis ſepulchris omnibus terrarum gentibus venerabilem reliquerunt. An igitur ipſe in animum induces, ipſa ſanctorum Apoſtolorum templa, ac ſepulchra auguſtiſſima alieno arbitrio lacerare, qui vnius Confeſſoris oſſa, ne à barbaris ignominia afficerentur, magno auri pondere redemiſti, atque in regiam tuam translata templo, ac ſepulchro pretioſiſſimo decoraſti? Quin potius in propoſita tua bene de Eccleſia merendi ſententia permanes, quàm fœdiſſimo Leonis de Deo ipſo peſſimè ſentientis exemplo duceris? ac multos bonos in nobiliſſima vrbe conſeruanda, quàm vnum in ea perdenda perditiſſimum imitaris? Notus eſt omnibus nobis propter inſignem ipſius crudelitatem Attila rex Hunnus, ſed tibi multò, vt credo, notior, quòd ea loca tenuit, in quibus maiores tui poſtea conſederunt. Hic cruorem, cædemque anhelans aliquando ad Romam incendendam curſu incitato contendit. Quod vbi pontifex, qui tum erat, Leo accepit, raptim ei ad Padum amnem accurrit, atque ipſum, ne longius progrederetur, orauit. ac demum ſpecie Sanctorum Petri et Pauli colloquio aſſiſtentium territum præter opinionem omnium facilem, mitemque ad auctoritatem ſuam adduxit. An verò Attila, qui non ſolùm non Catholicus, ſed longè etiam à Chriſtianis ſacris, atque omninò ab ipſa, vt aiunt, humanitate auerſus fuit, ab vrbe Roma adeunda vno prope Romani pontificis nutu ſeſe remouit, Luitprandus verò rex inſigni Catholicæ pietatis ſtudio etiam apud venturos homines prædicandus in eiuſdem vrbis oppugnatione perſtare volet, quæ inceſtam ſecum violationem eorum templorum, ſepulchrorumque adducat, quæ adhuc ſemper non ſolùm finitimis, atque humaniſſimis gentibus, ſed etiam remotiſſimis, & prope barbaris nationibus non tam pium ſpectaculum præbuerunt, quàm religionem, atque horrorem aſpectantibus iniecerunt? & Attila imagine tantùm Apoſtolorum deterritus ceſſerit, Luitprandus verò eorundem, quæ hinc etiam proſpicit, ſepulchrorum aſpectu non commouebitur? neque idem grauia à præſenti eorum numine exigenda piacula extimeſcet, qui ad propiciandos eos multa etiam bona de patrimonio detracta regio impertiuit? Quibus dictis, rex ſiue tacita religione captus, ſiue præſentis pontificis verecundia adductus ſtatim ad pedes eius ſe proſtrauit, & ſine vllo maleficio ex agro Romano ſe receſſurum eſſe promiſit. Mox, cùm ab Exarcho moneretur, vt iuſſa Imperatoris impleret, ideſt vt pontificem aut captiuum faceret, aut ferro perimeret, non ſolùm id conſilium vt impium, ſceleratumque repudiauit, verùm etiam pontificem, vt Exarchum in gratiam recipere vellet, orauit. Inde ad templum S. Petri nullis ea tempeſtate mœnibus ſeptum acceſſit, atque ad aram profectus paludamentum, quo erat indutus, armillas, baltheum, enſem auratum, coronam auream, & crucem argenteam ante auguſtiſſimum corpus Apoſtoli poſuit, & ſupplex Deo vota, atque ipſi Apoſtolorum principi fecit. atque inde exercitũ domum reduxit. Mo-

rante inde Eutychio Romæ, Tiberius quidam, cognòmento Petaſius, tumultu in Etruria concitato, Imperium ſibi vindicare tentauit, non nullis populis ſacramentum apud ſe dicere iuſſis. verùm, Eutychio cõſilium non expediente, breui per exercitum Romanum iuſſu pontificis eſt oppreſſus. Gerebat eo tempore ſummum in Francia magiſtratum Carolus, cognomento Martellus. qui magiſtratus vulgò Maiordomus appellabatur, ac ius omne regni domi, foriſq; gerendi habebat. Is Longobardorum amicitiam rebus Franciæ vtilem fore, & commodam ratus, filium ſuum Pipinum ad regem Luitprandum miſit, rogans, vt, attõſa Longobardorum more cæſarie, ipſum ſibi filium adoptaret. Quã rem adeptus, certiſſimum ſe fidelis amicitiæ pignus conſecutum eſſe, eſt arbitratus. Interea Leo his cognitis in dies acrius ſæuiebat, ac crudelius bellum ſacris imaginibus faciebat. Itaque eodem hoc anno, nempe Imperij ſui tertio decimo, Germanum patriarcham pro imaginibus ſentientem acciuit, ac blandis in ſuam ſententiam pellicere verbis contendit. Cui Germanus reſpondit. Sanctarum quidem abolitionem imaginum ò Imperator aliquando futuram accepimus, verùm non imperante te, ſed Conone. Atqui, inquit ille, verum mihi à ſacro lauacro Cononis eſt nomen. Tum Germanus, Auertat Deus, inquit, vt hoc, te imperante, mali contingat. Antichriſti præcurſor eſt, & diuinæ planè humanitatis euerſor, qui hoc effecturus eſt. Qua re ille audita exarſit, ac minas in eum iactare acriores inſtituit. Cui Germanus, Deſine minari, inquit, ſacramenti memor, quo te obſtrinxiſti, apoſtolicos, ac diuinos Eccleſiæ ritus nulla parte moturum. Verùm ne ita quidem Leo ſententia deſtitit, immo rationem iniuit, qua Germanum iam, non tanquam Confeſſorem, ſed tanquã coniuratorem euerteret. Itaque, Anaſtaſio quodam Germani diſcipulo, atque Syncello in

730 conſilij ſocietatem vocato, VII Idus Ianuarias, Indictione XIII, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo, epiſcoporum conuentum aduerſus imagines habuit, atque ei ipſe celſo præſidens in tribunali Germanum iterum aduocauit, ac blanditiis primùm, deinde minis ad ſui comprobationem conſilii traducere inſtitit. Verùm Germanus tanta conſtantia fuit, vt ſacerdotio potius ſe abiturum, quàm recto propoſito præ ſe tulerit. pallioq; reddito, Si ego ſum Ionas, inquit, proiice me in mare. neque enim ſine generali concilio aliquid mihi innouare ex Apoſtolorum, patrumque doctrina licet. atque ita ſe officio abdicauit. Quibus rebus actis, Leo XI Kal. Februarias Anaſtaſium ſubrogauit, ac conuentu dimiſſo, imagines omnes publicè comburi iuſſit. quique ei ſententiæ non ſubſcripſerunt, miſerè aut capite, aut alia corporis parte mulctauit.

uit. Quod vbi cognouit Gregorius, per litteras eum admonuit, vt ad Catholicam veritatem, ritumque tuendum ſe referret, atque Anaſtaſium ſacerdotali officio ſpoliauit. Eodem anno, cum Sarraceni Prouinciam, regioně Franciæ, inuaſiſſent, atque in primis, teſte Mariano, Auennionem cepiſſent, Luitprandus à Carolo Martello auxilio pro iure amicitiæ aduocatus eſt. Itaque poſt menſem Maium (nam eo menſe, tertia decima Indictione, Papiæ fuit,) ſummo ad illum ſtudio cum expeditis copiis Longobardorum accurrit, ac maxima ad eam victoriam adiumenta ſubminiſtrauit. Dum autem ille abfuit, Exarchus tempus ſibi oblatũ Aemiliam, Pentapolimq; amiſſa recuperandi ratus, ipſe exercitum in Pentapolim duxit, Agathonem verò Peruſinorum Ducem in Aemiliam miſit. Non eadem vtroque in loco fortuna fuit. Exarchus, cum caſtra ad Ariminum poſuiſſet, prœlio commiſſo exercitum Longobardorum proſtrauit. Quo facto, ciuitates Pentapolis in fidem continuò redierunt. Agatho verò ad recipiendam in Aemilia Bononiam profectus, quam Valcaris, Peredeus, & Rotharis tuebãtur,
inſigni accepta calamitate, receſsit. Poſtero anno III Idus Februarias 731
Gregorius pontifex ſupremum vitæ diem expleuit, indictione, vt ſcribit Anaſtaſius, quarta decima, ingenti gloria relicta doctrinæ, ſanctitatis, & rerum, quas tam proſperè, quàm piè pro dignitate Eccleſiæ adminiſtrauit. In eius locum lectus eſt Gregorius tertius, presbyter, à populo ſummo conſenſu, dum iuſta mortuo ſoluerentur. Is, inito pontificatu, cultum ſacrarum imaginum, qui ab Imperatoribus oppugnabatur, ante omnia ſibi defendendum exiſtimans, litteras ſubitò ad eos ſcripſit ad tam prauam opinionem abiiciendam adhortans. Quas litteras Gregorius presbyter, qui pertulit, reddere præ metu non auſus, ad pontificem retulit integras. Quod ſimul pontifex ſenſit, intempeſtiua illius contumacia offenſus acriter eum increpuit, & cum iiſdem redire Conſtantinopolim iuſſit. Verùm Imperatores hominem in Sicilia coerceri mandarunt, & per ſequentem annum in cuſtodia habuerunt. Sub idem 732
tẽpus Caliſtus patriarcha Aquileienſis poſſeſſiones Gradenſis eccleſiæ occupatas iuſſu Gregorij pontificis reddidit. Eodem anno Gregorius de nuncio ſuo in Sicilia retento certior factus conuentum in Lateranũ pro cultu ſanctarum imaginum retinendo coegit. Ad quem archiepiſcopi Antoninus Gradenſis, & Ioannes Rauennas, qui Felici ſucceſſerat, & nonaginta tres epiſcopi conuenerunt. ac relatione facta, ex eorum ſententia ita decreuit: *Si quis poſthac veterem Catholicæ Eccleſiæ vſum contemnens; aduerſus eandem ſacrarum venerationem imaginum abrogarit, ſit exterris à corpore, & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel totius Eccle-*

ſiæ vnitate. Qua re perfecta, Imperatores litteris aliis in eandem ſenten-
tiam ſcriptis rurſus officij ſui admonuit, eaſque per Conſtantinum De-
fenſorem miſit. Verùm & hic captus, ac per annum in cuſtodia habi-
tus mandata explere nequiuit. His cognitis, Leo indignè ferens, ſe non
ſolùm Romana ditione exutum, ſed etiam communione piorum rur-
ſus eiectum, quod adhùc facere variis de cauſsis omiſerat, pontificem,
ac Romanos tranſmarinis vindicare legionibus ſtatuit. Itaque hoc an-
no, qui fuit Imperij ſui ſextus decimus, claſſem cum ingenti exercitu in
Italiam miſit, ac ducibus, vt bellum Eccleſiæ facerent, imperauit. Ve-
rùm diuina voluntate ne nunc quidem tenere propoſitum potuit.
Claſsis enim, cum proſpera nauigatione vſa in Adriaticum vſque ſi-
num incolumis perueniſſet, ibi, ſæua tempeſtate oborta, fœdo lacerata
naufragio periit. Qua re cognita, Leo iracundia exarſit, ac propè fureñs
Siculo, & Calabro populo tributum intolerabile in caput impoſuit,
eiuſque rei cauſſa infantes etiam inſpici, atque in tabulas referri manda
uit. Quin etiam vectigal, quod Patrimonium templorum Apoſtolo-
rum dicebatur, tria ſeſquitalenta, regio fiſco attribuit. Quinque inde
anni ab omni parte quieti, neque magnis vllis rebus, niſi principum
ſucceſsione nobilitati, abierunt. Siquidem poſtero Romualdus Dux
733 Beneuentanus poſt annos x x vi morte conſumptus Giſulfum puerum
Ducem reliquit ex filia ſororis Luitprandi ſuſceptum. Quem cum
propter imbecillam ætatem Luitprandus parum idoneum tantis re-
bus adminiſtrandis putaret, præfectura remouit, ac Gregorium alium
734 nepotem ſuum impoſuit. Biennio verò interiecto, Theodorus ec-
735 cleſiam Mediolanenſem, & poſt alterum biennium Ioannes vi Rauen
736 natem obtinuit. Is annus tumultum inſignem Foroiulienſibus attulit.
737 Quippe Caliſtus, patriarcha Aquileienſis, cum aſsiduis Sclauorum in-
curſionibus conflictatus Aquileiam prorſus relinquere ſtatuiſſet, Ama
torem epiſcopum de oppido Forijulij depulit, cum diceret, inſignem
Ducis ſedem patriarchæ magis, quàm epiſcopo, conuenire. Hac de
cauſſa Pemmo Dux ira percitus Caliſtum, adiuuantibus Longobardis,
arripuit, atque in mare præcipitare voluit: verùm à ſuis retentus in cu-
ſtodiam tradidit, ac victu ibi tenuiſsimo ſuſtentauit. Rei indignitate
permotus Luitprandus grauiſsimè Pemmoni ſuccenſuit, ac Ducatum
ademptum filio eius Rachiſio dedit. Inde Rachiſij etiam gratia Pem-
moni, & Rathuito, atque Aiſtulfo fratribus eius ignotum: In ceteros,
qui cum Pemmone Caliſtum vexarant, ſeuerè animaduerſum. Se-
738 quenti anno Rachis Dux Foriulii Sclauos bello adortus eſt: quippe in
Carniolam cũ exercitu ingreſſus, ingenti hoſtium ſtrage facta, omnia

perua-

peruaſtauit. Repentino inde eorum incurſu petitus, lanceam armigero non præbente, qui primus occurrit, eum claua, quam manu geſtabat, percuſſit, ac ſubita morte affecto reliquorum impetum retardauit. Ab illo inde tempore magis, magiſque fama eius inclaruit. Eodem anno bellum graue inter Longobardos eſt ortum, cuius contagione ipſa quoque Roma magnum eſt in diſcrimen adducta. Hoc bellum Tranſemundus, Dux Spoletanus, exciuit. Is defectionem à rege moliens pacem cum pontifice vrbis Romanæ dominatum adepto compoſuit, & fœdus, atque amicitiam iunxit, caſtro Gallienſium reddito, cuius cauſſa Romanum ille Ducatum diu habuerat infeſtiſſimum. Itaque ea ſocietate ſubnixus regis imperata facere detrectauit. Luitprandus ad digni tatem, præſidiumq; regni eam pertinere defectionem ratus, paratum continuò aduerſus eum eduxit exercitum. Tranſemundus impetum regis non tulit, verùm vrbe elapſus ad pontificem nouo principatu fulgẽtem confugit, atque eum, vt ſe ſe tueretur, orauit. qui & deceſſorem eius promptis nuper aduerſus Exarchum auxiliis protexiſſet, & cum ipſo fœdere ſe ſanctiſſimo ſociaſſet. Pontifex, adhibito in conſilium Duce Stephano, ex eius, & militum Romanorum ſententia ipſum recepit in fidem. Luitprandus, Ducatu Spoletano prope ſine certamine in poteſtatem redacto, Hildericum nepotem ei præfecit Ducem, rebuſque Spoletanis compoſitis, legatos ad pontificem miſit, ac Tranſemundum ſibi dedi poſtulauit, &, ni dederet, bello ſe perſequuturum vrbem oſtendit. Pontifici haudquaquam è fide, dignitateque ſua eſt viſum, Ducem bene de Eccleſia meritum, eumque ſocium, ac demum etiam dedititium ad ſupplicium tradere. omniaque potius aduerſi belli incommoda patienda, quàm tantam fidei iacturam faciendam ex communi Romanorum conſilio ratus, haudquaquam ſe dedere velle hominem dixit. Hac de cauſſa Luitprandus tranſacta hieme exercitũ ex Ducatu Spo letano in Romanum traduxit, atque Ameriam, Ortam, Polimartium, 739
& Bledam oppida occupauit. inde in vrbis fines ingreſſus vaſtato agro vrbi demum obſidionẽ admouit: caſtriſq; in Campo Neronis ſtatutis, multos nobiles Romanorum more Longobardorum attonſos ad ſe attraxit. His malis Gregorius circunuentus, deceſſoris ſui exemplo, regem precibus, vt obſidionem ſolueret, inſtitit, miſſis oratoribus, fatigare. quas cum irritas, atque inanes animaduerteret, neque ex Italia ſubſidium vllum ſperaret, ad externa ſibi confugiendum exiſtimauit. Per ea tempora Franci non militaris ſolùm virtutis, ſed Catholicæ quoque pietatis laude præſtabant. Carolus autem Martellus, de quo ſupra commemorauimus, egregiè erga Romanam Eccleſiam animatus regnum pro

lit, verùm Eccleſia haud ita multò poſt apertiſſimè eo nomine oppugnata Imperium & ſibi,& poſteris ſuis funeſtiſſimum comparauit. Eodem anno, quod ad memoriam eſt inſigne,Sarraceni ex Mauritania in Hiſpaniam tranſuecti Gotthos expulerunt, eamque occupatam in multa regna diſtribuerunt. Donatus patriarcha Gradenſis in locum Chri-
718 ſtophori eſt ſuffectus. Sequenti, Nonis Aprilis Luitprandus rex ædem D. Carpophoro extra Comi mœnia dedicauit. & per idem tempus arcem ibi munitiſſimam condidit, quam Barratelium vocauit. Faroaldus, Dux Spoleranorum,Narniam oppidum dolo ademit Romanis,& ſimulato ad regem itinere Claſſem, Rauennatium caſtrum, furto intercepit. verùm vtrunque iuſſu regis ſtatim reſtituit. Aduerſus eum filius inde Tranſemundus exortus, patre abdicato, & clericum profiteri compulſo,Ducatum arripuit. Sclaui,cum iterum in Foroiulienſem Ducatum populabundi veniſſent, magno prœlio à Pemmone Duce, vno tantùm ſene Siualdo amiſſo, deleti. Sarraceni, cum littora alia omnia Orientis infeſtis incurſionibus laceraſſent, in Thraciam ex Aſia tranſgreſsi,ingenti admoto exercitu Conſtantinopolim obſederunt. Quod vbi Sergius prætor Siciliæ accepit, de Leone actum exiſtimans, Gregorium quendam Conſtantinopolitanum Imperatorem ſalutauit, eumque Tiberium appellauit. iſque inito Imperio quoſdam etiam ad magiſtratus euexit. Qua re audita, Leo Paulum chartularium, Patricium, ac prætorem Siciliæ deſignatum, duobus ſpathariis,& magna militum manu tributa, in Siciliam cum litteris ad magiſtratus, & ciuitates miſit, orans, ne officio deceſsiſſe, fidemque, quam ſemel dederant, vlla violaſſe ratione vellent. Is dromone magna celeritate Syracuſas aduectus Sergium ſtupore, metuque perculſum in Italiam ad Longobardos ſe conferre coegit. Populus verò Syracuſanus, litteris Leonis acceptis, poſtquam Imperatorem incolumem eſſe audiuit, Tiberium, & magiſtratus ab eo creatos dedidit. Quorum capita à ceruicibus
717 amputata Paulus Conſtantinopolim miſit. alios verò eius coniurationis affines aut ſacra tonſione affecit, aut virgis cæſos, naribuſue multatos in exilium egit. Sarraceni interim vi famis, peſtilentiæque
719 adacti XVIII Kal. Auguſti obſidionem ſoluerunt. Poſtero anno Leoni filius Conſtantinus eſt natus. Is, cum ſacro lauacro ablueretur, aquam ſtercore forte infecit. qua re animaduerſa, patriarcha ſtatim oraculum cecinit,fore vt is aliquãdo omnia ſacra pollueret. ab illa re Copronymi cognomen eſt inditum. Sereno patriarchæ Aquileienſi creato Gregorius pontifex Luitprandi regis rogatu pallium, quod prædeceſſoribus eius fuerat denegatum, indulſit. & ne Gradenſis eccleſiæ iura inuade-

ret,

ret, monuit. poſt autem cum accepiſſet, eum præcepta ſua deſpexiſſe, iterum vt poſſeſſionibus ſe contineret, quæ in regno Longobardorum eſſent, edixit. Extant his de rebus litteræ. Erat eo tempore monachorum ordo, Caſſinate monaſterio ante annos centum triginta à Longobardis incenſo, & monachis in diuerſa palatis, ad paucos redactus, ac valde debilitatus. Hoc cum Gregorius cerneret, item pro viribus reſtituendum eſt arbitratus. Itaque Petronacem, ciuem Brixianum, virum pietate commemorabili præditum nactus, ſanctis præceptis, vt huic officio inſeruiret, hortatus eſt. Quo facto, Petronax, aſſumptis ex Lateranenſi monaſterio monachis, Caſsinum perrexit, additiſque, qui ibi dudum conſederant, in commune vitam agere cœpit anno à Christo nato ſeptingenteſimo vigeſimo. A quibus abbas aſci 720
tus, decoris ædibus inſtauratis, Sácti Benedicti diſciplinam prope intermortuá excitauit. Itaque ſextus à Sancto Benedicto abbas numeratur, atque alter Caſsinatis monaſterij conditor prædicatur. Eodem anno in die Réſurrectionis, Indictione tertia, puer ipſe Copronymus à patre Imperator per Germanum patriarcham eſt coronatus. Sarraceni, cum infeſtis incurſionibus latè maria omnia vagarentur, exſcenſione in Sardiniam facta, inſulam, quæ exiguo Græcorum præſidio tenebatur, in poteſtatem adduxerunt, ac ſæuire in templa, & ſepulchra omnia Sanctorum inſtituerunt. In primis autem locum, in quem ſacra D. Auguſtini Hipponenſis epiſcopi oſſa ex Africa tranſlata fuerant, barbara impietate fœdarunt. Quod vbi rex Luitprandus accepit, magno repente dolore exarſit, ac legatis eò miſsis magno illa pretio à Sarracenis redemit, ac poſtero Papiam ad ſe tranſportari curauit. Poſtquam autem ea Genuá 721
appulſa audiuit, Papia egreſſus obuiam eis illuc vſque proceſsit, eaque editorum miraculorum magnitudine percitus diuino honore coluit. Cum autem poſtridie à miniſtris nulla neque vi, neque arte moueri poſſent, vehementer ea re perturbatus, Sancte Confeſſor, inquit, Si tua hinc oſſa tolli, & Papiam tráſferri propicius patieris, ſpondeo, me hic téplum in tui honorem ædificaturum. Quæ vbi vota concepit, oſſa ſubitò nullo molimine ſuſtulit, & Papiam, effuſa obuiam cum clero ciuitate, deuexit. Eodem anno, quippe Indictione quarta, menſe Aprili, Leonis Imperij anno ſexto, Conſtantini ſecundo, Gregorius pontifex conuentum in Laterano habuit, cuius canones ſepte mdecim extant aduerſus eos, qui virgines, aut Deo ſacratas, aut ſibi ſanguine cóiunctas ducerét. Sequenti Luitprandus oſſa S. Auguſtini in téplo S. Petri ad Cœlú aureú 722
à ſe códito poſuit. Magnarum abhinc rerum, & grauiú ſeditionú initia ſunt inducta, quibus inſignis in Italia Eccleſiæ dominatus eſt cóſtitu-

tus. Quippe Leo dirum ſacris imaginibus bellū Philippici exemplo moliens, Gregorij pontificis inſidiari capiti cœpit. quod, eo viuente, ac Catholicorum cauſſam ſtudioſè, ardenterq; tuente, ſe flagitium, quod animo conceperat, commodè ad exitum perducere poſſe diffideret. Ita

723 que poſtero anno Marino ſpathario ſuo, quem Ducem Romæ declarauerat, ſecreta mandata proficiſcenti dedit, vt quoquo modo poſſet, Gregorium ipſum occideret. Is tantum parricidium per Baſilium Ducem, Iordanem Chartularium, & Ioannem ſubdiaconum occultè molitus, propoſito excidit, aperto Dei miraculo, antequam rem aggrederetur, apoplexi repentina correptus. Reuerſo inde Marino Conſtantinopolim, Leo in ſuſcepta ſententia manes Paulum Patricium cum iiſdem mandatis Exarchum in Italiam miſit. Is Rauennam profectus, cum neminem tanto facinori patrando Baſilio ipſo, & ſociis aptiorem exiſtimaret, eoſdem per litteras, vt inchoata perficerent, eſt hortatus. Verùm ne tum quidem res ex ſententia ceſſit. nam Romani, coniuratione detecta, ſocios eius omnes comprehenderunt, in primiſq; Iordanē, & Ioannem vltimo ſupplicio, Baſilium monaſtica incluſione mul-

724 tarūt. Poſtero anno, mortuo Donato, Gradenſi patriarcha, Petrus epiſcopus Polanus contra leges ad patriarchatum euectus; cum eſſet à Gregorio pontifice indignus vtraque ſede iudicatus, tamen cleri, & populi Veneti, Iſtrique precibus priſtinæ eſt eccleſiæ reſtitutus. Antonius inde legitimè ſubrogatus conſecrationem cum pallio impetrauit. Leo Imperator rebus Romanis perceptis haudquaquam propoſito ſuo dimotus, Spathario altero in Italiam miſſo, Paulum Exarchum monuit, vt ſi vita expellere Gregorium haud poſſet, ſaltem de pontificatu deiiceret, atque ei alterum ſubſtitueret. Ita Paulus ſimul mandato Imperatoris adductus, ſimul Gregorij odio ſtimulatus, quòd ab eo tributum eccleſijs imponere vetaretur, exercitum Rauennatem Spathario tribuit. eumq; Romam contendere, & pontificem in vincula coniicere iuſſit. Atque ne hæc quidem latere Gregorium res potuit. Itaque, vt libertatem ſuā ſimul, ac ſalutem defenderet, coactus eſt aduerſus prauas Chriſtiani Imperatoris inſidias barbarorum ſimul, atque hoſtium auxilium implorare. Quippe, reliquis remotis ſubſidiis, Longobardos ex Spoletano, Tuſcoq; Ducatu exciuit, ac ſpe, præmiiſq; repletos aduentantibus Exarchi legionibus obtulit. Hi magna animorum alacritate ad vrbem profecti, pontem Salarium, pontemq; Miluium cum validis armatorum cohortibus inſederunt, &, commiſſo cum adueniente Spathario prœlio, Rauennatem exercitum ab vrbis aditu ſummouerunt, Spathariumq; ipſum Rauennam ſe referre, incœpto irrito, coegerunt. Bel-

lum inde à Longobardis interueniens aliquantum hæc conſilia interrupit. Poſt Rotharis regnum nullum Longobardis regibus cum Exarcho Italiæ, ipſiſq; adeo Romanis extiterat bellum, nempe Longobardis ipſis aut pacem ſtudioſè fouentibus, aut armis inter ſe exitioſè certantibus. Tranquillato verò poſt multos annos regno, Luitprandus à ſuis quietus idoneam ſe prolatandi regni adeptum occaſionem ex ipſa Romanorum diſcordia ratus, vetus bellum cum Exarcho redintegrare cõſtituit. Quod bellum inde à Rachi, Aiſtulfo, & Deſiderio regibus deinceps quaſi hereditario iure exceptum prorſus regnum ipſum, nomenq; clariſsimum regum Longobardorum extinxit. Itaque proximo anno, 725
inſtructiſsimo exercitu comparato, repente in Exarchatum, vt qui ditioni ſuæ continens erat, irrupit, ac caput ipſum ditionis Rauennam magna militum corona circundedit. Paulus ex ſumma proſperitate in magnam repente difficultatem adductus haudquaquam ſe deſeruit. verùm vrbem, adiuuantibus enixè Rauennatibus, ingenti animi magnitudine cuſtodiuit, ſeq; paratum eſſe ad vltima omnia potius perferenda, quàm ad dedendam vrbem oſtendit. Qua re Luitprandus permotus caſtra inde mouit, ac quaſi re deſperata Claſſem acceſsit, eamque, cum exiguo præſidio teneretur, breui expugnauit, direptamq; deleuit. Claſſe dirura, Rauennates timere, ac rebus ſuis diffidere incœperunt. Quod vbi rex ſenſit, continuò victorem exercitum Rauennam reduxit, ac ſpe opimioris multò prædæ incenſum vrbem aggredi iuſſit. Oppidanis, ac præſidiariis aſsiduis oppugnationibus aut deletis, aut feſsis, Paulus ſe ſine externis ſuſtinere auxiliis poſſe deſperans, vrbe exceſsit. qua re animaduerſa, Luitprandus vrbem acrius inſtans inrrauit, eamquecaptam militibus diripiendam conceſsit. Vrbs, vt quæ diu Imperatorum, regum, Exarchorum, ac ſummorum denique antiſtitum ſedes fuerat, variis & priuatis, & publicis opibus affluens erat. Rex autem, ditato exercitu, cum alia inde antiquæ fortunæ monumenta egeſsit, tum in primis veterem æneam equeſtrem Romani Imperatoris ſtatuam miro opere, artificioq; perfectam euexit, ac Papiam deferri curauit. quæ propter eximiam nobilitatem ſuã in hodiernum vſque diem inter præcipua vrbis eius ornamenta ad amiſſæ ſolatium gloriæ in foro à ciuibus oſtentatur. Rauenna capta, pleræque Exarchatus ciuitates confeſtim in deditioné venerunt. Exarchatus inde in formulam Ducatus redactus, eique Hildebrandus nepos, qui poſtea rex fuit, impoſitus, &, quòd puer erat, Peredeus Dux Vicetinus ſocius ei conſiliorum adiunctus. Paulus Rauenna pulſus ſe ad Venetos Heracliam contulit, atque Vrſi Ducis auxilium implorauit. Hoc vbi Gregorius ſenſit, priuatas iniurias publicæ cauſſæ

poſthabendas ratus, ſtatim litteras ad Vrſum eundem miſit. atque eum, vt Paulum omni ope iuuaret, hortatus eſt. Litteræ adhuc extant in hæc verba conſcriptæ: *Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilecto filio Vrſo Duci Venetorum S. Quia peccato fauente Rauennatium ciuitas, quæ multarum caput eccleſiarum eſt, à nefanda gente Longobardorum capta eſt, & filius noſter eximius, Dominus Exarchus apud Venetias, vt cognouimus, moratur, debeat nobilitas tua ei adhærere, & cum eo noſtra vice pariter decertare, vt ad priſtinum ſtatum ſanctæ reip. imperiali ſeruitio dominorum, filiorumq; noſtrorum Leonis, & Conſtantini magnorum Imperatorum ipſa reuocetur Rauennatium ciuitas amore ſanctæ fidei noſtræ*: Lectis litteris, Veneti pontificis auctoritatem ſequuti, Paulum ſummâ ope iuuandum decreuerunt. ac, ratione rei gerendæ cum eo compoſita, claſſem ornarunt, ſermone diſſipato, ſe aduerſus Sarracenos rogatu Imperatoris contendere ſtatuiſſe. His ita conſtitutis, Paulus quaſi à Venetis repulſus, aliquot contractis copiis, Imolam acceſsit, & quaſi eam vrbem premere oppugnatione vellet, ibi exercitũ, quàm maximum potuit, comparauit. ac die cum Venetis compoſita caſtris inde Rauennam verſus motis, vrbem à terra repente inuaſit. Pridie verò Veneti, cum ſimulata in Orientem nauigatione euecti è portu eſſent, nondum orto ſole in anchoris conſtiterunt. atque eadem prope, qua Paulus, hora, claſſe ad littus appulſa, nauales vrbi milites admouerunt. Ad tantum tumultum exciti Hildebrandus, & Peredeus omnes, qui ferre arma poſſent, ad mœnia properare, atque præſentibus animis, corporibusq; tutari iuſſerunt. Cum omnes haud aliter ac iuſsi erant, impigrè, fortiterque feciſſent, haud ægrè hoſtes clara iam luce ſcalis appoſitis mœnia ſcandere contendentes ſuſtinuerunt. Dum ad muros pugnatur, Veneti, porta, quæ ad mare vergebat, effracta, vrbem intrarunt. Qua re animaduerſa, Duces cum valido armatorum globo ſe obiecerunt, ac prœlium atrociſsimum commiſerunt. Quod cum per aliquot horarum ſpatium fortiter ſuſtinuiſſent, tandem, ſuperueniente cum terreſtribus copiis Paulo, circunuenti acie exceſſerunt. Peredeus fugiens in Pineto occiſus. Hildebrandus viuus in manus Venetorum peruenit. Recepta vrbe, Paulus ſedem, & præfecturam ſuam iniuit. Veneti opera egregiè nauata domum redierunt. Hæc tanta celeritate acta ſunt, vt rex auxilio accurrere Papia nequiuerit. Hoc demum anno Leo Imperator, quod vatibus Iudæis promiſſum præſtare iandiu animo cupiebat, palam agere de ſacris abolendis imaginibus cœpit, atque ea de re litteras ad pontificem miſit, gratiæ ſuæ ſpem faciens, ſi voluntati ſuæ ſe dedidiſſet, dignitatis abdicationem intentans, ſi imperium abnuiſſet. Cui Gregorius pro Sedis dignitate reſcripſit, ſanctas imagines ex anti-

quo Catholicorum inſtituto in Eccleſia coli, neque ſibi venerationem earum abrogare aut pro arbitrio licere, aut pro officio conuenire. monere autem illum etiam, atque etiam, vt diligenter & quid ageret, & quouſque progrederetur, animaduerteret. neque enim Imperatoris eſſe, noui aliquid de fide ſtatuere, ſed quæ antiquitus decreta à patribus fuiſſent, quacũque ratione defendere. Inde ad Romanos, Rauennates, Pentapolitanos, Venetosq́; conuerſus ipſum conceptæ hæreſeos accuſauit, dignumq́; eſſe, qui, ſi in incœpto maneret, ab omnibus deſereretur, vt qui vltro ſe ab Eccleſiæ Catholicæ corpore ſecreuiſſet, oſtẽdit. Quibus Leo nihil permotus ſequenti anno bellum nefarium ſanctis imaginibus, earumq́; cultoribus intulit. Quippe ſigna, ac ſimulachra Domini, ac matris, martyrumq́; eius omnia tota paſſim vrbe deleri, ac diſiici iuſſit. Quod cum inſolenti obſequentium miniſtrorum libidine curaretur, vehementer populum ipſum antiquæ pietatis ſtudio inflammatum offendit. Itaque, cum dolorem ferre, iramque tenere non poſſet, agmine facto in regiam introrupit, & familiaribus eius multis, in primisq́; iis, qui impoſitum Aureæ portæ Domini ſignum deiiciebant, necem attulit. Qua re Leo exacerbatus ciuium alios bonis ſpoliauit, alios in exilium egit, in alios verberibus, in alios vltimo ſupplicio animaduertit, ac bellum atrox adeo cum Catholicis geſſit, vt ne ſacræ quidem ſcholæ pepercerit. Hoc erat nobile prope Palatium Auditorium, in quo vetere inſtituto magiſter vnus doctrinæ magnitudine clarus cũ diſcipulis duodecim ingenio, ſtudioq́; præſtantibus verſabatur. Hi, poſtquam omne dicendi artificium attigiſſent, magna cura Eccleſiaſticam rerum diuinarum ſcientiam pertractabant. neque ſine eorum con ſilio publicè agi quidquam ne Imperatori quidem permittebatur. In hos igitur Leo, cum ad ſe vocatos ſæpe in ſuam adducere ſententiam, ſed fruſtra, tentaſſet, ſeſe acri iracundia elatus inuexit, atque in Auditorio incluſos ipſos cũ libris, qui magni pretii erant, & ſacra omni comburi ſuppellectile iuſſit. Ea res ingentem in Græcia, atque in Italia ſeditionem exciuit. Etenim Græci & qui continentem, & qui inſulas incolebant, his auditis, magnam claſſem pararunt, eamque belli faciendi cauſſa Conſtantinopolim direxerũt. Verùm in itinere naues, artificioſo igne caſu conflato, cum incendium concepiſſent, ſubitò conflagrarunt. Romæ autem Gregorius põtifex harum rerum certior factus ſæuire animo, atque extrema meditari remedia cœpit. Itaque pontificis Conſtantini exemplo decretum propoſuit, quo Leonem Imperatorem piorum communione remouit, vt qui non ſolùm non Catholicus, ſed etiam Catholicis infeſtiſsimus eſſet: ac mox Italiæ populos ſa-

726

cramenti,

cramenti, quo ſe illi obligauerant, religione exoluit. &, ne ei aut tributum darent, aut alia ratione obedirent, indixit. Quo decreto accepto, Romani, Campani, Rauennates, & Pentapolitani à Leone ſubitò defecerunt, ac, variis tumultibus excitatis, ipſos etiam violare magiſtratus non dubitarunt. Quippe Rauennæ Paulus Exarchus occiſus eſt. Romæ Petrus Dux luminibus exutus. In Campania Exhilaratus Dux, cum populos aduerſus pontificem incitaret, à Romanis eò profectis vnà cum filio Hadriano eſt obtruncatus. Quin etiam odii ſui vim aduerſus eum vehementer adeo intenderunt, vt ad hoſtiles acerbitates prouecti de Imperio illi abrogando, alioque Imperatore legendo rettulerint. Quod conſilium pontifex, vt parum præſenti tempori aptum, opportunumq; repudiauit. Eodem tempore ingens prodigium è Græcia nunciatum. Inter Theram, ac Theraſiam inſulas per aliquot dies è profundo maris caligo quædã, quaſi ab ardente fornace ſurgens, emerſit. quæ paullatim denſata, in lapidemq; concreta totum illum locum, ac cælum ardore ſuo accendit. In medio verò ignis inſula in terram conſtipata, Theræ inſulæ eſt aggeſta. Quã re audita, iudicatum ab hominibus eſt, Deum inſignem Imperatorij flagitij nouitatem voluiſſe memorabilis huius prodigij nouitate notare. Eodem anno Sereno patriarchæ Aquileienſi mortuo Caliſtus Taruiſinæ eccleſiæ archidiaconus regis Luitprandi fauore eſt ſubſtitutus. Erant inter Imolam, & Mu-

727 tinam nonnulla ex regione Aemiliæ loca, nondum à Longobardis aut armis tentata, aut certè oppreſſa. His igitur Luitprandus poſtero anno, noua concitati tumultus occaſione allectus bellum intulit. ac leui certamine Feronianum, Montem bellum, Buxetum, & Perſicetum in ditionem cum adduxiſſet, demum ipſam etiam vrbem Bononiam occupauit. Hæc vrbs ab Etruſcis tum, cum imperio regionem Tranſapenninam tenebant, conſtructa Gallorum inde Boiorum in Italiam tranſcendentium ſedes fuit. deinde à populo Ro. recepta ius coloniæ Latinæ obtinuit. Demum ad Chriſtiana ſacra traducta cum alios ſanctos epiſcopos, tũ maximè Petronium, hominem Conſtantinopolitanum, eruditione, ac pietate inſignem eſt conſequuta. Gotthis Italia pulſis, cum ſub ius Romani recidiſſet Imperij, nunc demum Longobardæ potentiæ ceſſit. Hac igitur capta, Luitprandus fortunam voto arridentem ſequutus, Rauennate ditione omiſſa, ſeſe in Pentapolim intulit, ac, nemine reſiſtendi gratia occurrente, victor ab Arimino vſque Auximum penetrauit. ac demum ad Vicum Pileum regionis conſtituendæ cauſſa conſedit. Quo cognito, ciuitatum oratores cum muneribus, & ſacris epiſcoporum ſuorum ſalutationibus ad eum de more ſe contulerunt.

verùm à Romanis militibus in itinere fortè oppreſsi ad vnum capti omnes, atque interfecti ſunt. Rumore Italicæ defectionis in Græciam perlato, Leo rabie furens Eutychium Patricium Exarchum primo quoque tempore in Italiam contendere, ac Gregorio eius auctori vitam, quoquo modo poſſet, adimere imperauit. Profectus Neapolim Eutychius Campanorum partem in fide retinuit, atque inde Romam miniſtrum miſit, ſecreto mandato dato, vt pontificē cum optimatibus Romanorum extingueret. Vt omnia Imperatoris acta ea tempeſtate ſuſpecta erant, ſic alienus miniſtri Exarchi in vrbem aduentus hominum oculos in ſe conuertit, omnino, ne quid inſidiarum pontificis capiti ſtrueretur, extimeſcentium. Itaque, re patefacta, Romani ſtudio incitati eum comprehenderunt, & ſceleris meditati conuictum grauiter punire voluerunt; verùm pontifex eiuſmodi conſilio maturè occurrit, atque Eutychium diro anathemate percuſſiſſe, ſatis habuit. Multa egregia Romani pro inſito genti gloriæ, pietatiſq; ſtudio pro libertate Italiæ, ac dignitate Eccleſiæ auſi ſunt: nihil magnificentius, quàm quòd Longobardos reges, Græcoſq; Imperatores ſiue dominandi libidine, ſiue hæreſeos prauitate vrbi, pontificibuſq; impotentius imminentes ſemper pro viribus arcuerunt, fidemque Catholicam conſtantiſsimè defendentes libertatem, dignitatemq; Eccleſiæ ſuam eſſe libertatem, ac dignitatem putarunt. Quod igitur iampridem grauibus flagitiis Leonis impulſi ſpe, ac ſtudio deſtinarant, id hoc maximè tempore vt facerent, præſenti pontificis, Eccleſiæq; inducti periculo ſunt. Quippe rebus commemoratis exaſperati certa animi ſententia impium, ſæuumque Leonis Imperium reſpuerunt, ac ſolemni ſacramento ſe pontificis vitam, ſtatumq; in perpetuum defenſuros, atque eius in omnibus rebus auctoritati obtemperaturos iurarunt. Ita Roma, Romanuſq; Ducatus à Græcis ad Romanum pontificem propter nefandam eorum hæreſim, impietatemq; peruenit. Fuerunt autem hæc oppida: Roma cum caſtellis, oppidis, & viculis in Tuſciæ partibus, ideſt Portus, Centumcellæ, Cære, Bleda, Maturannm, Surrium, Nepet, Caſtellum Galleſij, Orta, Polimartium, Ameria, Tuder, Peruſia, Narnia, & Ocriculi. & in partibus Latii Signia, Anagnia, Ferentinum, Alatrium, Patricum, Fruſino, ac Tibur. Eutychius inde cum exercitu Rauennam profectus vrbem tenuit, ac Rauennates Imperii ſtudioſos facilè ad fidem redegit. Qua cura perfunctus cogitare inde de ſancti Pontificis exitio cœpit. quo ſublato, facilè ſe & Romanam ditionem amiſſam recuperaturum, & ſanctarum imaginum cultum profligaturum ex Leonis auctoritate ſperabat. atque adeo totus in eam curam incubuit, vt etiam Longobardos

muneribus aduerſus eum ſolicitare non dubitarit. Itaque, eo, vt exiſti-
728 mari licet, auctore, ſequenti anno Luitprandus Sutrium oppidum do-
lo Eccleſiæ ademit. Verùm mox muneribus, monitisq; pontificis victus
poſt dies XL reſtituit. Hoc cum XI Indictione factum notet Anaſtaſius,
profectò anno ſeptingenteſimo viceſimo octauo factum eſſe apparet,
vt ille ſcribit. Hac re animaduerſa, Eutychius regem ſibi alliciendum,
atque ſocietate, amicitiaq; adiungendum quoquo pacto conſtituit. De-
fecerat à rege illo tempore Tranſemundus, Dux Spoletanus, eumque
pro merito vlciſci mirificè cupiebat Luitprandus. Id vbi ſenſit Euty-
chius, legatos ad eum de ſocietate, atque amicitia miſit, ac fœdus cum
eo ea conditione percuſſit, vt ſociatis armis ille Ducem, ipſe pontificem
729 vindicaret, ac ditione, vitaque & hunc, & illum exueret. Ita proximo
anno, comparatis, coniunctisq; exercitibus, ambo magno ſe in Ducem
impetu intulerunt. Is, cum imminentem belli tempeſtatem propriis ſe
propulſare viribus non poſſe perſpiceret, vltro ſe regis imperata factu-
rum dixit, atque, obſidibus datis, ſolemni illi ſe ſacramento deuinxit.
Itaque, cum nulla in Longobardum belli materia remanſiſſet, omnis
inde Romam tranſlatus eſt terror, caſtraque in Campo Neronis à rege,
& Exarcho è regione templi S. Petri locata, atque acri Roma premi
obſidione eſt cœpta. Iampridem hoc ſentiens pótifex præſidiis, & ope-
ribus, quibus potuerat, vrbem firmarat. Quæ cum ſatis non eſſe aduer-
ſus tantam molem videret, ac ſimul agri vaſtationem, & templorum
violationem effugere vellet, quoad eius fieri poſſet, Spoletani Ducis
exemplo armorum conſilium poſuit. & ad preces ſibi confugiendum
conſtituit, inſigni pietatis Luitprandi regis fama permotus. Itaque vr-
be cum decoro comitatu clericorum, & optimatium Romanorum
egreſſus in caſtra ad regem venit, atque in hanc diſſerere ſententiam
cœpit: *Si ſolo, Luitprande rex, Leonis ipſius exercitu hanc vrbem obſideri no-
uiſſem, omnes, mihi crede, obſidionis labores potius exhauſiſſem, quàm aut ad pa-
cem, aut ad inducias vllas poſtulandas exiſſem. Quid enim de ſacris templis, &
religioſis ſepulchris liberandis agere cum eo conuenit, qui nuper ſanctas Chriſti, ac
Diuorum imagines ferro, atque igne delere, ac ſacrata templa nefariis manibus
inceſtare non dubitauit? Nunc verò, cum tuo potiſſimùm ductu hoc bellum audi-
rem adminiſtrari, teque præcipuè in caſtris ad vrbem poſitis obuerſari, cuius inter
eximias prudentiæ, virtutis, ac iuſtitiæ laudes egregia pietas, ac ſumma Sancto-
rum veneratio commendatur, non dubitaui ad te venire, & quæ ad Dei cauſſam
pertinere mihi viderentur, monere. Non credo, te ignorare rex Luitprande, te
vrbem illam infeſto exercitu oppugnare, cuius Eccleſiam principes ipſi apoſtolorum
Petrus, & Paulus pretioſo ſuo ſanguine conſecrarunt; terram verò ſanctiſſimis*

ſuis

ſuis ſepulchris omnibus terrarum gentibus venerabilem reliquerunt. An igitur ipſe in animum induces, ipſa ſanctorum Apoſtolorum templa, ac ſepulchra auguſtiſſima alieno arbitrio lacerare, qui vnius Confeſſoris oſſa, ne à barbaris ignominia afficerentur, magno auri pondere redemiſti, atque in regiam tuam tranſlata templo, ac ſepulchro pretioſiſſimo decoraſti? Quin potius in propoſita tua bene de Eccleſia merendi ſententia permanes, quàm fœdiſſimo Leonis de Deo ipſo peſſimè ſentientis exemplo duceris? ac multos bonos in nobiliſſima vrbe conſeruanda, quàm vnum in ea perdenda perditiſſimum imitaris? Notus eſt omnibus nobis propter inſignem ipſius crudelitatem Attila rex Hunnus, ſed tibi multò, vt credo, notior, quòd ea loca tenuit, in quibus maiores tui poſtea conſederunt. Hic cruorem, cædemque anhelans aliquando ad Romam incendendam curſu incitato contendit. Quod vbi pontifex, qui tum erat, Leo accepit, raptim ei ad Padum amnem accurrit, atque ipſum, ne longius progrederetur, orauit. ac demum ſpecie Sanctorum Petri et Pauli colloquio aſſiſtentium territum præter opinionem omnium facilem, mitemque ad auctoritatem ſuam adduxit. An verò Attila, qui non ſolùm non Catholicus, ſed longè etiam à Chriſtianis ſacris, atque omnino ab ipſa, vt aiunt, humanitate auerſus fuit, ab vrbe Roma adeunda vno prope Romani pontificis nutu ſeſe remouit, Luitprandus verò rex inſigni Catholicæ pietatis ſtudio etiam apud venturos homines prædicandus in eiuſdem vrbis oppugnatione perſtare volet, quæ inceſtam ſecum violationem eorum templorum, ſepulchrorumque adducat, quæ adhuc ſemper non ſolùm finitimis, atque humaniſſimis gentibus, ſed etiam remotiſſimis, & prope barbaris nationibus non tam pium ſpectaculum præbuerunt, quàm religionem, atque horrorem aſpectantibus iniecerunt? & Attila imagine tantùm Apoſtolorum deterritus ceſſerit, Luitprandus verò eorundem, quæ hinc etiam proſpicit, ſepulchrorum aſpectu non commouebitur? neque idem grauia à præſenti eorum numine exigenda piacula extimeſcet, qui ad propiciandos eos multa etiam bona de patrimonio detracta regio impertiuit? Quibus dictis, rex ſiue tacita religione captus, ſiue præſentis pontificis verecundia adductus ſtatim ad pedes eius ſe proſtrauit, & ſine vllo maleficio ex agro Romano ſe receſſurum eſſe promiſit. Mox, cum ab Exarcho moneretur, vt iuſſa Imperatoris impleret, ideſt vt pontificem aut captiuum faceret, aut ferro perimeret, non ſolùm id conſilium vt impium, ſceleratumque repudiauit, verùm etiam pontificem, vt Exarchum in gratiam recipere vellet, orauit. Inde ad templum S. Petri nullis ea tempeſtate mœnibus ſeptum acceſſit, atque ad aram profectus paludamentum, quo erat indutus, armillas, baltheum, enſem auratum, coronam auream, & crucem argenteam ante auguſtiſſimum corpus Apoſtoli poſuit, & ſupplex Deo vota, atque ipſi Apoſtolorum principi fecit. atque inde exercitũ domum reduxit. Mo-

rante inde Eutychio Romæ, Tiberius quidam, cognomento Petaſius, tumultu in Etruria concitato, Imperium ſibi vindicare tentauit, non nullis populis ſacramentum apud ſe dicere iuſſis. verùm, Eutychio cōſilium non expediente, breui per exercitum Romanum iuſſu pontificis eſt oppreſſus. Gerebat eo tempore ſummum in Francia magiſtratum Carolus, cognomento Martellus. qui magiſtratus vulgò Maiordomus appellabatur, ac ius omne regni domi, foriſq; gerendi habebat. Is Longobardorum amicitiam rebus Franciæ vtilem fore, & commodam ratus, filium ſuum Pipinum ad regem Luitprandum miſit, rogans, vt, attōſa Longobardorum more cæſarie, ipſum ſibi filium adoptaret. Quā rem adeptus, certiſſimum ſe fidelis amicitiæ pignus conſecutum eſſe, eſt arbitratus. Interea Leo his cognitis in dies acrius ſæuiebat, ac crudelius bellum ſacris imaginibus faciebat. Itaque eodem hoc anno, nempe Imperij ſui tertio decimo, Germanum patriarcham pro imaginibus ſentientem acciuit, ac blandis in ſuam ſententiam pellicere verbis contendit. Cui Germanus reſpondit. Sanctarum quidem abolitionem imaginum ô Imperator aliquando futuram accepimus, verùm non imperante te, ſed Conone. Atqui, inquit ille, verum mihi à ſacro lauacro Cononis eſt nomen. Tum Germanus; Auertat Deus, inquit, vt hoc, te imperante, mali contingat. Antichriſti præcurſor eſt, & diuinæ planè humanitatis euerſor, qui hoc effecturus eſt. Qua re ille audita exarſit, ac minas in eum iactare acriores inſtituit. Cui Germanus, Deſine minari, inquit, ſacramenti memor, quo te obſtrinxiſti, apoſtolicos, ac diuinos Eccleſiæ ritus nulla parte moturum. Verùm ne ita quidem Leo ſententia deſtitit, immo rationem iniuit, qua Germanum iam, non tanquam Confeſſorem, ſed tanquā coniuratorem euerteret. Itaque, Anaſtaſio quodam Germani diſcipulo, atque Syncello in

730 conſilij ſocietatem vocato, VII Idus Ianuarias, Indictione XIII, annō Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo, epiſcoporum conuentum aduerſus imagines habuit, atque ei ipſe celſo præſidens in tribunali Germanum iterum aduocauit, ac blanditiis primùm, deinde minis ad ſui comprobationem conſilii traducere inſtitit. Verùm Germanus tanta conſtantia fuit, vt ſacerdotio potius ſe abiturum, quàm recto propoſito præ ſe tulerit. pallioq; reddito, Si ego ſum Ionas, inquit, proiice me in mare. neque enim ſine generali concilio aliquid mihi innouare ex Apoſtolorum, patrumque doctrina licet, atque ita ſe officio abdicauit. Quibus rebus actis, Leo XI Kal. Februarias Anaſtaſium ſubrogauit, ac conuentu dimiſſo, imagines omnes publicè comburi iuſſit. quique ei ſententiæ non ſubſcripſerunt, miſerè aut capite, aut alia corporis parte mulctauit.

uit: Quod vbi cognouit Gregorius, per *litteras* eum admonuit, vt ad
Catholicam veritatem, ritumque tuendum ſe referret, atque Anaſta-
ſium ſacerdotali officio ſpoliauit. Eodem anno, cum Sarraceni Pro-
uinciam, regioné Franciæ, inuaſiſſent, atque in primis, teſte Mariano,
Auennionem cepiſſent, Luitprandus à Carolo Martello auxilio pro iu-
re amicitiæ aduocatus eſt. Itaque poſt menſem Maium (nam eo menſe,
tertia decima Indictione, Papiæ fuit,) ſummo ad illum ſtudio cum ex-
peditis copiis Longobardorum accurrit, ac maxima ad eam victoriam
adiumenta ſubminiſtrauit. Dum autem ille abfuit, Exarchus tempus
ſibi oblatū Aemiliam, Pentapolimq; amiſſa recuperandi ratus, ipſe e-
xercitum in Pentapolim duxit, Agathonem verò Peruſinorum Du-
cem in Aemiliam miſit: Non eadem vtroque in loco fortuna fuit.
Exarchus, cum caſtra ad Ariminum poſuiſſet, prœlio commiſſo exerci
tum Longobardorum proſtrauit. Quo facto, ciuitates Pentapolis in
fidem continuò redierunt. Agatho verò ad recipiendam in Aemilia
Bononiam profectus, quam Valcaris, Peredeus, & Rotharis tuebãtur,
inſigni accepta calamitate, receſsit. Poſtero anno III Idus Februarias 731
Gregorius pontifex ſupremum vitæ diem expleuit, indictione, vt ſcri-
bit Anaſtaſius, quarta decima, ingenti gloria relicta doctrinæ, ſanctita-
tis, & rerum, quas tam proſperè, quàm piè pro dignitate Eccleſiæ admi
niſtrauit. In eius locum lectus eſt Gregorius tertius, presbyter, à populo
ſummo conſenſu, dum iuſta mortuo ſoluerentur. Is, inito pontificatu,
cultum ſacrarum imaginum, qui ab Imperatoribus oppugnabatur, an-
te omnia ſibi defendendum exiſtimans, litteras ſubitò ad eos ſcripſit ad
tam prauam opinionem abiiciendam adhortans. Quas litteras Grego-
rius presbyter, qui pertulit, reddere præ metu non auſus, ad pontificem
retulit integras. Quod ſimul pontifex ſenſit, intempeſtiua illius contu
macia offenſus acriter eum increpuit, & cum iiſdem redire Conſtanti-
nopolim iuſſit: Verùm Imperatores hominem in Sicilia coerceri man-
darunt, & per ſequentem annum in cuſtodia habuerunt. Sub idem 732
tēpus Caliſtus patriarcha Aquileienſis poſſeſſiones Gradenſis eccleſiæ
occupatas iuſſu Gregorij pontificis reddidit. Eodem anno Gregorius
de nuncio ſuo in Sicilia retento certior factus conuentum in Lateranū
pro cultu ſanctarum imaginum retinendo coegit. Ad quem archie-
piſcopi Antoninus Gradenſis, & Ioannes Rauennas, qui Felici ſucceſſe-
rat, & nonaginta tres epiſcopi conuenerunt. ac relatione facta, ex eo-
rum ſententia ita decreuit: *Si quis poſthac veterem Catholicæ Eccleſiæ vſum
contemnens, aduerſus eandem ſacrarum venerationem imaginum abrogarit,
ſit extorris à corpore, & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel totius Eccle-*

hæ vbitate. Qua re perfecta, Imperatores litteris aliis in eandem ſententiam ſcriptis rurſus officij ſui admonuit, eaſque per Conſtantinum Defenſorem miſit. Verùm & hic captus, ac per annum in cuſtodia habitus mandata explere nequiuit. His cognitis, Leo indignè ferens, ſe non ſolùm Romana ditione exutum, ſed etiam communione piorum rurſus eiectum, quod adhuc facere variis de cauſsis omiſerat, pontificem, ac Romanos tranſmarinis vindicare legionibus ſtatuit. Itaque hoc anno, qui fuit Imperij ſui ſextus decimus, claſſem cum ingenti exercitu in Italiam miſit, ac ducibus, vt bellum Eccleſiæ facerent, imperauit. Verùm diuina voluntate ne nunc quidem tenere propoſitum potuit. Claſsis enim, cum proſpera nauigatione vſa in Adriaticum vſque ſinum incolumis perueniſſet, ibi, ſæua tempeſtate oborta, fœdo lacerata naufragio periit. Qua re cognita, Leo iracundia exarſit, ac prope furẽs Siculo, & Calabro populo tributum intolerabile in caput impoſuit, eiuſque rei cauſſa infantes etiam inſpici, atque in tabulas referri mandauit. Quin etiam vectigal, quod Patrimonium templorum Apoſtolorum dicebatur, tria ſelquitalenta, regio fiſco attribuit. Quinque inde anni ab omni parte quieti, neque magnis vllis rebus, niſi principum ſucceſsione nobilitati, abierunt. Si quidem poſtero Romualdus Dux
733 Beneuentanus poſt annos xxvi morte conſumptus Giſulfum puerum Ducem reliquit ex filia ſororis Luitprandi ſuſceptum. Quem cum propter imbecillam ætatem Luitprandus parum idoneum tantis rebus adminiſtrandis putaret, præfectura remouit, ac Gregorium alium
734 nepotem ſuum impoſuit. Biennio verò interiecto, Theodorus ec-
735 cleſiam Mediolanenſem, & poſt alterum biennium Ioannes vi Rauen-
736 natem obtinuit. Is annus tumultum inſignem Foroiulienſibus attulit.
737 Quippe Caliſtus, patriarcha Aquileienſis, cum aſsiduis Sclauorum incurſionibus conflictatus Aquileiam prorſus relinquere ſtatuiſſet, Amatorem epiſcopum de oppido Forijulij depulit, cum diceret, inſignem Ducis ſedem patriarchæ magis, quàm epiſcopo, conuenire. Hac de cauſſa Pemmo Dux ira percitus Caliſtum, adiuuantibus Longobardis, arripuit, atque in mare præcipitare voluit: verùm à ſuis retentus in cuſtodiam tradidit, ac victu ibi tenuiſsimo ſuſtentauit. Rei indignitate permotus Luitprandus grauiſsimè Pemmoni ſuccenſuit, ac Ducatum ademptum filio eius Rachiſio dedit. Inde Rachiſij etiam gratia Pemmoni, & Rathuito, atque Aiſtulfo fratribus eius ignotum. In ceteros, qui cum Pemmone Caliſtum vexarant, ſeuerè animaduerſum. Se-
738 quenti anno Rachis Dux Forijulii Sclauos bello adortus eſt: quippe in Carniolam cũ exercitu ingreſſus, ingenti hoſtium ſtrage facta, omnia

peruaſtauit. Repentino inde eorum incurſu petitus, lanceam armigero non præbente, qui primus occurrit, eum claua, quam manu geſtabat, percuſſit, ac ſubita morte affecto reliquorum impetum retardauit. Ab illo inde tempore magis, magiſque fama eius inclaruit. Eodem anno bellum graue inter Longobardos eſt ortum; cuius contagione ipſa quoque Roma magnum eſt in diſcrimen adducta. Hoc bellum Tranſemundus, Dux Spoletanus, exciuit. Is defectionem à rege moliens pacem cum pontifice vrbis Romanæ dominatum adepto compoſuit, & fœdus, atque amicitiam iunxit, caſtro Gallienſium reddito, cuius cauſſa Romanum ille Ducatum diu habuerat infeſtiſſimum. Itaque ea ſocietate ſubnixus regis imperata facere detrectauit. Luitprandus ad dignitatem, præſidiumq; regni eam pertinere defectionem ratus, paratum continuò aduerſus eum eduxit exercitum. Tranſemundus impetum regis non tulit, verùm vrbe elapſus ad pontificem nouo principatu fulgẽtem confugit, atque eum, vt ſe ſe tueretur, orauit. qui & deceſſorem eius promptis nuper aduerſus Exarchum auxiliis protexiſſet, & cum ipſo fœdere ſe ſanctiſſimo ſociaſſet. Pontifex, adhibito in conſilium Duce Stephano, ex eius, & militum Romanorum ſententia ipſum recepit in fidem. Luitprandus, Ducatu Spoletano prope ſine certamine in poteſtatem redacto, Hildericum nepotem ei præfecit Ducem, rebuſque Spoletanis compoſitis, legatos ad pontificem miſit, ac Tranſemundum ſibi dedi poſtulauit, &, ni dederet, bello ſe perſequuturum vrbem oſtendit. Pontifici haudquaquam è fide, dignitateque ſua eſt viſum, Ducem bene de Eccleſia meritum, eumque ſocium, ac demum etiam dedititium ad ſupplicium tradere. omniaque potius aduerſi belli incommoda patienda, quàm tantam fidei iacturam faciendam ex communi Romanorum conſilio ratus, haudquaquam ſe dedere velle hominem dixit. Hac de cauſſa Luitprandus tranſacta hieme exercitũ ex Ducatu Spoletano in Romanum traduxit, atque Ameriam, Ortam, Polimartium, 739
& Bledam oppida occupauit. inde in vrbis fines ingreſſus vaſtato agro vrbi demum obſidionẽ admouit. caſtriſq; in Campo Neronis ſtatutis, multos nobiles Romanorum more Longobardorum attonſos ad ſe attraxit. His malis Gregorius circunuentus, deceſſoris ſui exemplo, regem precibus, vt obſidionem ſolueret, inſtitit, miſſis oratoribus, fatigare. quas cum irritas, atque inanes animaduerteret, neque ex Italia ſubſidium vllum ſperaret, ad externa ſibi confugiendum exiſtimauit. Per ea tempora Franci non militaris ſolùm virtutis, ſed Catholicæ quoque pietatis laude præſtabant. Carolus autem Martellus, de quo ſupra commemorauimus, egregiè erga Romanam Eccleſiam animatus regnum pro

rege adminiſtrabat. Ad hunc igitur propere legaros Anaſtaſium epiſco pum,& Sergium presbyrerum maritimo itinere deſtinauit. atque hono ris eius gratia claues ſancti ſepulchri, aliaq; munera auguſtiſsima miſit, obteſtans, vt ſibi, atque affectis Eccleſiæ rebus ſuccurreret, & vrbem ob ſidione Longobardorum eximeret. Ea res vt noua, ſic mirabilis, atque honorifica illo tempore viſa. Nec dubium eſt, quin illud exemplum mi rificè Romanæ Eccleſiæ dubiis in poſterum illius in rebus profuerit. Ca rolus, quanto ea res honori & regi, & ſibi futura eſſet, intelligens, quòd primus è Francis à pontifice Ro. eſſet ad amicitiam appetitus, legatos li beraliſsimè excepit, &, fœdere cum Eccleſia iuncto, eos extemplo cum ſuis remiſit, datis muneribus, quæ pontifici redderent, & mandatis, quæ ad Luitprandum ſuper Romano bello deferrēt. Grata Luitprando ea le gatio fuit. Caroloque petenti, vt Romana ditione ſine maleficio cede ret, haud grauatè conceſsit. oppida tamen quattuor, quæ occupauerat, ſibi retinuit, atque inde Papiam Auguſto menſe, ſeptima Indictione, re petiit. Luitprandum profectum, & hoſtilem exercitum è finibus eductū vbi Tranſemūdus cognouit, cōfeſtim Ducatum armis repetere inſtitit. atque ei Gregorius pontifex, & Godeſcalcus Beneuenti Dux, paullo an te Gregorio Duci mortuo à Beneuentanis iniuſſu regis ſuffectus, alacri ſtudio auxilia præſtiterunt: ille, vt ſuſceptum ſemel amici hominis pa trocinium tueretur, atque, eo reducto, per illum Ameriam, Ortam, Ble dam, Polimartiumq; recuperaret, hic, vt firmior aduerſus infenſum ſi bi regem præſidio, & incolumitate eius euaderet. Itaque, his copiis aſ ſumptis, in Ducatum ingreſſus Marſicanos, Furconenſes, Balbenſes, & Pinnenſes primo aduentu recepit. Inde per Sabinum agrum in Reati nos trāſgreſſus, id quoque oppidum adduxit in ditionem. Demum De cembri menſe, Indictione octaua, Spoletum repente adortus, Duce Hilderico interempto, recepit. Eo anno Deuſdedit, Vrſi filius, Hera cliæ Ducatum geſſit. itemque ſequenti, qui fuit à Chriſto nato ſeptin

740 genteſimus quadrageſimus. Adiuuit inde conatus Tranſemundi grauis, quo Luitprandus implicitus eſt, morbus. qui adeo periculoſus fuit, vt Longobardi de vita regis, & regni ſalute ſoliciti Hildebrandum nepo tem eius regem ad baſilicā Dei genitricis ad Perticas declararint. Cum autem haſtam ei de more porrigerent, cuculus in vertice haſtæ conſe dit, ex quo infauſtum illi fore regnum eſt intellectum. Itaque Luitpran dus ex morbo recreatus, ac triſti illo omine perturbatus regnum nepoti confirmare volens, eum regni ſibi ſocium, corona impoſita, compara uit. Eodem anno per Nouembrem, & Decembrem menſem Conſtan tinopolis ſæuo terræmotu contremuit. Priuatæ domus, & templa, alia-

que publica monumenta ferme omnia prociderunt, ac multi mortales ædificiorum oppreſſi ruinis exanimati ſunt, diuino numine ſeuerè, vt rebantur homines, ipſam ſanctarum abolitionem imaginum vindicante. Sequens annus trium clariſſimorum principum morte fuit inſignis, 741
Leonis Imperatoris, Caroli Franciæ proregis, Gregoriique pontificis. Leo XII Kal. Iulij mortuus Conſtantinum Copronymum multò ante à ſe in Imperij ſocietatem aſcitum Imperatorem reliquit. Horret animus, ea litteris prodere, quæ de huius immanitate, atque impietate à Græcis ſcriptoribus memorentur. Hic patre tetrior, ac deteſtabilior, longius etiam à Deo, & Virgine Dei matre, omnibusq; Sanctis diſceſſit. Quippe præſtigiis, libidinibus, dæmonum inuocationibus, extorum diſſectionibus, præterea venationibus, ludisq; deditus idoneum ſe Antichriſto inſtrumentum exhibuit. atque patriarchæ vocem prope diuino ex ore miſſam confirmauit, qua hunc ſacra omnia inquinaturum prædixit. Itaque, inito poſt patris mortem Imperio, vniuerſali edicto propoſito, imperauit, ne quis aliquem ex ſeruis Dei nomine Sancti decoraret, neque ipſorum Sanctorum auxilium inuocaret, ſed eorum reliquias conſpueret, ac pro nihilo duceret. neque Mariam virginem imploraret, neque Dei genitricem vocaret. Quin, ſumpto loculo auro referto, de quibuſdam, qui aderant forte, rogauit, quanti eum pretij æſtimarent? cum reſponſum eſſet, magni, exempto auro, iterum quanti æſtimarent, quæſiuit. Reſpondentibus autem illis, Nihili, Rectè iudicatis, inquit. Maria quoque, dum Chriſtum geſtauit, ſummi pretii fuit, poſtquam eum peperit, nihilo ceteris mulieribus pretioſior eſt. Hæc populus audiens incredibili mœrore oppreſſus. ipſius odio ad Artabaſdum animos inclinauit, qui ſororem eius habebat in matrimonio. In Francia Carolus XI. Kal. Nouembris vita cedens, tres filios reliquit Grifonem, Pipinum, & Carlomanum. ex quibus Pipinus regiam patris præfecturam obtinuit. qui patris veſtigiis inſiſtens mirificè poſt Eccleſiam Romanam eximio ſtudio Catholicæ pietatis ornauit. Gregorio verò III Kal. Decembris ex rebus humanis exempto Zacharias presbyter, natione Græcus ſucceſſit. Is III Nonas Decembris conſecratus, vt laboráti Eccleſiæ mederetur, poſtero ineunte anno, legatos alios ad regem miſit, 742
per quos quattuor erepta oppida repopoſcit, alios ad nouum Imperatorem, per quos quaſdam maſſas Eccleſiæ poſtulauit. ſimulque Synodicam ad Conſtantinopolitanam direxit, qua fidei ſuæ ſummam expoſuit. Ex quibus qui ad regem perrexerunt, reſponſum tulerunt, ſe pontifici, cum ad ea loca veniſſet, cumulatè ſatisfacturum; qui verò Conſtantinopolim contenderunt, ij Conſtantinum abſentem, Artabaſdū

verò Imperatorem appellatum repererunt. Ceterùm Artabaſdus hoc modo ad Imperium erat euectus. Conſtantinus in regionem Obſicianam profectus, Artabaſdum, qui Dorylæi erat, ſtudiis populorum erga eum permotus, opprimere eſt conatus. Qua re cognita, Artabaſdus exercitum aduerſus Conſtantinum promouit, &, præfecto eius Biſerò obtruncato, & Conſtantino in fugam coniecto, Conſtantinopolim aduolauit, ac ſacris imaginibus reponi per vrbem iuſſis, extemplo ab omnibus ordinibus Imperator eſt ſalutatus. Quo facto, Anaſtaſius patriarcha in concionem aſcendit, ac tenens Crucem domini ita dixit. Per eũ, qui huic ligno affixus eſt, iuro, Conſtantinum Copronymum hæc mihi verba dixiſſe: Noli credere, quem Maria peperit, Chriſtum, filium Dei, ſed purum hominem eſſe: ita enim eum Maria peperit, vt & me Maria mater mea. Quibus vocibus auditis populus inflammatus extemplo ei Imperium abrogauit. Eodem anno Luitprandus nouum bellum Tranſemundo intulit, Rachi Duce cum Foroiulianis opem ferente. Quo cognito, Tranſemundus cum Spoletanis, atque Romanis copiis obuiam prodiit, atque ad Fanum, vbi exercitum nauibus deuectum expoſiturus rex erat, occurrere properauit. Quo conatu lapſus ipſum à Fano ad Forum Sempronii contendentem media in ſylua nactus, inuaſit. Rachis Dux, & frater eius Aiſtulfus cum Foroiulianis extremum claudebant agmen. In hos cum Spoletani ſe intuliſſent, graue prœliũ inierunt, ac, licèt ducibus totam pugnam fortiter ſuſtinentibus, multos ex hoſtibus vulnerarunt. Rachis à quodam Spoletano, nomine Bertone, nominatim prœlio prouocatus, in certamen deſcendit, atque cõſerta manu illum equo deiecit. qui permiſſu Rachis manibus, pedibuſq; rèptans euaſit in ſyluam. Aiſtulfus verò à duobus in ponte circunuentus alterum auerſa cuſpide de ponte deturbauit, alterum grauiter vulneratum demerſit in fluuium. Dirempta pugna, Spoletum inde eſt proceſſum. Tranſemundus, cum ſe mœnibus incluſiſſet, obſeſſus peruenit in ditionem. Eum Ducatu ſpoliatum Luitprandus clericum eſſe iuſſit, & in locum eius Aſprandum nepotem ſuum ſubſtituit. Non reddebat interea rex quattuor oppida erepta, quæ ſe redditurum ſpoponderat, cum ad hæc loca veniſſet. Id Zacharias pontifex miratus, omiſſo, quod inane putabat, allegationis officio, ipſum ſibi Gregorij ſecundi exemplo conueniendum exiſtimauit, Interamnæ in ditione Spoletana fortè ſedentem. Ita, vniuerſo Romano proſequente clero, vrbe egreſſus illò intendit iter. Hoc poſtquam rex accepit, humanitate ſe vinci haud paſſus, ſubitò legatum ei Grimoaldum obuiam, qui Narniam vſque deduceret, miſit. Ibi duces, & milites plerique regis eum exceperunt. Inte-

tamnam verò appropinquanti rex cum reliquo optimatum, ac militũ agmine occurrit, & baſilica beati Valentini martyris cũ eo viſitata, ac di uina precatione de more perfecta, aliquot cum eo ſpatia iucundiſsimo ſermone illato confecit, & ad hoſpitium ei paratum dimiſit. Poſtridie eius diei cum iterum ad colloquium eſſet proceſſum, tum pontifex ita verba fecit: *Si clementiam, æquitatemq́ tuam, Luitprande rex, nunquam ipſa eſſet Eccleſia Romana experta, tamen conſtanti fama iuſtitiæ tuæ adductus, me, quæcunque à te honeſta peterem, haud dubiè impetraturum eſſe confiderem. Nunc verò cum & tu Gregorio deceſſori meo benignum te adeo, miſemq́ prebueris, vt eius rogatu vrbis obſidionem, quam alieno inferebas arbitrio, ſolueris, & iuſtitiam ita colas, vt non veteribus ſolùm legibus ſtudioſè ſeruandis, ſed nouis etiam ferendis regnum tuum ſanctiſsimè adminiſtres, quid eſt cur ego Eccleſiæ ius à te poſcere, aut per te mihi negatum iri addubitem? Etenim ſi quidquam aliud regi conuenit, præcipuè promiſſorum, & fidei conſeruatio conuenit. Quam cum tu, vt audio, priuato cuique & præſtes & ſingulis in tuo regno præſtandam diligentiſsimè cures, non video, cur non eam ipſi quoque Eccleſiæ ſeruari cenſeas oportere. à qua vna hæc tota de iuſtitia, fideque tuenda diſciplina formata eſt. Peto igitur, vt oppida à te Eccleſiæ occupata, & captiuos ſuperiore bello factos, nec dum, vt oportuit, reſtitutos, quemadmodum ſæpe ſpopondiſti, beato Petro reſtituas, ne quem magnifico apud regiam tuam templo condecoraſti, eundem bonis ſuis in ſua ſede per te expilatum eſſe diutius homines demirentur. &, ſi cumulare beneficiũ hoc cum ingenti tua laude cupis, rogo, vt fœdere te cum Eccleſia iungas, pro certo habens, te non ſolùm animæ tuæ poſt mortem ſalutare remedium adepturum, ſed etiam æternam apud poſteros nominis commendationem laturum; cum Eccleſiam ab Imperatore Chriſtiano deſertam primus ipſe omnium Longobardorum, iuncta cum pontifice ſocietate, ſuſceperis defendendam.* Quibus verbis rex mollitus, ac ſimul hominis conſtantiam, & ſanctitatẽ miratus, haud ægrè quæcunque poſtulauit, indulſit. Nam ei quattuor oppida, & captiuos reſtituit, & fœdus cum Eccleſia in xx annos percuſſit: quin etiam (adeo pontificio ipſo, atque Apoſtolico nomine eſt affectus.) vltro Sabinenſe patrimonium triginta ante annos ereptum reſtituit, atque inſuper Narnienſi, Anconitano, Auximate, Numanateq́; patrimonijs, & valle agri Sutrini, Magna vocata, donauit. poſtridie verò, quæ dies dominica fuit, à pontifice poſt rem diuinam perfectam ad prandium inuitatus maxima cum eo comitate accubuit. Quo facto, pontifex ad oppida ex regiorum legatorum manibus recipienda proceſſit. Legati fuere Hildebrandus nepos regis Dux Cluſinus, Tacpertus, & Raningus, & Grimoaldus Etruriæ gaſtaldei. Ameriam primùm, deinde Ortam, tum Polimartium, atque ad extremum per fines Tuſciæ Longobardo-

rum, & Sutrinos Bledam eſt ventum. Inde in vrbem reuerſus, vt populum ad gratias Deo agendas incitaret, ſupplicationem ab æde S. Dei genitricis ad martyres vſque ad baſilicam Vaticanam inſtituit. Hæc decima, vt ſcribit Anaſtaſius, indictione ſunt geſta. Iampridem Luitprandus male erga Godeſcalcum Ducem Beneuentanum erat affectus, & quia iniuſſu ſuo Ducatum iniſſet, & quia Tranſemundo hoſti opē priore bello tuliſſet. Itaque Tranſemundum ex ſententia vltus, continuò exercitum aduerſus Godeſcalcum direxit. Quo cognito ille perterritus aduentum eius ſibi non expectandum, ſed in Græciam fugiendum putauit. verùm id aſſequi à Beneuentanis Giſulfi olim Ducis amicis, nauim cum vxore, liberiſq; conſcendens oppreſſus, non potuit. Luitprandus autem Beneuento potitus, Giſulfum, quem olim propter ætatem remouerat, iterum impoſuit Ducem. rebuſque proſperè geſtis victor ſe recepit in regiam. Sequenti verò anno, id eſt indictione, vt Anaſtaſius
743 inquit, vndecima, ſiue ocij impatiens, ſiue immodici, vt ſatis conſtabat, imperij appetens, exercitum deintegrò in Exarchatum immiſit, ac, Cæſenæ oppido occupatò, Rauennam inde ſe oppugnare velle oſtendit. Quod vbi Eutychius, & Ioannes archiepiſcopus, & populus Rauennas, ac ciuitates Pentapolis, & Aemiliæ compererunt, extemplo oratores cum litteris ad pontificem miſerunt, orantes, vt afflictis rebus ſuis ſubueniret, ideſt auctoritate ſua, quam ſanctiſſimam apud regem eſſe conſtaret, eum ab eiuſmodi conatu auerteret. Neque eorum petitioni quidquam abnuit pontifex. Etenim, legatis Benedicto epiſcopo, & Ambroſio notariorum primicerio ad eum eximiis cum muneribus miſſis, petiit, vt Cæſenam, aliaque loca reſtitueret, & à Rauennati oppugnatione deſiſteret. verùm nihil æqui potuit impetrare. Itaque, inani, vt ſæpe iam expertus erat, officio legationis præterito, regis iterū adeundi conſilium cepit: relictaq; vrbis Stephano Duci cura, ipſo ardente media æſtate cœlo, iter Rauennam verſus inſtituit. Exceptus inde ad baſilicam beati Chriſtophori ad quinquageſimum à Rauenna lapidem ab Exarcho, & promiſcuo Rauennatium populo extra portas vrbis effuſo, & cum miris laudum acclamationibus in vrbem deductus Stephanum presbyterum, & Ambroſium primicerium aduentum ſuū regi miſit prænunciatum. Hi, cum Imolam in fines Longobardorum veniſſent, ac quædam ad interſepiendum pontifici tranſitum parari audiſſent, ipſum primo quoq; tēpore admonuerunt. Verùm ille haudquaquam exterritus poſtridie mane continuato itinere in fines hoſtiū iniit, atque ad Padum contendit. Ibi à regiis optimatibus obuiam miſſis exceptus IIII Kal. Iulii in ipſa beatorum Apoſtolorum vigilia Papiam peruenit,

uenit, ac, baſilica S. Petri ad cælum aureum viſitata, vrbem intrauit. poſtridie, qui dies erat Apoſtolorum feſtus, in eandem ædem cum ipſo rege regreſſus magna pompa ſacris eſt operatus. Ibi mutuis perfuncti ſalutationibus vnà ſunt epulati. Inde in vrbem eſt reditum. Tertio die pontifex ad regem ab illo inuitatus ſe contulit, & magno honore cultus eum orare ſuppliciter inſtitit, ne Rauennatium ditionem vexare vellet, & vt adempta Aemiliæ loca, in primisq; Cæſenam reſtitueret. Cui rex, licèt grauatè, ſe in eius auctoritate futurum reſpondit. Decedentē inde vſque ad Padum proſequutus dimiſit, datis ex primoribus ſuis, qui Rauennatium loca, in primiſque Cæſenam redderent, tertia tantùm agri parte retenta. Quibus locis receptis, pontifex vrbem repetiit, ac gratiis Deo actis ſolemne Apoſtolorum anniuerſaria cæremonia celebrauit. Quæ dum aguntur, nuncius affertur, Luitprandum regem repentina morte ſublatum eſſe. Qua re accepta, cuncti animos erexerunt, ac melius de rep. ſperare cœperunt. Fuit Luitprandus vir, ſi nimiam libidinem dominandi remoueas, omni laude, ſed maximè religionis ornatus. Si quidem, vt inquit Paulus, multa in Chriſti honorē per ſingula loca, vbi degere ſolebat, templa conſtruxit. monaſterium S. Petri ad Cælum Aureum extra Papiæ mœnia, & alterum Bardonis in monte Bercetum dictum ædificauit. In Olonnà verò miro opere in honorem S. Anaſtaſii martyris Chriſto domicilium ſtatuit, in quo & monaſterium excitauit. In ſuo Palatio oratorium S. Saluatoris condidit, &, quod nulli alii reges habuerant, ſacerdotes, & clericos inſtituit, qui ei quotidie diuina officia celebrarent. Eo regnante, Baudolinus apud Forum iuxta amnem Tanarum mirandis edēdis operibus floruit. Narrat idem Paulus, Luitprandum aliquando venantem grauiter ex lætifico ſororis filii vulnere eſſe affectum, ſtatimque nuncium ad Baudolinum, vt pro iuuenis ſalute Chriſtum oraret, miſiſſe. Baudolinum autem præoccupato nuncio dixiſſe, non eſſe, cur rogaretur. nam puerum illum eſſe defunctum, ex quo apparuiſſe, illum ſpiritu diuino eſſe repletum. Pari etiam integritatis, & vaticinii laude apud Veronam Theolapius præſtitit. & Petrus Papienſis epiſcopus eodem quoque tempore ſingularem opinionem habuit ſanctitatis. Sepultus eſt in æde S. Petri cum hoc elogio.

Flauius hoc tumulo Luitprandus conditor olim
Longobardorum rex inclytus, acer in armis,
Et bello victor. Sutriumq; Bononia firmant
Hoc, & Ariminum, necnon inuicta Spoleti
Mœnia. Namque ſibi hæc ſubiecit fortior armis.

Roma

Roma ſuas vires iampridem milite multo
Obſeſſa expauit. deinceps tremuere feroces
Vſque Saraceni, quos diſpulit impiger ipſo,
Cum premerent Gallos, Carolo poſcente iuuari.
Vngarus à ſolo hoc adiutus, Francus, & omnes
Vicini grata degebant pace per omnes.
Rege ſub hoc fulſit, quod mirum eſt, ſancta, frequensq́
Relligio, vt recolunt Alpes, eccleſia quarum
Hunc habuit, vincente ipſo; & pergrandia templa
Quæ viuens ſtruxit. quibus & famoſus in orbe
Semper, & æternus luſtrabit ſæcula cuncta,
Præcipuè Petro cæleſti hac ſede locata
Clauigero, ſtatuit cælo quam prouidus aureo.
Auguſtinus vbi, huc aliunde abductus eodem
Rege iacet, cuius doctrina Eccleſia fulget.

FL. HILDEBRANDVS REX.

Mortvvm Luitprandum nepos eius Hildebrandus excepit. quem regem à populo deſignatum, atque ab auo confirmatum fuiſſe ſupra commemorauimus. Erat tum caſtellum quoddam in via Aemilia longè ab vrbe Mutina quattuor millia paſſuum diſtans, quod Ciuitatis Geminianæ à nomine S. Geminiani, epiſcopi Mutinenſis, cuius ſepulchro, & miraculis Mutina præcipuè gloriatur, & Ciuitatis Nouæ nomen ferebat. Huius igitur ciuitatis ædem S. Petro, vt eſt hodie quoque, dicatam Hildebrandus rex Ioanni epiſcopo Mutinenſi donauit. Conſtantinus, exercitu Conſtantinopolim adducto, vrbē obſedit; atque, Artabaſdo in poteſtatem redacto, ipſam, imperiumq́; recepit. & ludis editis Artabaſdum oculis ſpoliatum vnà cum Anaſtaſio patriarcha in Circum cōtumeliæ cauſſa produxit. Legatis inde pontificis requiſitis, atque ad ſe venire iuſſis, duas maſſas, quas pontifex poſtulárat, conceſſit. Sequenti anno Longobardi regni Hildebrandi pertæſi ipſum poſt
744 ſeptem menſes è regno deiecerunt, idque Rachiſio Duci Foroiulienſi ob virtutis eius præſtantiam detulerunt.

FL. RACHIS REX.

Hic, inito ingenti fauore omnium regno, ſtatim pacis ſe ſtudioſum, & eccleſiarum patronum fore oſtendit. Itaque Zachariæ pontifici inſtau-

ci inſtaurationem fœderis, quod cum Luitprando icerat, poſtulanti
ſumma voluntate conceſſit. Parmenſi, Mutinenſi epiſcopis poſſeſsio-
nes honeſtiſsimas tradidit. Poſtero verò anno, vt ius in regno ſanctiſ- 745
ſimè coleretur, adhibitis omnibus Longobardorum ex Auſtria, Neu-
ſtriaq; iudicibus, leges veteres diligenter perpendit. quæque correctio-
ne egere iudicauit, ea nouis legibus latis ex eorum ſententia emendauit.
atque has ſequenti annò Kalendis Martiis anno regni ſui ſecundo, in- 746
dictione quarta decima, promulgauit, cum hoc prooemio: *Quoniam
glorioſiſsimus, & præcelſus Rotharis huius Longobardorum gentis princeps, ſibi
Deo inſpirante, leges inſeruit, atque innouauit, vt omnes intentiones, & diſſenſio-
nes malorum regali ſtudio reſecaret. Et quidem ſtatuit, vt cuncti ſucceſſores
eius, quæ ſibi Deo inſpirante aſpera, & dura cognoſcerent, illa ad mollitiã, & pie
tatis addùcerent gratiam. Deinde ſucceſſor eius Grimoald præcellentiſsimus rex,
dum ſtudioſè, ac vigilanter ſingulorum conſiderans neceſsitates, quæ illis melius
complacuere, ad cultum ſalutis augendo, minuendoq; adduxit. Poſt hunc verò
glorioſiſsimus, & orthodoxæ fidei cultor, atque huius gentis gubernator, & noſter
per Dei omnipotentiam nutritor Luitprand eximius, ac præcelſus, ac ſapientiſsi-
mus princeps, perſiſtens in Dei operibus, & quotidianis vigilijs, omnipotentia, &
ſobrietate ornatus, ſicuti à Deo promeruit per ipſius inſpirationem omnia dicentem,
reliquit, & in Edicti pagina cum ſuis Longobardis iudicibus confirmauit. Idcir-
cò per redemptoris noſtri prouidentiam ego diuino auxilio fretus Rachis præcellen-
tiſsimus, & eximius princeps anno regni mei ſecundo, die Kalendarum Martia-
rum, indictione quartadecima, dum cum gentis noſtræ, ideſt Longobardorum
iudicibus tam de Auſtriæ, quàm de Tuſciæ, vel Neuſtriæ finibus vniuerſa, quæ
à deceſſoribus noſtris ſtatuta ſunt, ſollicitè conſideraſſem, quædam ibi iuſta, &
quædam purganda cognouimus.* Eodem anno, Imperij Conſtantini ſe-
xto, menſe Ianuario terra in Syria maximo tremore quaſſata eſt. quo
templa, ac monaſteria pleraque corruerunt, ac ruinis multa homi-
num millia eliſa ſunt. Neque ita multò poſt grauis Siciliam, & Cala-
briam peſtilentia bubonis inuaſit, quæ Monobaſiam inde, totãq; Græ-
ciam perculit, ac per totam indictionem xiii ſæuiit, diuinitus, vt vulgò
ferebant homines, ad vexandum, affligendumque Conſtantinum im-
miſſa, quòd fœdo patris exemplo nuper eſſet in ſanctas Dei imagines
debacchatus. Siquidem ſerpens longius ſiue cæli grauitate, ſiue corpo-
rum contagione Conſtantinopolim quoque ipſam decima quinta in-
dictione peruenit. Quod verò vehementius mortalium mentes, cu- 747
raſq; ſolicitauit, in hominum veſtibus, & ſacris eccleſiarum indumen-
tis, veliſque cruciculæ plurimæ animaduerſæ ſunt, quaſi liuida olei ma
cula quadam infectæ, quæ aſperius aliquid etiam, quàm id, quod in

manibus erat, portendere à ſolicitis futurorum mentibus putabantur. Eadem indictione Carlomanus Pipini frater regnum Franciæ reliquit, ac Romam ad Pontificem cum honeſtiſſimo Francorum comitatu conceſſit, multaque eximia dona beato Petro apoſtolo tulit. Ibi ſtudio religionis accenſus clericum ſe initiari à pontifice cum petijſſet, in monte Soracte ſibi monaſterium condidit, idque S. Silueſtro dicauit, quòd ibi latuiſſe S. Silueſter miſerrimis ſuis temporibus diceretur, antequam Conſtantinus Magnus ſacris Chriſtianis imbueretur. Poſt aliquod inde tempus aſſidua Francorum prætereuntium, ad ſe tanquam ad dominum adeuntium turba offenſus Caſſinum ſe recepit, ac monachus factus rigida ſe S. Benedicti diſciplina deuinxit. Ceterùm monaſterium Caſſinas Petronax abbas à Longobardis, vt diximus, inflammatum, Gregorio ſecundo, & tertio adiuuantibus, inſtaurare
748 cœpit, & ad extremum, Zacharia pontifice ſedente, atque opitulante, abſoluit. Quo facto, Zacharias ipſe eò perrexit, ac poſtero ineunte anno ædem S. Benedicti vnà cum tredecim archiepiſcopis, & ſexaginta octo epiſcopis conſecrauit, ac ſacros libros multos obtulit, & leges, quas pater Benedictus manu ſua ſcripſerat, & pondus panis, & menſuram vini, quæ Romam delata à fugientibus Longobardorum rabiem monachis fuerant, reddidit. ac varia ad vſum Eccleſiæ ornamenta conceſſit, multaq; alia Petronaci præſenti, & ſucceſſoribus eius beneficia detulit. quæ, poſtquam Aquinum venit, diplomate amplo complexus eſt, quod indictione prima, XII. Kal. Martij in hanc ferme ſententiam dedit: *Vt monaſterium Caſſinas cum cellis omnibus ad ſe pertinentibus ab epiſcoporũ ditione eſſet ſolutum, ac ſoli pontificiæ ſedi obnoxium. vt in conuentu epiſcoporum abbas Caſſinas ſupra omnes abbates ſederet, in conſilijs, & iudicijs ante omnes ſententiam diceret. vt monaſterium Caſſinas dignitate cetera omnia ſuperaret. Vt, mortuo abbate, monachi ex corpore ſuo, niſi idonea perſona deeſſet, abbatem eligerent, eumque probandum, ac conſecrandum pontifici Ro. præberent. Ne epiſcopo Miſſarum ſolemnia in eius poſſeſſionibus celebrare ius eſſet, niſi ab abbate, aut præpoſito inuitatus eſſet. Ne epiſcopo decimas ab eo exigere, ſacris ſacerdotum interdicere, aut ad conuentum vocare liceret. Abbas ordinationes inire, altaria ſacrare, Chriſma accipere per quemlibet, aut à quolibet epiſcopo poſſet.* Inſuper prædia omnia monaſterij & præſentia, & futura ei in perpetuum confirmata. Eodem ineunte primæ Indictionis, vere cum ingraueſcere morbus in vrbe Conſtantinopolitana cœpiſſet, tum per æſtatẽ omne acerbitatis ſuæ virus effudit. Integris domibus exhauſtis, ne qui mortuorum quidem ſepeliendorum curam haberent, ſuperfuere. Plauſtris vulgò aceruatim elati. vrbanis, ac ſuburbanis ſepulchris

expletis

expletis, ciſternæ quoque, & lacus, & horti ad vſum ſepulchrorum traducti vix ſuffecerunt. Poſtero, vrbes Syriæ nouo terræmotu ita ſunt agitatæ, vt aliæ funditus, aliæ magna ex parte prociderint. quædam ex montibus in ſubiectos campos per ſex millia paſſuum tectis ſaluis, incolumibuſq; tranſlatæ ſunt. Mediolani Natalis archiepiſcopus factus. 749
Interim Rachis rex exemplum deceſſoris ſui ſequutus, vt regni fines amplificaret, pacis ſtudia, quæ adhuc ſumma cum ſua laude coluerat, intermiſit, ac paratis armis Pentapoli bellum intulit, atque, oppidis eius pleriſque primo aduentu captis, demũ etiam in Ducatum Romanum, pontificiamque ditionem traiecit; ac Peruſiam acri premere obſidione inſtituit. Imperatore longè remoto, atque omnino à rebus Italiæ, vt videbatur, auerſo, Exarcho verò parum neruorum ad Rauennæ fines tuendos, ne dum ad longinquiores protegendos habente, Zacharias, vt ſerpens aduerſus ſe incendium propulſaret, quod armis non poterat, auctoritate ſibi tentandum exiſtimauit. Itaque, decoro optimatium comitatu aſſumpto, vrbe egreſſus Rachim in caſtris Peruſinis conuenit, ac benignè ab eo exceptus ità agere cũ illo cœpit, vt mirari ſe magnopere diceret, regem Catholicæ fidei aſſertorem, & legum iuriſq; latorem inducere in animum potuiſſe, vt auidius alienas opes appeteret, ac Chriſtianos iniuria aliqua, præſertim nulla ipſe laceſſitus afficeret, & præſertim bona S. Petri ad eum non pertinentia violaret. An verò oblitus es, inquit, aut diuinorum præceptorum, vt tam nefanda audeas, aut pœnas iniuſtitiæ propoſitas ita cõtemnis, vt exiguum vitæ fructũ horrendis, ac perpetuis poſt mortem cruciatibus anteponas? Hinc latiſſimum campum iuris, & iniuriæ humanæ, & pœnarum, præmiorumque diuinorum ingreſſus, tanta orationis maieſtate, tantaque dicendi copia cauſſam ipſam Dei peregit, vt Rachis religione perfuſus non ſolùm à Peruſiæ oppugnatione receſſerit, ſed etiam oppida Pentapolis occupata reddiderit, atque in omni officio fidelem ſe pontifici, obſequentemq; præſtiterit. Inde vterque domum reuerſus eſt ſuo facto plurimum delectatus, pontifex, quòd auctoritate, & præſentia religionis rem tantam ex ſententia confeciſſet, Rachis, quòd diuino oraculo ſine vllis præmiis humanis obtemperaſſet. Hinc ſecum præceptis ſanctiſſimi patris ſæpius animo repetitis, ſequenti anno, qui fuit ſeptingenteſimus quinquageſimus, cupido ingens inceſſit ipſius pontificis venerandi, & ſancta Apoſtolorum limina viſitandi. Itaque, vxore Thæſia, & Ratruda filia ſecum ductis, Romam adiit, atque in conſpectum Zachariæ profectus ipſum de more ad terrã proſtratus adorauit. Vix credibile diuini numinis, ac tacitæ religionis vim, & potentiam ignoran- 705

tibus videatur. Pontificia maieſtate, quæ diuinæ locum in terris obtinet, vſqueadeo captus eſt, vt repentino religionis amore flagrarit, ac regno ſe abdicarit, & clericus factus ipſe cum vxore, & filia monaſticæ ſe vitæ deuouerit, pontifice, ceteriſque non tam hominem laudibus in cælum ferentibus, quàm facti magnitudine ſtupeſcentibus. Itaque, habitu manu pontificis ſumpto, Caſſinum conceſſit ad vitam ſub legibus S. Benedicti degendam. Quem vxor, filiaque ſequutæ, ipſo permittente, atque adiuuante abbàte, monaſterium virginum non longe à Caſſino propria pecunia ædificarunt, ibique monaſtico ornatu ſumpto, vitam ſanctiſſimè traduxerunt. Eodem tempore inſigne aliud à Zacharia editum opus eſt, quod ad iungendos Ro. Eccleſiæ Francorum animos mirificè valuit. Regnabant iampridem in Francia poſteri Merouei, regno in hunc modū vltimorum regum incuria, atque ignauia conſtituto. Regium nomen penes regem erat, poteſtas autem in eum, qui Maiordomus regis dicebatur, vniuerſa erat collata. Si quidem rex Kal. Maij in Campum Martium curru vectus, atque pro tribunali ſedens, ipſo præſente prorege, ſolemnia, quæ à populis ferebantur, dona ſuſcipiebat, & quæ deinceps eo anno agenda eſſent, populis indicebat. Illo verò domum reuerſo, prorex omnia pro arbitrio diſpenſabat. Hunc magiſtratum paullo ante Carolus Martellus geſſerat, tum verò Pipinus Caroli filius ſumma cum induſtriæ, ac virtutis comendatione adminiſtrabat, Chilperico rege nullam partem curæ ſibi regiæ depoſcente. Quod indignum eſſe Pipinus exiſtimans, Zachariam conſulit, vter ei regio faſtigio dignior videretur; is ne, qui ocio languens nihil ad communem vtilitatem afferret, an qui dies, noctesq; de regni ſalute, atque cuſtodia cogitaret? Cui Zacharias reſpondit, omnino ſe regem illum iudicare, qui regni commodis, & incolumitati ſeruiret, rogatusq; ab illo decretum pro magnitudine poteſtatis interpoſuit, quo regnum Chilperico, vt parum idoneo, abrogauit, & Francis ſacramenti religione ſolutis, vt Pipinum regem ſubſtituerent, auctor fuit. Quo decreto accepto, Franci conuenerunt, ac, Chilperico abdicato, Pipinum regē, conſentientibus omniū voluntatibus, deſignarunt, eumque Sueſſione per Bonifacium Moguntinum archiepiſcopum conſecrarunt. Chilpericus regno pulſus in monaſterium eſt coniectus. Zacharias domum Cultam conſtruxit in Patrimonio Tuſciæ xv millibus paſſuum ab vrbe, eamque vſui Eccleſiæ dedicauit. Fuit Rachis vir memorabilis, ſed regno depoſito, quàm adminiſtrato, hominum memoriæ commendatior. Aemilianus Gradenſis eccleſiæ archidiaconus ad patriarchatum aſcendit.

FL.

FL. AISTVLFVS REX.

LONGOBARDI ſimul Rachim abdicaſſe regno ſe audiuerunt, comitiis habitis, Aiſtulfum fratrem ei ſubſtituerunt, verùm egregium in primis & conſilio, manuque promptum, nec facilè rem Longobardam humiliorem, quàm acceperat, relicturũ. Is initio regni fratrem imitatus, ſingulare pacis, atque Eccleſiæ ſtudium præ ſe tulit. Nam & fœdus cum pontifice Zacharia id ipſum poſtulante anxiè renouauit, &, cum poſſeſſiones à ſuperioribus regibus conceſſas inſtituto exemplo eccleſiis confirmaret, in primis priuilegium à Cuniperto, & Rachi indultum Lopecino Mutinenſi epiſcopo ſanxit. Eodem anno Anſelmus Dux Foroiulienſis Giſeltrudæ vxoris Aiſtulfi frater ſtudio religionis incenſus monaſterium cum xenodochio apud Fananum, montanum Mutinenſis diœceſeos locum, extruxit, atque ibi multorum monachorum abbas præfuit. Ducatus inde Foroiulienſis ad Petrum Munichis filium eſt delatus. Sequenti anno Conſtantinus Imperator Leonem filiũ puerum Imperij conſortem recepit. & per patriarcham Anaſtaſium conſecrari iuſſit. Poſtero, Idibus Martij Zacharias pontifex vitæ finem impoſuit rebus pro Eccleſiæ ſalute, & Apoſtolicæ ſedis auctoritate nõ tam piè, quàm proſperè geſtis inter primores pontifices meritò numerandus. Quo facto, clerus, & populus conuocatus Stephanum presbyterũ in eius locum ſubſtituit. Hic de more in Lateranum delatus graui repente ſomno oppreſſus eſt. poſt triduum, cum experrectus res familiæ componere aliquando inſtituiſſet, ſubitò mente alienatus vocem amiſit, & poſtridie eius diei expirauit. Quo facto, vniuerſi iterum in baſilica S. Dei genitricis ad Præſepe coacti ſuppliciter opem Dei, & ipſius ſanctæ Virginis implorarunt. atque inde vnanimes Stephanum diaconum, pontificem acclamarunt, eumque in Lateranum cum ingentibus præconiis deportarunt. Hic Stephanus, quoniam prioris, qui ante conſecrationem obiit, non eſt habita ratio, III. Nonas Aprilis conſecratus ſecundus eſt appellatus. Is nihil prius ſibi curandum, quàm pacem, & quietem Eccleſiæ ratus, tertio poſt conſecrationem menſe Paulum diaconum fratrem ſuum, & Ambroſium primicerium legatos ad Aiſtulfum miſit, eumque muneribus proſequutus, vt ſecum in XL annos fœdus firmaret, obtinuit. Eodem anno Ansfridus & Stabilis Mediolanenſem, Sergius Rauennatem eccleſiam acceperunt. Anſelmus etiam abbas Fanani alterum Mutinenſibus in campis locum trans Scultemnam amnem nomine Nonantulæ legit, eumque monachorum manibus

751

752

aſperis ſentibus perpurgatum, altero ibi cōdito monaſterio, decorauit. Inde ipſius regis permiſſu Romam profectus, ſacram à pontifice cucullam, baculumque accepit, & S. Syluestri corpus impetratum eò deportauit. Id monaſterium magnis poſt regum muneribus, ac poſſeſſionibus auctum monachorum ſupra mille multitudine, prædiorum numero, ac iurium amplitudine inter omnia Italiæ fuit clariſſimum. Ab eodem etiam Anſelmo hoſpitium in via Aemilia eſt conſtructum longè à monaſterio ad excipiendos eos, quibus ad ſe iter flectere non eſſet cōmodum. idque D. Ambroſij nomini conſecratum. Interim Aiſtulfum confirmatis per biennium opibus eadem, quæ Luitprandum, & Rachim, prolatandi regni cupido inceſſit. Bellum autem ab Exarchatu ſibi ordiendum Luitprandi exemplo decreuit, ratus, Conſtantinum, aut quia bello alio occuparetur, aut peſtilentia totam Græciam, Aſiamq; vrente impediretur, opem in tempore non laturum, aut quia multis de cauſſis ab Italicorum commodis abhorreret, ne hoc quidem magnopere curaturum. atque ita armis maiore, quàm quiſquam alius ante, ope paratis ad vrbem ipſam, rerum caput Rauennam proceſſit, eamque effuſis omnibus Longobardici regni viribus acriter oppugnare inſtituit. Eutychius Exarchus adhuc vrbi præerat. is, armatis impigrè oppidanis, & quos in præſidio habebat, militibus, primò fortiter vim, impetumq; incumbentium Longobardorum excepit. ad extremum, cum ſe exhauſtam viris, opibusq; ſuperiore bello vrbem externis omnibus auxilijs deſtitutus diu tueri non poſſe animaduerteret, conſilium eius dedendæ cepit, atque inde egreſſus in Græciam ſe, nulla tentata, vt ante, recuperatione, recepit. Rauenna in poteſtatem adducta, nullo inde negotio cetera Exarchatus, Pentapoliſq; oppida venerunt in ditionem. Atque hic quidem finis eius præfecturæ fuit, quæ ſuperbè, atque impotenter per ducentos ferme annos Italiæ imperauit; finis etiam Imperij, cuius Rauenna poſt Valentinianum Auguſtum, qui Romam cum hac permutauit, perpetua ſedes, ac domicilium extitit. Iam Longobardorum imperio citra Romam omnia tenebantur, ipſa Roma, ac Romana, ſiue pontificia, ditione excepta. cuius expugnatio quò effectu difficilior, eò ad nomen, famamque illuſtrior videbatur. Et Aiſtulfus Exarchatu, Pentapoliq; potitus, facilè ſpe, ac cupiditate totius ſibi Italiæ imperium deſpondebat. His igitur inflatus cogitationibus animum ad pontificiam ditionem adiecit, quam etſi per fœdus attingere non licebat, tamen, quòd continuata victoriæ ſerie tractus ad eam videbatur, iure aliquo ad ſe pertinere exiſtimabat. vt illud omittam, quòd cum ipſe Exarcharum Rauennatem teneret, ex antiquo inſtituto ſe, tanquam

Exarchum,

Exarchum, Romanis quoque imperare æquum eſſe, interpretabatur. Itaque quarto poſt percuſſum fœdus menſe, exercitu in agrum Narnienſem adducto, oppidum ſtatim iuris ſui effecit. Inde nuncios ad pōtificem miſit, per quos ſe Romanam ditionem, agrum, vrbemq́; armis oppreſſurum oſtendit, niſi Romani ſponderent, ſe quotannis aureum ſolidum ſibi pro cuiuſque capite depenſuros. Cuius denūciationis aſperitate pontifex non aliter, ac par erat, permotus continuò abbates San ctorum Vincentij, & Benedicti ſpectatæ vitæ, ſanctitatiſq; homines acceſſiuit, eoſque ad Aiſtulſum ire, &, quibus poſſent, rationibus, precibusq; ad fœdus piè, ſancteq; conſeruandum hortari, atque impellere iuſſit. ac munera, quæ illi ſuo nomine redderent, ampliſsima dedit. Verùm, Aiſtulſo & nuncios, & munera impotenter, ac ſuperbè reiiciente, prorſus irrita ea legatio fuit. Iam à principio irruptionis pontifex Conſtantinum litteris admonuerat, vt periclitanti Exarchatui maturè auxilium ferret, neque eum ſubſidij inopia Longobardi regis in manus peruenire permitteret. id cum ipſius imperio pernicioſum, tum nomini quoque apud poſteros fore turpiſsimū. Itaque ſequenti anno Ioannes ſilentiarius ab eo cum litteris ad pontificem, regemq́; ſuper ea re ſcriptis aduenit. Quem vbi pontifex vidit, propere ipſum cum fratre ſuo Paulo ad regem Rauennæ hibernantem ire, eoſque & ſuo, & Imperatoris nomine ipſum orare iuſsit, vt oppida, quæ ceperat, reſtituere, & quibus imminebat, nulla vexare ratione vellet. Quo poſtulato accepto, ille nihil aliud reſpondit, quàm ſe nuncium ea de re ad Imperatorem miſſurum. Hoc cognito, pontifex legatos ſuos cum ipſo imperiali legato Conſtantinum oratum miſit, vt quando precibus ad æquitatem perlici Longobarbus non poſſet. ipſe vi demum, armiſque, vt erat Imperatorio nomine dignum, illum in officio eſſe compelleret. Quibus profectis, Aiſtulfus, ineunte vere, cum exercitu Romanam in ditionē irrupit, ac caſtra capere, ferro, igneq; agros, villaſque vaſtare, & incolas in ſeruitutem abſtrahere cœpit. ac demū exercitu vrbi ipſi admoto vltimū pontifici, ac Romanis excidiū, & ſeruitutem, ni ſuæ ſe poteſtati permitterent, intentauit. Quamobrem his oppreſſus difficultatibus pontifex populum in baſilicam Laterani vocauit, ac concione habita afflictam præſentium rerum conditionem miſerabiliter queri lacrymabundus incœpit: quippe imminere vrbi regem cum copiis, opibuſque firmiſsimum, tum auri, ſanguiniſque ſitientiſsimum: vires porrò ſuas aduerſus tantas facultates infirmas eſſe, præſertim nullis Italicis auxiliis ſuſtentatas. Quare nihil aliud remedii ſupereſſe, quàm ad diuinam opem confugere. quæ, ſi ſuppliciter peteretur, haudquaquam dubitandum

753

eſſe, quin, vt ſemper aliàs, maturè, atque opportunè impetraretur. Itaque ſolemnes ſe ſupplicationes indicere,eaſque piè fieri ab omnibus, & iuſtè, præcipere. Quæ cum,lacrymantibus effusè omnibus, perorasſet, ad extremum ipſe ſanctam Saluatoris imaginem, non hominis manu pictam, ſed ab ipſius ore formatam in humeros,adiuuantibus ſacerdotibus,ſuſtulit, atque, vniuerſo proſequente populo,nudis pedibus ad baſilicam ad Præſepe proceſsit, tabulis fœderis ab Aiſtulfo temere violati à Crucis vexillo prælatis. ibique capitibus omnium cinere, humilitatis argumento, conſperſis, vehementibus fletibus diuinam opem, ac miſericordiam inuocauit. Ea re ritè perfecta, prope diuinitus admoneri eſt viſus, vt Gregorij exemplo auxilium è Francia poſtularet. Itaque confeſtim fidum ad ſe hominem accerſiuit, eumque, peregrini ornatu ſumpto, occultè, ne à Longobardis interciperetur, ad regem properare Pipinum iuſsit. Earum litterarum ſumma erat. cupere ſe cum eo de præſenti ſtatu Eccleſiæ ad colloquium conuenire, ſed, ne Aiſtulfi excipiatur inſidijs, extimeſcere. quamobrem orare illum etiam, atque etiam, vt legatos ad ſe ſuos mitteret,quorum ope tutus peruenire ad Alpes poſſet. Erat Pipinus magno illo beneficio pontificiæ ſedi obſtrictus, quòd Zacharias pontifex ipſi nuper, vt ſcripſimus, Chilperico rege abdicato, Francorum regnum addixerat, idque, quod fieri vix poſſe videbatur, ſacroſancta auctoritate ſua iuſtum effecerat. cupiebatq; idem ius ad Carolum, & Carlomanum filios ab eadem poteſtate transferri. Itaque cognito Stephani poſtulato,eiuſmodi ſibi fortunã oblatam lætatus, facilè petenti pontifici eſt obſecutus, & continuò Rodgandum abbatem, & Antharium Ducem legatos, qui eum deducerent, deſtinauit. Dum autem vrbs cum tota ditione à Longobardis grauiſsimè premebatur, legati Pipini regem ad omnia pontificis commoda paratum eſſe referentes venerunt. Quin etiam eodem tempore Ioannes ſilentiarius à Conſtantino cum legatis pontificis rediit, narrans, Imperatori placere, vt ipſe ad regem proficiſcens quantum precibus, atque auctoritate proficere poſſet, experiretur. ſe itineris ab illo ſecuritatem impetraturum. Ita, laxata obſidione, põtifex IX Kal. Nouembris, Indictione VII, vrbe exiit,ac legatis Pipini,& Conſtantini ducentibus, iter Papiam verſus intendit, clero, ac populo Romæ, ceterarumq; vrbium proſequentibus, &, ne ſe tanto periculo obiiceret, obteſtantibus. Eo in fines Longobardorum ingreſſo, per noctem igneus quaſi globus è Francia in Auſtrum vergens apparuit. Vbi verò Papiæ appropinquauit, Aiſtulfus nuncio obuiam miſſo admonuit, ne à ſe aut Rauẽnam, aut Exarchatum, aut alia Reip. loca à Longobardis occupata repoſceret. Ille verò

nequa-

nequaquam ea denunciatione perterritus nihilo ſecius ad congreſſum eius perrexit, ac multis muneribus oneratum lacrymans obſecrauit, vt bona erepta eis, quorum eſſent, reſtitueret, & Rauennam Imperij Italici ſedem, cui Alboinus, & Autharis, fœda tum gentilitatis, tum Arrianiſmi labe infecti pepercíſſent, dimitteret, ne tetrior Catholicus fuiſſe gentili, & hæretico ad poſteros proderetur. Pontificem verò legati Cõſtantini ſubſequuti idem poſtularunt, verùm voces omnium, Aiſtulfo diſertè negante, ad irritum ceciderunt. Subiicientibus inde Pipini legatis, vt pontificem tutò in Franciam ire permitteret, Aiſtulfus in pontificem verſus, num in Franciam contendere vellet, eſt percontatus. Quod cùm pontifex affirmaſſet, dolore ardens per optimates ſuos eum à tali propoſito auocare contendit, ſed, poſtquam in eo ſenſit perſeuerare, dimiſit. Tum pontifex, epiſcopis, & presbyteris, clericiſq; aliquot tantùm ſecum retentis, XVII Kal. Decembris Alpes verſus ire perrexit. ad earumque clauſtra progreſſus, gratias Deo egit, quòd ſe perfidi regis è manibus emiſiſſet. Continuato inde itinere ad monaſterium S. Mauricii ventum, quò rex quoque ſe conuenturum eſſe oſtenderat. Ibi eum Floradus abbas, & Rotardus Dux obuiam à Pipino miſſi adierunt, ac regis nomine, vt Pontigonem accedere vellet, orarunt. Progredienti inde ad Pontigonem pontifici Pipinus ad centum paſſuum millia Carolum filium, qui poſtea Magnus eſt appellatus, obuiam cum ſuis optimatibus miſit, ipſe cum vxore ad tertium lapidem ſeſe obtulit, atque ad eius conſpectum de equo deſcendens, & ſe ad terram inclinans vnà cũ coniuge, & filiis, & optimatibus ſuis ipſum excepit. &, cum aliquo etiã ſpatio operam, vt aſſolebat, ei ſtratoris nauaſſet, cuncto cum canticis, & laudibus occurrente populo, in regiam Pontigonis perduxit. VIII inde 754
Idus Ianuarij, qui eſt dies Epiphaniæ conſectatus, colloquio in oratorio conſtituto, Pipinum vltro pontifex appellauit, ac nouam Aiſtulfi perfidiam, libidinem, atque impotentiam in ipſa republica, Eccleſiaq; Romana vexanda expoſuit. Imperatore propter nefandam hæreſim ab Eccleſiæ, atque Italiæ commodis, & dignitate auerſo, vtramque omnes ſpes ſuas in eius fide, atque potentia poſuiſſe. quæ quales, quantæq; ſint, patrem eius Carolum non regem, ſed regis vicarium ſatis docuiſſe, cum Luitprandum eadem molientem ſua auctoritate à nefario incœpto, Gregorij pontificis voluntate commotus, auertit. Acceſiſſe inde ipſum haudquaquam contemnendum Zachariæ pontificis beneficium, cuius decreto Pipinum ad tantum faſtigium dignitatis euectum par ſit in perpetuum Eccleſię eſſe defenſorem acerrimum. quamobrem precibus omnibus orare illum, vt cauſſam beati Petri, & reip. Roma-

norum

norum aduerſus Longobardum ſuſcipiat. & armis illum ad ea loca, quæ cepit, reſtituenda compellat. Quibus peroratis Pipinus reſpondit, ſe daturum operam, vt & ille, & Italia tota intelligat, ſibi neque erga Eccleſiam fidem deeſſe, neque in Italia defendenda virtutem. proxima æſtate exercitum trans Alpes traiecturum, & Aiſtulfum, ſi vltro nolit, per vim Exarchatum, & cetera loca iuri reip. reſtituere coacturum. vnũ illud modò enixè ab eo petere, vt ſecum in Francia vſque ad illud tempus remaneat, ſeque interim, ac filios ſuos Carolum, & Carlomanum reges Franciæ, Zachariæ inſtituto, perungat. ſe tum demum iuſtè regnare exiſtimaturos, cum ritè appellati à pontifice Romano, conſecratiq; reges erunt. Gratiis actis, vtraque res à pontifice benignè promiſſa. Profectus inde cum rege Pariſios reliquũ tempus in monaſterio S. Dionyſij egit. Interim Aiſtulfus omni quaſi belli cura ſolutus regno legibus cumulãdo vacauit. Itaque Kal. Martijs, Indictione VII, leges ad Edictum adiectas cum hoc proœmio diuulgauit: *Dei omnipotentis auxilio ego Aiſtulfus præcellentiſſimus Catholicus Longobardorum rex præceſſorum noſtrorum omnia inſtituta perpendens, quædam ibi reperimus non adnexa, de quibus maximus error noſtrorum iudices addenda iudicia volebant. Ideo anno feliciſſimi regni noſtri in Dei nomine quinto, in die Kalendarum Martiarum, indictione ſeptima, conuocatis ex diuerſis partibus regni noſtri pertinentibus iudicibus, communi conſilio in Edicti pagina affigi ſtatuimus, quæ præcellentiæ noſtræ ſecundum domini num iuſta comparuerunt.* Impedita inde expeditio eſt, quòd pontifex graui, ac periculoſo morbo oppreſſus non ante Auguſtum menſem conualuit. Dum autem ille in Francia ægrotauit, Conſtantinus Italiam, atque Eccleſiam auerſatus conuentũ in Oriente contra ſanctas imagines trecentorum triginta octo epiſcoporum coegit, cui nemo ex patriarchis interfuit. & quæ ſibi viſa ſunt, decernenda curauit. is conuentus à die IIII Idus Februarias vſque ad VI Idus Auguſti ſeptimæ indictionis perductus eſt. In eo Imperator Conſtantinum Sylei epiſcopum patriarcham pronunciauit, atque ex eius ſententia Catholicos, in primiſque Germanum olim patriarcham exploſit. Ineunte autem Auguſto pôtifex ſanatus quod Pipino promiſerat, præſtitit. nempe vt ipſum cum filijs, & vxore regem inungeret. Ea verò res, indicto Francis in V. Idus Auguſti concilio, in hunc modum eſt confecta. Pontifex ægritudine ſe liberatum ab apoſtolis Petro, & Paulo, quos ſibi in quiete narrabat apparuiſſe, profeſſus, aram illis eo die in æde S. Dionyſij dedicauit, ac rem diuinam, pro recuperata valetudine gratias acturus, obiuit. Hæc igitur dum ageret, ſolemni pompa Pipinum, & Carolum, ac Carlomanum filios, & vxorem Bertradam, reges inunxit, ſolemni carmine aſtantes

Franco-

rum proceres ſacræ deteſtationis obſtringens, ne quando alios, quàm ex ſuperſtite ipſorum progenie ſuper ſe regnare iuberent, quos conſtaret diuina prouidentia ad Catholicæ Eccleſiæ tutelam aſcitos, ac per ipſum Chriſti vicarium vnctione ſanctiſſima conſecratos; vniuerſa interim, quæ conuenerat, Francorum nobilitate plaudente, atque ad tantæ rei ſpectaculum præ lætitia geſtiente. Extat apud Reginonem ipſius pontificis hac de re ſcripta epiſtola. His rebus ritè adminiſtratis, Pipinus cum pontifice Cariſiacum adiit, atque ibi conuentu omnium regni procerũ habito, de bello Longobardico retulit. Huic cõcilio affuit quoque Pipini frater Carlomanus, Caſſinas monachus, ex Italia ad diſſuadendam expeditionem, ſed inuitus, profectus. Neque enim ipſe abbatis ſui iuſſa detrectare, neque abbas aut Rachis monachi preces repudiare, aut Aiſtulfi fratris eius regis imperium auſus eſt recuſare. Hic relatione de bello facta, ſummo ſtudio cauſſam Longobardi, ſed iniquis omnium auribus egit. Quem pontifex ſubſequutus, cum ardentia regum, ac Francorum omnium erga Romanam Eccleſiam ſtudia animaduerteret, ſiue propria gentis pietate, ſiue nouis pontificum beneficijs excitata, occaſioni non defuit, itaque non ſolùm bellum pro recuperando Exarchatu, Pentapoliq; ſuaſit, ſed etiam, ne ea redderentur Imperatori, contendit. quippe Conſtantinum propter deſertam Italiæ tutelam, & inimicitias cum Eccleſia apertè ſuſceptas indignum eſſe, qui rerum in Italia potiretur. Quod ſi Pipinus aut grati hominis officium præſtare, aut animæ ſuæ conſulere, aut pontifici laboris, & periculi ſui præmium aliquod tribuere vellet, qui duriſſimum, ac periculoſiſsimum iter pro ſalute Italiæ, atque Eccleſiæ ſuſcepiſſet, vtramque regionem beato Petro præcipui beneficij loco concederet. Cum ab vtraque parte peroratum eſſet, Franci maximo animorum conſenſu bellum decreuerunt. Pipinus autem palam audientibus omnibus, Ego verò, inquit, ſi me Longobardicæ compotem victoriæ Deus fecerit, polliceor, me pro remiſsione peccatorum meorum impetranda Exarchatum, & Pentapolim Reip. Romanæ adempta beato Petro, & ſucceſſoribus eius traditurum in perpetuum poſſidenda. Atque ita præſentem ſcribam referre in tabulas iuſſit, eaſque & ſuo, & Caroli, & Carlomani filiorum præſentium ſacramento muniuit. ac ſtatim tota Francia delectus haberi indicta ad conueniendum die mandauit, & Carlomanum fratrem in monaſterium Viennenſe traduxit. in quo poſt paullo mortem oppetijt. Dum autem delectus habentur, Aiſtulfus ſemel, atque iterum per litteras, nunciosq; de reddendis vrbibus rogatus, ac magnis quoque ad eam rem muneribus inuitatus eſt. Eo verò preces, ac mune-

ra omnia aſpernante, tandem octaua indictione Pipinus conuocatum exercitum per Viennenſem agrum inſtitit ducere. Placuit tum pontifici quippe imminentem humanam cædem exhorreſcenti, vt rurſus res per legatos, ac litteras tentaretur; haud difficile fore, vt Aiſtulfus fama tantæ ruentis in ſe procellæ, tempeſtatiſq; permotus conſilium armorum abiiceret, & ad æquitatem, officiumq; rediret. Itaque euntibus ad eum Pipini legatis, litteras & ipſe ad eum dedit, per omnia ſancta myſteria, atque ipſum horrendum extremi iudicii diem obteſtans, vt pacatè, & ſine ſanguinis effuſione bona S. Eccleſiæ, & Romanorum reip. redderet. Quæ omnia Aiſtulfus non ſolùm obſtinato animo reſpuit, ſed etiam minas in pontificem, Pipinum, & Francos ipſos acriores iactauit. Quibus acceptis Pipinus, præmiſſis, qui Alpium ſuarum tranſitus inſiderent, protinus inde Mauriennam proceſſit. Ibi pontificem ſacris ſolemniter operantem audiuit, & cum vniuerſis ſuis proceribus coluit. Munera quoque, quæ Aiſtulfo deſtinauerat, Deo offerẽs ipſi ex fide ſua diſtribuenda conceſsit. atque inde ad Alpes ire perrexit. Interim Aiſtulfus, cum exigua Francorum manu ſaltus Alpium teneri audiſſet, multitudine ſuorum confiſus ad Alpes properauit, ac ſub lucem impetum in ſtationem fecit. Franci virtute nixi, & loco adiuti egregiè vim eorum ſuſtinuerunt, & commiſſo prœlio pauci plurimos cæciderũt. Hac clade accepta, Aiſtulfus repente fugam arripuit, &, cõſilio campo cedendi capto, Papiam regreſſus ſummum ibi rei euentum experiri cõſtituit. Franci, vallo Longobardorum in Alpibus ſuperato, multa eorum ſpolia pepererũt. Pipinus, traiectis nullo labore Alpibus, omnia circunquaque loca latè fuga, ac terrore compleuit, ac, nemine reſiſtente, ad vrbem Papiæ peruenit. Ibi, cum regem ſe mœnibus tenentem nullam prœlii copiam facturum animaduerteret, agrum vaſtare, agreſtes captiuos facere, atque vrbem ipſam actius inſtitit obſidere. Audiens inde Aiſtulfum remiſſa tandem pertinacia ad pacem animum inclinare, & ſcriptis tabulis pactionem facturum, atque in eam obſides ſe daturum ſpondere, haud grauatè aſſenſit, præſertim verò aſsiduis precibus pontificis fatigatus, quibus rogabatur, vt vaſtatione agri, & cæde hominum temperaret, remque, ſi poſſet, pacatè cum Aiſtulfo tranſigeret. Pax igitur in has leges conuenit, vt Aiſtulfus Exarchatum, & Pentapolim, & quæcunque cepiſſet alia ſe reſtituturum ſanctiſsimo ſacramento iuraret, atque in ea obſides quadraginta in Franciam deducendos daret. Quæ cum Aiſtulfus feciſſet, Pipinus in Francia hieme iam ſæuiente reuertit. Stephanus, Hieronymo Pipini fratre, & Fulrado abbate Pipini iuſſu comitante, Romam repetiit. Vterque ingenti popu-

lorum extra portas occurrentium, ac victoriam gratulantium hilaritate exceptus. Sequenti anno, poſtquam Pipinus in Franciam, Stephanus Romam peruenerunt, atque omnis externorum armorum ex Italia terror exceſſit, Aiſtulfus ad priſtinum ingenium reuerſus, cum certum interim ad loca reſtituenda ſpatium impetraſſet, nihil promiſſorum exoluit. verùm tumultuario exercitu Rauennæ conſcripto Romanum in agrum incurrit, ac loca ſuburbana omnia populatus vaſtauit, & ſepulchris ſanctorum martyrum violatis, oſſa eorum nequiſſimè diſsipauit, atque inde ad vrbem oppugnandam acceſsit, Narnia prius, quã paullo antè dimiſerat, occupata; pro certo habens, Pipinum amici ſemel officio functum haudquaquam Alpes pontificii commodi cauſſa deintegrò traiecturum. Ea re ictus pontifex legatos ſubitò de ſeruandis pactis ad eum miſit, &, cùm pacati nihil rettuliſſet, Varnerium ad ſe à Pipino miſſum cum legatis ſuis in Franciam maritimo itinere, quò tutius, ac celerius perueniret, iuſsit contendere, ac Pipino hæc vniuerſa ſignificare, ipſum per omnia ſacra obteſtans, vt quæ ſemel beato Petro promiſerat, aliquando impleret. His rebus cognitis Pipinus vehementi ira, ac dolore exarſit. & nouo decreto bello, nouos populis delectus indixit. Quo nuncio perculſus Aiſtulfus, Romana obſidione poſt tertium menſem relicta, raptim ad propria tuenda ſe rettulit. Iam autumnus per nouam indictionem magna ex parte proceſſerat, cùm Pipinus paratum exercitum ducere ad ſaltus Alpium cœpit. quos cum primo aduentu, deiectis Aiſtulfi præſidijs, occupaſſet, haud difficilè inde ipſas Alpes trãſmiſit. Quo facto, armato nemine ſeſe obuiam offerente, proceſsit Papiam, atque ibi Aiſtulfum mœnibus, vt ante, incluſum inſtituit obſidere. Nondum Romæ auditum erat, Pipinum ad Alpes perueniſſe, cum Georgius protonotarius, & Ioannes ſilentiarius legati ad Pipinum ab Imperatore miſsi Romam acceſſerunt. Hi ſecreta ab illo mandata habebant, Pipini ad Exarchatum, & Pentapolim Imperio, non Eccleſiæ reſtituendum orandi. Itaque Romæ nihil morati, acceptis à pontifice ſocijs, maritimo itinere Maſſyliam properarunt. Ibi egreſsi, cum Pipinum audiſſent iam Longobardorum fines ingreſſum, vnus eorũ Georgius, negocio Ioanni dato, vt arte legatos pontificios diſtineret, prægreſſus ad Pipinum contendit, eumque in caſtris apud Papiam conuentum primò muneribus regiis onerauit, deinde impẽsè orare inſtitit, vt Exarchatum, & Pentapolim, ſi, quemadmodũ ſpes erat, recepiſſet, nõ pontifici, ſed Imperatori concederet. Cui Pipinus ſumma pietate reſpondit, ſe nullis præmiis humanis inductum, ſed diuinæ promerendæ gratiæ ſtudio inflammatum Eccleſiam Romanam in fidem recepiſſe. quòd id

ad animæ ſuæ ſalutem, & peccatorum remiſſionem valiturum iampridem ſibi perſuaſiſſet. Exarchatum, & Pentapolim ſi recepiſſet, S. Petro ſe, & ſucceſſoribus eius traditurum, iuraſſe. Quare nulla adduci ratione poſſe, vt fidem fallat, officioue decedat. Interim Aiſtulfus per aliquot dies diligenter obſeſſus extremum expugnationis, atque excidij periculum timens, legatos cum liberis mandatis ad Pipinum de compoſitione miſit. Qui in colloquium progreſſi Aiſtulfum pacem petere dixerunt, eamque non Exarchatu ſolùm, & Pentapoli reſtituenda, ſed Comaclo etiam adiungendo præſto eſſe redimere, addiderunt. Conditione à Pipino accepta, inde fœdus ſcriptum, atque iureiurando, obſidibusq; firmatum. Quibus rebus perfectis, Pipinus Exarchatum, Pentapolimq; iterum S. Petro, & ſucceſſoribus eius in perpetuum poſſidenda conceſſit, atque ita ſcribam referre ipſas donationis in tabulas iuſſit. Neque ita multò poſt, Fulrado abbate, qui ab Aiſtulfo ſingula acciperet, & pontifici aſſignaret, relicto, ipſe Franciam repetiuit. Fulradus cum procuratoribus Aiſtulfi in Exarchatum, Pentapolimq; progreſſus omnes vrbes præter Ferrariam, Fauentiam, & Caballum recepit, & obſidibus de vnaquaque ſumptis, ac primoribus ſecum earum ductis, Romam adiit, atque ſingularum vrbium claues vnà cum tabulis ipſis donationis in Confeſsione S. Petri depoſuit. Ceterùm Exarchatus complexus eſt Rauennam, Bononiam, Imolam, Fauentiam, Forum Popillij, Forum Liuij, Cæſenam, Bobium, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Ficoclas, & Gabellum. Pentapolis verò Ariminum, Piſaurum, Concham, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Numanam, Aeſium, Forum Sempronij, Montem Feretri, Vrbinum, Territorium Balnenſe, Calles, Luceolos, & Eugubium cum caſtris, & finibus ad hæc oppida pertinentibus, vt ex Ludouici Pii priuilegio apparet, quo hæc donatio confirmatur. Pontifex noua ditione ornatus Rauennatem adminiſtrationem archiepiſcopo, & tribunis ciuitatis conceſſit. vnde archiepiſcopus ſe Exarchum inſcripſit. Eodem anno Lætus Mediolanenſis archiepiſcopus, & Vitalianus patriarcha Gradenſis eſt factus. Is, cũ Stephanus pontifex rogantibus Iuſtinopolitanis epiſcopi habendi ius indulſiſſet, Ioannem à clero, populoque creatum confirmauit, & conſecrauit.
756 Aiſtulfus ſequentem annum in conſultationibus de fœdere frãgendo, & bello inſtaurando conſumpſit, atque in eius exitu inter venãdum equo effuſus, ſiue, vt alij narrant, ab apro fortè percuſſus exiguo dierum ſpatio vitam finiuit, fide violata, quàm bello vel prudenter ſuſcepto, vel ſtrenuè geſto, memorabilior.

FL. DESIDERIVS REX *cum* ADALGISO *filio.*

AISTVLFI morte comperta, cum nemo omnium eſſet, ad quem regnum iure hereditario pertineret, Deſiderius, qui Comes ſtabuli Aiſtulfo fuerat, tumque Ducatum Tuſciæ eiuſdem beneficio adminiſtrabat, ipſum ſibi Longobardis Tuſciæ ſuffragantibus vindicauit. Quod vbi Rachis audiuit, vſqueadeo indignatione exarſit, vt monachum exuere, ac regnum iterum inire voluerit. Neque verò aut eius conſilij auctores, aut ad rem gerendam deerant adiutores, pleriſque ad eum ex Liguria, Aemilia, & Venetia Longobardis ſeditionis gratia confluentibus. His rebus animaduerſis, Deſiderius ſummum non regni ſolùm, ſed Ducatus etiam in timorem adductus ſequenti anno ſe ſe ad Stephanum pontificem contulit, atque ei Fauentiam, Caballum, Ferrariamq; ab Aiſtulfo non reſtituta, ſe traditurum, & pacem, fœduſque pro ipſius arbitrio inſtauraturum promiſit, ſi ad ſuas ſe partes applicuiſſet, ſeque in regni poſſeſſione aut armis, aut auctoritate retinuiſſet. Stephanus, re cum Fulrado abbate communicata, omnia ſe facturum, quæ ille peteret, demonſtrauit. ac Fulrado ipſo, & Paulo fratre ad eum in Etruriam miſſo, fœdus ex ſententia ſanxit, Deſiderio, atque exercitu eius diris execrationibus, ſi quando fide deceſsiſſent, obſtrictis. deinde per Stephanum presbyterum Rachiſium monuit, vt in priſtino vitæ inſtituto manſiſſe, neque Deſiderium regem à ſe appellatum, ſociumq; ſibi aſcitum vlla ratione ſolicitaſſe vellet. Quin etiam Fulradus auxiliis Francorum, Romanorumq; ſtipatus ad Deſiderium tranſijt, & ſe, ſi res armis eſſet diſceptanda, ei non defuturum oſtendit. Ita cedente Rachiſio, Longobardi territi regnum Deſiderio confirmarunt. Deſiderius Papiam progreſſus, regno inito, Fauentiam, Caballum, & Ferrariā pontifici tradidit. Neque ita multò poſt, VI Kalendas Maij, Indictione decima Stephanus moritur, vir cum ceteris virtutibus inclytus, tum aucta Exarchatu, Pentapoliq; Eccleſia, facilè cum Gregorio ſecundo, qui Romanum Ducatum peperit, conferendus. Stephanum inde Paulus frater eius excepit. Hic fratris exemplo fœdus cum Deſiderio renouauit, & tranquillata Eccleſia, per decem inde annos quietè pontificatum adminiſtrauit. Idem Sergium Rauennatem archiepiſcopum apud ſe accuſatum, quòd, cum vxorem haberet, eccleſiam accepiſſet, coram ſe adeſſe, & cauſſam dicere iuſſit. Neque verò Deſiderius minus ſe pacis ſtudioſum, aut Eccleſiæ cupidum Paulo ipſo pontifice oſtēdit. nam in Etruria oppida alia noua conſtruxit, alia vetera inſtaurauit. In Vene-

757

ria monaſterium in Leno Brixiani agri vico D. Benedicto ædificauit,
758 ac prædijs ampliſſimis honeſtauit. Eccleſiis de more priuilegia ſanci-
759 ens in primis Geminiano Mutinenſi epiſcopo ſatisfecit. Biennio poſt
Adalgiſum filium ſocium ſibi regni, more iam ſæpius vſurpato, aſciuit.
filiam verò Anſilbergam diuino cultui virginem deſtinauit. atque ei
monaſterium ad vrbem Brixiæ ædificare, vxore Anſa, & Adalgiſo fi-
760 lio adiuuante, inſtituit. &, cum tranſiſſet annus ſeptingenteſimus ſe-
xageſimus, nulla alia re, niſi luce ſereno cælo mirabiliter obſcurata,
761 inſignis, monaſterium abſolutum Domino Saluatori, & S. Iuliæ mar
tyri dedicauit, ac luculentiſſimis poſſeſſionibus exornauit. & aggre-
gatis in vitæ communionem virginibus Anſilbergam abbatiſſam præ
poſuit. Neque ſolùm priuilegiis ſuis monaſterium decorauit, quorum
aliquot anno regni ſui quinto, Adalgiſi ſecundo, indictione quarta-
decima per menſes Martiũ, & Aprilem, & indictione quintadecima per
Octobrem dedit, ſed etiam Paulum ipſum pontificem perpulit, vt mo
naſterium idem auctoritate quoque pontificia confirmaret. Extat hoc
762 quoque diploma cum ceteris apud Virgines VII Kalendas Nouembris,
indictione prima, Laterano datum. Giſulfo verò Beneuenti Duce mor
tuo, Ducatum ad Aragiſum detulit, qui filiam ſuam alteram Adelper-
gam habebat in matrimonio. quem poſt vt diuturno tempore, ſic in-
genti animi magnitudine, & maxima ad poſteritatis memoriam clari-
tate obtinuit. Poſtero anno Ioannes, origine Tergeſtinus patriarcha
763 Gradenſis eſt factus. Subſequens triennium variis prodigiis plenũ ingen
tem omnium Orientalium animis religionem incuſſit, imminentem ali
764 quam portendi calamitatẽ credentium. Proximo ſiquidem anno ingẽs
in Orientis, & Septentrionis partibus gelu extitit. Pontus ad centũ mil
lia paſſuum ita obriguit, vt glacies lapidis duritiem exæquaret. & niue
ad viginti cubitos alta ſuperueniente ſimilitudinem montis referret.
Eadem Februario menſe ſecũdæ Indictionis in multas partes diffracta,
765 ac ſecundo æſtu ad mœnia Conſtantinopolis delata omnibus ad portẽ
toſæ rei ſpectaculum accurrentibus pauidas, ac turbulentas cogitatio-
nes iniecit. Menſe Martio ſtellæ cælo labẽtes apparuere, omnibus, quo-
rum obiectæ oculis ſunt, vltimum ſæculi finem adeſſe credentibus.
Quodq; magis terrere ſanctarum contemptores imaginũ potuit, Chri-
ſtus ipſe Deus, ac Dominus noſter, quanta imaginem ſuam coli ſanctita
te vellet, ſilentibus præ metu mortalium linguis, apertè edocuit. quip-
766 pe ſequenti anno, vt Sigebertus ſcribit, ante diẽ quintũ Idus Nouembris
Berythi, quæ eſt vrbs Syriæ, miraculum ingens, & valde commemorã
dum eſt editum. Iudæi quidam imaginem Chriſti Crucifixi in ædibus

ab Chriſtiano homine conductis cum repeririſſent, contumeliæ cauſſa illam depoſuerunt, atque omnia in illam probra, quæ quondam in Chriſtum viuentem intulerant, congeſſerunt, illudentes, conſpuentes, atque cædentes. Demum autem, cum iterum in crucem egiſſent, lancea latus hauſerunt. Quo facto, ſubitò ſanguis, & aqua manauit. Quem illi vaſe admoto cum ſuſcepiſſent, vt virtutis, de qua ſermone acceperant, periculum facerent, ægros eo ſuos in Synagoga coactos aſperſerunt. Quibus ſtatim ægritudine liberatis, Iudæi religione perfuſi continuò Adeodatum vrbis epiſcopum adierunt, ac, ſanguine ei cum imagine reddito, miraculum retulerunt, ac ſacris ſe initiari Chriſtianis petierunt. Hic ſanguis inde diuerſas inter eccleſias diuiſus in Italiam quoque demum eſt deportatus. Ceterùm quò Chriſtus ſanctitatem imaginum ſuarum tuebatur apertius, eò Conſtantinus Imperator eam oppugnabat infenſius. Etenim XII Kal. Decembris, Indictione quarta principes, militesq́; qui ſancta ſimulachra venerarentur, apud ſe poſtulatos iuſſit comprehendi, & fœdis tormentis excruciari. & iuſiurandum ab omnibus Imperio ſuo ſubiectis exegit, ſe ſanctas in poſterum imagines deſpecturos. Idem Conſtantinum patriarcham interfecit, quia ſecretum ſuum enunciaſſet, ſe neque Chriſtum pro Deo, neque matrē pro Deipara habere. & Nicetam Eunuchum errori ſuo ſuffragantem ſubſtituit. Monachorum inde ordinem delere cum ſtatuiſſet, Conſtantinopoli alios occidit, alios ignominiæ cauſſa per Circum incedere ſingulas mulieres manu tenentes iuſſit. ceteros, qui in Thracia erant, Epheſum traductos aut vxores ducere coegit, aut oculos eruit, & templis eorum, ac monaſterijs venditis redactam pecuniam militibus ſibi aſſentientibus dedit. Quin & ſanctæ Virginis, aliorumq́; Diuorum pias pro hominibus apud Deum interceſſiones ſcriptis editis improbauit, atque oſſa Sanctorum alia in mare proiecit, alia fœdiſſimè conſpurcauit.
Poſtero anno Paulus pontifex IIII Kal. Iulij deceſſit è vita. Hactenus Deſiderius egregiè, & prope ſanctè ſe geſsit. Hinc libidine imperij prope hereditaria ſtimulatus occaſiones quærere Italiæ, atque Eccleſiæ perturbandæ inſtituit. Itaque Paulo nondum mortuo, ſed grauiſsimè affecto, vt materiam rerum Romæ nouandarum præberet, Totonem Ducem Nepeſinum ad ſedem Apoſtolicam inuadendam ſolicitauit. ac ſecretò ad eam rem auxilium ei ſuum promiſit. Qua re Toto erectus ſibi non defuit, ac fratribus tribus adiuuantibus repente ex oppido Nepeſino, alijſque Tuſciæ ciuitatibus tumultuariam & vrbanorum, & agreſtium manum contraxit, ac porta S. Pancratij vrbem ingreſſus cū domum peruenijſſet, ſtatim Conſtantinum fratrem ſuum præſentem 767

deſtinauit pontificem; quem honorem capere ille non poterat nullis dum ſacris initiatus. Qua re cognita, ſatellites armati Conſtantinum arripuerunt, atque in Lateranum adductum à Georgio epiſcopo Præneſtino clericum inſtituendum curarunt: itaque poſtridie Conſtantinus ſubdiaconus, & diaconus contra ſancta Eccleſiæ inſtituta ſacratus populum ſibi iureiurando adegit, ac die dominico III Nonas Iulii in Vaticanum cum multitudine armatorum progreſſus ab eodem epiſcopo Præneſtino, Ciconato Portuenſi, & Euſtathio Albanenſi conſecratus per vim ſedem Apoſtolicam, repugnantibus omnibus vetuſtatis exēplis, inuaſit, ac ſacros ordines impertire, & ſacramenta diſpenſare, qua
768 ſi ritè creatus, cœpit. Poſtero anno, cum maxima apud omnes propter iniuſta Conſtantini comitia Eccleſia flagraret infamia, Valdipertus presbyter huius ignominiæ impotens Romanos ciues aliquot conuocauit, & cum iis ad monaſterium S. Viti profectus, cōcione habita, Conſtantini comitia improbauit, atque ex eorum conſenſu Philippum presbyterum pontificem declarauit, atque inde abductum perduxit in Lateranum. Præſtabat eo tempore in vrbe opibus, atque auctoritate Chriſtophorus primicerius. ſiquidem primicerius & ſecundicerius aſſeſſores pontificis erant, atque latera eius incedentis tegebant, & proximum locum poſt præfectum vrbis, ſiue Ducem tenebant. Hic rerum harum indignitate permotus, cum neque Conſtantinum, neque Philippum ritè lectos putaret, in conſpectu Romanorum iurauit, ſe in vrbe non futurum, dum Philippus Lateranum teneret. Qua voce excitus repente Gratianus quidam Romanos aliquot aduocauit, ac Philippum è Laterano eductum, monaſterium repetere compulit. Ea re perfecta, Chriſtophorus inde in Conſtantinum ſe intulit, ac Nonis Auguſti cleri, militiæque principes, ceteroſq; Romanos ciues aduocauit, atque vnà cum iis de legitimo creando pontifice conſultauit. Non dubia ea comitia fuerunt. omnium ſtudia in vnum Stephanum presbyterum S. Cæciliæ, virum innocentiſſimum, inclinarunt. Itaque ad Titulum S. Cæciliæ profecti concordes illum pontificem deſignarunt, ac magnis in Lateranum cum acclamationibus deduxerunt. Is poſtridie eius diei, rebus omnibus ritè peractis, eſt conſecratus, & Stephanus tertius appellatus. Pontificatu inito, omnium primùm ſibi ordinandam Eccleſiam duxit, Deſiderij fraude, atque aſtutia perturbatam. Itaque Conſtantino in medium templum producto, atque abdicare, & monaſterium inire coacto, conuentum indixit, ac Sergium Chriſtophori primicerij filium ſecundicerium, & nomenclatorem ad Pipinum regem miſit, oratum, vt ad ſe erudtiſſimum quen-

que è

que è Francia epiſcopum mitteret, quò ex eorum auctoritate eccleſiam conſtitueret. Dum is in itinere erat, Pipinus ix Kal. Octobris ex hac luce ſubtractus eſt. Carolus, & Carlomanus filij regni ſuam vterque partem malè concordes ſuſceperunt, diuerſis in locis reges per archiepiſcopos conſecrati. Vterque à Sergio conuetus, legatione accepta, morem voluntati pontificis geſsit: Ita proximo anno menſe Aprili, Indictione 769
ſeptima, frequens ex Francia, & Italia in Laterano epiſcoporum conuentus eſt habitus. Ibi cum alia præſentibus temporibus apta decreta ſunt, tum in primis Conſtantini comitia abrogata. Quippe ſtatutum eſt, vt epiſcopi, presbyteri, & diaconi, ceterique à Conſtantino conſecrati iterum à Stephano ſacrarentur. atque omnia denique Conſtantini acta inſtaurarentur præter baptiſma, & chriſma. & ne quis in poſterum niſi aut diaconus, aut presbyter cardinalis ad pontificatum euocaretur. Præterea cultus ſacrarum imaginum ab Imperatore Conſtantino ſublatus eſt confirmatus, & Sergius Rauennas archiepiſcopus abſolutus. Recitatæ etiam litteræ ſunt Ioannis patriarchæ Gradenſis conquerentis de rege Longobardorum, qui res, & homines Iſtros affligeret, & de epiſcopis Iſtriæ, qui fauore eius nixi præcepta ſua negligerent, ſeque inter ſe conſecrarent. quibus Stephanus ſe illius rationibus conſulturum, reſpondit. atque his perfectis omnes nudis in Vaticanum pedibus proceſſerunt, atque ex ambone acta conuentus populo recitarunt. His rebus auditis Deſiderius, poſtquam ſpe, conatuque ſuo, ſe depulſum Chriſtophori primicerij, ceterorumque principum Romanorum opera ſenſit, ne in futurum conſiliis, cœptiſque refragari ſuis poſſent, eos ſibi conſtituit de medio remouendos. Itaque ſimulato religionis ſtudio Romam ſe ad viſitanda ipſa Apoſtolorum limina contulit. & benignè in Vaticano exceptus cum eo ante corpus S. Petri ita eſt collocutus, vt & fœdus inſtaurauerit, & iura ſua ſe Eccleſiæ tributurum pontifici repetenti promiſerit. demum, vt omnem à ſe prauorum conſiliorum ſuſpicionem auerteret, multa in Conſtantinum adulterinum pontificem, alioſque Eccleſiaſtici ocii turbatores diſſeruit. poſtremò diſcedens Paulo Affiartæ Duci vrbis, quem ſibi conſultò amicum, fidũq; muneribus magnis effecerat, mandauit, vt comparato crimine, Chriſtophoro primicerio, & filio eius ſecundicerio manus iniiceret, ac vita ſpoliaret. & vt potentiſſimo quoque ciue aut in cuſtodiam dato, aut in exilium pulſo, ſpiritus, animoſq; Romanorum contunderet, atque ad rem gerendam infirmos, languidoſq; redigeret. Quæ omnia diligenter poſt ab eo, & ſumma cum cura perfecta ſunt. Eodem anno Bertrada Francorum regum mater gliſcentem inter filios diſcordiam auerſata,

Salutias rei componendæ cauſſa cum Carlomano in colloquium venit. Inde trangreſſa in Italiam nuptias filiæ Deſiderii regis cum Carolo filio pepigit. &, viſitatis Romanis Apoſtolorum baſilicis, in Fráciam ſe
770 recepit. Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo Thomas Mediolani archiepiſcopatum eſt nactus. Deſiderius Romam turbaſſe non contentus Rauennam ſimili quoque ſeditione conciuit. mortuo namque Sergio archiepiſcopo, Michaelem eccleſiæ ſcriniarium nullis dum ſacris imbutum per Mauricium Ducem Ariminenſem ad archiepiſcopatum euexit. verùm ne hæc quidem illi proceſſit fraus. ſiquidem Michaele diris grauibus à pontifice re perſpecta deuoto, clerus iuſtioribus comitiis Leonem archidiaconum legit, eumque à pontifice conſecratum pro
771 vero antiſtite coluit. Inſequenti, Deſiderius, cum Brixiam ad viſendam filiam acceſſiſſet, monaſterium S. Iuliæ nouis prædiis cumulauit menſe Iulio, Indictione IX, anno regni ſui XV. Mauricius Dux Venetorum aſſiduas calamitates Gradenſi eccleſiæ à Longobardis illatas iniquo animo ferens, legatos côqueſtum vnà cum patriarcha Romam ad Stephanum pontificem miſit. quem mortuum inuenerunt. Eſt autem mor-
772 tuus poſtero anno pridie Kal. Februarias, atque ei Hadrianus ciuis Romanus ſuffectus. Hic ingenti virtutis indole præditus nihil ſibi magis, quàm à Deſiderii inſidiis cauendum exiſtimauit. quem communi iampridem ſaluti, & libertati Italiæ inhiare non ignorabat. Itaque eadem hora, qua pontifex deſignatus eſt, omnes eos, quibus Affiarta Dux Deſiderio obſequutus iniquior fuerat, aut cuſtodiis educi, aut de exilio reuocari iuſſit. & poſt aliquot dies, gratulantibus omnibus, conſecrationem accepit. Eodem tempore Berta Carlomani vxor parum ſibi, filiisq; ſuis loci, dignitatisq;, præualétibus Caroli opibus, fore in Francia, marito mortuo, arbitrata, ad Deſideriumregem in Italiam venit, ac ſe, filiosq; ſuos in eius clientelam dicauit. Erat Deſiderius eo tempore Carolo propter repudiatam paullo ante filiam vehementer iratus. Itaque ipſius vlciſcendi occaſione libenter arrepta, mulierem, filiosq; in fidem ſuſcepit, eoſque aduerſus Carolum regem per nouum pontificem conſecrare reges decreuit. verùm alienum eius ingenium veritus hominem ante ſibi adiungendum, & quoquo pacto conciliandum putauit, ne, ſi ſe Carolo dederet, firmiores eius in ſe opes efficeret, eumque legatis miſſis de renouando fœdere obſecrauit. Quibus Hadrianus ita reſpondit: Ego quidem pacem cum omnibus Chriſtianis habere, & cum rege veſtro in ea concordia eſſe, quæ inter Romanos, & Longobardos ſuperioribus annis eſt conſtituta, deſidero. Sed qui poſſum ei credere, qui Stephano deceſſori meo, prout ipſe mihi narrauit, fidem ante corpus

beati

beati Petri iureiurando datam de iure ſuo Eccleſiæ tribuendo ſefellit? Quin etiam idem mihi Stephanus retulit, cum legatos ad eum miſiſſet, adhortans, vt beato Petro promiſſa perſolueret, ipſum ſic reſpondiſſe: Satis habeat pontifex Stephanus, quòd Chriſtophorum, Sergiumq́; de medio ſuſtuli, qui graue in eum imperium exercebant. nam ſi eum ego non tuebor, in magno periculo verſatur. etenim Carlomanus eorum amicus paratus eſt cum exercitu Romam ad vlciſcendam eorum necem, atque ipſum capiendum contendere. an vos hunc hominem dignum eſſe putatis, quocum pactio aliqua fœderis ſanciatur? Quibus verbis auditis, legati iurare non dubitarunt, Deſiderium ipſi cumulatè ſatisfacturum, & fœdus, ſi renouaretur, conſtantiſſimè ſeruaturum. Itaque Hadrianus reſpondit, legatos ſe ad eum pro eo negocio tranſigendo miſſurum. Deſiderius reſponſi pontificis certior factus æqui ſe aliquid ab eo impetraturum eſſe diffidit. Erat autem illud poſtulaturus, vt Carlomani filios, qui apud ſe erant, reges inungeret; non vt ipſis pueris gratiam tribueret, ſed vt compos voti factus aut Carolum à pontificis amicitia alienaret, aut bello ciuili per eandem cauſſam in Frãcia concitato facilius Romam, Italiamq́; ſubigeret. Itaque extorquere vi cupiens, quod vltrò negatum iri ſibi videbat, nondum duobus menſibus Hadriani pontificatus exactis, in Exarchatum irrupit, ac primo aduentu Ferrariam, Comaclum, & Fauentiam occupauit, & Rauennam bellum ſe transferre velle oſtendit. Vix legati ad Deſiderium deſtinati Peruſiam venerant, cum Iulianus, Petrus, & Vitalianus tribuni à Leone archiepiſcopo miſſi Romam acceſſerunt, nunciantes, Ferrariam, Comaclum, & Fauentiam à Deſiderio captas eſſe, atque ipſi Rauennæ periculum imminere. Quo nuncio ictus Hadrianus legatos ſuos ad Deſiderium proficiſcentes monuit, vt vrbes ereptas à Deſiderio repeterent. Quibus Deſiderius reſpondit, ſi Hadrianus ad ſe veniſſet, ſe in illius auctoritate futurum. Quo negato infenſior factus ſubitò exercitum in Pentapolim tranſcendere iuſſit, & fines vrbium Senogalliæ, Aeſij, Montisferetri, Vrbini, Eugubij, & aliarum cædibus, prædationibus, & incẽdijs peruaſtauit. Bledæ familias ad colligendas ſegetes vrbe per æſtatem egreſſas Longobardi Tuſciæ adorti, omnibus optimatibus vitam eripuerunt. & incenſis rebus omnibus, prædam hominum, pecudumq́; ingentem egerunt. Ocriculis captis, eadem quoque, & multò fœdiora Romanis in finibus perpetrata. Quare Hadrianus flectendi hominis cauſſa abbatem S. Vincentij cum monachis viginti venerandæ ſanctitatis hominibus allegauit. Qui Papiam profecti, ad pedes eius ſe coram iudicibus proiecerunt, ac lacrymarum pleni orarunt, vt finẽ

popu-

populandi faceret, & capta oppida reſtitueret. verùm & hæc quoque cum eodem reſponſo dimiſſa legatio eſt, facturum vtrumque, ſi Hadrianus ad ſe veniſſet. Miſſis à Deſiderio legatis Andreæ Referendario, & Stabili Duci, cum idem nomine regis colloquium poſtulaſſent, Hadrianus ſic reſpondit. Nunciate meo nomine regi veſtro, me coram Deo omnipotente ſpondere, ſi oppida beati Petri reddiderit, me aut hic Romæ, aut vbicunque ille voluerit, in congreſſum eius venturum, & cum eo communi de ſalute, & quiete Italiæ locuturum. & ſi fefellero, non recuſo, quin ille pro arbitratu illa rurſus inuadat. Quòd ſi ille duriorem ſe mihi præbuerit, denuncio illi, nunquam me in conſpectũ eius daturum. Miſsi inde Pardus monachus S. Sabæ, & Anaſtaſius primus Defenſor, vt ciuitates reciperent, eadem obteſtati cum eodem reſponſo redierunt. Miſſos poſtremò alios Deſiderius non ſolùm non audiuit, ſed grauibus quoque cum minis dimiſit, ſe cum exercitu Romã venturum, atque vrbem hoſtiliter obſeſſurum. Eodem anno Sigualdus patriarcha Aquileienſis Papiæ fuit. Extat enim diploma ab illo monaſterio S. Iuliæ Brixiano indultum, ac III Idus Octobris, Indictione vndecima anno Deſiderij, & Adalgiſi regum XVI, & XIIII Ticino datũ. Interim Hadrianus in tantis rerum anguſtijs poſitus vrbi, vt in extremo periculo, conſulere ſtatuit, ac portis præcluſis eam muniri, & præſidiis maioribus, atque intentioribus cuſtodiri præcepit. ac demùm Stephani exemplo Carolum Franciæ regem his de rebus docere, atque aduerſus Deſiderium aduocare decreuit. Itaque Petrum legatum maritimo itinere ad euitandas terreſtres Deſiderii inſidias in Franciam miſit Carolum oratum, vt aui, patriſque exemplo opem affectis Eccleſiæ rebus afferret. Deſiderium iampridem ſaluti, & libertati Italiæ inſidiarum, nunc oppidis Eccleſiæ occupatis, ipſi etiam Romanæ vrbi extrema omnia minitari. Huius tam nefarii, ac tam impotentis conatus cauſſam haudquaquam obſcuram eſſe. nimirum cogere ſe ad inungendos Carlomani filios velle. Quod quanti ipſius interſit, eundem pro ſua prudẽtia intelligere poſſe. Cui criminationi Deſiderius quodam in Edicto reſpondit, quod ad Grimoaldum Viterbii Comitem miſit, in quo ſe bene meritum eſſe de Italia oſtendit, contra atque Hadrianus pontifex criminetur. Id edictum, quia ad hæc illuſtranda tempora maximè valet, quodcunque ſit, in hos libuit annales includere: *Reuocamus ſtatuta regis Aiſtulſi contra Vetulonos edita, vt lacus non Tirenſium, ſed Vetulonum ſit. quia lacus magnus ideo Italiæ, quia eorum ager prius eſt Italia dicta ab ibi ſede Itali, & vt ſuam Longulam, non Longobardulam, ſed cognomine ſui ampliatoris Tirreni Terbum vocent, & vt ſub vno muro cingant tria oppida*

Longulam, Vetuloniam, Tirrenam, Volturnam dictam Etruriam, totamque vrbem noſtra adiectione Viterbum pronuncient, vt de Roda & Ciuita Balneoregium dici iuſsimus. permittimus pecunijs imprimi F. A. V. L. ſed amoueri Herculem, & poni ſanctum Laurentium eorum patronum, vt facit Roma, & Bononia. Iubemus quoque reparari Cortanientam, Dardanum, Aſsium, Foranum, Cornietum, Tuſcanellam. Nos enim non ſumus Tuſciæ deſtructores, vt nos apud Gallos accuſat Hadrianus Papa. nam in Tuſcia ædificauimus à fundamentis vobis quidem Volturrenis Caluellum, Vicum, Orchianum, Balnearıam, Barbaranum, Gariofilum, Sentinatibus autem Auſdonias, & Radacoſanum, Volateram, Rodacomalum, Lunam, Sergianum, Petram ſanctam, olim Forum Feroniæ, Focenſibus ſanctos Geminianum, & Miniatem. Feſulanis oppidum Munionis, in quod vagos ſparſos Arinianos, & palantes Fluentinos collegimus. Rurſus plures antiquas nobiles vrbes ampliauimus, & muris cinximus. Et nunc idem agimus circa Lucam, Piſtorium, Aretium, Orbitum, & Etruriam nunc Viterbum. cuius nomen, aut à nobis conſtituta decreta ſi quis violauerit, aut capite puniatur, aut laqueo ſtranguletur. Hoc itaque non eſt Etruriam deſtruere, vt nos arguit Hadrianus, qui pacem vltro à nobis oblatam reſpuit. Quare tibi Grimoalde præfecte Viterbienſis præcipimus, vt quandiu dubia pax perſeuerat, iubeas omnes Tuſciæ milites paratos eſſe in armis, & commeatibus, ac ſtipendia ſine auaritia in promptu habeas, vt non ſolùm occurrere hoſtibus, ſed etiam illos inuadere poſsis ....: Et ciues non grauabis nouis exactionibus.

Legatus Maſſyliam mari poſtero anno prouectus terra inde ad Carolum in Theodonis villam, vbi ille hiemauerat, properauit, atque eo conuento pontificia mandata renunciauit. Erat Carolus omnibus virtutibus, quæ magno regi conuenirent, ornatus, ſed præcipuè Catholica pietate, quæ maxima quoque patris, auique laus extiterat, inſignitus. Itaque, voluntate perſpecta pontificis, ſumma animi alacritate reſpondit, ſe ipſius ſtudio libenter obſequuturum, ac, Deſiderium, vt ſiue auctoritate, ſiue armis à vexatione Romanæ deterreret Eccleſiæ, conhixurum. apud ſe cum beneficiorum ab Eccleſia acceptorum memoriam, tum ſedis Apoſtolicæ maieſtatem & eſſe, & in perpetuum fore ſanctiſſimam. atque, his dictis, extemplò nuncios ad Deſiderium miſit, &, vt ſua redderet pontifici, iuſsit. Deſiderius, cum ſe ſatisfacturum reſpondiſſet, nihil tamen præſtitit. verùm aliam rationem cogendi ad inungendum Hadriani excogitauit. Papia cum Adalgiſo, & Berta, filiiſque Bertæ, quos ſacrari reges volebat, egreſſus, pacato agmine Romam verſus intendit iter, conſilio ſimulato, ſe voti cauſſa ad ſancta Apoſtolorum limina viſitanda procedere. atque vbi Spoletum acceſsit, per Andream Referendarium, aliosq; iudices duos ad- 773

uentum

uentum ſuum pontifici nunciauit. His ab Hadriano reſponſum, videret, quò veniret; neque enim ſe, niſi receptis oppidis ſuis copiam ei ſui facturum. Quo reſponſo Deſiderius haud motus iter ſuum continuauit. Itaque appropinquantem audiens Hadrianus, portas vrbis claudi iuſſit, & præſidia, quæ ex Romanis, Campanis, Tuſcis, & Pentapolitanis contraxerat, ſuo quæque loco diſpoſuit, omnibus præcipiens, vt aduenienti regi aditum fortiter intercluderent. baſilicarũ verò beatorum Petri, & Pauli, quæ extra vrbem nullis cinctæ mœnibus erant, theſauros, & ornamenta in vrbem tranſtulit. & ianuas omnes baſilicæ S. Petri occludi, & ferris muniri iuſſit, vt, ſi ſe inuito ad eam Deſiderius acceſſiſſet, ingreſſus ei non pateret, niſi ſi cum animæ ſuæ detrimento ſacros moliri poſtes auderet. Inde compoſito grauis in caput eius, & familiæ, comitumq; execrationis carmine, epiſcopos tres Euſtratium Albanenſem, Andræam Præneſtinum, & Theodoſium Tiburtinum ad eum Interamnæ ſedentem miſit, atque ei per omnia myſteria ſacra denunciauit, ne iniuſſu ſuo Romanos fines iniret. Cui denunciationi Deſiderius ita paruit, vt ſubitò ab Interamna ſe retulerit. Sub hoc tempus Leone archiepiſcopo Rauennati mortuo, Ioannes ſeptimus, & Ioãni Gratioſus eſt ſubſtitutus. Interim legati à Carolo venerunt percontantes, num Deſiderius pontifici ſatisfeciſſet, quemadmodum ſe feciſſe, nuncio in Franciam miſſo, ſignificaſſet. Quibus domum repetentibus pontifex & ipſe ſuos ad Carolum legatos adiunxit, atque omnia, quæ acta eſſent, edocuit, iterumque, vt ius tueretur Eccleſiæ, poſtulauit. Pontificii nuncii, cum ex itinere Papiam flexiſſent, ac iuſſu pontificis eadem popoſciſſent, idem reſponſum tulerunt. Inde continuato itinere cum ad Carolum perueniſſent, legationem renunciarunt. Tum Carolus Deſiderium per nuncios pertentauit, num quattuordecim millibus ſolidorum acceptis, ſatisfacere pontifici vellet? Verùm ne ita quidem quidquam profecit. Itaque armis ſibi cogendum, qui voluntate obedire nollet, exiſtimans Francorum concilium aduocauit, atque ad eos de poſtulato pontificio, & tota re Longobardica retulit. Ibi nemo omnium extitit, qui non iniquè Deſiderium, perfidèque feciſſe, nouamque eius arrogantiam comprimendam, & Eccleſiæ primo quoque tempore opem ferendam eſſe cenſuerit. Quamobrem decreto bello ingentes vbique delectus agi, atque arma intentiore, quàm vnquam antea, ſtudio expediri; vt facilè omnibus appareret, Francos ſe non ad Eccleſiam ſubleuandam, ſed ad Longobardorum regnum euertendum accingere. Cum ad diem dictam omnes pedeſtres, equeſtreſq; copiæ Geneuam in Burgundia, iam ſeneſcente autumno, conueniſſent, Carolus,

lus, explicato de ratione inferendi belli conſilio, exercitum in duas partes diuiſit, quarum vnam Bernardo patruo tradidit, eumque per montem Iouis præcedere ad ſaltus Alpium occupandos iuſſit, cum altera ipſe per Ciniſium montem eſt ſubſequutus. Deſiderius contra ad certum harum rerũ nuncium excitus ſubitò cohortes aliquot ad eoſdem Alpium tranſitus inſidendos, eoſque validis munitionibus confirmandos miſit. deinde ingentem ex Foroiulienſi, Beneuentano, Spoletano, Etruſcoq; Ducatu, totoque regno collectum exercitum Auguſtam, & Taurinum contendere iuſſit, eo conſilio, vt, ſi fortè Carolus ipſis perruptis Alpium faucibus in campos deſcendiſſet, illius impetum totius regni viribus excipere non dubia ſpe victoriæ poſſet. Carolus, poſtquam ad Alpes appropinquauit, nouos ad Deſiderium nuncios miſit, per quos oſtendit, ſe eandem, quam ſupra, pecuniam, ſi in officio vellet eſſe, daturum, &, ſi tres tantùm iudicum filios obſides pro fide reſtituendarum vrbium tradidiſſet, exercitum inde ſubitò reducturum: ſimulque, vt dum liceret, ſibi, ac rebus ſuis conſuleret, monuit. Poſtquam autem, reuerſis cum irrito reſponſo legatis, ipſum de ſua pertinacia nihil remittere ſenſit, exercitum ad ſaltus promouit, ac coniunctis ibi caſtris, cum eos à Deſiderio teneri videret, expeditam militum cohortem per montes auios circunductam à tergo Deſideriũ inuadere imperauit. Quo proſperè facto, Deſiderius ad auerſas Alpes caſtrametatus vſqueadeo extimuit, vt per noctem, relictis tentoriis, ac ſuppellectile, fugã arripuerit. Quod ſentiens Carolus cum toto exercitu Alpes ſubitò ſuperauit, atque eum propere inſequi cœpit, ac multos, dum effusè fugerent, interfecit. Variat hoc in loco hiſtoria. Gothifredus enim ſummo prœlio decertatũ in campo inter Nouariam, ac Papiã ſito cum maxima Deſiderij clade ſcribit, vnde locus Mortariæ nomen acceperit. Anaſtaſius verò, & Annonius, quibus crediidiſſe malis, Deſiderium ab Alpibus ſine vllo prœlio Papiam eſſe regreſſum. Deſiderius igitur ſummi prœlii vitare diſcrimen volens, ſeſe Papiæ muris incluſit. quam vrbem proximo Aiſtulfi caſu admonitus variis operibus, munitionibusq; firmauerat. Adalgiſus verò iuſſu patris cum Berta, & filiis Veronam, vrbem munitiſſimam, & propè alteram Longobardorum regiam, ſe recepit. Antequam Deſiderius ad Alpes procederet, Spoletanorum, & Reatinorum aliquot haud multum ſpei in re Longobarda ponentes ſe ſe pontifici tradiderunt. Quippe ex ſingulis ciuitatibus ſinguli Romam pertexerunt, & in baſilica S. Petri coacti ad pedes præſentis ſe pontificis proſtrauerunt, atque in verba eius perpetuã Eccleſiæ Romanæ fidem, obſequiumque iurarunt. deinde barbam, & capillum more

O Roma-

Romano poſuerunt. Vbi verò nuncius eſt allatus, Deſiderium ab Alpibus eſſe depulſum, reliqui certatim confugientes eodem ſe ſacramento obligauerunt. Pontifex eximia moderatione vſus, Hildebrandum, Spoletanis approbantibus, Ducem dedit, ac Longobardis, qui Romam domicilij cauſſa migrare vellent, locum attribuit. qui inde vicus Longobardorum eſt appellatus. Spoletanos inde Firmani, & Auximates, Anconitanique, & ciues caſtelli Felicitatis ſequuti, eodem modo attonſi ſeſe Eccleſiæ dediderunt. Carolus, vbi Deſiderium ancipitem vniuerſi prœlij detrectantem fortunam vidit, patris exemplo Papiam obſidione circundedit, eamque, Hildegarde vxore, & filiis ex Francia euocatis, aſperrima hieme vſque ad diem Domini natalem perduxit. qui initium anni DCCLXXIIII erat futurus. Quo in caſtris celebrato, poſt aliquot dies obſidionem Bernardo commiſit, atque ipſe Veronam cum delecta militum manu ſeſe contulit. Verona premi cœpta, Adalgiſus diu ſe poſſe Caroli impetum ſuſtinere diffiſus, vrbe euaſit, atque in Græciam profugit. Eo profecto, Veronenſes ſubitò Carolo deditionem fecerunt. Carolus vrbe potitus, Bertam, & filios in poteſtatem redactos in Franciam remiſit, ac ſummo honore habuit. Verona accepta, arma inde ad reliqua Tranſpadana oppida circumlata. rogatæque ſingulæ ciuitates, num ſe dedere, an belli fortunā experiri mallent, haud magno admodum labore, victoris clementiam, potentiamq́ ſecutæ venerunt in ditionem. Inde ad Papiæ obſidionem eſt reditum, quæ vna integram victoriam morabatur. Cum autem Carolus ſexto prope iam illam menſe circumſederet, iamque dies Reſurrectionis inſtaret, cupido inuaſit, illum cum pontifice celebrare, ac ſimul, quod diu optauerat, ſacra ipſa Apoſtolorum limina viſitare. Quare relicto iterum ad vrbis obſidionem Bernardo, atque epiſcopis, abbatibus, iudicibus, & militibus delectis aſſumptis, Romam iter inſtituit. ac ciuitatibus obuiam, quacunque incedebat, effuſis, ipſumque lætis animis liberatorem, ſeruatoremque Italiæ ſalutantibus, pridie paſchatis ad vrbem acceſſit. Hac de re Hadrianus lætatus, ingenti ſibi honore Carolum putauit excipiendum, regem cum opibus præpollentem, tum & maiorum beneficiis, & ſuis diuinitus de Romana Eccleſia meritum. Ordo verò eius honoris hic fuit. Primùm vniuerſi iudices obuiam ei ad millia paſſuum triginta profecti cum vexillis ipſum exceperunt. in quo ridendus eſt Blondi, Sabellici, & Platinæ error, qui triginta millia iudicum obuiam prodiiſſe falsò ex Anaſtaſio retulerunt. ac iudices non pro magiſtratibus, ſed pro hominibus paullo honeſtioribus acceperūt. deinde ad primum lapidem vniuerſæ ſcholæ cū patronis, & pueris pal-

774

marum, olearumque ramos tenentibus, & Laudes Caroli celebrantibus occurrerunt. extremum agmen cruces venerandæ clauſere, quas Regi non aliter, atque Exarchis, Patricijsq; quondam ſolebat, obuiam miſit. Pontifex ſummo mane cum vniuerſo clero, & populo ad baſilicam Vaticanam conceſsit, eumque in gradibus cum clero aſsidens expectauit. Carolus vbi cruces eſt conſpicatus, illico ex equo ſe venerabundus deiecit, eoque ſtratoribus pontificis dato, cum ſuis iudicibus reliquum iter pedibus in Vaticanum peregit. vbi verò ad gradus peruenit, ſingulis pium oſculum ferens ad pontificem in ſummo ſedentem aſcendit. Ibi à pontifice benignè exceptus, mutuis amplexibus, & gratulationibus initijs, in baſilicam eſt deductus, vniuerſo clero auctorem publicæ ſalutis, libertatisq; canente, *ac benedictum eſſe, qui veniret in nomine Domini*, certatim lætis vocibus acclamante. Poſtquam autem, proſequentibus epiſcopis, abbatibus, Franciſque Caroli comitibus, ad Confeſsionem venerunt, proſtrati ad terram omnipotenti Deo, beatoque Petro de tanta victoria gratias omnes egerunt. Ea re perfecta, rogauit inde pontificem Carolus, vt ſibi vrbem ad viſitanda templa voti perſoluendi gratia liceret inire. idque pontifex annuit, accepto, datoque ſuper ſacroſancto Apoſtoli corpore ſacramenro, neutrum neutri inſidias paraturum. Ingreſſus ergo cum pontifice baſilicam Saluatoris Lateranenſem adiuit, ibique tantiſper fuit, dum operam baptiſmati pontifex dedit. atque inde Vaticanum repetiit. poſtridie verò, qui dies Reſurrectionis illuxit, pontificis accitu, iudicibus, & militibus Romanis obuiam miſsis, vrbem deintegro ingreſſus ad baſilicam S. Mariæ ad Præſepe contendit, reque diuina perfecta, cum pontifice in Lateranum profectus hilariter cum eo eſt epulatus. tertio die pontifex ſacris in Vaticano operatus regi ipſi præſenti gratias agēdas amplißima, atque ornatißima oratione curauit. Ibi beneficia Pipini, & Martelli erga Eccleſiam Romanam commemorata. Egregia familiæ pietas, fides, ac fortitudo magnificè collaudata, eaque cum inſigni omnium Francorum commendatione coniuncta. Carolum haudquaquam ab inſtituto patrio, auitoque degenerantem cum maximo popularium exercitu aduerſus Eccleſiæ hoſtes tranſgreſſum, diuino auxilio nō minorem ſtatim felicitatis, quàm alacritatis ſuæ tuliſſe fructum. ſperari quoque intra paucos dies euenturum, vt cuncta illi Italia de toto confecto bello, captiſque hoſtibus gratuletur, quemadmodum nunc de iis, quæ acta ſunt, ingentes illi gratiæ & Italiæ, & Eccleſiæ nomine iure aguntur. Quarto ſacra in baſilica S. Pauli, eodē præſente rege, cōfecta. Quinto pontifex Carolum cum ſuis cleri, militumq; iudicibus in baſilica Vati-

cana conuenit, rogauitque, vt ſponſionem expleret, quam Pipinus pater, & ipſe, & Carlomanus frater cum omnibus iudicibus Franciæ apud Cariſiacum Stephano pontifici fecerant. Qua re audita, Carolus eius ſponſionis recitari tabulas iuſſit, ac cognitas ſine cunctatione ipſe cum iudicibus ſuis probauit. Ea verò complexa eſt, vt ſcripſimus, Exarchatum, & Pentapolim. Quo facto, Iterio ſcribæ ſuo præſenti mandauit, vt eam donationem noua altera cumularet, nempe addens Corſicam, Sardiniam, Siciliam, Territorium Sabinenſe, Ducatum Spoletanum, Tuſcumque Longobardorum vnà cum cenſu, qui quotãnis pro his Ducatibus regi Longobardorum perſoluebatur, ſalua tamen ſuper eoſdem Ducatus regia ditione. Atque has donationis tabulas ſua, epiſcoporum, abbatum, graphionumque ſuorum manu ſubſcriptas ſuper altare S. Petri, & in Confeſſione, vt teſtata ſacratis monumentis eſſent, depoſuit, ac ſolemni ſe, ſuoſque in eam rem iureiurando deuinxit, aliaſque eodem exemplo per Apoſtolicum ſcriniarium deſcriptas ſecum deportauit. Huius donationis teſtis eſt Anaſtaſius in Hadriano, & Hadrianus ipſe in epiſtola ad Conſtantinum, & Irenem Auguſtos poſt miſſa, in qua hæc verba ſunt: *Carolus Dux Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ ob nimium amorem plura bona in perpetuum obtulit poſſidenda tam prouincias, quàm ciuitates, ſeu caſtra, & cetera territoria. Et patrimonia, quæ à perfida Longobardorum gente detinebantur, brachio forti eidem Dei Eccleſiæ reſtituit, cuius eſſe dinoſcebantur.* Eadem verò in tabulis Ludouici Caroli filij multò etiam apertius repetuntur, ex quibus etiam intelligitur, Ducatum Tuſciæ Longobardorum complexum eſſe caſtrum Felicitatis, Orbitum, Balneoregium, Ferenti caſtrum, Viterbium, Marchiam Tuſcanam, Populonium, Soanam, & Roſellas. His rebus actis, poſt octauum diem Carolus Papiam in caſtra receſſit. Ibi cum expugnandæ munitiſſimæ vrbis, rege ad omnia obſidionis incommoda induſtriè, ac nauiter occurrente, ratio oſtenderetur, ſatiſque appareret, Deſiderium nullam ad deditionem venturum, quòd ſperabat, vrbe regia conſeruata, facilè ſe amiſſa omnia poſſe recuperare, perſeuerare in obſidione decreuit. Iampridem ex magna rerum, quæ inueheretur, difficultate fœda fames, & ex fame grauis peſtilentia ciuitatem inuaſerat, quæ duo mala non ſolùm incluſos, ſed etiam ſolutos homines vltima debilitare deſperatione conſueuere. Itaque cum Deſiderius auerſos in luctum, mœroremque ab armis, & propugnatione non tam oppidanos, quàm milites ipſos videret, ad extremum conſilium neceſſarium magis, quàm vtile deditionis cepit. ac ſe, vxorem, liberos, regiamque in Ca-

roli poteſtatem permiſit. Quo facto, omnes ſubitò Longobardi clemẽtiam potius eius experiri, quàm vim cupientes, eiuſdem ſe fidei dediderunt. Deſiderius amiſſo regno apud poſteros fuit illuſtrior, quàm aut Alboinus adepto, aut Autharis, & Agilulfus formato. tantum vnius ei Caroli victoris virtus, & amplitudo gratiæ, honorisq́; conciliauit. Atque hic quidem finis regni Longobardorum in Italia fuit, anno, poſtquàm Italiam occupauerant, ducenteſimo ſexto, Chriſti verò ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto. Ceterùm Longobardorum imperiũ ſæuum ab initio, atque impotens, poſt Chriſtianam religionem, Catholicamq́; fidem aſcitam mitius, ac benignius erat effectum. Teſtes ſunt rectæ leges eorum, quibus furta, latrocinia, rapinæ, cædes, adulteria ſeueriſſimè vindicantur, ac libertas, & fortunæ priuatorum ſummo ſtudio conſeruantur. Docent templa magnifica, & monaſteria ampliſſima, quibus pietatis ergò ipſi potiſſimùm citeriorem Italiam exornarũt; baſilicæ epiſcoporum, quas ampliſſimis præmiis honeſtarunt; inclyta oppida, quæ aut noua condiderunt, aut diruta inſtaurarunt; homines ſanctitate conſpicui, quibus honores eximios habuerunt; demũ põtifex ipſe, quem cum ditione opibusq́; auxerunt, tum tanto cultu, ac reuerentia proſecuti ſunt, vt monente eo, regnum ipſum dimiſerint, monachumq́; induerint. Hæc autem omnia decora nimia vna dominandi, ac dilatandi regni libido corrupit ita, vt etiam faſtigio regio, & inueterata iam Italiæ dominatione exuerit.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE REGNO ITALIAE

Liber Quartus.

CAROLVS MAGNVS REX.

REGNVM inde à Deſiderio ad Carolum, & à Longobardis ad Francos deuenit, qui multò illuſtriora etiam, ac memorabiliora moderationis, & iuſtitiæ monumenta ad commodum Italiæ, & dignitatẽ Eccleſiæ reliquerũt. Quod opus vt virtute, ac ſapientia Pipini, & Caroli inchoarũ illorũ deinceps perſecuti poſteri ſint, proximis libris expedire conabimur, quos regno Frãcorũ in Italia deſcribẽdo dicauimus.

Victo, captoque rege Deſiderio, & Longobardis omnibus in fidem, ac deditionem acceptis, Carolus regnum Italicum ſibi iure victoriæ vindicauit. Quod vt nouo præterea iure ſanciret, vetus, vt putabatur, pontificis Gregorij decretum adhibuit. Quippe Modoetiæ ſe per archiepiſcopum Mediolanenſem corona redimiri ferrea voluit, atque, vt ita apud poſteros obſeruaretur, inſtituit. Ea res maxima fieri cæremonia conſueuit, quæ in Rituali antiquiſsimo continetur, qui Ordo Romanus vocatur. Perducto ſcilicet per epiſcopos ex cubiculo in templū, atque ad aram maximam rege, archiepiſcopus poſt ſolemnes aliquot precationes effuſas populum alloquutus interrogabat, num ſe tali regi ſubiicere, atque illius mandatis, & iuſsionibus conſtanti fide vellet obtemperare? Vbi verò populus ſe velle reſponderat, regis caput, pectus, ſcapulas, atque ipſas brachiorum compages oleo ſancto vngebat, Deū orans, vt & in bello gerendo, & in ſobole propaganda votis eius annueret, ornato inde enſe, armillis, pallio, annulo, & ſceptro coronam imponebat, & per Chorum ductum in ſolio collocabat, atque oſculo pacis oblato, diuinam inde rem faciebat. Hæc tum Thomas Mediolanenſis archiepiſcopus egit. Ex quo plurimum ei eccleſiæ ſplendoris accreuit. His rebus Papiæ, atque Modoetiæ actis, Carolus officij ſui eſſe duxit, Italiæ, cuius dominus, atque arbiter non ſolùm armis, ſed etiam legibus, erat effectus, rempublicam ordinare. Quoniam autem commodius conſilio, & auctoritate Hadriani pontificis ſe omnibus partibus conſulturum eſſe putauit, Romam ad conſilia cum eo communicanda iter intendit. Eo cognito, Hadrianus extemplo ſacros ex Italia proceres aduocauit, &, cum epiſcopi centum quinquaginta quattuor, abbateſq; plurimi conueniſſent, Carolum ſolemni occurſu ciuitatis excepit. atque ad eos de illius honoribus rettulit. Viſum omnibus eſt, præſenti tempori conuenire, vt rex potentiſsimus, atque optimè cum patre, auoque de Romana Eccleſia meritus extraordinariis honorum afficeretur inſignibus. Itaque, vniuerſo procerū conſentiente conuentu, decretū, vt Carolus Patricius Romanus eſſet; per ſingulas prouincias archiepiſcopos, & epiſcopos inſtitueret, ita vt niſi ab eo laudaretur, & inſtitueretur, à nemine ſacrarentur; & vt pontificē eligeret, ſedemque Apoſtolicā ordinaret. Ceterùm Patriciatus ordo, ac dignitas poſt Conſtantinum Magnū Romano in Imperio maximi, ac ſplendidiſsimi tituli fuit. Epiſcoporum autem, quam dixi, inſtitutionem Inueſtituram illi vocarunt, eamq; annulo, & baculo porrigendo perfici voluerūt. Pontificis porro legendi ius videtur ad ſeditiones, & diſsidia Romanorum tollenda collatum. Hæc enim vetere labente diſciplina, atque ampliſsimi in terris

honoris furente cupiditate comitia pontificia recenti Conſtantini exẽplo cum maxima omnium Chriſtianorum offenſione corruperant; cũ nemo Romæ ſatis auctoritatis, aut opum ad ſeditiones, tumultuſque coercendos haberet. Hoc autẽ ius legendi pontificis Carolus Romanis eximia moderatione animi vſus, remiſit, eoſque comitia antiqua ratione per cletũ, populũq; habere, modò ſine tumultu, ambituq; cõceſsit.

His ille honoribus inſignitus eò inde alacrius formando regno, atque Italiæ conſtituendæ ſe tradidit. Primùm autem Apuliam, & Calabriam Imperatori, ſicut à victoria fuerat Iuſtiniani, reliquit. quæ poſt à Normanis occupatæ in alterius Regni formulam conceſſere, quod demum Neapolitanum eſt appellatum. Ducatum inde Beneuentanum Aragiſo Deſiderij regis genero, Spoletanum Hildebrando, Foroiulienſem Rodgando permiſit, antiquo feudi iure erga ſe, quod erga reges Longobardorum fuerat, conſeruato. Exarchatum Rauennatem, Pentapolim, Ducatum Romanum, Tuſcum, & Campanum *iure, principatu, & ditione* ſibi retenta, pontifici permiſit. Reliqua ipſe ſibi nomine Regni retinuit. Id autem fuit, quodcunque reges Longobardorum in Liguria, Aemilia, Venetiaq; poſſedetant, Tuſcia quoque citeriore, & Cottiis Alpibus attributis. Ea pars Longobardia, ſiue, vt poſtea dixerunt, Lombardia, vocata. Exarchatus Romaniæ, ſiue Romaniolæ nomine eſt appellatus. Italia diuiſa eiuſmodi deinde eius adminiſtrationem induxit. Duces ipſos liberos iuſſit eſſe vno tantùm regij feudi vinculo obligatos. Eo verò qui ſe obſtrinxerunt, ij ad annuum cenſum tale ſacramentum ſuſceperunt: *Promitto, me domino meo Carolo, & filijs eius fidelem futurum in tota vita ſine fraude, doloque malo.* Item: *Iuro per hæc ſancta Dei Euangelia me in poſterum fidelem ei futurum, vt vaſallum domino, nec id quod mihi ſub nomine fidelitatis commiſerit, enunciaturum in eius detrimentum ſcientem.* Hoc autem iuſiurandum ſi fefelliſſent, aut ſi ſine filiis deceſſiſſent, Ducatus ad alium transferebatur, eaque tranſlatio, vt in epiſcopis, & abbatibus, Inueſtitura dicebatur. Atque hoc idem in ceteris vaſallis, ſiue feudatariis, vt Comitibus, Capitaneis, & Valuaſoribus obſeruatum eſt. De quibus poſt pluribus, cum de regno à Germanis inito referemus, à quibus hæc omnia inſtituta perfecta ſunt. Porro autem populos, ac ciuitates in Regno ſitas ita gubernare inſtituit. Regni limites, atque oppida Comitibus adminiſtranda commiſit, atque eis omnem publicam, & priuatam iuriſdictionem mandauit. Limites marchas vocarunt. vnde præfecti limitum marcharum Comites, ac marchiones dicti. Extra ordinem autem legatos quoſdam in Regnum maiore, quàm Comites, cum poteſtate miſit, quos Miſſos vocauit. Singularũ

ciuitatum agros ſuperiore Longobardorum imperio confuſos, aut inter populos ab antiquo litigioſos pro ſuo iudicio, vt quidque poſtulatum eſt, terminare inſtituit, eoſque fere aut montibus, aut paludibus, aut fluminibus circumſcripſit. Ciuitates item in verba regis iurare inſtituit, atque in iureiurando hæc verba adiicere: *Et vitam, membrum, mentem, & rectum eius honorem ſeruaturum*. Feudatariis autem, ciuitaribus, eccleſijs, ac monaſterijs certa tributorum genera impoſuit, foderum, paratam, & manſionaticum appellata, quæ aduenienti potiſſimũ in Italiam regi perſoluerent. Quæ deinde pro ipſius, & ſucceſſorum eius benignitate aut ex parte leuata, aut in totum remiſſa ſunt. Epiſcopis, & abbatibus veteres eccleſiarum, ac monaſteriorum poſſeſſiones à Longobardis, aliiſue ante conceſſas rogatus à ſingulis confirmauit, ac pro cuiuſque meritis nouas indulſit. Et, vt libertatis ſpeciem aliquam præbuiſſe Italiæ videretur, quoties in Italiam venit, conuentus epiſcoporum, abbatum, ac procerum Italicorum habere inſtituit, & cum iis res regni grauiſſimas Francorum inſtituto communicauit. Idem legem etiam Salicam in Italiam intulit. Erat autem Salica idem, quod Francica. Si quidem Franci Orientales Salii appellati. Ita ab hoc tempore tribus Italia legibus vixit; Romana, Longobarda, & Salica. Obſeruatum eſt autem, vt qua quiſque lege viuere vellet, profiteretur, atque ex ea ius illi diceretur. Quam conſuetudinem Italia inde vſque ad Lotharij ſecundi, Imperatoris tempora conſeruauit. Atque his ferme rebus inſtitutis, Carolus Papiam ſe rettulit, ibique valido præſidio relicto, ac Deſiderio cum vxore ſecum abducto, reuertit in Franciam. Eodem anno Veneti, qui æſtuaria tenebant, cum vni adhuc tantùm epiſcopo Metamaucenſi paruiſſent, nouum epiſcopum in inſula, quæ Oliuola, aut Caſtellum dicebatur, Hadriani pontificis auctoritate inſtituere, atque ei proximas inſulas Geminum, Riuoaltum, Luprum, & Dorſum durum ſubdidere. Clero inde, ac populo ad concilium aduocato, Obelerius eſt creatus. qui à Duce inueſtitus à patriarcha conſecrationem accepit.

775 Anno inde ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Indictione XIII, Cõſtantinus Imperator diem ſupremum obiuit. Leo filius, cognomento Porphyrogenitus excepit imperium. Ad hunc Imperij initio Adalgiſus, qui fuerat rex Longobardorum, acceſſit, & benignè exceptus Patriciatus dignitatem obtinuit. Nemini dubium videbatur, quin Italia inſigni Caroli victoria pacata, & conſtituta bello, dum Francorum florentia tum arma vigerent, eſſet vacatura. Quod ne eueniret, Longobardi Duces, qui ab eo relicti fuerant, impedimento fuerunt. qui imperij ſummam Longobardo nomini ademptam, & ad Francos tranſlatam in-

dignè paſſi, ac vetere libidine dominandi accenſi res moliri nouas nunquam deſtiterunt. In primis Rodgandus Foroiulienſium Dux, proximis ſolicitatis ad defectionem ciuitatibus, magnos motus exciuit. Quos Carolus cum à bello Saxonico in Franciam reuerſus audiſſet, armis putauit vindicandos, haud dubiè intelligens, ſi res hæc inpunè Rodgando foret, breui ſe totam Italiam, gliſcẽtibus in dies defectionibus, amiſſurum, ſi fortiter incœptis occurreret, neminem non vltro in officio
permanſurum. Ita Nataliciis in Alſatia celebratis, cum firmiſſimo exer 776
citu Alpes ſuperauit, ac rectà in Forumiulium ire pertexit. Eò cum veniſſet, moram nullam interpoſuit, quin ſubitò acie cum hoſte confligerer. Fuſo, fugatoque exercitu, Rodgandus captus, &, quòd regnum affectauerat, vltimó ſupplicio affectus. Ciuitates, quæ defecerant, cum ſe dederent, facilè veniam impetrarunt. Taruiſium inde ad paſcha celebrandum profectus, Ducatum Foroiulienſem Regno attribuit, ac Comitibus ſingulas ciuitates adminiſtrandas dedit. atque inde ſe recepit in Franciam. Per eoſdem dies Leo Imperator Conſtantinum filium Imperij conſortem ſibi aſciuit, atque ei coronam de more impoſuit. Eodem etiam anno Paulinum patriarcham eccleſia Aquileienſis adepta, Ioannem verò octauum archiepiſcopum Rauennas. Quieta inde ab
armis per multos annos Italia fuit. Poſtero, Carolus, Saxonibus, qui re 777
bellauerant, in Germania domitis, omnium Saxonum ad res eorum cõ
ſtituendas conuentum habuit Pardebrunnæ. Sequenti, Veneti Mau- 778
ricio Duci, vt Ioannem filium ſibi collegam aſciſceret, conceſſerunt, ac tum primùm inſtituto exemplo Duces duos habere cœperunt. Eò anno Carolus & in Hiſpania, & in Saxonia proſperè dimicauit. Quibus rebus auditis, Hildebrandus Dux Spoletanus, ſimul Rodgandi caſu exanimatus, ſimul Caroli proſperitate permotus, hominem extraordinariis honoribus ſibi colendum putauit, qui opibus extraordinariis
eſſet inſtructus, ac proximo vere ad eum Compendij commorantem 779
acceſſit, & muneribus eximiis latis ſe ad eius nutum præſto eſſe, futurumque oſtendit, & liberaliter ab eo tractatus diſceſſit. Annus inde ſe- 780
ptingenteſimus octogeſimus res duas memorabiles attulit, mortẽ Leonis Imperatoris, & aduentum in Italiam Caroli regis. Leo, cum patris exemplo in eos, qui ſanctis dediti imaginibus eſſent, inclementius ſe geſſiſſet, per menſem Septembrem interiit. Imperium puer Conſtantinus Porphyrogenitus vnà cum Irene matre excelſi animi, ſummique conſilij femina adminiſtrare perrexit. Carolus autem, cum videret, ſe aſsiduis Saxoniæ, atque Hiſpaniæ bellis implicitum haud facilè Italiam tueri, aut retinere in officio poſſe, niſi regem illi traderet, qui præſens iura

præſen-

præſentibus diceret, ac domeſticos, externoſque hoſtes præſentium armorum terrore comprimeret, Pipinum maiorem natu filium regni ſibi ſocium deſtinauit. Itaque poſtquam è Saxonia rediit, labente iam anno, comitibus Hildegarde vxore, & Pipino, ac Ludouico filiis ſumptis, in Italiam iter inſtituit. atque ante Natalicia domini Papiam peruenit.
781 Nataliciis inde regio apparatu cũ Thoma archiepiſcopo celebratis, ſe ſe ad res regni cõſtituendas conuertit, ac frequenti ſacrorum, profanorumq; procerum conuentu coacto, ex eorum ſententia leges, quæ nunc quoque leguntur, tulit. eaſque Kalendis Martijs promulgauit: *Vt archiepiſcopi, & epiſcopi ea iura haberent, quæ legibus ſancta eſſent, monaſteria ea diſciplina tenerentur, qua à patribus fuiſſent obſtricta.* reliqua inde ſunt de homicidiis, latrociniis, & periuriis puniendis, & de iure à Comitibus, & Vaſsis dominicis benignè reddendo. Statu Italiæ ſatis, vt res tulit, in præſens formato, Romam inde ad coronandum pontificia manu Pipinum acceſsit. Proficiſcentem epiſcopi, ac ciuitates eximiis honoribus coluerunt, ac certatim opportuna rebus quiſque ſuis priuilegia petierunt. Nec minore animi alacritate eundem Romæ pontifex Hadrianus excepit, haudquaquam veterum, & nouorum erga Eccleſiam beneficiorum eius oblitus. Itaque petenti, vt filios reges appellaret, nihil eius ſtudio abnuit. dieque ei officio celebrando indicta, quæ Dominicæ Reſurrectioni eſt conſecrata, magna omnium, qui frequentes aderant, approbatione, ac lætitia Pipinum Italiæ, & Ludouicum Aquitaniæ reges inunxit, & Pipinum alterum ſacro lauacro tinctum de fonte ipſo leuauit. Quibus rebus actis, Papiam inde eſt reditum. Ibi à Thoma archiepiſcopo eadem opera renauata. Nam & Pipinum Modoetiæ, exemplo iam à Carolo inſtituto, ferrea corona donauit, & Giſlam filiam de eodem fonte ritu Chriſtiano ablutam ſuſcepit. Atque his rebus actis, Italia Pipino regi commendata, receſſit in Franciam.

IDEM CAROLVS CVM PIPINO *Filio* REX.

REGNO Pipini mirificè vniuerſa lætata Italia eſt, habituram ſe domi ſentiens, à quo iura commodè poſceret, & per quem externos etiam Hunnorum, & Sarracenorum impetus vtrinque à terra, & à mari imminentium propulſaret. Itaque coronationi eius lætiſſima, ac frequentiſsima affuit. Neque verò Pipinus alacria gratulantium populorum ſtudia faſtidiuit, verùm cum vniuerſis, & ſingulis fide, officioque certauit. Quare cum Italiam publicis operibus ad cultum ciuitatum inſtruxit, tum eandem legibus ad ocij fructũ ſalutaribus temperauit. Vt Caroli,

ſic Pipini extant leges poſt frequenti epiſcoporum, principumque con-
uentu perlatæ, de reſtaurandis, & ordinandis eccleſiis; de monaſteriis,
& xenodochiis reparandis; de pontibus, & viis reficiendis; de Romipe-
tarum ſecuritate præſtanda; de iure à Comitibus, Comitumque iudi-
cibus dicendo. De fugitiuis porrò ſic ſcriptum eſt: *Vnuſquiſque iudex*
ſtudeat inquirendis ſeruis, & ancillis fugientibus. In Auſtria, Neuſtria, Aemi-
lia, Tuſcia, & per omnia maris littora perquirantur. Item: *Qui ex partibus Be-*
neuenti, Spoleti, Romaniæ, & Pentapolis confugium faciunt, ad propria loca re-
ſtituantur. Dum autem is in Italia fuit, Rauennæ plerunque egit, aut
vetere vrbis amplitudine, aut certè naualis rei adminiſtrandæ opportu-
nitate inductus. Sequenti anno Ioannes poſt Mauricii patris obitum 782
ſolus Ducatum Metamauci obtinuit. & poſt annum Mauricium filium
conſenſu populi ſibi collegam cooptauit. Quiete per nouum creatum 783
regem Italiæ parta, poſtero anno principium quoque factum eſt con- 784
cordiæ inter Eccleſiam Conſtantinopolitanam, Romanamque conci-
liandæ, quæ multos iam ante annos propter cultum ſacrarum imaginũ
capitali inter ſe odio cœperant diſsidere. Paulus patriarcha Conſtanti-
nopolitanus repente morbo oppreſſus vltro ſedem reliquit, atque at-
tonſus in monaſterium ſe S. Flori coniecit. Hoc cognito Irene cum
Conſtantino filio ad eum triſtis acceſſit, & cauſſam huius facti quæſi-
uit. Cui ille ſuſpirans, Vtinam, inquit, nunquam in ſacerdotii ſede ſe-
diſſem, Eccleſia Dei tyrannide oppreſſa, & à reliquis ſedibus Catholicis
ſegregata, ac diris, deteſtationibusq; deuota. rogantique iterum, vt ſen-
ſum animi ſui diſertius aperiret, Niſi concilium generale aduocetur,
inquit, atque ſanctarum cultus imaginum reuocetur, ſpes nulla ſalutis
relinquitur. Tum illa, Atqui, inquit, cur tu patriarcha deſignatus ima-
ginum deſpicientiæ ſubſcripſiſti? Et hoc eſt ipſum, reſpondit, quo val-
de diſcrucior, precorque Deum, ne debitas à me repetat pœnas, quòd
hucuſque tacitus tulerim, & veſtri timore veritatẽ non patefecerim. at-
que his dictis haud inde multò poſt migrauit è vita. Irene autẽ ſenatu,
ac populo conuocato, de nouo creando antiſtite retulit, ac Taraſium
à ſecretis nominauit, virum probitatis, ac prudentiæ ſingularis. Ve-
rùm is inexpiabile diſſidium duarum eccleſiarum cauſſatus nunquam
ſe honorem illum accepturum affirmauit, niſi concilium ad eas recon-
ciliandas indiceretur. Quod cum Auguſta, & populus promiſiſſent,
Taraſius ſacerdotium accepit, atque VIII Kalen. Ianuarii conſecratus, 785
& ſynodica de more, & fidei ſuæ cõfeſſione Romam miſſa, ab Hadria-
no pontifice eſt approbatus. Scripſit etiam Irene ad pontificem, rogãs,
vt legatos ad generale concilium mitteret, quod ipſa concordiæ cauſſa

Conſtantinopoli habere deſideraret. Quibus litteris lectis Hadrianus exhilaratus extemplò legatos deſtinauit Petrum Vicedominum Eccleſiæ, & Petrum abbatem S. Sabæ, viros pietate, atque eruditione inſignes. Euocati etiam patriarchæ Antiochenus, & Alexandrinus, cum
786 ipſi venire non poſſent, legatos miſerunt. Itaque proximo anno, cum epiſcopi omnes iuſſu Imperatorum acciti adueniſſent, ſimul cum pontificis, & patriarcharum legatis in baſilica Apoſtolorum VI Idus Auguſti, nona Indictione, conſederunt, ac ſanctorum patrum ſcripta relegere, eaque inuicem obiicere veritatis eruendæ cauſſa in conſpectu Imperatorum cœperunt. verùm armatis hominibus nuper à Conſtantino auo corruptis fœdo cum tumultu in templum ſe inferentibus, & cædem Catholicis, ni quieſcerent, intentantibus, nihil profecerunt. Interim refloreſcentibus Pipini prudentia, atque iuſtitia Italiæ rebus, nouum bellum interuenit, quod optatum Italicorum ocium interrupit. Aragiſus quippe Dux Beneuentanus ſuperbia elatus defecit. Superbiæ eius illud certo ſit argumento, quòd vltro nouo titulo ſe pro Duce Principem appellari, & ab epiſcopis ſuis tanquã regẽ inũgi, & corona ornari iuſſerat, atq; in ſuis diplomatibus: *Ex noſtro ſacratiſſimo Palatio*, ſubſcribere inſtituerat. Hic igitur nimia prolatandæ ditionis cupiditate incenſus, Pipino rege patuifacto, infeſtum in finitimam pontificis prouinciam exercitum duxit, neque amens aut miſerabilem Deſiderii ſoceri caſum exhorruit, aut latè patentem Caroli potentiam formidauit. Huius rei certior per Hadrianum Carolus factus, domeſticis bellis opportunè perfunctus, Eccleſiæ tuendæ cauſſa properè in Italiam ſibi traiiciendum eſſe conſtituit. Itaque numero peditum, equitumque idoneo cõparato, ineunte hieme, Alpes tanta celeritate ſuperauit, vt ſolemnia Na-
787 talicia Florentiæ in Etruria celebrarit. Hæc vrbs à Totila Gotthorum rege quondam euerſa hoc tempore Caroli iuſſu dicitur eſſe refecta. Romam inde cum veniſſet, conſilium rei gerendæ cum Hadriano communicauit. Aragiſus tum demum, quàm parum ſuarum virium ea foret contentio, ſentiens filium Romualdum, qui pacem peteret, & per amplis eum muneribus deliniret, Romam miſit, & ſe ſatisfacturum pontifici illius arbitratu promiſit. Eiuſmodi poſtulatum Carolus ex Hadriani auctoritate repudiauit, &, Romualdo apud ſe retento exercitum in agrum Capuanum adduxit, atque direptis, incenſiſque omnibus, vrbem ad deditionem coegit. Ea te cognita, Aragiſus imminenrem Beneuento procellam timens vrbem reliquit, & Salernum maritimum oppidum adiit, veritus, ne, ſi ſe Beneuenti mœnibus incluſiſſet, in obſidione copiam fugæ, cum cuperet, non haberet. Et quidem recens

Deſiderij exitus cautos omnes reddere poterat ad vitandos ancipites eiuſmodi obſidionum euentus. atque inde ad extrema delapſus, ſecundam legationem miſit, qua ſe ſpopondit obſidem alterum etiam filium Grimoaldum daturum, quæque ab eo imperarentur, obedienter exequuturum. Hæc à Carolo eſt accepta conditio. Romualdo filio maiore dimiſſo, Grimoaldum retinuit, & ſolemne ſacramentum ab ipſo, & populo Beneuentano exegit. Recordatus inde Caſſinas monaſterium in iis locis eſſe, clara iampridem ſanctitatis, & religionis fama nobilitatum, illud inuiſit, ac, præclaris S. Benedicto donis oblatis, veteres rogatu monachorum poſſeſſiones nouo priuilegio confirmauit. Demum vrbe repetita, Paſcha cum Pontifice obiuit, ac votis ad Apoſtolorum templa ſolutis, & pontificia expiatione accepta, ſe recepit in Lombardiam. VI Idus Iunias Regij cum eſſet, Apollinaris epiſcopus eum adiit, rogans, vt, quoniam incenſa baſilica omnes veterum priuilegiorum tabulæ conflagraſſent, quæ ſuæ Longobardi Reges eccleſiæ indulſiſſent, ipſe præſentes, futuraſque poſſeſſiones, familias, clerumque eccleſiæ in fidem ſuam reciperet, & pro gente Francorum nuper in Italiam introducta antiquos eccleſiæ ſuæ terminos conſeruaret, atque vtrumque vno, eodemque diplomate comprehenderet. Extat diploma apud Regienſes anno regni Caroli tertiodecimo, Pipini ſeptimo, datum. Inde VI Kalendas Octobris Veronæ cum ageret, rogatu Geminiani epiſcopi eccleſiæ Mutinenſi confirmauit prædia à Regibus, & Reginis ante conceſſa. ſimulque cauit, *ne quis iudex ab epiſcopo aut fodrum exigeret, aut manſiones, aut paratas, aut fideiuſſores acciperet, aut homines eius vlla ratione vexaret. atque ei Plebem Gandaceti, aliaque bona donauit*. Inde traiecit in Franciam. Dum hæc à Carolo in Italia aguntur, Irene Auguſta in Græcia, cura concilij habendi haudquaquã omiſſa, menſe Maio concilium Nicæã, Bithyniæ vrbem, indixit, vbi primo quoque concilio celebrato fuerat hæreſis Arriana labefactata. atque eò omnes epiſcopos, legatoſq; coegit. Ibi ſeptimum, quod dicitur, generale concilium Octobri menſe vndecima Indictione peractum eſt, trecentis quinquaginta epiſcopis præſentibus, & legatis Pontificis præſidentibus; atque ex omnium auctoritate antiquus ſanctis imaginibus, & Cruci honos eſt redditus. & patriarchæ, ceterique, qui ſecus ſenſerant, condemnati. Concilio perfecto, epiſcopi omnes Nouembri menſe Conſtantinopolim adierunt, & præſentibus Imperatoribus acta Concilij recitarunt. Quæ cum Imperatores propria ſubſcriptione firmaſſent, eos dimiſerunt. Ita rurſus pax Italiæ, atque Eccleſiæ reſtituta. Carolus domum reuerſus, conuentu Vormaciæ habito, proceres, quæ à ſe in

Italia geſta eſſent, edocuit. cumque adieciſſet, ſe Romæ à legatis Taſſilonis Ducis Baioariæ de pace eſſe tentatum, ex eorum auctoritate, nunquid Taſſilo promiſſa præſtare vellet, experiri, & Baioariam tribus exercitibus aggredi ſtatuit. Itaque, cùm Pipinum Italicas copias in Tridentinam vallē adducere imperaſſet, Orientales verò Francos, & Saxones ad Danubium perueniſſe audiſſet, ipſe cum tertio exercitu ad Lethum flumen, quod Alemanos à Baioariis diuidit, apud Auguſtam conſedit. Tum Taſſilo circunuentum ſe videns ſupplex ad Carolum venit, ac ſuperiorum erratorum veniam implorauit. Quo facto Carolus ad lenitatem inclinans, Theodone filio eius, ac duodecim aliis obſidibus acceptis, & populo ſacramento adacto, pacem dedit, & in Franciam regreſ-
788. ſus apud Moguntiam in villa Ingilenehim hiemauit. Secundum Paſcha in conuentu Taſilo accuſatus eſt, quòd, poſtquam filium obſidem tradidiſſet, Luitberga vxore, quæ Deſiderij Longobardorum Regis fuerat filia, inſtigante, Hunnos aduerſus Francos ſolicitaſſet. Quod cum inficiari non poſſet, damnatus maieſtatis vnà cum Theodone filio tonſus, in monaſterium eſt coniectus. Hunni verò, cum, ſicut promiſerat, duobus exercitibus, vno Forumiulium, altero Baioariam inuaſiſſent, vtrobique fuſi, fugatique re irrita receſſerunt. Idem hic annus vt nouas cum Græcis ſimultates, ſic noua bellorum incendia concitauit. Carolus, cum, ſe filiam nuptui daturum Conſtantino Imperatori, adhùc iuueni, oſtendiſſet, tamen mutato conſilio denegauit. Ea re Conſtantinus ira vehementer incenſus. Itaque Caroli vlciſcendi auidus bellum inferre Italiæ ſtatuit, atque Adalgiſum quondam Italiæ Regem, qui apud ſe erat, legatis Ioanne Sacellario, & Theodoro prætore Siciliæ datis, validum eò traducere exercitum iuſſit, ratus ad Regis antiqui præſentiam Italiam repente ad arma eſſe conſurrecturam. Præerat Beneuentanis Grimoaldus paulò ante poſt patris obitum Regis beneficio Principatum adeptus. Is, quòd periculo propior eſſet, huius, quæ parabatur, expeditionis admonitus, extemplò Pipinum regem edocuit, ac regiam gratiam Adalgiſi neceſſitudini, (nam ex ſorore erat genitus) antepoſuit. Pipinus, nuncio haudquaquam contempto, Hildebrandum Ducem Spoletanum in armis eſſe præcepit, & Vinigiſum legatum eò cum pedeſtribus, equeſtribuſque copiis deſtinauit. ac Grimoaldum bonum animum habere, atque impetum hoſtium fortiter excipere, ſi ſe inuaderent, iuſſit. Interim Adalgiſus Græcorum, quas adducebat, copias in Calabria expoſuit eo animo, vt eas in Ducatum Beneuenti proximū introduceret, atque, eo occupato, ipſam deinceps Pontificiā ditionem opprimeret. Quo nuncio accepto, Vinigiſus, Hildebrandus,

& Gri-

& Grimoaldus, iunctis, quos quiſque cōfecerat, exercitibus, raptim oc currerunt, atque eum, ne longius inferretur, ſummo cōmittendo prœlio coercendum omni ope duxerunt. Pugnatum eſt in Calabria magno, ſi quando vnquam antealiàs, armorum, atque animorum ardore, cum & Longobardi fidem, & Græci virtutem probare Regibus ſuis ſtuderent. Aequata per aliquot horas pugna, demum Græcorum acies inclinauit. Fuſus, fugatuſque exercitus. multi occiſi, pluresq; in prœlio capti ſunt. ſpoliorum quoque præda ingens parta. Inter cetera Adelgiſus ipſe in poteſtatem conceſſit, atque in tormentis habitus expirauit. Carolus in Baioariam profectus in prouinciæ formulam eam redegit, ac Franciæ regno ſubiecit. Inde Aquas hibernatum ſe rettulit. Poſtero anno Kal. Aprilis legem Aquis tulit de iure à Comitibus, & Vaſſis 789
dicundo. quæ extat. Irene Imperium Conſtantino filio eripere conata, ipſa Imperio fauore populariū in Conſtantinum inclinante deiecta eſt. Is anno, qui inſequutus eſt, ſeptingenteſimo nonageſimo Bulgaros hoſtes ex Mœſia, quā inuaſerant, exturbare ingreſſus, ingentem 790
cladem accepit. Carolus Vormaciæ legatos Hunnorum, qui Pannoniam tenebant, audiuit. Petebant Hunni, vt termini inter Pannoniā, & Baioariam ponerentur, paulò ante regno Francorum adiunctam. vbi verò quod petebant, impetrare non potuerunt, impetum in Baioariæ fines fecerunt. Quo cognito, Carolus poſtero anno exercitum 791
aduerſus eos adduxit. ac præſidiis Hunnorum deiectis, caſtelliſque expugnatis, & vaſtata magna ex parte Pannonia, in Baioariam incolumis ſe recepit. Tiberis indictione xv, menſe Decembri, anno Pontificatus Hadriani viceſimo, aſſiduis inflatus imbribus in vrbem per Flaminiam portam irrupit; ac fœda occurrentium ædificiorum ſtrage edita triduo per vrbem non aliter, ac per proprium alueum ad inauditam elatus altitudinem fluxit, multoſque inopia cibariorum oppreſſos ad mortem adegiſſet, niſi ſingularis Hadriani cura maturè tanto periculo, lintribus ad ſuppeditandum cibum paratis, ſubueniſſet. Aedificijs, & arboribus vaſtitas vbique magna, æſtu recedente, illata. Proximo, Felix Orgello 792
rum in Pirenæo monte epiſcopus, natione Hiſpanus, ab Eliphando Toleti epiſcopo per litteras conſultus, vtrùm Chriſtus adoptiuus, an naturalis Dei filius eſſet credendus, cōtra veterem Eccleſiæ doctrinā adoptiuum eſſe non ſolùm aſſeruit, ſed etiam ſcripto ad eum volumine tueri non dubitauit. Cuius rei cauſſa ad Carolum in Baioaria verſantē adductus, atque ex auctoritate epiſcoporum, quos Carolus ad id ipſum acciuit, damnatus Romam eſt miſſus. Ibi in conſpectum Hadriani productus in baſilica S. Petri errore ſuo ſe abdicauit. Extat hac de re Pau-

lini Patriarchæ Aquileienſis, qui & ipſe ei conſilio interfuit, libellus eleganter conſcriptus. Eadem ætate Pipinus Caroli filius ex concubina ſuſceptus aduerſus Carolum patrem cum quibuſdã Francis coniurationẽ iniuit, qui ſe impotentiam reginæ Faſtradæ ferre non poſſe aſſerebant: quæ coniuratio cum per Fardulfum Longobardum detecta eſſet, ipſe ob id meritũ monaſterio S. Dionyſij donatus eſt. Eodem anno grauis alius in Ducatu Beneuentano tumultus exortus. auctorem eius, quia nõ traditur alius, ipſum Principem Grimoaldum fuiſſe crediderim, regium patris exemplo obſequium detrectantem. Huius defectionis Carolus certior factus litteras ad Pipinum miſit, vt Italicum ad eam vindicandam exercitum compararet. nam ſe mox Ludouicum fratrem cũ Francico quoque robore ſummiſſurum, eodemque tempore Ludouicum in Aquitaniam remiſſum, quid facere vellet, edocuit. Ludouicus Francis aſſumptis, per aſperos Cinisij montis tramites cum in Italiã deſcẽdiſſet,
793 magnis itineribus ad fratrem Rauennam contendit, atque ibi Domini Natalicia celebrauit. Inde iunctis copijs ambo in Beneuentanam regionem proceſſerunt, ac cuncta obuia populati caſtrum vnum ceperũt, & tranſacta hieme domum redierunt. Libet autem ſuſpicari, Grimoaldum (,quod in Francorum hiſtorijs reticetur,) metu perterritum ad officium rediiſſe. Neque enim ambos Reges exercitus ex hoſtili agro tam citò reducturos fuiſſe, eſt veriſimile. verùm & hoc, vt multa horum temporum alia, ſilentio annalium maneat incompertum. Poſtero anno Carolus Paſcha Francfordiæ celebrauit, ac frequens eò concilium epiſco-
794 porum è Francia, Germania, atque Italia aduocauit. cui Theophilus, & Stephanus, epiſcopi, legati miſſi à Pontifice præſederunt. Ex eorum auctoritate Feliciana hæreſis, quæ cum Arriana faciebat, damnata.

Erat locus inter Moſam, & Rhenum ſitus, quæ Aquæ Grani dicebantur. Eius amœnitate Carolus iampridem mirificè captus ibi proximo
795 anno baſilicam magnifici operis, & ſingularis pulchritudinis S. Dei genitrici conſtruxit: ad quam ornandam columnæ quoque, & marmora Roma, Rauennaque deuecta. VII inde Kalendas Ianuarias die
796 feſto S. Stephani Hadrianus Pontifex moritur, eximiæ ſanctitatis fama relicta. eodemq́; die Leo, presbyter cardinalis, in eius locum ſufficitur, à proceribus, clero, optimatibus, cunctoque populo auidè expetitus, & Leo tertius appellatur. Is poſtridie conſecratus extemplo per legatos certiorem Carolum de ſua renunciatione fecit, & claues Confeſſionis S. Petri, & vexillum vrbis, aliaque perhonorifica munera miſit. Addit etiam Annonius, rogaſſe, vt aliquem ex optimatibus ſuis Romam mitteret, qui populũ R. *in fide, & ſubiectione*, ſic enim inquit, per ſacramen-

menta firmaret. Eodem anno Paulinus Patriarcha Aquileienſis, renouato more, qui intermiſſus per aſſidua bella fuerat, conuentum ſuorum epiſcoporum Forumiulium aduocauit, & variis decretis, quæ adhuc extant, factis, labentem religionis diſciplinam ſuſtinuit. Prioribus annis Carolus Forumiulium ex prouincia rurſus ad formulam Ducatus redegerat, ac remotis Comitibus Henricum, Ducem conſtituerat: credo, vt Hunnos, qui adhuc in armis erant, aut reprimeret inſultantes, aut quieſcentes fatigaret. Hic igitur, cum Pipini regis iuſſu bellum Panoniæ intuliſſet, hoc anno exercitu repente in eam regionem inducto Iringum, eorum Ducem cum aliis Ducibus imparatum oppreſſit, atque eis occiſis Rhingum eorum regiam expilauit: ac theſaurum longo annorum interuallo coactum Aquas ad Carolum miſit. Carolus eo nuncio exhilaratus maximam theſauri partem per Angilbertum abbatem, quem ad Pontificem deſtinauerat, Romam miſit ad ſancta Apoſtolorum limina offerendam; & cum exercitu in Saxoniam tranſijt. Hunni, Ducibus amiſſis, Regem crearunt, ſeque ad bellum ſiue fortiter patiendum, ſiue impigrè inferendum illius auſpicijs compararunt. Quod poſteaquam Pipinus audiuit, nuncio ad patrem in Saxoniam miſſo, cum lecto militum robore in fines eorum irrupit, & hoſtibus trans Tibiſcum amnim fugatis, eorum regiam occupauit, prædaque ingenti potitus, ad patrem hiberna Aquis agentem ſe contulit, ac regni ſpolia, quæ ſecum detulerat, obtulit. nec niſi poſtero anno Italiam repetiuit. Eo anno Irene Auguſta Conſtantini filii inſolentia percita ipſi 797
manus iniici, atque effodi oculos iuſſit. &, cum ille ſimul vulneris dolore, ſimul animi mœrore contabuiſſet, ſoli ſibi Imperium vindicauit. Sequēti, Thomæ Mediolanenſi Archiepiſcopo mortuo Petrus eſt ſub- 798
rogatus. Irene legatos ad Carolum Aquas miſit ad Siſimum Taraſij Patriarchæ fratrem, qui priore bello captus in prœlio fuerat, repetendum. Interim pacata, exactis Longobardis, Italia, Romani luxuria diffluentes præſenti ſtatu non contenti antiquam aduerſus Pontificem libertatem repetere cupiuerunt. Itaque, vt primùm data facultas eſt, tantum Romæ tumultus fecerunt, vt nouandis in toto Occidente rebus occaſionem præbuerint. Hi fuere Hadriani neceſſarij, & Paſchalis Primicerius, & Campulus Sacellarius, Principes ciuitatis. Illos ira acuebat, quòd acta Hadriani nónulla Leo reſcindere moliretur, hos pudor, quòd proprias vitæ ſordes acriter idem inſiſteret inſectari. His igitur quaſi facibus inflammati Leoni quædam crimina more accuſatorio obiecerunt, &, cum ea nemini probaſſent, iracundia elati capiti eius inſidias compararunt, ac certam diem ſcelerato exequendo conſilio de-

799 ſtinarunt. Ea die, ſequenti anno, ex vetere Eccleſiæ inſtituto Pontifex
ſolemnem cleri, populique cum ſupplicatione pompam erat ducturus
ab æde S. Laurentij, quæ Lucinæ dicitur, ad ædem S. Georgij marty-
ris, cuius natalicia agebantur, vt ibi & rem diuinam faceret, & pias om
nipotenti Deo pro ſalute populi Chriſtiani preces offerret. Ea igitur
vbi dies aduenit, Paſchalis, & Campulus, de quibus diximus, diſpoſitis,
quà ducenda pompa erat, inſidijs, Pontificis è Patriarchio egredientis
latera de more cinxerunt. Vbi verò ad ædem SS. Stephani, & Syluestri
eſt ventum, ſocii eorum, vt compoſitum fuerat, repentè ex inſidiis eru
perunt. atque impetu facto Leonem corripuerunt, & in terram abie-
ctum, Paſchali caput, Campulo pedes tenentibus, ſacris veſtibus exue-
runt, atque oculos elidere, & linguam præcidere contenderunt. Tra-
ctum inde in proximam ædem, & ante altare conſtitutum diris vulne-
ribus affecere, ac mox ſanguine madentem, ac ſemianimem in mona-
ſterium S. Eraſmi arctæ cuſtodiæ tradidere. Ibi inſigni Dei beneficio
aſpectus, & ſermo, quibus eouſque caruerat, reſtitutus eſt. Interim Al
binus cubicularius ſtudio Pontificis inflammatus, amicis aliisaduoca-
tis, per noctem ad monaſterium venit, ac cuſtodes fruſtratus Leonem
inde extraxit, atque in baſilicam Vaticanam perduxit, obſtupeſcenti-
bus ad tantæ rei miraculum omnibus, ac ſummam Dei potentiam ce-
lebrantibus, quòd oculorum, & linguæ vſum vicario ſuo reſtituiſſet, &
ſauciatum, laceratumque ſanaſſet. Coniurati, hac re cognita, iracundia
exarſere, ac domum Albini adorti fœdè, hoſtiliterque direptam fundi-
tus euertere. Diuulgata per vicinas ciuitates huius flagitij fama, Vinigi
ſus Dux Spoletanus, qui nuper Hildebrando fuerat ſubſtitutus, prope-
re cum exercitu Romam accurrit, ac Pontificem exceptum Spoletum
incolumem deduxit. & protinus in Franciam ad Carolum vnicum af-
flictæ Eccleſiæ ea tempeſtate præſidium miſit, epiſcopis, abbatibus,
& nobilibus viris, qui complures ad eum officij cauſſa confluxerant,
proſequentibus. Venientem ad ſe, ſuperatis iam Alpibus, Leonem vbi
Carolus ſenſit, magno ſibi excipiendum honore conſtituit, ne Pipino
patre in eo inferior officio videretur, qui Stephanum pontificem com-
plexus effuſa in omnem honorem magnificentia fuerat. Habito igitur
conuentu ad Rhenum in loco, qui Lippia dicebatur, ibi in caſtris Leo-
nis opperiri aduentum cœpit. Primùm autem Hildimaldum archiepi-
ſcopum, ac ſacerdotem ſuum, deinde Pipinum filium regem, qui tum
fortè apud ſe erat, cum honeſtiſſimo procerum comitatu obuiam mi-
ſit. poſtremò ipſe quoque occurrit, & ſolemni ritu venerabundus ex-
cepit. Poſt oſcula, amplexusq; inuicem datos Pontifex, *Gloria in excelſis*

Deo, præcinuit, ac reliqua ſuſcipiente clero, ſolemne ſuper altanrem populum precarionis carmen effudit. atque inde ad hoſpitium ſibi paratum, Rege, regiaque familia deducente, diuertit. Ibi poſtea liberam colloquij copiam nactus, acerbas in ſe principum Romanorũ iniurias rettulit, ac ſibi, & pontificiæ ſedi opem miſerrimo vtriuſque tempore implorauit: *Neque verò diſsimulare poſſum*, inquit, *quin Eccleſia ſæuioribus ſæpe aliàs fluctibus agitata ſit, ſed illud contendo, Pontificem nunquã nec maius dedecus ſuſcepiſſe, nec grauius periculum ſubiiſſe. neque enim externis armis, ſed domeſticis, nec palam, ſed per inſidias, neque in tenebris, ſed vniuerſo inſpectãte clero, et populo eſt circumuentus. Hi verò fuere Romani principes, qui Longobardico terrore amoto, præcipiti animi impotentia euecti nihil aliud agitant, quàm, vt excuſſo Eccleſiæ imperio, veterem quandam libertatem, quam ipſi ſibi finxerunt in ſomno, recuperent. Hoc vt aſsequantur, ab ipſo Pontifice, quem ſibi dominum aſciuerant, variis criminibus fatigando cœperunt. Quod vbi non proceſsit, eidem vitam adimere voluerunt. ſacris certè veſtibus in ſacrà pompa indutum, & ſacra caterua cinctum non ſolùm hoſtili impreſsione aggreſsi ſunt, ſed etiam barbara immanitate ſacroſanctum multarunt, ac fœda laceratione corporis affecerunt. Equidem diffiteri non poſſum, debuiſſe me his calamitatibus obrutum ad Imperatoris fidem, auxiliumq́; confugere, quem tutorem, ac patronum ſibi Eccleſia iam pridem habeat conſtitutum. verùm præterquam quòd Imperatores iamdudum ita ſe aduerſus Eccleſiam gerunt, vt plus ab iis detrimenti metuendum, quàm auxilij expectandum eſſe videatur, nota etiam eius, qui nunc rerum potitur, vt in muliebri ſpiritu, animoque, infirmitas ab huiuſmodi me conſilio capiendo deterruit. Gratias autem Deo ingentes ago, primùm, quòd nefariis me latronum è manibus præter opinionem omnium incolumem conſeruauit, deinde quòd Imperatore Eccleſiæ patrocinium deſerente, tu extitiſti, qui ad eius ſalutem, dignitatemq́; tuendam non ſolùm opes, ac virtutem incredibilem, ſed ſtudium etiam, ac fidem adhibes ſingularem. Hæc igitur ne me opinio fallat, te per omnia ſacra, perque auitam, patriamque in protegenda Eccleſia gloriam oro.* Quibus rebus auditis, Carolus magno ſe iniurias eius dolore reſpondit ferre. atque vt ſpei ipſum ſuæ in ſe poſitæ non pœniteret, Deo bene iuuanre, daturum operam eſſe. Interim coniurati Pontificis abſentia vires nacti, armata manu poſſeſſiones, & prædia Eccleſiæ adorti diripuerunt, & conficta in Leonem crimina ad Carolum detulerunt. Tranſacta inde æſtate, ex auctoritate epiſcoporum, reliquorumque, qui Pontificem in Francia adierant, ſacerdotum, Leonem Romam remittendum, & rem iudicio diſceptandam conſtituit. Ita conuentum ipſum, quid ſui iudicij eſſet, edocuit, ac bene ſperare iuſſum in Italiam conſpicuo epiſcoporũ, nobiliumque Francorum comitatu tributo dimiſit. Leo cum magnis

ab omnibus ciuitatibus in itinere honoribus cultus, tum à Romana maximis eſt exceptus. Ad vrbem aduenantem clerus, ſenatus, milites, populus, & ſcholæ Francorum, Saxonum, & Longobardorum ingenti matronarum quoque admiſta turba ad pontem Miluium effuſi pridie Natalicia S. Andreæ cum ſignis, & vexillis exceperunt, & in baſilicam S. Petri cum canticis deduxerunt. Ibi re diuina magna cæremonia facta, omnibus ſacratum Domini corpus eſt impertitum. Poſtridie vrbem ingreſſi, ipſum Laterani in ſede repoſuerunt. Poſt aliquot dies legati Regis, qui proſequuti Pontificem fuerant, epiſcopi, Comiteſq; Francorũ in aula pontificia conſedere, & quæſtionem de coniuratis exercuere. eoſque, cum inania, & vana afferre omnia iudicaſſent, in Franciam vinctos miſere. Eodem anno Henricus Dux Foroiulienſis poſt res multas aduerſus Hunnos proſperè geſtas apud Tarſaticam, Liburniæ vrbem, inſidiis exceptus oppidanorũ occiſus eſt. Taruiſium alii falsò pro Tarſatica ediderunt. Carolus Saxoniæ rebus compoſitis, Aquas in hiberna conceſſit. ſubſequente verò Auguſto, anno octingenteſimo, Moguntiam profectus regnorum conuentum habuit. Ibi, quoniam tribus grauiſſimis Italiæ curis agitabatur, defectione Grimoaldi, cæde Henrici, & violatione Leonis, quorũ vnũquodque acerrimè pro regia dignitate vindicandum exiſtimabat, Italiam primo quoque tempore petendam decreuit, ac dimiſſo conuentu militibus, & proceribus diem ad proficiſcendum indixit. Ea verò poſtquam dies acceſſit, procedente iam autumno, Alpes vnà cum Pipino rege traiecit. atque in Italiam digreſſus recto itinere in Liburniam properauit. Ibi nex Henrici, merito ſumpto de Tarſaticenſibus ſupplicio, vindicata. Cadolachus Dux Foroiulienſibus datus. Ex Foro inde Iulio Rauennam, ac diebus ibi ſeptem in apparatu Beneuentani belli explicando conſumptis Anconem eſt ventũ. Ex Ancona Pipinus cum exercitu aduerſus Grimoaldum profectus, ipſe Romam per Ducatum Spoletanum contendit. Aduentanti ad vrbẽ Leo VII Idus Octobris ad Nomentum vſque duodecimo ab vrbe lapide cum ſenatu occurrit, & cum eo epulatus, ac collocutus, ilico Romã ſe rettulit, & rationem excipiendi Regis edixit, quæ talis fuit. Poſtridie cruces, & ſacræ relliquiæ cum vexillis ciuitatis obuiam miſſæ. & certis paſſim in locis peregrinorum, ac ciuium chori, qui venientis laudes canerent, collocati. ipſe baſilicæ Vaticanæ in gradibus cum inſigni cleri, atque epiſcoporum corona conſedit. atque aduenientem, & gradus aſcendentem ritu iam inſtituto excepit. cunctiſq; lætè pſallentibus, precationis cauſſa in templum, atque ad Confeſſionem deduxit. Inde ad ſua ab vtroque hoſpitia eſt diuerſum. Poſt ſeptem inde dies Carolus

800

concio-

concionem populi aduocauit, & cauſſa aduentus ſui Romam expoſita, cognoſcédæ Leonis cauſſæ diem edixit. Eo die accito epiſcoporum Francorum, atque Italicorum conſilio accuſatores, reuſque adeſſe iuſſi, ipſe vnà cum ceteris ad iudicandum aſſedit. Ibi, cùm inimici Leonis criminibus inferendis accuſationem peregiſſent, ac plerique apparatam Leonis defenſionem erecto animo expectarent, neque res pro dignitate Apoſtolicæ ſedis agi videretur, conſurrexere epiſcopi, ac cauſſæ pontificiæ cognitionem dixerunt, non epiſcopis, ſed ipſi conuenire Pontifici. ſuſciperet Leo partes ſuas, quique ſummum iudicium in omnes haberet, idem de ſe, ſolo numine vel teſte, vel vindice, iudicaret. Quibus Leo reſpondit, leges veteres de criminibus purgandis extare, ſe ea defenſione, quæ legibus eſſet conſtituta, vſurum. Quibus annuentibus, alia die præſentibus omnibus ambonem ædis aſcendit, ac contingens Euangelia ſolemni iureiurando ſe innocentem eſſe pronunciauit, his verbis. *Nota res eſt fratres cariſſimi, malos aduerſus me homines ſurrexiſſe, meque, ac vitam meam grauiſſimis criminibus infamaſſe. Cuius rei cognoſcendæ gratia clementiſſimus hic, ac sereniſſimus rex Carolus vnà cum ſacerdotibus, ac principibus ſuis ad hanc vrbem ſe contulit. Quamobrem ego Leo pontifex S. R. E. à nemine iudicatus, neque coactus, ſed mea voluntate impulſus purgo me, præſentibus vobis, coram Deo, & angelis eius, qui conſcientiam nouit, et beato Petro principe Apoſtolorum, in cuius conſpectu conſiſtimus, neque ſceleratas res, quas mihi obiiciunt, perpetraſſe, neque perpetrari iuſsiſſe, Deum teſtans, in cuius iudicium venturi ſumus, & in cuius conſpectu conſiſtimus. & hoc facio non legibus vllis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem, aut decretum in ſancta Eccleſia ſucceſſoribus meis, & fratribus coepiſcopis imponere cupiens, ſed vt certius iniquis vos ſuſpicionibus liberem.* Atque his verbis auditis, omnes eum pro inſonte habuerunt, ac per ſolemnes ſupplicationes gratias Deo, matrique eius, & beato Petro, omnibuſque Sanctis egerunt. Ceterùm hac ratione olim ſe Pelagius quoque pontifex expiarat, exitii ſe nihil Vigilii pontificis capiti comparaſſe.

IIDEM CAROLVS IMPERATOR, ET CVM PIPINO FILIO REX.

His actis, Leo cogitare inde exemplo Hadriani de referenda Carolo gratia cœpit. quem ad liberandam maximo periculo, ac turpi infamia Eccleſiam ex Francia venire non piguiſſet. Et certè, poſtquam Cono Imperator nefanda hæreſi deprauatus Gregorium ſecundum pontificem perſequi, ac Romanam vexare Eccleſiam cœperat, nunquam defue-

defuerant; qui alium Eccleſiæ defenſorem quærendum, ideſt alium Imperii titulo decorandum eſſe contenderant. Cuius rei poſt ſæpe quoque renouata mentio eſt, poſtquā animaduerſum eſt, Conſtantinum, ac poſteros eius aut malè de fide ſentire, aut prorſus ipſius Eccleſię patrociniū reliquiſſe. Neque dubium fuit, quin, ſi cuiquam tantus honos eſſet habēdus, is aut Pipino regi, aut certè Carolo ipſius filio deberetur, qui Catholica fide colēda, infidelibus, hæreticis, ac rebellibus Eccleſię perſequēdis ſe nomine Reges, re ipſa Imperatores pręſtarēt. Quin etiā Carolus viuente Hadriano, eum affectaſſe titulum videtur. ſiquidem, cum beneficia eccleſiis indulgeret, ita præfari conſueuit: *Carolus Dei gratia Rex Francorum, & Longobardorum, & Patricius Romanorum: Si eccleſiarum Dei ſeruis munificentiam noſtram impertimus, eorumque ſtudijs libenter obſequimur, id nobis ad Auguſtalis excellentiæ culmen proficere credimus. &, quod cunctis pretioſius eſt dignitatibus, æternum retributionis præmium capeſſere nō diffidimus.* His igitur ſic ſe habentibus, quod Hadrianus facere prætermiſerat, Leo, arrepta ex nouis Romanorum turbis occaſione, ſibi explendū exiſtimauit, vt Catholicum eundem, ac potentiſſimum regem firmum ſimul, ac fidum Chriſtianis, atque ipſi Romanæ Eccleſiæ tutorem ac patronum pararet, ipſumque Imperatorio titulo inſigniret. diēque huic ſolemni proxima Domini Natalicia deſtinauit. Quod vt celebrius eſſet, Pipinus rex quoque accitus, bello Beneuentano Vinigiſo Duci commiſſo, in vrbem venit, ac ſecum ad nouum viſendum ſpectaculum infinitam mortalium turbam attraxit. Res autem in hunc modum administrata eſt.
801 Vbi dies Nataliciorum aduenit, Carolus ſummo mane Vaticanam baſilicam adiit, atque ad Confeſſionem progreſſus ſolemnem Dei obſecrationem iniuit. Qua perfecta Pontifex, qui ex compoſito aderat, chlamydem Auguſtalem, & coronam auream pretioſiſſimam, quam de induſtria comparauerat, ei impoſuit. Quo facto populus vniuerſus ter voce clariſſima lætiſsimus acclamauit: CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO, ET PIISSIMO IMPERATORI ROMANORVM VITA, ET VICTORIA. Deo inde, Diuiſque ritè in auxilium inuocatis, Imperatorius illi titulus à populo confirmatus eſt. Populari inde acclamatione ſedata, Pontifex patrem, & filium aſtātes, illum Imperatorem Romanorum, hunc Regem Italiæ oleo ſancto perunxit, ac deinde ſacris conficiendis ſe tradidit. Quibus abſolutis, Carolus vnà cum Pipino baſilicæ Vaticanæ abacum argenteam, & diuerſa vaſa ex auro puriſsimo fabrefacta ad vſum abaci obtulit, Lateranenſi verò Crucem eximiam, ex iacinctorum gemmis conflatam, quam Leo in ſupplicationibus præferri Carolo obſequutus inſtituit. Ex qui-

bus ſingulis perſpici poteſt, quàm alienum à vero ſit, quod quidam ſcripſerunt; hæc omnia à Leone ipſi inſcienti, ac repugnanti Carolo eſſe delata, Carolumque ſæpe dixiſſe, ſe, ſi Leonis voluntatem præſenſiſſet, nequaquam eo die proceſſurum in Vaticanum fuiſſe. Ceterùm hunc dignitatis Imperatoriæ titulum, cum in Momyllo Auguſtulo vltimo Occidentis Imperatore ante trecentos fermè annos ſub regnum Gotthorum in Italia defeciſſet, in eodem Occidente Pontifex renouauit, vt haberet Eccleſia Romana aduerſus infideles, hæreticos, ac ſeditioſos tutorem; cuius officium repudiaſſe iamptidem Imperator Orientis videretur. Indicat hoc ipſius iuriſiurandi formula, quo Pontifex Imperatorem coronam impoſiturus, obſtrinxit. quæ in antiquiſſimo commentario, qui Ordo Romanus dicitur, memoratur: *In nomine Chriſti ſpondeo, atque polliceor ego N. Imperator coram Deo, & beato Petro apoſtolo, me protectorem, ac defenſorem fore huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus vtilitatibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout ſciero, poteroque.* His actis Carolus, abiecto Patricij titulo, Imperatorem ſe Romanorum, atque Auguſtum inſcripſit. In hoc ille maieſtatis faſtigio collocatus, officio ſuo conuenire eſt arbitratus, vt Italiam, atque vniuerſam Chriſtianam remp. ordinaret. Itaque ei curæ, quod reliquum hiemis fuit, impendit. Accuſatores Leonis cum capite damnaſſet, rogatu Leonis animum ad clementiam inclinantis ea pœna exemit, atque in exilium egiſſe ſatis habuit. Leges nouas ad Edicta Longobardorum, quas quidem præſens deſiderare vſus videbatur, adiunxit, & res Eccleſiaſticas nouis inſtitutis formauit. Eæ leges adhuc Mutinæ leguntur cum hoc proœmio: *Carolus diuino nutu coronatus, Romanum regens Imperium, Sereniſſimus Auguſtus omnibus Comitibus, gaſtaldijs, ſeu cunctis reip. per prouinciam Italiæ à noſtra mãſuetudine præpoſitis anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti* DCCCI, *Indictione* IX, *anno regni noſtri in Francia* XXXIII, *In Italia* XVIII, *conſulatus autem noſtri primo. Cum in Italiam propter vtilitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ, ac prouinciarum diſponendarum veniſſemus, multæ, atque diuerſæ per vrbes ſingulas ante conſpectum noſtrum quæſtiones venerunt tam de Eccleſiaſticis, quàm de publicis, & priuatis rebus per ea, quæ ſtatim recitata ex Romana, ſeu Longobarda lege competenti ſententia certamina ſunt. quorum iudicialis ſententia à legislatoribus aut penitus omiſſa eſt, aut à poſteris obliuioni tradita. Quo circa nos conſiderantes vtilitatem noſtram, & populi à Deo nobis conceſſi, ea, quæ ab anteceſſoribus noſtris Regibus Italiæ in Edictis legis Lõgobardiæ ab ipſis editæ prætermiſſa ſunt, iuxta rerum, & temporum conſiderationem addere curauimus, ſoliciti, vt neceſſaria, quæ legi defuerant, ſupplerentur, vt in rebus dubijs non quorumlibet arbitrium, ſed noſtræ legis auctoritas præualeret.* Paſchate inde peracto, Pi-

pinum aduerſus Beneuentanos remiſit, ac Vinigiſum reuocauit. & vii Kalendas Maii vrbe digreſſus Spoletum acceſſit. Ibi, dum apud Vinigiſum eſſet, pridie Kalendas, hora noctis ſecunda, maximo terræmotu Ita ia tota concuſſa eſt. multa vbique ædificia, ſed in primis Romæ tectum baſilicæ S. Pauli procubuit. Ob id inſtitutum eſt à Leone, vt præcedentibus tribus Aſcenſionem diebus ſupplicationes ad diuerſa templa haberentur: quam rem Mamertus epiſcopus Viennenſis in eccleſiam ſuam primus intulerat, ſeque pariter ingenti quondam prodigiorum periculo liberauerat. Spoleto inde Rauennam, Rauenna Papiam eſt proceſſum. Ibi cum audiſſet, legatum Regis Perſarum ex Oriente ad ſe venientem Piſanum in portum eſſe aduectum, miſsis, qui exciperent, nũciis, inter Vercellas, & Eporœdiam vrbem eum audiuit. & Nataliciis S. Io. Baptiſtæ Eporœdiæ actis, Iulio menſe Alpes traiecit. Octobri Iſaac Iudæus Regis Perſarum nomine ex Africa elephantem adducens portum Veneris attigit: &, quia propter niuium altitudinem ſuperare Alpes non potuit, hiemem Vercellis traduxit. Immanis bellua propter ſui raritatem ingenti ſpectaculo vniuerſæ Italiæ fuit. Dum hæc agebantur, Pipinus in Ducatum Beneuentanum ingreſſus Teate oppidum cum præfecto eius Rodelino cepit, ac ſubdito igne ſtatim incendit. Quo terrore multa eius ditionis caſtella in deditionem ſe contulerunt. Eodem anno Vrbanus eccleſiæ Aquileienſi præfectus eſt. Præerat adhuc Orientali Imperio Irene, mulier non minore religione, quàm prudentia prædita. Huius nuptias auidè Carolus expetebat, vt, iuncto ſibi Orientis Imperio, Imperatoriam dignitatem non recenti ſolùm titulo, ſed etiam antiqua poſſeſsione repræſentaret. Nec ſecius Irene, ſecunda Caroli fortuna, ac virtutis claritate permota pacem habere cum illo cupiebat. Itaque ſequenti anno fœdus vtrinque per legatos inuicẽ
802 miſſos percuſſum, ac confirmatum eſt. Pontifex etiam legatis ſuis miſſis earum nuptiarum ſe conciliatorem fore profeſſus eſt. neque Irene conditionem aſpernabatur. Quod cum agi Nicephorus Patricius, & Logotheta ſenſiſſet, vt id prohiberet, tumultu concitato Irenem comprehendit, eaque Kalen. Nouembris abdicare coacta Imperium ipſe, legatis Pontificis nondum vrbe profectis, arripuit. Interim in Ducatu Beneuentano varia fortuna res geſta eſt. Pipinus bello ad ſingula oppida circumlato Ortonam, & Luceriam diuturna oppugnatione fatigatas adduxit in poteſtatem, & Vinigiſum Ducem Spoletanum præſidio impoſuit Luceriæ. Obſeſſus inde acriter à Grimoaldo Vinigiſus, cum aduerſa valetudine vteretur, vnà cum ipſo oppido venit in ditionem. captiuus tamen ſummo honore eſt habitus. Tertio decimo

Kal. Auguſti Iſaac cum elephante, & ceteris muneribus, quæ à Rege Perſarum mittebantur, Aquas peruenit, & Regis nomine omnia Carolo obtulit, nomen elephanto erat Abulabaz. Carolus, cum in Italia neque magiſtratus iuredicundo, neque populos dicto audiendo leges ſeruare ſuas audiſſet, Pipinum regem, vt huic rei operam daret, admonuit, ſcripta hac, quæ adhuc extat in libro legum Frãcicarum, epiſtola: *Carolus Sereniſſimus Auguſtus à Deo coronatus, Magnus, & pacificus, Imperator Romanorum, gubernans Imperium, ac per miſericordiam Dei Rex Francorum, & Longobardorum dilectiſſimo filio ſuc Pipino glorioſo Regi ſempiternam in domino ſalutem. Peruenit ad aures clementiæ noſtræ, quòd aliqui Duces, eorumque Iuniores gaſtaldij, vicarij, centenarij, venatores, & ceteri per ſingula territoria habitantes vel diſcurrentes manſionaticos, & paruaredos accipiunt non ſolùm à liberis hominibus, ſed etiam de eccleſiis Dei, monaſterijs videlicet virorum, ac puellarum, & xenodochijs, atque per diuerſas plebes inſuper ſeruientes eccleſiarum Dei in eorum opera, id eſt in vineis, campis ſeu pratis, nec non & in eorum ædificijs illos faciunt operari, & carnaticum, & vinum contra omnem iuſtitiam ab eis exactare non ceſſant, & multas patiuntur oppreſſiones ipſi eccleſiis Dei ſeruientes. Ideo, Cariſſime fili, has litteras ad tuam dilectionem direximus, vt hoc anno hanc cauſſam diligenter, ac prudenter inquirere facias. Et ſi veritas eſt, quòd ita factum ſit, deinceps omnimodis emendare, & corrigere ſtudeas. quatenus in diebus noſtris citius pax eccleſiarum Dei ſiue illarum ſeruientum in omnibus conſeruetur, & vt merces copioſa nobis, ac tibi exinde iugiter accreſcat. Audiuimus etiam, quòd quædam capitula, quæ in lege ſcribi iuſſimus, per alia loca aliqui ex noſtris, ac veſtris dicunt, quòd nos nequaquam hanc cauſſam per noſmetipſos conditam habeamus, & ideo eam nolunt obedire, nec conſentire, neque pro lege tenere. Tu valde noſti, quomodo, vel qualiter tecum locuti ſumus de ipſis capitulis, & ideo tuam admonemus amabilem dilectionem, vt per vniuerſum Regnum tibi à Deo commiſſum ea nota facias, & obedire, atque implere præcipias.* Nicephorus Imperio inito rebus pariter conducere ſuis arbitratus, pacem cum Carolo habere, legatos ad Carolum ad Salàm amnem caſtra habentem de feriendo fœdere miſit. eos Carolus non benignè ſolùm excepit, ſed etiam fœdere icto cum litteris domum remiſit. In eo fœdere illud nominatim expreſsũ, vt Veneti inter vtrumque Imperiũ poſiti liberi, atque immunes, & ab vtroque ſecuri viuerẽt, ac ſine moleſtia res ſuas in Regno Italico poſsiderent. Eo anno magna inter Venetos coorta ſeditio vrbis Heraclianæ excidio cauſſam attulit. Chriſtophorus homo Græcus, Oliuolenſis epiſcopus, Ioanne Duce contendente, ac gratiæ Nicephori Imperatoris in ea re ſeruiente, fuerat conſtitutus. Quam rem cum iniquo ferrent animo Vene-

tiarum tribuni, Ioannem patriarcham Gradenſem, ne illum conſecraret, orarant. Itaque Ioannes obſequutus, Chriſtophorum non ſolùm non conſecrauit, ſed etiam piorum communione amouit. Quo facto Ioannes Dux vſqueadeo exarſit ira, vt, Mauricio filio Duce aſſumpto, claſſem Gradum adduxerit. atque, oppido primo aduentu capto, patriarcham arreptum ex celſiſsima turri præcipitarit. Ioanni inde mortuo ſuffectus eſt ſtudio tribunorum Fortunatus ſanguinis illi coniun-
803 ctione propinquus. Cui Leo pontifex pallium conceſsit, indictione xi, duodecimo Kal. Aprilis. Is, accito Obelerio Metamaucenſi tribuno, conſilium in Franciam adeundi cepit, vt Carolum aduerſus Duces incenderet, res Nicephori maiore, quàm par eſſet, ſtudio complectentes. Quo excepto conſilio, Duces ſubitò claſſem Gradum iterum promouerunt. ac Fortunatum, & Obelerium inde excedere coegerunt. Ii cum ſe Taruiſium contuliſſent, Obelerius à Venetis exulibus Dux eſt declaratus. Fortunatus in Franciam, vt conſtituerat, properauit. Pipinus, Vinigiſo Duce recepto, inducias cum Grimoaldo pepigit, & ad patrem
804 Aquis hibernantem ſe rettulit. Poſtero anno Obelerius Taruiſio cum valida armatorum manu egreſſus repente Metamaucum reperiit, ac Ioanne, Mauricioque exactis, Ducalem ipſe coronam accepit, & conſenſu populi Beatum, ac Valentinum fratres honoris ſibi conſortes aſciuit. Chriſtophoro Oliuolenſi epiſcopo, qui Ioannis, & Mauricij fuerat familiariſsimus, vrbe metu profecto ſtatim Ioannes diaconus eſt ſuffectus. Fortunatus interim in Franciam profectus Carolum de cæde deceſſori ſuo à Ducibus illata edocuit. atque animum eorum ad Orientale Imperium inclinantem aperuit. & eximiè ab eo cultus tale reſcriptum elicuit: *Concedit Carolus Imperator Auguſtus Fortunato patriarchæ Gradi, vt ipſe, ſacerdotes, ſerui, & coloni eius in terra ſua, in Iſtria, Romaniola, & Longobardia, & vbicunque, quietè degant. iubetque, vt in poſſeſſionibus, quibus ritè meſtitus eſt, nullus iudex publicus iniuſtè ad cauſas audiendas, freda exigenda, manſiones, aut paratas faciendas, iniuſtas redhibitiones inquirendas exactare audeat. Datum Idibus Auguſti.* Fortè ſanguinis ex imagine Crucifixi Saluatoris in Syria effuſi portio delata Mantuam fuerat. eaque multis editis miraculis omnium Chriſtianorum pectora incredibili religione perfuderat. Huius rei fama cum per huius anni æſtatem ad aures Caroli accidiſſet, vt erat eximia pietate imbutus, Leonem pontificem per litteras obſecrauit, vti accuratè horum miraculorum veritatem vellet ad liquidum explorare, & compertam ſibi ſignificare. Ob id Leo Roma egreſſus Mantuam Nouembri menſe venit, &, re cognita, ad Carolum ſcripſit, cupere ſe illum, vbicunque

terrarum eſſet, conuenire, & cum eo Dominica Natalicia celebrare. Quo nuncio Carolus excitatus Carolum filium obuiam ei ad S. Mauricium miſit, atque ipſe ſubſequutus Remos occurrit. ibique exceptum 805
primò Cariſiacum, vbi ſolemne Natalicium actum, deinde Aquas perduxit, & poſt octo dies multis, magniſque muneribus proſequutus per Baioariam in Italiam remiſit, datis Rauennam vſque comitibus. Interim Obelerius, & tribuni magno comparato exercitu Heracliam, vnde Ioannes, & Mauricius originem trahebant, in eorum contemptum inuaſerunt, atque in ditionem adductam funditus euerterunt. Heracliani, quæ maior erat nobilitatis Venetæ pars, quòd ea per aliquot annos ſedes imperij fuerat, alii Metamaucum, alii Torcellum, ſed plerique Riuoaltum petierunt. Fortunatus etiam ex Francia reuerſus eodem tempore ſedem ſuam repetiit. Eodem annò Theodorus Hunnorum Cacanus ad Carolum profectus locum ſibi dari ad incolendum inter Sabariam, & Carnuntum poſtulauit, cauſſam afferens, quòd propter continentes Sclauorum incurſiones priſtinas tenere ſedes non poſſet. Quem Carolus, quòd Chriſtianus eſſet, voti damnatum, ac magnificè donatum remiſit. ac miſſo contra Sclauos, Boemoſque Carolo filio, cum exercitu, Becchonem eorum Ducem latè vaſtato agro necauit. Maxentius patriarcha Aquileienſis creatus. Ioannes, & Mauricius, cum Metamauco pulſi ſe Mantuam recepiſſent, Nicephorum de rebus, quæ euenerant, deque exilio, in quo ipſius cauſſa erant, fecerant certiorem. rumorque increbuerat, Nicephorum claſſem ad eos reducendos miſſurum. Itaque extremo anno Obelerius, & Beatus, Valentino fratre domi relicto, vnà cum Paulo Duce, & Donato epiſcopo Iadertinis Carolum in Theodonis villa cum Pipino, & Ludouico filiis hibernantem adierunt. & poſt ſolemne Natalicium magnificis donis cul- 806
tum rogarunt, vt Venetos, ac Dalmatas in amicitiam reciperet, ac Duces, populoſque ſuos confirmaret. Quibus auditis Carolus haud grauatè aſſenſit, ac fœdere conceſſo dimiſit. Ea æſtate Sarraceni inſulas, & littora Italiæ infeſta latrociniis habuerunt, partim ex Africa, partim ex Hiſpania, quas iampridem occuparant, euecti. Ea res Pipinum, vt in Italiam reuerteretur, exciuit. Reuerſus autem claſſem in Corſicam inſulam, quam Sarraceni ex Hiſpania inuaſerant, miſit, eoſque aduentu ſuo nec opinato perculſos inde ſe proripere compulit. Vnus Audomarus Comes Genuenſis imprudenter cum eis congreſſus in prœlio cecidit. Eodem tempore Nicetas Patricius cum claſſe in Adriaticum ſinum venit, à Nicephoro ad comprimendas inteſtinas Dalmatarum, Venetorumque diſcordias miſſus. Ad eius aduentum Dalmatia,

nulla expectata oppugnatione, in fidem eadem, qua defecerat, leuitate reuertit. Veneti recepto Niceta Duces, quos ille reſtituere iuſſus erat, ſe recepturos negarunt, ac Beatum Ducem Conſtantinopolim miſerunt, qui ſui conſilii Nicephoro rationem redderet, atque excuſationē, cur non recepiſſent, afferret. Sub aduentum Nicetæ Fortunatus patriarcha ſibi timens iterum in Franciam abiit. Pipinus his auditis, cum Nicetæ Venetiis agenti obuiam ire, ac ſocios Venetos in fide retinere pro re-
807 gia dignitate ſtuderet, tamen hoc anno nihil tentauit. Sequenti verò, cum aduerſus eum Venetiis agentem ducere inſtituiſſet, tamen pactis vſque ad menſem Auguſtum induciis quieuit. Ita Nicetas Conſtantinopolim abiit. Eodem anno Carolus Burchardum Comitem Stabuli aduerſus Sarracenos Corſicam adhuc vexantes miſit. qui prœlio cum eis contracto tredecim naues eripuit, atque hoſtes cum inſigni cæ-
808 de fugauit. Poſtero, cum iam tempus induciarum exiſſet, Paulus præfectus Nicetæ loco à Nicephoro ad bellum miſſus claſſem in Dalmatiam primùm, deinde Venetias appulit, & ſuccedente hieme partē eius ad Comaclum inſulam Venetorum finibus obiectam miſit. Ibi ſatis conſtat ſummo eſſe prœlio decertatum. ab vtra verò parte victoria ſteterit, parum conuenit, Venetis ſcriptoribus hoc decus ad Paulum, Francis verò ad Pipinum trahentibus. Ea res facit, vt credam, magna vtrin-
809 que ſtrage pugnatum. Itaque haud difficile factu fuit, vt vterque ſequenti anno ad pacem animos inclinaret. reſque ſine dubio conueniſſet, niſi Obelerius totum negocium impediſſet. Qua de re in vtriuſque offenſionem incurrit. Eo anno Græci, qui Orobitæ dicebantur, Populonium maritimum Etruriæ oppidum captum diripuerunt. Sarraceni verò Sardiniam rurſus aggreſſi pridie paſchatis Aleriam oppidum occuparunt, & præter epiſcopum, ac paucos ætate, ac morbo confectos in ea nihil reliquerunt. Rauennæ Valerius archiepiſcopus factus. Carolus Nouembri menſe conuentum Aquis habuit de proceſſione Spiritus ſancti, quam in quæſtionem Ioannes quidam monachus Hieroſolymis reuocauerat. atque eius rei definiendæ cauſſa legatos Ro-
810 mam ad Pontificem miſit. Sequitur inde annus octingenteſimus decimus magno bello Pipini regis cum Venetis geſto nobilitatus. Eius belli hiſtoria variè adeo à Francis, Venetiſque commemoratur, vt neque in cauſſa, neque in euentu eius conſentiant. Ac Franci quidem ſcribunt, Pipinum perfidia Ducum Venetorum impulſum terra, marique Venetiam inuaſiſſe, eaque cum Ducibus bello ſubacta, ad vaſtanda Dalmatiæ littora claſſem miſiſſe, verùm, Paulo Cephalleniæ præfecto cum claſſe Orientali ſubſidio accurrente, domum re infecta reuerſum eſſe.

ſum eſſe. Sin autem Venetos ſequimur, Pipinus iuſſu patris hoc bellum intulit, vt Obelerium, & Valentinum Duces reduceret, quos Beatus frater Conſtantinopoli reuerſus, tanquam Francis amicos, vrbe, Ducatuque depulerat. Belli verò vt apparatus, ſic etiam exitus fuit memorabilis. Pipinus naualibus, terreſtribuſque copijs expeditis Rauenna profectus in æſtuarium Venetiæ venit, ac ſtatim Brondulum, Clodiam, Peleſtrinam, & Albiolam oppida, littoraq́; , quæ æſtuario prætenta ſunt, occupauit, atque inde rectà Metamaucum, quæ tum Ducum regia erat, perrexit. Qua re perculſi Metamaucenſes coniuges, liberos, omnemq́; pretioſiorem ſuppellectilem in lembos raptim impoſuerunt, atque in Riuumaltum, & Oliuolam cum Beato ipſo Duce ſe receperunt, rati eas inſulas ab hoſtili impreſſione magno intercedente canali fore ſecuriores. quorum exemplum ſequuti alij quoque ex aliis inſulis tribuni populos & ipſi ſuos ad communem tuendam libertatem eò continuò traduxerunt. Pipinus cum Metamauci nihil, niſi domos vacuas repperiſſet, eas diruit, ac, littore toto percurſo, vſque ad Portum peruenit. Ibi cum omnem belli ſummam ad Oliuolam, & Riuoaltum conſtitiſſe, omneſq́; Venetorum copias ad eum locum tenendum collatas eſſe audiret, eum inuadere ſtatuit. Verùm maioribus nauigiis eò penetrari non poſſe à peritis regionis edoctus, ex proximis amnibus lintres omnes contraxit. ad quos, quia ſatis multi non erant, rates ex trabibus compactas adiecit. ac caſtellorum in modum munitas affatim armis, viriſque repleuit. atque eas aduerſus hoſtes, Obelerio facilem victoriam pollicente, immiſit. Rates partim acceſſu æſtus, partim remulco lintrium, partim longis militum pilis impulſæ aliquanto ſpatio curſum proſperè confecerunt. vbi verò in altiorem aquam ſunt prouectæ, neque contis amplius impelli, neque propter grauitatem ſuam remulco trahi longius potuerunt. Id cum Veneti ſenſiſſent, atque æſtu decedente, iamque in contrarium rapiente Francos laborantes vidiſſent, continuò leuibus lintribus, quibus abundabant, ſe intulerunt, ac, remulcis inciſis, rates à lintribus ſepararunt. Quo facto lintres ipſos adorti, pleroſque aut fluctibus ſubmerſerunt, aut in poteſtatem adductos peſsimè habuerunt. Inde rates, quæ in paludes ab ipſo æſtus impetu abreptæ ſubſederant, vſqueadeo vrgere cœperunt, vt Franci tenui vado confiſi in aquam ſe demitterent, quò pedibus ad littus perfugerent. Verùm opinione ſua decepti mox obruti limo cæſi omnes, aut capti ſunt. Pipinus, qui cum paucis Metamaucum felicem rei exitum opperiens ſe retulerat, vbi tantam ſuorum cladem audiuit, mœſtus, Obelerio, & Valentino ſecum ductis, Rauennā repetiit. Hac tanta victoria parta ingens

inter Venetos gratulatio facta. nouaque formandæ reip. conſilia inita. Beatus Dux, cum Metamaucum excifum videret, animum ad ſedem in Riuoaltum, & Oliuolam traducendam adiecit, eas propter magnitudinem ſuã ſatis amplas ad vicinorum populorum multitudinem, & reip. quam ſibi pollicebatur, dignitatem recipiendam fore arbitratus. atque tribunis, & primoribus inſularum in conſilium aduocatis ex eorum au ctoritate regiam eò traduxit. Beato verò, antequam res ad exitum perduceretur, vita functo, Angelus Particiacus Dux ſubſtitutus incœpta perſoluere inſtitit. Itaque, cum Riuoaltum Duci, Oliuolam epiſcopo deſtinaſſet, prima Ducalis prætorii, quo loco nunc eſt, fundamenta iecit. Vrbs tota Riuoaltum, & Oliuolam continens poſt vno Venetiarum nomine appellata. Hæc eius vrbis, & reip. quæ ad hunc vſque diẽ opulentiſſima, atque ampliſſima fuit, principia fuiſſe feruntur, quæ tũ terminis à Grado ad caput aggeris anguſtiſſimis claudebatur. Interim Pipinus Rauenna Mediolanum profectus VIII Idus Iulias eſt mortuus, vir, ſi diutius vita ſuppeditaſſet, virtutis magnitudine patritam, auitãq; gloriam facilè adæquaturus. Cadauer eius Veronam delatum ſepultũ eſt in monaſterio S. Zenonis, quod Rex ipſe conſtruxerat, atque opimis poſſeſſionibus exornarat. Hoc ſepulchrum altè terra obrutum Veronenſes in cœmeterio monaſterii hodie oſtendunt. Eodem anno Valerium archiepiſcopum Rauennatem extinctum Marinus eſt ſubſequutus. & Corſica nouis Sarracenorum incurſionibus afflicta. Immaturam Pipini filij mortem Carolus acerbiſſimè tulit. Itaque partim ætate, partim mœrore confectus poſthac omnia ad ocium, & quietem con ſilia contulit. Prima cura fuit pacis, & religionis. Pacem cum Nicepho ro Octobri menſe à legato eius rogatus Aquis compoſuit, & legatos præcipuos ad eam ſanciendam Conſtantinopolim miſit. quibus Obeletium quoque olim Ducem Venetorum adiunxit. Sequenti verò an-
811 no, cum ſæpe graui valetudine tentari cœpiſſet, theſaurum ſuum magna ex parte ex veſtibus, aliaque ſuppellectili pretioſa conſtantem pij muneris loco eccleſiis regnorum ſuorum metrapolitanis, quæ vna, & viginti erant, legauit. quarum quinque tum Italia continebat, Romã, Rauennam, Mediolanum, Aquileiam, & Gradum. Inde pridie Nonas Decembris cum hibernatum Aquas veniſſet, Carolum filium natu ma
812 ximum perdidit. Proximo verò, ad domeſticum ex duorum filiorum intempeſtiua morte moerorem triſti ſimul illo quoque rumore perculſus eſt, Sarracenos ex Africa, & Hiſpania, ſociatis quaſi armis, ad littora Italiæ depopulanda concurrere. Itaque maturè ſibi tantis detrimentis occurrendum ratus, conuentu Aquis peracto, Bernardum, Pipini fi-

lium, egregiæ virtutis adoleſcentem cum exercitu propere ire in Italiã iuſſit, Vallone patruele alterius Bernardi filio expeditionis ſocio dato. Interim Sarraceni tanto accepto apparatu deterriti Italiam omiſerunt, atque alii ſe in Corſicam, alii in Sardiniam intulerunt. Ex quibus qui attigere Sardiniam, prope omnes occidione occiſi ſunt. Grimoaldus Princeps Beneuentanus, qui graui cum Pipino bello contenderat, ſaniore vſus conſilio arma poſuit, atque oratores de pace ad Carolum miſit, eamque ſeptem millibus ſolidorum aureorum obtinuit, quotannis tributi nomine perſoluendis. In Græcia Nicephorus Imperator poſt multas, & inſignes victorias in Mœſia contra Bulgaros partas demum VIII Kalen. Auguſti commiſſo cum Crumo rege prœlio cecidit. eique Michael Rangabe, gener eius, Imperator ſucceſsit, Hic legatos Caroli ad Nicephorum miſſos de fœdere renouando agentes libenter audiuit, atque eis proficiſcentibus ſuos ad Carolum addidit, vt fœdus pactum cum Nicephoro confirmarent. Legati, cum Aquas adiſſent, fœdus inſtaurarunt id, in quo libertati, atque immunitati Venetorum præcipuè cauebatur. tabuliſque confectis, Græca oratione laudes Caroli celebrarunt, Imperatorem eum, & Baſileum nominantes. &, cum domum redeuntes Romam diuertiſſent, eaſdem tabulas in baſilica Vaticana à Leone pontifice receperunt. Qua re cognita Carolus, ineunte vere, Amalharium archiepiſcopum Treuirenſem, & Petrum Nonantulanum abbatem ad eundem pro eodem ſanciendo fœdere miſit. Michael in Moeſiam cum exercitu aduerſus Crumum profectus, atque inde fugatus præ dolore monachum induit, ac Leoni Armenio Bardæ Patricij filio Imperium tradidit. Hic quò meliorem ad res gerendas fortunam, eò deteriorem ad Catholicam colendam religionem attulit voluntatem. Crumum enim caſtris in Thracia poſitis ſæuientem, eruptione facta incautum excepit, ac grauiter vulneratum fuga ſibi conſulere, & domum redire coegit. Verùm ea victoria elatus nouam aduerſus ſanctas imagines ſeditionem exciuit, praua ſcilicet monachi cuiuſdam oratione impulſus, qui breui eum regnum cum vita amiſſurum, niſi cultu idolorũ abſtineret, indixit. Itaque propoſito edicto omnes tolli imagines imperauit, & Nicephorum patriarcham edictum illud incuſantem, & cultum imaginum defendentem in inſulam Præconenſem relegauit, ac Theodorum ei ſubſtituit. qui Leoni gratificans & ipſe acriter imagines oppugnauit. Cum hoc etiam fœdus renouatum, in quo de libertate, immunitate, & quiete Venetorum continebatur. Eodem anno Clodienſes, & ceteri, qui Pipini bello æſtuaria, inſulaſque reliquerant, domos ſuas repetiuerunt, eaſque reficere contenderunt. Sarrace-

813

ni ex Corſica in Hiſpaniam cum præda redeuntes ab Irmingario Comi te Emporitano, octo nauibus ſpoliati ſunt. Itaque, vt id damnum reſarcirent, Centumcellas Etruriæ, & Nicæam Prouinciæ oppida adorti vaſtauerunt. Sardiniam inde aggreſsi multis amiſſis, fortiter inde repulſi ſunt.

CAROLVS IMP. ET CVM BERNARDO N. REX.

CAROLVS inde Nouembri menſe alium Aquis conuentum egit. Ibi, cum ſe affecta iam ætate, & parum agendis rebus idonea cerneret, vt honeſtis imperandi laboribus opportunos ſibi ſocios compararet, ac ſimul imminentibus domeſticorum diſsidiorum incommodis obuiam iret, quinto decimo Kalendas Decembris Ludouicum filium ex Aquitania euocauit, atque ipſum præſentem conſortem Imperii, Bernardũ verò nepotem abſentem Regem Italiæ declarauit. Res agebatur in templo D. Virginis ab eo conſtructo, circunſtantibus regnorum fermè omnium profanis, ſacratisq; proceribus. & corona aurea ſuper aram maximam erat de induſtria collocata. Itaque audientibus, atque approbantibus omnibus, ad Ludouicum verſus, Accede, inquit, Ludouice, & coronam capiti tuo non dignitatis ſolùm ornamento, ſed regnis etiam noſtris, & reip. Chriſtianæ præſidio lætus impone. ac mecum vnà Imperium auſpicatis poſthac conſiliis moderare. Paruit voluntati patris filius, &, corona accepta, ſimul principes apud ſe ſacramenta dicere iuſsit. Id deinde inſtitutum poſteri Reges tenuerũt, vt viuentes filios alios ſibi ſocios Imperii cooptarent, alios regnorum hæredes relinquerent. ex quo opes Francorum, quæ, regnante Carolo, maximæ, ampliſsimæque fuerunt, demum propè cum ingenti Franci nominis gloria ad nihilum reciderunt. Carolus inde, & Ludouicus, cum nouis regnum legibus ſtabilirent, ita de epiſcoporum electione ſanxerunt: *Sacrorum canonum non ignari, vt Dei nomini ſancta Dei Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum Eccleſiaſtico ordini præbemus, vt epiſcopi per electionem cleri, & populi ſecũdùm ſtatuta canonum de propria diœceſi remota perſonarum, & munerum acceptione ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligantur, vt exemplo, & verbo ſibi ſubiectis vſquequaq. prodeſſe valeant.* Ex quo apparet, Carolum decreto, vt diximus, Hadriani renunciaſſe. Ludouicus inde maximis muneribus oneratus in Aquitaniam rediit. In Italia verò Bernardus iuſſu Caroli Rex ab archiepiſcopo Mediolanenſi Modoetiæ coronatus regnum adminiſtrare patris exemplo inſtituit. Cum hic rerum ſtatus in Italia eſſet, ac nouo Bernardi regno ſummam omnes in ſpem erecti tranquilli-

tatis,& ocii diuturni fuiſſent, ecce grauis repente caſus incidit, qui ingenti omnia luctu,ac mœrore compleuit. Siquidem Carolus hiberna Aquis agens ſubita febri Ianuario menſe,ac mox ſæuo lateris dolore corripitur. & v. Kal.Februarias moritur. Sepultus eſt in æde D. Dei Genitricis à ſe conſtructa, vir bello, paceq; ſummus, iuſtitiæ litterarumque cultor eximius,atque omnium Imperatorum poſt Conſtantinum Magnum,quem vt cognomine,ſic virtute æquauit, ſine controuerſia maximus. ac præcipuus Italiæ reſtitutor, & Catholicæ Eccleſiæ aſſertor habendus. 814

LVDOVICVS IMP. *cum* BERNARDO *Fratris filio* REGE.

NVNCIO mortis patris accepto,Ludouicus ex Aquitania propere Aquas reuertit,ac ſtatim à populis Caroli iudicium, voluntatemque ſequutis magno animorum conſenſu paterno in ſolio confirmatus vniuerſa regnorum,Imperiique iura ſuſcepit. Omnium autem primum teſtamentum patris cum inſpexiſſet, ſumma cura explere contendit. Itaque mandatis eius inſiſtens menſam argenteam,quæ forma quadrangula deſcriptionem vrbis Conſtantinopolitanæ complectebatur, baſilicæ Vaticanæ largitus eſt, alteram verò, quæ rotunda Romanæ vrbis effigiem exprimebat, eccleſiæ Rauennati. Inde ad ordinanda,vt res monebat, regna conuerſus conuentum Aquis egit. Ibi primùm omnium legatos ad Pontificem deſtinauit,per quos ſe imitatione patris Eccleſiæ Romanæ perpetuum fore defenſorem oſtendit. & legationes, quæ aut ad patrem,aut ad ſe miſſæ fuerant, benignè audiuit. atque ijs dimiſsis Nordbertum epiſcopum Regienſem,& Richouium Pictauium Comitem ad renouandam cum Leone Imperatore amicitiam miſit. Bernardum,fratris Pipini filium,regem ad ſe ex Italia euocatum, maximis muneribus proſequutus,vt Italia virtute,ac fide adminiſtranda laudem patris aſſequeretur,eſt adhortatus. Cum Grimoaldo Duce Beneuentano pacem ita firmauit,ſi tributum idem penderet, quod cum patre pepigerat. Demum ius populis comiter dicere, atque eccleſiis, & ciuitatibus Caroli patris beneficia, vt quodque repetitū eſt,liberaliter inſtitit affirmare. Carolo ex humanis rebus ſubtracto (cuius metu omnis facilè in officio continebatur Italia) principes Romani rurſus coniurationem Leonis pontificis interimendi fecerunt. qua per indicem ad Leonem delata, omnes digni vltimo ſupplicio iudicati ſunt. Hoc verò vbi Ludouicus poſtero anno,cum in Saxoniam iret, accepit, Francfordia decedens, Bernardum regem,quem ſecum adhuc habebat,primo quoque 815

tempore in Italiam ire,& rem compertam ſibi ſignificare præcepit. Bernardus Romam profectus,quanquam graui morbo implicitus, cuncta ingenti ſolertia inquiſiuit,quæq; comperit,per Geroldum Comitem ad Ludouicum omnia detulit. Quem legati Leonis Ioannes epiſcopus Syluæ Candidæ,Theodorus Nomenclator, & Sergius Dux ſubſequuti Ludouico de omnibus criminibus,quibus cauſſa Leonis onerabatur, ſatiſfecerunt. Interim Leo vehementiſſimè ægrotauit. Quod vt Romani inimici eius ſenſerunt,firma ſatellitum manu contracta omnes villas nuper ab eo ſingularum ciuitatum in agris constructas inuaſerunt, ac direptas incendio concremarunt. Inde Romam ire, vt quæ ſibi per vim erepta querebantur,reciperent,perrexerunt. Qua re præcepta Bernardus,quod ipſe adhuc æger erat,per Viniġiſum Ducem Spoletanum eos ab eiuſmodi conatu auertit, atque de omnibus rebus,vt geſtæ erant,Ludouicum edocuit. Eodem anno Nordbertus,& Richouius legati ad Ludouicum reuerſi fœderis inſtaurati tabulas Conſtantinopoli rettulerunt; Eorum quoque ſermone cognitum eſt, menſe Auguſto per continuos quinque dies terræmotum grauiter adeo Thraciam afflixiſſe, vt & Vrbis ædificia plura deiecerit,& aliarum ciuitatum populos fœdis ruinis oppreſſerit. Petro archiepiſcopo Mediolanenſi mortuo Odbertus eſt ſubſtitutus.

816 Poſtero Leo morbi diuturnitate confectus pridie Idus Iunii vitam reliquit. eique paucis poſt diebus Stephanus diaconus ſucceſsit, qui Quartus eſt appellatus. Hic ſtatim per legatos Ludouicũ Imperatorẽ deſignatum de conſecratione ſua commonefecit,ſimulque oſtendit,ſe iter in Franciam adornare,vt ipſum inſtituto more Imperatorem inungeret,& cum eodem de ratione conſtituendæ Eccleſiæ conſultaret. Quare duobus,quàm conſecratus fuit, menſibus iter ingreſſus eſt. narrant quidam, cum Rauennã ex itinere perueniſſet, ibi diuinis operatum auido,ac religioſo populo ſacrata Chriſti ſandalia oſtendiſſe. Stephani voluntate perſpecta Ludouicus mirificè lætatus cum propere legatos illi obuiam,qui Remos eum adducerent,ſummos homines miſit,tum ipſe aduentum eius præueniens cum honeſtiſsima optimatum caterua occurrit. conſecratio inde in ante diem quartum Kal.Septembris,quæ dies dominica erat,indicta eſt. poſtquam ea acceſsit, ac principes,populique frequentes noui ſpectaculi gratia conuenerunt, Pontifex,Ludouico, atque Hirmingarde coniuge præſentibus,rem diuinam ritu pontificio fecit. ac mox illum Auguſtum,hanc Auguſtam pronunciauit,& corona pretioſiſsima impoſita,quam ſecum Roma detulerat, oleo ſancto perunxit. amicitia ſanctiſſimè confirmata, Ludouicus præter cetera crucem magni pretii baſilicæ Vaticanæ donauit, ac Roma-

nos, qui propter flagitia aduerſus Eccleſiam, & Leonem admiſſa captiui in Francia tenebantur, dimiſit. Ad extremum ſalutaribus Italiæ, Eccleſiæque conſiliis agitatis, Pontifex Romam, Imperator Compendiũ ſe recepit. Ex Compendio inde Aquas in hiberna proceſſum. Ibi legatus Imperatoris Leonis Nicephorus eſt auditus, de finibus Dalmatarum, ac Foroiulienſium ageris. ad eamque diſceptationem Cadolachus Dux Foroiulienſium, ad quem ea res pertinebat, adhibitus. Sequenti anno Stephanus VIII Kal. Februarias, tertio, quàm Romam redierat, 817
nondum tranſacto menſe, extremum vitæ ſpiritum edidit. In eius locum Romanus clerus, populuſque Paſchalem, presbyterum S. Praxedis, pontificem ſublegerunt. Is, ſimulatque conſecrationem accepit, legatos cum muneribus ad Ludouicum, & litteras miſit, quibus ſe inuitum, & reluctantem pontificem creatum ſignificauit. Duobus poſt mẽſibus Ludouicus adhuc Aquis agens feria quinta, qua cœna Domini celebratur, cum è templo, ſacris ſolemnibus peractis, ſe referret domum, ſublicia, per quam tranſibat, porticu procidente, vnà cum optimatibus viginti procubuit. ac, ceteris variis caſibus circunuentis, ipſe plus periculi, quam cladis contraxit. Itaque diligentia medicorum intra viginti dies ex omni contuſione ſanatus omnium principum, populorumque ſuorum conuentum egit. Ibi cum multa alia regnis ſalutaria ſtatuit, tum in primis in cõſpectu omnium Lotharium maximum natu filium Imperatorem, & Regem Frácię, Pipinum verò Aquitaniæ, Ludouicum Bauariæ declarauit. & cum, Paſchalis pontifex, Theodoro Nomenclatore miſſo pactum, quod cum deceſſoribus ſuis à patre, auoq; eius factum fuerat, ſibi confirmari poſtulaſſet, haud grauatè petitioni eius indulſit. Tabulæ eius Confirmationis hæ ſunt: *Ego Ludouicus Imperator Auguſtus ſtatuo, & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi beato Petro principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo domino Paſchali ſummo pontifici, ac vniuerſali papæ, & ſucceſſoribus eius in perpetuum, ſicut à prædeceſſoribus veſtris vſque nunc in veſtra poteſtate, & ditione tenuiſtis, & diſpoſuiſtis ciuitatem Romanam cum Ducatu ſuo, & ſuburbanis, atque viculis omnibus, & territorijs eius montanis, & maritimis litteribus, ac portubus, ſeu cunctis ciuitatibus, caſtellis, oppidis, & viculis in Tuſciæ partibus, ideſt Portum, Centumcellas, Cære, Bledam, Maturanum, Sutrium, Nepet, Caſtellum Galleſii, Ortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Peruſium, cum tribus inſulis ſuis, ideſt maiorem, & minorem Pulenſem & lacum, Narniam, Otriculos cum omnibus finibus, ac territorijs ad ſupradictas ciuitates pertinentibus. Simili modo & in partibus Campaniæ Signiam, Anagniam, Ferentinum, Alatrium, Patricum, Fruſinonem cum omnibus finibus Campaniæ, nec non & Tibur cum omnibus finibus, &*

territorijs ad eaſdem ciuitates pertinentibus. Nec non Exarchatum Rauennatem ſub integritate cum ſuburbanis, ciuitatibus, oppidis, & caſtellis, quæ piæ recordationis Dominus Pipinus rex, & bonæ memoriæ genitor noſter Carolus Imperator beato Petro apoſtolo, iamdudū per donationis paginam reſtituerūt, hoc eſt ciuitatē Rauennā, & Aemiliā, & Bobium, Cæſenam, Forumpopillii, Forumliuij, Fauentiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, & Adriam, & Gabellum cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis, in terra, marique ad ſupradictas ciuitates pertinentibus. Simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Numanam, Aeſium, Forum Sempronij, Montem Feretri, Vrbinum, & territorium Balnenſe, Calles, Luceolos, Eugubium cum omnibus finibus, & terris ad eaſdem ciuitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinenſe, ſicut à genitore noſtro Carolo Imperatore beato Petro per donationis ſcriptum conceſſum eſt, & ſub integritate, quemadmodum ab Iterio, & Maienario abbatibus illius miſſis inter idem territorium Sabinenſe, & Reatinum diffinitum eſt. Item in partibus Tuſciæ Longobardorum Caſtellum Felicitatis, Vrbiuetum, Balneum regis, Ferenti caſtrum, & Viterbium, Marcam Tuſcanam, Populoniam, Soanam, Roſellas. Et inſulas Corſicam, Sardiniam, & Siciliam ſub integritate cum omnibus adiacentibus, ac territorijs, ac maritimis littoribus, portubus ad ſupradictas ciuitates, & inſulas pertinentibus. Item in partibus Campaniæ Soram, Arces, Aquinum, Teanum, & Capuam. Et patrimonia ad poteſtatem, & noſtram ditionem pertinentia, ſicut eſt patrimonium Beneuentanum, & Salernitanum, & patrimonium Calabriæ inferioris, & ſuperioris, & patrimonium Neapolitanum, & vbicunque in partibus regni, atque imperij à Deo nobis commiſſi patrimonia noſtra eſſe noſcuntur. Has omnes ſupradictas prouincias, vrbes, ciuitates, & oppida, atque caſtella, viculos, & territoria, ſimulque & patrimonia iam dictæ Eccleſiæ tuæ beate Petre Apoſtole, & per te beato vicario tuo ſpirituali patri domino Paſchali ſummo pontifici, ac vniuerſali papæ, eiuſque ſucceſſoribus vſque in finem ſeculi eo modo confirmamus, vt in ſuo detineant iure, principatu, atque ditione. Simili modo per hoc noſtræ confirmationis decretum firmamus donationes, quas piæ recordationis dominus Pipinus rex auus noſter, & poſtea dominus, & genitor noſter Carolus Imperator beato apoſtolo Petro ſpontanea voluntate contulerunt. Necnon & cenſum, & penſionem, ſeu ceteras donationes, quæ annuatim in Palatium regis Longobardorum inferri ſolebant, ſiue de Tuſcia Longobardorum, ſiue de Ducatu Spoletano, ſicut in ſupraſcriptis donationibus continetur, & inter ſanctæ memoriæ Adrianum papam, & dominum & genitorem noſtrum Carolum Imperatorem conuenit, quando idem Pontifici eidem de ſupraſcriptis Ducatibus, ideſt Tuſcano, & Spoletano ſuæ auctoritatis præceptum cōfirmauit, eo ſcilicet modo, vt annis ſingulis prædictus cenſus Eccleſiæ beati Petri apoſtoli perſoluatur, ſalua ſuper eoſdem Ducatus in omnibus noſtra ditione, &

illorum

illorum ad noſtram partem ſubiectione. Ceterùm, ſicut diximus, omnia ſuperius nominata ita ad noſtram partem per hoc noſtræ confirmationis decretum roboramus, vt in noſtro, noſtrorumque ſucceſſorum permaneant iure, principatu, atque ditione, vt neque à nobis, neque à filijs, vel ſucceſſoribus noſtris per quodlibet argumentum, ſiue machinamentum in quacunque parte muniatur noſtra poteſtas, aut nobis de ſupraſcriptis omnibus, vel ſucceſſoribus noſtris inde aliquid ſubtrahatur, de ſupraſcriptis videlicet prouincijs, vrbibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris, viculis, inſulis, territorijs, atque patrimonijs, necnon & penſionibus, atque cenſibus, ita vt neque nos ea ſubtrahamus, neque quibuslibet ſubtrahere volentibus conſentiamus, ſed potius omnia, quæ ſuperius leguntur, ideſt prouincias, ciuitates, vrbes, oppida, caſtella, territoria, patrimonia, atque inſulas, cenſus & penſiones Eccleſiæ beati Petri apoſtoli, & pontificibus in ſacratiſſima illius ſede in perpetuũ reſidentibus, inquantum poſſumus, defendere nos promittimus, adhoc vt omnia ea nullius ditionis ad vtendum, & fruendum, atque diſponendum firmiter valeat obtinere. nullamque in eis nobis partem, atque poteſtatem diſponendi, vel iudicandi, ſubtrahendi, vel minorandi vendicamus, niſi quando ab illo, qui eo tempore huius ſanctæ Eccleſiæ regimen tenuerit, rogati fuerimus. Et ſi quilibet homo de ſupradictis ciuitatibus ad veſtram eccleſiam pertinentibus ad nos venerit, ſubtrahere ſe volens de veſtra iuriſdictione, vel poteſtate, vel quamlibet aliquam iniquam machinationem metuens, aut culpam commiſſam fugiens, nullo modo eum aliter recipiemus, niſi ad iuſtam pro eo faciendam interceſſionem; ita duntaxat ſi culpa, quam commiſit, venialis fuerit inuenta. ſin autem, comprehenſum eum ad veſtram poteſtatem remittemus, exceptis his, qui violentiam, vel oppreſſionem potentiorum paſſi ideo ad nos veniant, vt per noſtram interceſſionem iuſtitiam accipere mereantur. Quorum altera conditio eſt à ſuperioribus valde diſiuncta. Et quando diuina vocatione huius ſacratiſsimæ ſedis Pontifex de hoc ſæculo migrauerit, nullus de hoc regno noſtro, aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo ſub noſtra poteſtate cõſtitutus licentiam habeat contra Romanos aut publicè aut priuatim veniendi, aut electionẽ faciendi, nulluſque in ciuitatibus, aut in territorijs ad Eccleſiæ beati Petri apoſtoli poteſtatẽ pertinentibus aliquod malũ propter hoc præſumat facere, ſed liceat Romanis cũ omni veneratione, & ſine qualibet perturbatione honorificã ſuo Pontifici exhibere ſepulturã, & eum, quem diuina inſpiratione, & beati Petri interceſsione omnes Romani vno conſilio, atque concordia, ſine aliqua promiſſione ad ordinẽ pontificatus elegerint, ſine aliqua ambiguitate, atque contradictione more canonico conſecrare, & dum conſecratus fuerit, legati ad nos, vel ad noſtros ſucceſſores Reges Francorum dirigantur, qui inter nos, & inter illum amicitiam, & caritatem, & pacem conſocient, ſicut temporibus piæ recordationis domini Caroli attaui noſtri, ſiue domini Pipini aui noſtri, vel & Caroli Imperatoris genitoris noſtri conſuetudo erat faciendi. Hoc autem vt ab omnibus Dei eccleſiæ fide-

libus, & noſtris firmum eſſe credatur, firmiuſque per futuras generationes, & ſecula futura cuſtodiatur, propria manus ſignaculo, & venerabilium epiſcoporum, atque abbatum, vel etiam optimatium noſtrorum ſub iureiurando promiſſionibus, & ſubſcriptionibus pactum noſtræ confirmationis roboramus, & per legatum ſanctæ Eccleſiæ Theodorum nomine domino Paſchali papæ direximus. Ex his apparet, Pipinum, & Carolum partim conceſſiſſe, partim conceſſa Eccleſiæ confirmaſſe Romam cum Ducatu Romano, qui circumiecta Etruriæ, & Latii oppida contineret; Rauennam cum Exarchatu; Pentapolim, quæ poſt Marchia Anconitana eſt dicta; Ducatum Tuſcanum, ſiue partem Tuſciæ Longobardorum, quæ ita dicebatur, quia & altera Tuſcia erat Eccleſiæ, cuius caput erat Peruſia; inſulas, Corſicam, Sardiniam, & Siciliam; Campaniæ partem, cuius caput erat Capua à Duce Beneuentano poſſeſſa; patrimonia ad ſe pertinentia Beneuentanum, Salernitanum, Calabriæ ſuperioris, & inferioris, & Neapolitanum; item cenſum, & penſionem, quæ quotannis in Palatium Regis Longobardorum inferri ſolebant, ſiue de Tuſcia Longobardorum, ſiue de Ducatu Spoletano; nec non Tuſcanum, Spoletanumque Ducatum: Ludouicum verò omnia ſupra memorata confirmaſſe: eoſdem etiam conceſſiſſe, vt Romani nouum Pontificem pro iudicio ſuo crearent, modò ſine tumultu, & largitione, & creatum conſecrarent, modò Pontifex ſe per legatos de ſua conſecratione commonefaceret, & pacem ſecum ſanciret. quam rem nominatim admonuiſſe non fuit alienum, quia comitia pontificia ad Romanorum auaritiam, & ambitionem coercendam variis poſt fuerunt legibus aſtringenda. Nuncio in Italiam de diuiſione regnorũ à Ludouico facta perlato, Bernardus rex à proceribus Francis inductus regni Franciæ Ludouico eripiendi conſilium iniit, id ad ſe potius pertinere iampridem perſuaſus, qui Pipino maiore Caroli filio eſſet natus, quàm ad Ludouicum ipſum, qui Pipino ætatis iure concederet. atque omnibus Italiæ ciuitatibus in ſua verba iurare iuſsis, ſaltus Alpium idoneis impoſitis præſidiis confirmauit. eius coniurationis affines ex Italia fuiſſe Anſelmus Mediolanenſis, & Volfoldus Cremonenſis antiſtites arguuntur. Ludouicus, cum de Voſego Aquas reuertens trepido nuncio hæc à Bernardo comparari audiſſet, confeſtim magnum è Francia, atque Germania exercitum euocauit, atque aduerſus eum contendere properauit. Quod vbi Bernardus ſenſit, metu perterritus, maximè, quòd ſe à ſuis quotidie deſeri cerneret, arma poſuit, atque vltro Ludouico ad Cabillonem ſedenti ſe tradidit. quem ceteri imitati ſponte ſua omnia, ſicut acta erant, enunciarunt. Ludouicus, coniuratione nudata, ac ſeditioſis omnibus in po-

teſtatem adductis Aquas in hiberna ſe rettulit. Proximo anno Fortunatus patriarcha veteris priuilegii ſui confirmatione à Ludouico recepta, & reconciliata cum Venetis gratia, eccleſiam Gradenſem repetiit, ac Ioannem abbatem, qui illam inuaſerat, ad monaſterium redire coegit. In Ducatu verò Beneuentano tumultus nouus exortus. Radelchis Comes Compſanus inita defectione Grimoaldum Principem Beneuẽtanum occidit, atque ei Siconem ſubſtituit. inde facti pœnitentia ductus collo cathena implicito ad monaſterium S. Benedicti ſe contulit. Sico Neapolim diuturna fatigatam obſidione recepit, atque inde Beneuentum corpus S. Ianuarii martyris deportauit. Paucis poſt Paſcha diebus Ludouicus iudicium de coniuratis exercuit. Cum iudices Bernardum, ac reliquos coniurationis auctores rei capitalis damnaſſent, ipſe Bernardum luminibus orbaſſe ſatis habuit. Epiſcopos conuentus decreto abdicatos in monaſteria condidit. ceteri pro cuiuſque merito aut exilio, aut ſacra tonſione multati. Deceſsit inde Bernardus xv. Kal. Maii, ſepultus Mediolani in æde S. Ambroſii. in qua nunc etiam cippus eius inuiſitur cum hoc elogio: *Bernardus ciuilitate mirabilis, ceteriſque pijs virtutibus inclytus rex hic requieſcit. regnauit annos* IIII, *menſes* V. *obijt* XV. *Kalend. Maij Indictione* XI, *filius piæ memoriæ Pipini*. 818

LVDOVICVS PIVS IMP. ET REX SOLVS.

Eo mortuo, Ludouicus regnum per legatos adminiſtrans Brittonibus bellum intulit. quo perfecto, Hirmingarde vxore v. Nonas Octobris amiſſa, Aquas reuertens Heriſtallium venit. Ibi multorum principum legati auditi: in primis autem Siconis Beneuenti Ducis, & Liudeuiti Pannoniæ inferioris. Sico donis oblatis necis Grimoaldi crimen à ſe auertebat, & Ducatum ſibi confirmari petebat. Liudeuitus res nouas moliens Cadolachum Ducem Foroiulienſem crudelitatis, atque inſolentiæ accuſabat. Siconi pax data, Liudeuito bellum indictum eſt. Aquas inde progreſſus poſt Natalicia Domini conuentum 819 epiſcoporum, ac principum habuit, in quo ſtatum eccleſiarum, ac monaſteriorum formauit, ac veteribus legibus nouas aliquot valde neceſſarias addidit. Qua cura perfunctus nouarum nuptiarum auidus, inſpectis pleriſque nobilium filiabus, Iudithem Velfonis Comitis filiã duxit, virginem præter ceteras ſpecie, ac pulchritudine inſignem. Ex qua Carolum inde ſuſcepit, qui Calui cognomen, atque Imperii titulum tulit.

Interim Cadolachus, qui Ludouici iuſſu exercitum aduerſus Liudeuitum in Pannoniam duxerat, re parum proſperè geſta, deceſsit. ea re

81.. ſuperbia Liudeuitus elatus legatos compoſitionis cauſſa ad Ludouicū miſit,& ſe certis,quas ferebat,conditionibus,imperata facturū eſt pollicitus. quibus non acceptis,Ludouicus alias ei tulit; quas aſpernatus Liudeuitus belli cauſſa vicinas ciuitates ad arma ſolicitauit. Cadoladhus repente morbo abſumptus Baldericum ſucceſſorem accepit. is in Carātanorum regionem, quæ ad Liudeuitum defecerat, ingreſſus,Liudeuiti exercitum occurrentem iuxta Drauum flumen adortus ſtragem ingentem dedit,& maiorem aliquanto pauorem,ac tumultum fecit. Sequen
820 ti anno, qui ab ortu Chriſti octingenteſimus viceſimus fuit,Ludouicus, conuentu Aquis acto, in vnam Pannonici belli curam intentus conſtituit,vt tribus exercitibus tribus in partibus Pannonia peteretur,ac,populata vaſtataque prouincia,Liudeuitus ad pacem petendam adigeretur. itaque primo vere, ſimulatque in agris pabuli copia fuit, exercitus três in Saxonia,Franconia,Alemania,Baioaria, atque Italia conſcripti præſto fuerunt, atque vnus ex Italia per Noricas Alpes, alter per Carantanos, tertius per Baioariam, & Pannoniam ſuperiorem iniuit. ac duo quidem dexter,ac ſiniſter ægrius ingreſsi fines ſunt,ille,quòd in Alpibus traiiciendis ab firma hoſtium manu repulſus eſt, hic longitudine itineris, & Drauo,quod traiiciendum erat, flumine impeditus. Medius autem,qui per Carantanos tranſiuit,quanuis tribus in locis auerſus, tamē ter hoſte fuſo, Drauoque tranſmiſſo celerius ad loca deſtinata peruenit. Liudeuitus occurrere æquo campo non auſus,nuſquam ſe oſtēdit. verùm caſtello,quod in arduo monte muniuerat,ſe,ſuoſque continuit. neque de accipiendis, aut ferendis conditionibus verbum vllum fecit. Exercitus in vnum coacti totam ferme regionem ferro iniquè peſſundederunt,& nullo inſigni detrimento accepto,domum repetiuerunt. is verò,qui per Pannoniam ſuperiorem iter fecerat, in traiectu Draui ex locorum, & aquarum inſalubritate graui ſoluti ventris morbo tentatus,ac magna ex parte conſumptus eſt. Eis profectis Carniolenſes,qui circa Sauum fluuium habitabant, & Foroiulienſibus finitimi erant,Balderico ſe dediderunt, quos imitati Carantani in fidem redierunt. In Italico mari octo naues negotiatorum de Sardinia ad Italiam reuertentium à piratis captæ,atque demerſæ ſunt. Et Sarraceni in Siciliam delati Panormum ceperunt. Ludouico inde Aquis hiemante,Leo Impe-
821 rator per dies Natalicios à Michaele Balbo occiſus eſt. Imperium ipſe ſibi Michael vindicauit. Hic Nicephoro patriarchæ ſanctarū imaginum reſtitutionem poſtulanti reſcripſit,ſe neque vllum de fide decretum conuellere, nec quæ recepta iam vſu eſſent, reuocare velle. per ſe ſuo cuique iudicio de religione vti licere. neque tamen in hac ſententia

perſtitit.

perſtitit. nam, quamdiu in Imperio fuit, bellum cum Chriſtianis crudeliſsimum, nedum cum Catholicis geſsit. ſi quidem monachos alios ſupplicijs, alios carcere, alios exilio afflictauit; Methodium, qui poſt ad patriarchatum euectus eſt, in inſulam relegatum cuſtodiæ tradidit; Euthymium Sardenſium epiſcopum flagris cæſum necauit, vno illo crimine, quòd cultum ſanctis imaginibus adhiberent. quantò verò acrius Chriſtianos oppreſsit, tantò plus Iudæos tributorum, ac vectigalium immunitatibus alleuauit. quin etiam, cum Copronymum tanquam præclarum ſanctitatis exemplum ſibi imitandum ſuſcepiſſet, ad extremum impietatis euaſit. Itaque modò ſabbati ieiunium præcipere, modò linguâ aduerſus prophetas acuere, aliàs futuram reſurrectionem negare,& bona,quę nobis ex ea promittuntur,illudere,aliàs diabolum nullum eſſe contendere, quòd de eo ſcriptum apud Moyſem nihil eſſet. Idem fornicationes amplexus ſacramenta per Deum concepta probauit, & Iudam inter eos,qui ſalui ſint,retulit. quin & paſcha perperam, & præter tempus à nobis celebrari dixit, & omnino noſtram ſacrarum rerum inſtitutionem repudiauit. litteras adeo auerſatus eſt, vt ne pueros quidem ijs permiſerit erudiri, ne quis ex ijs aut ſtultitiam ſuam arguere, aut oculorum, & linguæ velocitate ſibi laudem in legendo poſſet præripere. Ludouicus,conuentu menſe Maio Nouiomagi habito,regnorum partitionem inter filios ſanctam ipſorum procerum ſacramento firmauit. & legatos Pontificis,Petrum Centumcellenſem epiſcopum; & Leonem Nomenclatorem audiuit. & duces, exercitusq́; ad annuam expeditionem Pannonicam deſtinauit. per autumnum inde in Vogeſi ſaltu venatione ſe oblectauit. Ibi de Leone Imperatore occiſo, & Michaele ſubſtituto nuncius eſt acceptus. Vrſus epiſcopus Oliuolenſis, ſeu Venetiarum creatus baſilicam S. Petri in Oliuola ſedem eccleſiæ inchoauit. Fortunatus patriarcha Gradenſis apud Ludouicum accuſatus, quòd Liudeuitum ad perſeuerandum in pertinacia hortaretur, atque adeſſe ad aulam eo nomine iuſſus Iaderam vrbem Dalmatiæ aufugit. ac, naui cōſcenſa, Conſtantinopolim ope Ioannis illius prouinciæ præfecti contendit. Octobri menſe, cum conuentus apud Theodonis villam ageretur, Lotharius Ludouici filius Hirmingardem Hugonis Comitis filiam duxit. eæ nuptiæ cum aliorum, tum in primis legatorum pontificiorum Theodori primicerij,& Flori præſentia honeſtatæ. affuere quoque Duces, qui populata Pannonia, pugnandi nulla facultate ab hoſte data, reuerſi erant. in tanta gratulatione Ludouicus ijs, qui cum Bernardo coniurauerant, ad ſe productis non ſolùm vitæ, ſed etiam bonorum, quæ redacta in publicum fuerant, gratiam fe-

822 cit. atque inde Aquas hibernatum ſe rettulit. Ibi ſedens VI Idus Februarias Adeodato epiſcopo Mutinenſi confirmauit omnia prædia, atque omnia iura, quæ ſuperiores Reges eccleſiæ Mutinenſi indulſerant, Cunipertus, Luitprandus, Hildebrandus, Rachis, Deſiderius, & genitor ſuus Carolus, ſanciens, *ne quis iudex publicus aut Comes, aut gaſtaldius ſuper his litem mouere poſſet. & vt in demortui epiſcopi locum, ſi quis illo honore dignus in clero reperiretur, ipſi ſuis ſuffragijs deligere epiſcopum poſſent.* Vinigiſus Dux Spoletanus iam ætate confectus rebus ſe abdicās humanis monachum induit. neque ita multò poſt morbo oppreſſus, nulla virili ſtirpe relicta, migrauit è vita. In eius locum Suppo Brixiæ Comes Dux factus. Liudeuitus ad Franci exercitus incurſionem in Pannoniam factam, Siſciæ oppido relicto, ad Sorabos in Dalmatiam ſe recepit. & Duce vno eorum, à quibus exceptus fuerat, interfecto, oppidum eius in ditionem adduxit. & miſſis ad exercitum Ludouici legatis, ſe in conſpectum eius venire velle oſtendit. Ludouicus menſe Auguſto conuentum Attinaci habuit. in quo omnia, quæ à patre ſuò, aut à ſe per iram aduerſus inſidiatores capitis ſui acta erant, emendare ſeueritatem auerſatus contendit. ac Lotharium filium Regem Italiæ deſtinatum in Italiam ad coronam accipiendam, & iura reddenda populis miſit, quæ poſt Bernardi damnationem præſentia Regis caruerat. eique cum ceterorum, tum in primis Romanæ Eccleſiæ ſalutem, ac dignitatem commendauit. atque autumnali venatione peracta, trans Rhenum Francfordiam in hiberna conceſſit. Ibi in conuentu populorum ſuorum legationes auditæ.

IDEM LVDOVICVS REX, ET IMP. CVM LOTHARIO F. REGE, ET IMPERATORE.

Lotharivs iuſſu patris in Italiam proficiſcens frequenti occurſu populorum excipitur, ac ritè ab archiepiſcopo Rex Modoetiæ coronatur. Inde ad ius dicendum conuerſus breui moderatione, ac iuſtitia ſua
823 effecit, vt meritò eſſet omnibus acceptiſſimus. Itaque proximo anno, cum à patre, nondum abſoluta iuriſdictione, reuocaretur, Paſchalis pontifex eum Romam acciuit, ac benignè acceptum die ipſo Paſcharis magna cæremonia Regem, & Imperatorem, impoſita de more corona, inunxit. quo facto ille ſtatim Papiam, atque inde menſe Iunio ad patrem ſe recepit, alterum Francfordiæ conuentum agentem. Ibi cum inchoatam iuriſdictionē ſe non abſoluiſſe diceret, Ludouicus primo quoque tempore legatos ad eam abſoluendam Adelardum Palatii, & Mauringum Brixiæ Comites miſit, & Drogonem fratrem ſuum eccleſiæ Me-

tenſi archiepiſcopum ſuffragiis cleri præfecit. Dimiſſo conuentu, nuncius eſt allatus, Liudeuitum in Dalmatia dolo eſſe necatum; Romæ verò Theodorum primicerium, & Leonem Nomenclatorem illius generum, quia Lotharii partibus ſtuderent, in Patriarchio Lateranenſi primùm oculis, deinde vita eſſe orbatos. idque facinus dici, aut iuſſu, aut conſilio Pontificis eſſe patratum. Itaque ad eam rem explorandam Ludouicus legatos ſubitò deſtinauit. verùm, eis nondum profectis, legati à Paſchali aduenere, Ioannes epiſcopus Syluæ Candidæ, & Benedictus archidiaconus rogantes Imperatorem, vt talem, quæ ferebatur, auerteret à Paſchali ſuſpicionem. quibus cum idoneo reſponſo dimiſſis, legatos ſuos ad rem cognoſcendam extemplo diſcedere imperauit. Interim Paſchalis ægrè paſſus, ſe eiuſmodi crimine innoxium onerari, epiſcopos vicinos acciuit, atque eis præſentibus ſe ſolemni concepto, Leonis more, ſacramento purgauit, atque eos, qui interfecti fuerant, velut maieſtatis reos iure cæſos eſſe pronunciauit, legatoſque rurſus ad Ludouicum, qui omnium rerum actarum rationem ederent, miſit. Itaque venientes Ludouici legati veritatem non ſolùm eruere, ſed ne inueſtigare quidem ſatis potuere. Eodem anno prodigia multa nunciata ægras hominum mentes magnopere perculerunt. in primis in oppido lacus Comenſis, Grabadona imago Sanctæ Virginis puerũ IESVM gremio continens, ac Magos munera offerentes excipiens in abſide ædis S. Io. Baptiſtæ depicta, ſed nimia iam vetuſtate obſoleſcens tanta claritate per duorum dierum ſpatium fulſit, vt ſplendorem nouæ picturæ omnium aſpectantium iudicio ſuperaret, Magorum tamen imaginibus in priſtina obſcuritate manentibus. Multis etiam in locis ſæua cum grandine ingentis ponderis lapides deciderunt. ædificiaque de cælo tacta, atque homines, & pecora fulminum ictu paſſim exanimata ſunt. Hæc grauiſſimam, quæ inſequuta eſt, peſtilentiam portendere iudicata. Hiems aſpera, & ſolito longior non ſolùm pecudes, ſed etiam homines multos frigore abſumpſit. Poſtero anno legati Pontificis Romam 824
regreſſi eundem grauiter affectum inuenerunt, eo verò paucos intra dies pridie Idus Maii morte extincto, Romani de more conuocati duos diuiſis inter ſe voluntatibus ſublegerunt. quorum alter Eugenius archipresbyter S. Sabinæ, præualente nobilitate, in ſeditione conſecrationem accepit. Cuius rei nuncio ab ipſo accepto, Ludouicus conuentum per Iulium menſem Compendii habuit, atque eo perfecto, Lotharium regem in Italiam remiſit, vt ſuo nomine cum nouo Pontifice, populoque Ro. conſtitueret, quæ in rem Eccleſiæ, atque Italiæ viderentur. atque ipſe exercitum aduerſus Brittones duxit. Lotharius poſt Idus Augusti

profectus eſt. ipſe, Brittonico bello confecto, xv Kalendas Decembris Rotomagum regreſſus legatos Michaelis Imperatoris, & Fortunatum patriarcham Gradenſem audiuit. Legati litteras cum donis reddentes ſe pacis componendæ cauſſa miſſos eſſe dixerunt, addentes de veneratione ſanctarum imaginum, propter quam ſe Romam ire iuſſos eſſe ſi-
825 gnificarunt. Fortunatus cauſſam fugæ ſuæ excuſare ingreſſus Romam ad eam probandam Pontifici cum legatis dimiſſus haud ita multò poſt obijt. inde Aquas ad hiemandum perrectum. Eodem anno Petronax eccleſiam Rauennatem, & Anſelmus Mediolanenſem accepit. Poſtero, Lotharius in Italia Supponi Spoletano Duci mortuo Adelardum, qui Comes Palatij erat, ſuffecit. quo intra quinque menſes febris languore conſumpto, Mauringum Brixiæ Comitem, qui pariter ius dicendo magnam laudem pepererat, ſubrogauit. qui nuncio collati honoris accepto decubuit, & poſt paucos dies vitam finiuit. Romam demum progreſſus, atque ab Eugenio benignè exceptus, patris voluntate nudata, res ciuitatis Romanæ compoſuit, in primis qui fortunis ſuis euerſi fuerant, in integrum reſtitutis, legesq́; ex Eugenij auctoritate ad baſilicam Vaticanam conſcripſit. Ex quibus hanc inſerere hoc loco placet ad comitia Pontificum, & res Eccleſiaſticas pertinentem: *Volumus, vt ad electionem Pontificis nemo audeat venire neque liber, neque ſeruus, qui aliquod impedimentum inferat, exceptis illis tantùm Romanis, quibus antiqua fuit conſuetudo conceſſa per conſtitutionem ſanctorum patrum eligendi Pontificem. Quòd ſi quis contra noſtram iuſsionem facere auſus fuerit, exilio afficiatur. Volumus, vt cunctus populus Romanus interrogetur, qua lege velit viuere, vt ea, qua profeſſus ſit viuere velle, viuat. eique denuncietur, vt hoc vnuſquiſque ſciat tam Duces, quàm Iudices, vel reliquus populus. Quod ſi in offenſionem ſuam contra eandem legem fecerint, eidem legi, qua profitentur, ex conſtitutione Pontificis, & noſtra ſubiacebunt. De rebus eccleſiarum iniuſtè occupatis per occaſionem quaſi licentia accepta à Pontifice, & de ijs, quæ nec dum redditæ ſunt, & tamen fuerunt à poteſtate Pontificum occupatæ, volumus, vt per legatos noſtros reſtituantur. Placet nobis, vt cuncti iudices, ſiue ij, qui cunctis præeſſe debent, per quos iudiciaria poteſtas in hac vrbe Roma exercetur, aut in ceteris prouincijs exerceri debet, in præſentiam noſtram veniant. Volumus numerum, & nomina eorum ſcire, & ſingulos de munere ſibi credito admonere. Nouiſsimè admonemus, vt omnes homines, ſicut Dei gratiam, & noſtram habere deſiderant, ita præſtent in omnibus obedientiam, ac reuerentiam huic Pontifici.* Illud etiam propter tumultus ſuperiores adiectum videtur, vt ad vitanda comitiorum diſsidia aut legati Regis, aut Rex ipſe, ſi in vrbe adeſſent, conſecrationi intereſſent. ſic enim ſubſequentibus annis eſt obſeruatum, & po-

ſtremò noua etiam lege ſancitum. Proditum eſt etiam memoriæ, Lotharium pro foribus baſilicæ Vaticanæ de feudis ſtatuiſſe conſilio ſapientum Mediolani, Papiæ, Cremonæ, Mantuæ, Veronæ, Taruiſii, Patauii, Vicetiæ, Parmæ, Lucæ, Piſarum, Syponti, Marchionum, Ducum, & Valuaſſorum maiorum. Ludouicus, Paſchate Aquis celebrato, Nouiomagum venationis cauſſa perrexit. deinde Aquas ad conuentum habendum repetiit. quo dimiſſo, Vogeſum venandi cauſſa profectus Lotharium in Italia regreſſum excepit. ac confecta venatione, Aquas reuertit. Ibi Venerius, qui in locum Fortunati patriarchæ Gradenſis erat ſuffectus, miſſis nunciis confirmationem priuilegii à Carolo eccleſiæ Gradenſi conceſsi à Ludouico, & Lothario impetrauit. Sequenti anno Ludouicus Aquis circa Idus Maii egreſſus ad Kal. Iunias ad Ingelenheim venit. Eo in loco frequenti conuentu ex diuerſis terrarum partibus legationes auditæ. inter eas præcipua fuit pontificia, quam Leo Centumcellenſis epiſcopus cum Theophylacto Nomenclatore obiuit. Inde trans Rhenum ad oppidum Saliſburgum profectus, legatos Neapolitanorum habuit obuios, tranſactaque autumnali venatione ad Kalend. Octobris ſecundo Moeno Francfordiam nauigauit, & medio Octobri alterum ad Ingelenheim conuentum habuit. atque inde hibernorum cauſſa Aquas petiuit. Inſequenti anno menſe Auguſto Eugenius pontifex mortuus. atque in eius locum Valentinus ſuffectus. qui in pontificatu vix menſem expleuit. Eo vita functo, Gregorius presbyter S. Marci ab omnibus, ſed inuitus, ſublectus, & Quartus vocatus. Verùm, quoniam legatus Regis aberat, nō prius eſt conſecratus, quàm is in vrbem rediens, cuiuſmodi ea comitia fuiſſent, ex noua lege quæſiuit. Ab eo pallium Venerio patriarchæ conceſſum. Legati Michaelis Imperatoris Septembri menſe Ludouicum Compendii conuenerūt, ac mandatis editis magna comitate dimiſsi ſunt. Aquę inde à Ludouico repetitæ. Ibi per menſem Februarium cōuentus peractus. in quo Baldericus Dux Foroiulienſis, quòd ſuperioris Pannoniæ fines ignauia ſua vri à Bulgaris eſſet paſſus, Ducatus honore priuatus eſt, marchia ipſa duodecim Comitibus iterum diſtributa. qua in re Lotharius inſignem ſe accepiſſe à patre iniuriam eſt arbitratus. Halitgarius Cameracenſis epiſcopus, & Anſfridus abbas Nonantulanus Conſtantinopolim cum legatione miſſi honorificè à Michaele ſuſcepti ſunt. Ludouicus, conuentu ad Ingelenheim habito, Quirino Primicerio, & Teophylacto Nomenclatore pontificiis legatis auditis, in Theodonis villam perrexit, atque inde Lotharium cum magnis copiis ad Hiſpanicam marcham aduerſus Sarracenos tuendam miſit. Bonifacius Comes, cui Corſicæ in-

826 (beside "ſiæ Gradenſi … Sequenti anno")
827 (beside "bernorum cauſſa Aquas petiuit. Inſequenti anno")
828 (beside "titæ. Ibi per menſem Februarium")

ſulæ tuendæ cura erat mandata, aſſumpto fratre Berthario, atque aliis quibuſdam è Tuſcia ſociis parua claſſe Corſicam, & Sardiniam perluſtrauit,& nullo ibi prædone reperto,in Africam prouectus inter Vticā, & Carthaginem ingentem incolarum manum occurrentem variis prœliis concidit. ac maximum Afris terrorem incuſsit. Michael Imperator Sarracenis ad Siciliam curſu incitato tendentibus, auxiliis à Iuſtiniano Duce Venetorum acceptis,occurrit. Ludouicus ad feſtum diem S. Martini Aquas in hiberna regreſſus diuerſis conuentibus habēdis res regno opportunas conſtituere inſtitit. Eo anno corpus S. Marci Euangeliſtæ Venetias Alexandria delatum,& magno honore à ciuitate tota ex-
829 ceptum. Sequenti, Iuſtinianus Dux eſt mortuus, atque ei Ioannes frater ſuffectus. quo ſedente,baſilica Ducali prætorio continens in honorem Euangeliſtæ conſtrui cœpta corpus eius recepit. Bonus eccleſiæ Mediolanenſi præfectus. Ludouicus menſe Auguſto ad generalem Vormaciæ conuentum proceſsit. Ibi oblata annua dona recepta, & legationes Roma, & Beneuento,aliiſque longinquis è terris auditæ. & Lotharius in Italiam dimiſſus. Eodem anno Michaele Imperatore Kal. Octobris extincto,Imperium Theophilus filius eius excepit. qui ſuperiores omnes Imperatores immanitate aduerſus eos, qui ſanctas tuebātur imagines, ſuperauit. Nam Leo Iſaurus, & Copronymus filius tantùm,ne cultus eis adhiberetur,& Michael pater eius, ne vlli imagini nomen Sancti ſubſcriberetur, edixerant. Theophilus autem omnino pingi eas noluit, & in templis pro Sanctis pecudes,& aues reponi præcepit. & quos in earum veneratione perſeuerare animaduertit, eos in carcere fame,ac ſiti confecit. Monachos verò vrbium aditu prohibuit,monaſteriis profanis hominibus ad incolendum conceſsis. præcipuè autem monachi Abrahamitæ monachorum, & imaginum tueri cauſſam ingreſsi, quòd S. Lucas Deiparæ imaginem depinxiſſet, & Chriſtus ipſe effigiem ſuam ſine manus opere expreſſam nobis in linteo reliquiſſet, poſt diros cruciatus morte affecti ſunt. Quin etiam ſæua pictorum inſectatio fuit, ſed ante omnes ſanctorum virorum Theophanis, Theodori,& Methodii,qui hoc nomine in exilium pulſi ſunt, inſignis conſtantia floruit. Hæc aduerſus Catholicos per eos dies fœdè Theophilus,vir alioquin iuſtitia,& multis aliis naturæ bonis memoratu digniſsimus. Dum hæc in Oriente tam impiè, & impotenter adminiſtran-
830 tur, ne Occidentis quidem ſatis quietæ res fuerunt. Annus enim, qui ſubſequutus eſt,octingenteſimus triceſimus tumultum in Francia memorabilem attulit. Per dies Quadrageſimæ,cum Ludouicus loca mari vicina obiret,regni proceres aliquot fœdere inter ſe inito coniurarunt.

ac compoſitis rei agendæ conſiliis Pipinum regem adierunt, docentes, non ſolùm ceteros,ſed ipſum etiam à Ludouico patre contemni, vnum à cubiculo Berhardum prope in aula regia dominari, non virtutis ope, ſed turpibus reginæ amoribus infinitam illam gratiam,atque auctoritatem adeptum. Quod probrum quando pater blanditiis muliebribus, quaſi quibuſdam præſtigiis,captus non modò non auerteret,ſed neque etiam animaduerteret, optimi filii partes eſſe, quem vnum hæc in primis attingant,primo quoque tempore obuiam ire, ac patrem tanta labe infamiæ liberare. ſi hoc ipſe perficeret, fore, vt inſignem non ſolùm virtutis famam,ſed etiam ingentem apud omnes gratiam ſibi pareret. Quibus verbis iuuenis temere incitatus ſe totum eorum conſiliis tradidit. & contractis quibuſdam copiis vnà cum eis Verimbriam,patrem, & nouercam cum amatore vlturus, aduenit. Eo nuncio Ludouicus attonitus continuò Berhardo fuga ſibi conſulere,& Iudithe in monaſterium ſecuritatis cauſſa ſe includere iuſsis,Compendium petiit. Re comperta,coniurati conſilio capto Iudithem è monaſterio ad ſe educi iuſſerunt,ac variis minis exterritam docuerunt, nullam aliam ſaluti eius viã patere, quàm vt ipſa monaſticam vitam iniret, atque idem facere Ludouicum perſuaderet. Cum ſe facturam vtrunque cõſtantiſsimè ſpopondiſſet, liberata ad Ludouicum proceſsit, & ſumma cum fide promiſſa perſoluit. Ludouicus, cum ſe quid ſibi faciendum eſſet, deliberaturum dixiſſet,ipſi,vt vitandi periculi cauſſa ſe velaret,auctor fuit. Ita ad coniuratos reuerſa iuſſu eorum monaſterium S. Cunegundis iniuit. Ad harum rerum nuncium Lotharius excitus repente menſe Maio ex Italia aduolauit, ac ſtatim à coniuratis corruptus omnia,quæ acta erãt, vt iuſtè facta,laudauit. Ita æſtas his difficultatibus acta. Ex conſenſu inde vtriuſque partis ſuccedente autumno conuentus Neomagum Frãcis,& Germanis proceribus eſt indictus. Cum omnes conueniſſent,Ludouicus per diuerſas cauſſas, quos ſibi maximè infeſtos putabat, è conuentu pellere aſtutè inſtituit. Qua re animaduerſa,coniurati conſilium aliò ſeccedendi ceperunt. Tum Ludouicus Lotharium arripuit,ac leniter caſtigatum produxit ad populum,placidaque oratione furorem eorum in præſens compeſcuit. Seditione ſedata,coniurationis principes comprehenſi. Cum conſtituto iudicio rei capitalis damnati omnes eſſent, tamen mitiore pœna decreta, laici tonderi, reliqui in monaſteriis aſſeruari iuſsi. Inde Aquas in hiberna conceſſum. Eodem anno Obelerius,quem Ducatu, & patria deturbatum demonſtrauimus, Conſtantinopoli reuerſus oppidum Viglæ in Iſtria Ducatus recuperandi animo occupauit. Quo cognito Ioannes Dux exercitum eò Venetorum

adduxit,

adduxit, atque vrbem oppugnare ſumma ope inſtiruit. A Metamaucenſibus, cum ſe ad Obelerium ciuem ſuum contuliſſent, deſertus, ferro caſtra mouit, ac Metamaucum adortus incendio deformauit. atque obſidione Vigliæ repetita, Obelerium in poteſtatem adductum ſuſpendio pridie Paſchatis interemit. Maxentius patriarcha Aquileienſis Lotharij fauore ſuffultus, epiſcopos Iſtriæ Gradenſi eccleſiæ ſubtrahere conatus ne Gregorii quidem Pontificis interdicto quieuit. Sequen-
831 ti, Ludouicus Iudithem è monaſterio reuocauit, verùm non prius vxoris loco habuit, quàm ipſa legitimè obiecta crimina expiauit. Id verò in die Purificationis effectum. Hoc modo compoſitis rebus, filii in ſua quiſque regna dimiſsi. Paſchate Aquis acto, Ingeleheim ventum. Ibi omnibus iis, qui in cuſtodias traditi fuerant, eſt ignotum. Conuentu inde in Theodonis villam translato, Berhardus, & Pipinus, vt reus, & accuſator, citati. Berhardus, cum more Francico ſe ſingulari certamine oblatum crimen diluturum eſſe profeſſus eſſet, non comparente accuſatore, ſemet ſacramento purgauit. Pipinus inde, conuentu iam dimiſſo, aduenit. Quem Ludouicus molliter caſtigare volens ſecum ad Na-
832 ralicia vſque detinuit, quæ Aquis peregit. Is haud ita multò poſt inuitum teneri ſe diutius indignatus, iniuſſu patris diſceſsit. & cum Berhardo nefariorum conſiliorum ſocietatem coiuit. Itaque Ludouicus ineunte vere ad motus quoſdam Aquitaniæ componendos profectus, conuentum Aureliis habuit, atque eò Pipinum, & Berhardum adeſſe iuſſos, illum Treuiros in liberam coſtodiam miſit, hunc honore tradito ſpoliauit. Pipinus à factione è cuſtodia emiſſus omnia libera concurſatione peragrauit, quoad pater ſub hiemem in Franciam ex Aquitania
833 rediit. Poſtero anno Pipinus, & Ludouicus in eam opinionem à coniuratis adducti ſunt, vt inſidias ſibi à patre parari arbitrarentur. Itaque copiis repente, quas potuere, contractis, bellum gerere decreuerunt. Qua re audita, haud ſegniter Ludouicus Vormaciam armato & ipſe exercitu occurrit, atque ibi conſultare, quid facto opus eſſet, inſtituit. Iampridem hos tumultus Gregorius pontifex audiuerat, atque imminentia Eccleſiæ detrimenta vehementer pro egregia ipſius pietate doluerat. Itaque cum eos motus non langueſcere, vt ſpes fuerat, ſed ingraueſcere in dies videret, conſilium cepit in Franciam proficiſcendi, &, num auctoritate ſua filios patri reconciliare poſſet, experiundi. Quare VIII Kal. Iulias, cum inſtructæ vtrinque acies ſtarent, aduenit. Eo conſpecto, arma ab vtraque parte eueſtigio religionis reuerẽtia poſita. Gregorius primùm Ludouicũ allocutus cauſſam itineris ſui expoſuit, atque omnia, quæ ad conciliandam cum filiis concordiam pertinebant, diſſe-

ruit. Inde

ruit. Inde patre ad pacem faciendam adducto, progreſſus ad filios eandẽ cauſſam orauit, verùm proter tumultum inſtantis, ac pacem aſpernantis multitudinis nihil apud eos profecit. Interim tertio Kalendas Iulias Ludouicus filios monuit, cauerent, ne ſe poteſtati furentis, ac præcipitis vulgi permitterent. Cui filii clemens in ſpeciem reſponſum reddiderunt, ſe contempta multitudine in auctoritate illius futuros, ſi ipſe ad ſe venire, & coram de rebus communibus differere, pręſente Pontifice, in animũ induxiſſet. His verbis deceptus Ludouicus ad eos perrexit, ſed ſtatim perrexiſſe pœnituit. Nã cum vxore à filiis comprehenſus ipſe in Frãcia, Iudith in oppido Derthonis Italico diligenti cuſtodiæ tradita eſt. Qubus rebus meritò offenſus Gregorius Romam re irrita ſe recepit. Pipinus inde in Aquitaniam, Ludouicus in Baioariam contendentes, Lothario, qui interim ex Italia aduenerat, ſummam totius peragendæ tragœdiæ cõmiſerunt. Lotharius ſecum patrem habens Sueſsionem, in de Kal. Octobris Cõpendium venit. Ibi cõuentu acto legatos à Theophilo Imperatore miſſos audiuit, & receptis donis cũ reſponſo dimiſit. poſtremò ex auctoritate epiſcoporũ piaculũ patri impoſuit, & indicta cauſa ante altare arma deponere, & imperio ſe abdicare coegit, & pulla veſte indutũ Aquas hibernatum deduxit. Mediolanenſis eccleſia eo anno Angilberto adminiſtranda conceſſa eſt. Magna inde rerum cõmutatio facta. Per hiemem regnorum proceres, qui coniurationis erãt expertes, miſeriis Ludouici permoti reſtituendi eius cauſſa arma ſumpſerunt, præcipuè in Francia Eggebardus Comes, & Villemus Comes ſtabuli, quàm plurimos è populo potuerunt, in cauſam deduxerunt. E Germania verò Hugo abbas in Aquitaniam profectus Pipinum ad hoc ipſum incitare contendit. Berhardus, & Varinus in Burgundia populum promiſsis erectum in verba ſua iurare iuſſerunt. Quibus rebus perceptis Lotharius ineunte vere Pariſios venit, atque omnes ſuarum partiũ homines huc adeſſe præcepit. Verùm Eggebardus Comes cum valido exercitu obuiam factus, Ludouicum vt liberaret, indixit, ni vltro faceret, per vim eſſe facturum, ac prœlio ſe rem commiſſurum. Id prœlium ne iniretur (nam accenſi vtrinque animi erant) Ludouicus ſui, ſuorumq; periculo territus precibus, atque auctoritate prohibuit. Pipinus ex Aquitania veniens, cum ad amnem Sęquanam perueniſſet, & pontes interciſos, & lintres auerſos reperiſſet, vltra progredi non potuit. Varinus, & Berhardus cum ſuis ad Matronã progreſsi aduerſis tempeſtatibus retardati, & colligendis militibus occupati diebus aliquot ſubſtiterunt. Demum Quadrageſima ineunte legatos ad Lotharium miſerunt, vt Ludouicũ dimitteret, aut bellum aduerſus ſe grauiſsimum expecta-

834

ret. Quibus Lotharius reſpondit, nemini omnium grauiores paternas ærumnas eſſe, quàm ſibi, earum verò culpam haudquaquam penes ſe reſidere, ſed penes proceres, qui ipſum deſeruiſſent, & penes epiſcopos, qui imperium abrogaſſent, atque habendum in cuſtodia cenſuiſſent. Inde, vt omnes ſe rei communi conſilio componendæ cauſſa adirent, præcepit. Verùm haud ita multò poſt mutato conſilio, patre in monaſterio S. Dionyſii relicto, in Burgundiam abiit. His actis Ludouicus eorum conſilio, qui ſecum remanſerant, vſus Auguſtalia recipere inſignia ſtatuit. itaque per epiſcopos Eccleſiæ reconciliatus, & manibus eorum armis, quæ exuerat, cinctus, iterum ſe pro Rege, & Imperatore gerere omnibus lætitia exultantibus cœpit. Cum Cariſiacum adiiſſet, media Quadrageſima Pipinum, & alios ad ſe profectos recepit in gratiam, dimiſſoque eo in Aquitaniam progreſſus Aquas Iudithem ex Italia reuocauit. Tempore inde poſt Reſurrectionem, & Pentecoſtem venationibus, & piſcationibus acto, Lingonum oppidum adiit, & Lotharium, qui non longè cum exercitu aberat, cum filio Ludouico hoſtili inſequi animo cœpit. Lotharius, cum legatis miſſis, quæ petebat, imperrare à patre non potuiſſet, retro caſtra mouit. Hunc Ludouicus breuiore itinere ad Confluentem Ligeris conſecutus, ſupplicem ad ſe venire coegit, ac paterna auctoritate acriter primùm de rebus aduerſus ſe actis increpuit, deinde miſericordiam imploranti ignouit. poſtremò in verba ſua cum proceribus ſuis iurare coactum propere in Italiam decedere imperauit, ac ſaltus Alpium, ne poſthac eas ſe inuito tranſiret, firmis impoſitis præſidiis obſeruari præcepit. Per idem tempus Sicone Beneuentano mortuo, Sicardus filius excepit Principatum. Angilbertus antiſtes Mediolanenſis vita functus, atque in eius locum Angilbertus alter ſuffectus. Ludouicus recepto Imperio ad res conſtituendas conuerſus conuentum Attiniaci habuit, in quo de rebus præcipuè Eccleſiaſticis ſanxit. Inde Natalicijs diebus cum fratre ſuo Drogone archiepiſcopo celebratis, poſt Purificationem conuentum in Theodonis villa habuit, vbi epiſcopos duos, à quibus damnatus fuerat, dignitate nudauit. reliqui in Italiam euaſerunt. Initio inde Quadrageſimæ conuentu Metis acto, à ſeptem ſe archiepiſcopis reconciliari Eccleſiæ iuſſit. Qua de re populi ingentes Deo gratias gaudio geſtientes egerunt. Poſtremò ſecundum Pentecoſten conuentus alius actus, ibi quemadmodum legati in prouincias miſſi ius dixiſſent, & latrocinia vindicaſſent, quæſiuit, & Pipinum, ac Ludouicũ acriter, tanquam bonorum oppreſſores, increpuit, atque inde Aquas ſe recepit. Interim Iudith infirma Ludouici valetudine exa-

835 (margin, beside "niaci habuit")

nimata, ac de ſe, filioq́; ſuo Carolo, ſiquid Ludouico humanitus accideret, non ſine cauſſa ſolicita, maritum hortata eſt, vt ſe alicui è filiis præcipuè commendaret, cuius fido poſt mortem eius præſidio tuta eſſet, neminem ad id aptiorem eſſe Lothario. quamobrem operam daret, vt ſui ille clientelam ſyncera fide recóciliatus ſuſciperet. Vxori iuſta, atque opportuna roganti Ludouicus obſequutus, Lotharium primo quoque tempore ad ſe venire integram gratiæ ſuę reſtitutionem pollicitus iuſſit. ſed ille graui morbo impeditus non potuit. Per hoc tempus Sarraceni vſqueadeo infeſtis incurſionibus Italiæ littora lacerarunt, vt etiam epiſcopi ire ad ea defendenda compulſi ſint. Siquidem Claudius Taurinas epiſcopus ſcribit, ſe ineunte vere ad Sarracenos à littoribus ſummouendos accurriſſe, neque magis calamo, quàm gladio ſtuduiſſe. Eius verò rei maximam culpam Lotharius tulit. Nam domum reuerſus Italiam, cuius alacria aduerſus patrem ſtudia deſiderauit, impunè ab iis vri, diripique permiſit, & Pontificem patriæ, vt rebatur, cauſſæ fautorem vexare, eccleſiasq́; bonis ſpoliare, nullo prætento iuris titulo, inſtitit. Qua re Gregorius, perinde ac par erat, commotus Ludouicum extemplo fecit certiorem. Ludouicus grauiter hoc nuncio perturbatus aduerſus Nortmanos, qui Friſiam inuaſeranr, proficiſcés, legatos ſtatim Fulconem, & Adrebaldum abbates ad Lotharium, atque Gregoriũ deſtinauit. Fulconi mandatum, vt Lotharium admoneret, ne Eccleſiam Romanam, cuius dignitatem Pipinus auus, & Carolus pater ſibi tuendam, atque augendam ingenti nominis ſui cum gloria ſuſcepiſſent, indignè à ſuis laniari, diripique permitteret. ac memoria repeteret, ſe, cũ illi regnum Italiæ tradidiſſet, ſimul etiam tutelam Romanæ Eccleſiæ commiſiſſe. denique cogitaret, quo ſe ſibi ſacramento proximè deuinxiſſet. cuius obliuione, aut negligentia prouideret, ne diuinam in ſe iram accenderet. poſtremò daret operam, vt militares annonæ, & ſtatiua ſibi parata eſſent mox in Italiam exemplo patris ad ſancta Apoſtolorum limina viſitanda venturo. Adrebaldo verò negotium datum, vt Gregorium conueniret, atque eum bono animo eſſe iuberet. nam quæ à filio aut patrata, aut permiſſa dicerentur, ſe inuito, & inſcio eſſe commiſſa. proinde ſe daturum operam, ne quid Eccleſia detrimenti acciperet. Ad hæc Lotharius in ira perſiſtens inclementer ſanè reſpondit, ſe quæ eccleſiis adempta dicerentur, alia redditurum, alia, quemadmodum reſtituerentur, rationem inire non poſſe. Gregorius autem ex Ludouici legatione tantum cepit voluptatis, vt grauiſsimi, quo premebatur, propè morbi oblitus legatos & ipſe duos ad eum ad gratias agendas, & accuſandum Lotharium miſerit. Quod vbi Lotharius ſenſit, conti-

nuò eos Bononiæ per Leonem quędam ad id miſſum curauit coercendos, ne vltra progrederentur. verùm mox omnium eiuſmodi conſiliorum, factorumq; pœnituit. ſiquidem ſæuiſſima initio Septembris oborta peſtilentia omnes, quorum hæc conſiliis egerat, optimates intra Idus Nouembres amiſit. Eodem anno Gregorii decreto commemoratio Sanctorum martyrum, quæ IIII Idus Maij celebrabatur, in Kal.
836 Nouemb. translata eſt. Poſtero Ludouicus, conuentu in Purificatione Aquis peracto, cognitionem de rebus Eccleſiæ ablatis exercuit. Hilduino abbate querente, quòd Pipinus prædia quædam S. Germani Pariſienſis in Aquitania ſita ſurripuiſſet, ex conuentus auctoritate illum increpuit, atque de imminenti Dei iudicio admonitum protinus ad ſatisfaciendum adduxit. Conuentu inde Lugdunum translato, litem Lugdunenſis, & Viennenſis eccleſiæ, quæ epiſcopo vacabant, cognouit. atque inde, autumnali venatione peracta, ad feſtum S. Martini Aquas ſe rettulit.
837 Ibi Natalis dies Domini, & Reſurrectio celebrata. Per eos dies ſtella crinita in ſigno Virginis cum maxima aſpectantium admiratione effulſit. Quo viſo Ludouicus exterritus, quòd triſte ſibi, vitæque ſuæ aliquid portendere, iudicabat, id ſacris precibus, & pijs largitionibus expiauit. ac medio Septembri conuentu Cariſiaci conuocato, Carolum filium ex Iudithe ſuſceptum enſe cinxit, & regali corona ornatum Neu-
838 ſtriæ parte donauit. Inde Aquas in hiberna receſſum. ibi Pipinum regem Aquitaniæ morte ſublatum luxit. Rebus Franciæ hunc ſtatum habentibus, Ludouicus nouis vxoris precibus fatigatus Lotharium filium iterum aduocauit. ac poſt Paſcha, cum Vormaciæ conuentum haberet, venientem ingenti comitate excepit. ac, regnis inter filios, vt ante, diuiſis, Carolum puerum, quē poſt Pipini mortem Regem Aquitaniæ fecit, & Iudithem matrem eius illi ſummopere commendauit. atque vt concordiam, pacemque inter ſe agitarent, oratos, omnes in ſua regna dimiſit. Eodem anno Petrus Tradonicus Dux Venetorum Sclauos, & Narentanos ad eorū cohibenda latrocinia fœdere illigauit. Sequen-
839 ti verò, eoſdem rupto fœdere prædantes adortus, magna accepta clade, domum receſsit. Eo anno per menſem Maium ſol obſcuratus eſt. Ceterùm, quieſcentibus ceteris, Ludouicus iunior tumultum exciuit. Quippe ſorte ſua non contentus arreptis armis omnia trans Rhenum occupare anniſus eſt. verùm occurrente cum exercitu patre, cum ſupplex veniam poſtulaſſet, ac ſe, quæ perperam egiſſet, emendaturum eſſe promitteret, inani incœpto receſsit. Eodem anno, Sicardo adhuc Beneuenti Principatum adminiſtrāte, oſſa S. Bartholemæi ex inſula Liparitana Beneuentum delata ſunt. Petronacem archiepiſcopum Ra-

uennatem mortuum Georgius eſt ſubſequutus. Poſtero, qui fuit à 840
Natali Chriſti octingenteſimus quadrageſimus, in Ducatu Beneuentano noua coorta ſeditio magnarum ei prouinciæ attulit calamitatum initium. Nam, Sicardo Principe à ſuis per tumultum occiſo, Adelgiſus quæſtor eius ditionem inuaſit. Capuani verò, quibus tunc Landulfus gaſtaldio præerat, cum Adelgiſum propter impotentiam eius odio haberent, Siconolfum Sicardi filium, qui Tarenti exulabat, continuò acciuerunt, ac Principem eſſe iuſſerunt. Is magna Capuanorum, & Beneuentanorum, quibus Adelgiſus inuiſus erat, manu inſtructus Salernũ vrbem adijt, eamque ſumma vi oppugnare inſtituit. Interim Ludouicus iterum à patre defecit, ac Baioaria egreſſus cum Saxonibus, ac Thuringis Alemaniam incurſauit. verùm patre poſt Paſcha ad eius comprimendos impetus accurrente, conſpectum eius non tulit, ac fuga rurſus in regnum ſuum ſeſe rettulit. Hoc Ludouici humanorum operum vltimum fuit. Nam mox ſole prodigioſè obſcurato, tantam ex ea re animo triſtitiam contraxit, vt in pernicioſum morbum inciderit. Qua re animaduerſa, Vormacia, vbi conuentum inſtituerat, ad Inſulam Moguntiæ proximam ſe deuehi iuſſit, atque ibi ſolemnibus omnibus, præſente fratre Drogone archiepiſcopo, ritu Chriſtiano peractis, XII Kal. Iulij obijt, vir ad ceteras virtutes, quibus excelluit, clementiæ, & pietatis laude inſignis, quæ ei quoque Pij cognomen apud poſteros dedit, inſignior tamen futurus, niſi extrema ætas eius crebris, & fœdis filiorum fuiſſet deformata ſeditionibus. Eodem anno Theodoſius Patricius Venetias profectus, Petrum Ducem Venetorum protoſpatharium Imperatoris conſtituit, atque auxilium eius contra Sarracenos Apuliam diuexantes poſtulauit. Miſſæ Tarentum naues, vbi Sabbas Sarracenorum princeps ſedebat, acriter prœlium cum Sarracenis commiſerunt. verùm multitudine hoſtium circunuentæ in poteſtatem cum militibus, qui ſuperſtites prœlio fuerant, peruenerunt. Ea victoria Sarraceni elati Auſerenſe oppidum in Dalmatia, & Anconitanum in Italia, capta diripuerunt, & naues Venetorum mercibus onuſtas nacti in poteſtatem cum victoribus redegerunt.

tum, Altiſsiodorenſis agri vicum, prœlio decertatur, ac tanta ſtrage ex vtraque parte pugnatur, vt non ſolùm ad prolatandos, ſed ne ad tuẽdos quidem proprios fines ſatis in Francis roboris relinquatur. Victoriæ tamen decus penes Ludouicũ, & Carolum manſit. Huic prœlio Georgium archiepiſcopum Rauennatem interfuiſſe apud quoſdam inuenio, in Franciam cum ornato equitatu, vt Ludouici filiam ſuſciperet è ſacro fonte, profectum. Lotharius è prœlio elapſus Aquas in regiam ſe recepit. Hac re animaduerſa, Ludouicus, & Carolus exercitum celerrimè reparant, atque eum inſequuti Aquas ſe oppugnare velle oſtendunt. Ea re Lotharius territus, relictis Aquis, quàm maximis poteſt, itineribus cum vxore, & filiis Lugdunum, & Viennam contendit. atque ibi reficiendo intentus exercitui ſubſtitit. Interim legatis vltro, citroque commeantibus, placuit vtrique parti inducias conſtituere, ac de rerum compoſitione diſſerere. Ita optimatibus vicenis ab vtraque parte electis ſumma rei permiſſa. Hac regum diſſenſione comperta Sclaui, & Sarraceni Africani accenſi in ſinum Adriaticum proceſſerunt. Sclaui Venetorum oppidum Caprulenſe depopulati, Sarraceni à Venetis prœlio victi Raguſium in Dalmatiam petierunt, atque eam vrbem obſidere cœperunt. Eodem anno in Campania Adelgiſus, & Siconolfus mutuis eò vſque odiis proruperunt, vt Sarracenos, qui prædonum adhuc tantùm more littora Italiæ incurſarant, acciuerint. Adelgiſus enim domeſticis opibus ſe ſuſtinere bellum poſſe diffiſus per Pandonem, qui Barrio præerat, Sarracenos Africæ euocauit, Siconolfus verò Hiſpaniæ. Sarraceni Raguſio à Pandone acciti cum eſſent circa Barrium, & oram Italiæ maritimam collocati, intempeſta nocte Barrium ex improuiſo adorti, oppidum occuparunt, atque ipſum Pandonem interemerunt. Quos Adelgiſus muneribus, atque officiis cultos ad ſui auxilium inuitauit. atque eorum ope Capuam, & Siconolfi regionem omnem vaſtauit. Siconolfus verò Hiſpanienſium auxilio vſus, omnes præter Sypontum in circuitu vrbes ab Adelgiſi amicitia reuocauit, & Salernum recepit. Sarraceni inde per triginta fermè annos Barrium tenuerũt, atque inde egreſsi nõ ſolùm omnem Apuliam, & Calabriam, quæ Græco Imperatori, ſed etiã Campaniam ipſam, quæ Principi Capuano parebat, infeſtam habuerunt, ac multa eorum ſibi oppida ſubiecerunt. Cæterùm in Græcia mortuo per Ianuarium ſequentem Imperatore Theophilo, Michael Porphyrogenitus filius eius vnà cum Theodora matre excepit Imperium. Theodora, confirmato Imperio, nihil prius habuit, quàm de hæreſi eorum, qui ſacras perſequerentur imagines, conſtituere, quæ ab Imperio Leonis Armenii vſque ad mortem Theophili Orientale Impe- 842

rium peruaſiſſet. ad eam verò extirpandam ſocium ſe Michaelis pueri tutor Theoctiſtus pollicebatur, Manuele altero tutore tergiuerſante, nec ſatis animi ſui conſilium explicante. Cum autem nemo verba de hac re facere, ſenatu, & Ianne patriarcha aduerſante, auderet, diuina oblata occaſio omnem planè hæſitationem exemit. Manuelem ſæuo, ac periculoſo morbo oppreſſum, atque à medicis deploratum monachus quidam adiit, atque eum è morbo emerſurum, & longius etiam vitæ ſpatium producturum, ſi auctoritati ſuæ obtemperare vellet, oſtendit. Facturum ſe enixè omnia, quæ ille ſtatuiſſet, Michaele dicente, Vna ſalutis tuæ, inquit, eſt via, ſi ſanctas imagines templis reſtituendas curaris. Re promiſſa repente admirantibus omnibus è morbo recreatus Theodoram conuenit, ac ſermonem de reponendis imaginibus intulit. Theodora verò aliquid contra ſenatus, & patriarchæ voluntatem immutare de religione verente, Niſi tu mihi aſſenſeris, inquit, ſcito, te, filiumque tuum breui Imperium, vitamq; amiſſurum. Qua voce perculſa ſtatim ſe in eius auctoritate futuram dixit. Ceterùm conuocato apud Theoctiſtum concilio, ac cauſſa imaginum ab vtraque parte ſanctorum patrum teſtimoniis in medium prolatis in diſceptationem adducta, Catholici victoriam rettulerunt. Itaque in eorum ſententiam decretum eſt factum, vt priſtinus imaginum ornatus templis reſtitueretur, & Ianne patriarcha abdicare coacto, Methodius, vir ſanctus, eſt ſubrogatus. Interim in Francia ſequeſtres pacis collatis capitibus rem in hunc modum compoſuerunt, vt, noua regnorum partitione facta, fratres ſua quiſque ſorte contentus pacem agitarent. Ex communi autem conſilio Carolo omnia à mari Britannico vſque ad Moſam conceſſa ſunt. Ludouico, quæcunque in Germania vltra Rhenum continerentur; Lothario Belgica, quæ Auſtraſia dicebatur, cum Burgũdia, Prouincia, Italia, Roma, & Romani Imperii titulo; Pipino verò Aquitania. Ita ad rẽ conficiendam locus, ac dies Regibus ipſis eſt conſtitutus. In Italia verò Siconolfus oppidum Beneuenti, ſed fruſtra, oppugnauit. Cum autem pecunia, vnde promiſſa Sarracenis ſtipendia penderet, non ſuppeteret, Caſſinas monaſterium adiit, ac theſaurũ, quo à Carolo, Pipino, & Ludouico Regibus donatum fuerat, mutui nomine ſumpſit. ea verò pre-
843 tioſa ſuppellex magnifici templi, atque ſacrorum altarium fuit. Poſtero anno Reges fratres in vnum locum conuenerunt. (eum inſulam Sequanæ vocat Ado, Virdunum verò vrbem Sigebertus,) ac datis, acceptisq; inuicem ſacramentis, ſe, quæ per ſequeſtres vtrinque conſtituta eſſent, rata in perpetuum habituros, pacem inter ſe inierunt. ac Carolus titulum Regis Franciæ ſibi aſciuit; Ludouicus Germaniæ, qui primùm ab eo

eſt vſur-

eſt vſurpatus; Lotharius Franciæ,& Italiæ; Pipinus Aquitaniæ. atque his actis Lotharius Meras in Auſtraſiam, reliqui in ſua quiſque regna reuerſi ſunt. Lotharius, cum nouo regno Auſtraſiæ, quæ pars erat Franciæ,conſtituendo ſe tradidiſſet, atque eam pro Auſtraſia Lotharingiã à ſuo nomine appellaſſet, ne Italia ſine Rege eſſet, Ludouicum filiũ natu maximũ, nouo ineunte anno, Regem Italiæ declarauit, atque Imperii ſibi conſortem, patrem, auumq; imitatus, adiunxit. Opportunè 844
autem conſilio eius mors Gregorii pontificis accidit,quem,quia viuentem offenderet, parum æquum poſtulato ſuo ſe præbiturum putabat. Mortuus eſt autem VIII Kal. Februarias. atque ei IIII Idus Sergius ſecundus à clero, & optimatibus eſt ſuffectus. Id verò vbi Sergij litteris accepit Lotharius, continuò Ludouicum cum ornatiſſimo in Italiam exercitu iuſsit contendere, ac regia, atque Imperatoria inſignia à nouo Pontifice poſtulare. atque ei Drogonem Meteſem archiepiſcopum patruum ſuum comitem itineris, & iuuenilis moderatorem ætatis adiunxit. Ludouicus ineunte vere iter ingreſſus, cum in Italiam deſcendiſſet, quanquam mitis ingenii iuuenis,inſolentia tamen ætatis elatus Lombardiam liberiore, quàm par erat, agmine peragrauit, Drogone ipſo non ſolùm non prohibente, ſed propè etiam approbante. Bononiam verò vbi aduenit,cum malè ab oppidanis acciperetur, ira percitus exercitum vrbi admouit,atque imparatam ciuitatem adortus,vrbem leui negotio expugnauit,ac muris ad victoriæ monumentum, pœnamq; defectionis nudauit. tantas porrò in agro ſtrages edidit, vt finitimi populi hoſtili, atque inuſitata Francorum feritate perterrefacti proprias ſedes deſererent, atque abdita latibula incolumitatis cauſſa conquirerent. Neque verò tantam ſacro in antiſtite inultam negligentiam Deus longius ſiuit. Namque exercitu pari vlteriorum locorum cum vaſtitate ad Pontem Capellæ progreſſo,repente ex læta ſerenitate nimbus obſcuriſsimus ortus,horrenda procellarum, fulminumq; vi ſecum adducta,multos ex ipſius Drogonis comitibus perculit. Quo prodigio etſi Franci haud leuiter commoti animis ſunt,nequaquã tamen inſita ferocitate depoſita, ſuperbo ire ad vrbem agmine perrexerunt. Sergius,vbi alienum Ludouici armati aduentum,ac res in itinere per impotentiam animi geſtas accepit,haud mediocriter miratus extimuit. & tamen conſueto illum honore excipere ſtatuit. Appetebat dies poſt Pentecoſten octaua. Ea igitur die regio aduentanti ad vrbem adoleſcenti tria obuiam agmina miſit, atque ipſe ſummis baſilicæ Vaticanæ in gradibus de more, ſacro ipſo clero vndique circunfuſo, aſſedit. primùm vniuerſi iudices cum vexillis ad nouem ferme millia paſſuum occurrerunt. deinde omnes mi-

litiæ ſcholæ decoras laudes canentes cum patronis ad primum lapidē, poſtremò auguſtæ cum ſignis cruces ad portam vrbis præſto fuere. Ille verò, poſtquàm ſacratas cruces aſpexit, protinus ex equo deſcendit, ac populo, iudicibus, & ſcholis præcedere iuſsis, ad baſilicam Vaticanam pedeſtris exemplum proaui ſui Caroli imitatus acceſsit. & per gradus ad Pontificem progreſſus oſculum ſancto pedi infixit. ac, dextera eius apprehenſa, ad poſtes ædis argenteos prodiit. Tum pontifex ſui memor omnes templi præcludi ianuas iuſsit, atque illum intuens, Ludouice, inquit, ſi pacis, ac ſalutis Eccleſiæ cauſſa veniſti, iuſſu meo hæ tibi portæ patebunt, ſin minus, nunquam per me tibi aperientur. Cum autem Ludouicus ſe puro, ac ſyncero erga Eccleſiam animo, patris, proauiq; exemplo, veniſſe reſpōdiſſet, tum patefactis ad nutum Pontificis oſtiis, ædem ingreſſus ad Confeſsionem acceſsit, vniuerſo clero, *Benedictum eſſe, qui veniret in nomine Domini*, concinente. atque inde gratiis Deo ſuppliciter actis, & luſtrato ſalutari carmine per Pontificem populo, ad ſua vterque hoſpitia ſe recepit. Interim Franci, qui in caſtris extra vrbem vetere de more remanſerant, eadem impotentia vſi ſuburbana ædificia omnia lacerarunt, atque fruges, ſegeteſque omnes more hoſtium corruperunt. Itaque eos vrbem inire, atque auguſta Dei templa inuiſere cupientes Pontifex obſeratis, munitisq; portis inhibuit.

LOTHARIVS CVM LVDOVICO F. IMP. ET REX.

Poſtulato inde colloquio, Ludouicus nomine Lotharii patris à Pontifice petiit, vt ſe exemplo iam ſemel, atque iterū vſurpato regiis, atque Imperatoriis inſignibus decoraret. Cui Pontifex benignè, ſe obſecuturum, reſpondit. itaque ſequente dominica epiſcopis, abbatibus, & proceribus Francis, qui cum eo vrbem inierant, in eadem baſilica conuocatis, rem diuinam facere ingreſſus ipſum oleo ſancto perunxit, & regali, atque Imperiali corona decoratum Regem Italiæ, atque Imperatorem, populo lætis Auguſtum ſæpe vocibus acclamante, pronunciauit. atque inde ſacra peregit. Proditum memoriæ eſt, hanc rem tanta ex omnibus Italiæ partibus principum, populorumq; frequentia celebratam, vt præ multitudine hominū maturæ ſegetes maximum in agris detrimentum acceperint. Inter ceteros Siconolfus, qui ſe Principem Beneuentanum ferebat, cum magno exercitu venit, ac benignè à Rege, ac Pōtifice acceptus, facilè quæcūque petiit, impetrauit. Ludouicum à Sergio non regem ſolùm, vt ſcribi-

Anaſtaſius,ſed etiam Imperatorem inunctum præter Adonem ſcriptorem horum temporum æqualem,& Leonem Oſtienſem, vetera etiam Lotharii diplomata fidem faciunt, in quibus anni Imperii eius cum annis Imperii filii ita iunguntur, vt facilè appareat, Ludouici Imperium in Italia hoc anno habuiſſe initium. His actis Ludouicus Papiam ſeſe retulit,ac iura populis reddere, & eccleſiis priuilegia indulgere regio more inſtituit. Eodem anno Angilbertus Mediolanenſis archiepiſcopus ab Eccleſia Romana parum comperta de cauſſa deſciuit, tantumq; exemplo in poſterum valuit, vt non niſi poſt ducentos annos Eccleſia Mediolanenſis ad Romanæ obedientiam, auctoritatemq; redierit. Sequens nulla re memorabili ſiue à Ludouico in Italia, ſiue à Lothario in 845
Lotharingia geſta fuit inſignis. Legi diploma Lotharii hoc anno datũ Cariſiaco IIII *Idus Ianuarias anno*, vt ſubſcriptum eſt, *Lotharij Auguſti in Italia* XXII, *in Francia ſecundo, & Ludouici Imperatoris primo*: item alterum VII *Idus Septembris datum* [illegible] *villa, Palatio regio, anno Imperij Lotharij in Italia* XXII, *in Francia ſecundo*. Oblectatus eſt enim ſede Tranſalpina poſthac Lotharius ita, vt, dum uixit, Italiam non attigerit, ac Ludouico ſummam rerum Italicarum permiſerit. Poſterò anno An- 846
dreas Aquileienſi eccleſiæ eſt præfectus. Sergius litem, quæ inter Aquileienſem,& Gradenſem eccleſiam propter Iſtriæ eccleſias orta erat, ſedare cupiens litteras ad patriarcham Venerium Gradenſem, & Andreã Aquileienſem ſcripſit, eoſque nihil vltra contendere, ſed concilio adeſſe, quod ipſe præſente Imperatore habiturus erat, edixit. Erembertus vir illuſtris corpus S. Primi martyris à Sergio pontifice acceptum cum magna pompa Mediolanum deportauit, & cum relliquiis S. Feliciani iuſſu Angilberti archiepiſcopi condidit. Eodem anno inſigne Romana Eccleſia accepit detrimentum. Quippe Sarraceni prædæ libidine ſtimulati ex Africa claſſem Romanis littoribus intulerunt, & procurſu ad vrbem facto, opimas apoſtolorum Petri, & Pauli ſuburbanas baſilicas, nemine vim propulſante, diripuerunt. ac, pretioſis omnibus earum ornamentis ablatis, ipſas etiam baſilicæ Vaticanæ valuas argenteas abſportarunt. Appia inde via digreſſi Fundos petiere, oppidoque ſuccenſo, & ciuibus aut morte, aut ſeruitute multatis prope Caietam conſedere. Ea re audita Ludouicus Vidonem Ducem Spoletanum cum exercitu auxilio accurrere iuſſit, ſed Spoletanis conſerto prœlio in fugam compulſis minus opinione profecit. Erat autem Ludouicus in Lombardia iure dicendo populis occupatus. Quod apparet ex diplomate ſequenti 847
anno VIII Kal. Martias Mantuæ dato. cui ita ſubſcriptum eſt. *Anno Imperij Lotharij* XXIII, *Ludouici Auguſti in Italia* III. *Mantua, Palatio regio*.

Eo anno Methodio patriarcha Conſtantinopolis mortuo, Ignatius, Michaelis Balbi quondam Imperatoris filius,ad eam dignitatem euehitur. cuius cauſſa maximæ inde inter duas Eccleſias Romanam, & Conſtantinopolitanam exarſere contentiones. Pridie Idus Aprilis Sergius pontifex moritur. Ea re Romani perculſi, quòd Sarraceni adhuc in Italia prædabantur, nondum iuſtis Sergio perſolutis,de ſucceſſore, qui tantis malis conſilio, atque auctoritate occurreret,conſultare cœperũt. Et, quoniam res nullam eximere horam patiebatur, eodem die in ædem Quattuor Coronatorum conuenientes presbyterum eius eccleſiæ Cardinalem, nomine Leonem ſpectatæ ſanctitatis, ac prudentiæ virum vno animorum conſenſu Pötificem delegerunt,atque inuitum tantam ſuſcipere prouinciam coegerunt. ac ſubitò, nouo direptionis imminente periculo,ſine permiſſu Principis conſecrarunt. Is Leo quartus vocatus. Sarraceni, cum armis ad egregia Campaniæ monaſteria circumlatis in primis opulentiſsimum omnium Caſsinas ante profectionem expilare ſtatuiſſent, ad flumen proximum ſub noctem acceſſerunt. poſtridie verò rranare cupientes,effuſo repente per noctem imbre latè adeo reſtagnaſſe omnia repererunt, vt quod pridie pedibus vadabatur, mox traijci,non niſi maximis præparatis lintribus,poſſet. Ita citerioribus cellis incenſis frementes, quòd tantæ iacturam prædæ feciſſent,ad mare profecti naues conſcendere,verùm ſæua coorta tempeſtate iactati optatum tenere curſum nequiuere, ſed plerique fœdis factis naufragiis periere, ſanctis ipſis Apoſtolis iniquã templorum ſuorũ direptionem præſenti ſuo numine punientibus. Per eoſdem dies Deus dedit ad eccleſiam Rauennatẽ peruenit, Et eodem anno Indictione decima vehementi adeo motu terra concuſſa eſt,vt ſæuiorẽ Romani non meminiſſent. Aeſernia pene tota procubuit,& magna pars populi cum ipſo epiſcopo inſanis ædificiorum ruinis obruta eſt. Ceterùm Leo pontificatus ſui principio magnam ſanctitatis, ac prudentiæ ſuæ declarandæ materiam nactus eſt. Romæ iuxta ædem S. Luciæ baſiliſcus,dirũ ſerpentis genus,eſt ortus, qui venenato ſpiritu ſuo omnibus, qui ad cauernam eius accedebant, repentinum afferebat interitum. Itaque trepidantibus ad tantum periculum vniuerſis Pontifex,ſolemni ieiunio,ac precatione perfectis,in die Aſſumptionis è Patriarchio exiit,& cũ hymnis,ac canticis ſancta præcedente imagine ad baſilicam S.Hadriani martyris pedibus cum clero proceſsit. Inde ad baſilicam S.Virginis ad Præſepe perrexit, &, cum ad ſpecum,vbi cubare ſerpens dicebatur,appropinquaſſet, caterua fidelium, qua ſtipabatur, ſubſiſtere iuſſa, interrito animo ad os ſpecus, vnde peſtifer erumpebat afflatus, acceſsit, atque

oculis,palmisq́; in cælum intentis, Deum omnipotentem, vt terra il-
la peſte populum liberaret,orauit. Quo facto repente fœdum virus il-
lud ſerpentis euanuit. Quin etiam conflatum temere in Saxonum vi-
co incendium cum vi venti flantis auctum longius ſerperet, atque om-
ni humana ope fruſtra aduerſante,Longobardorum vico comprehen-
ſo,ipſi etiam Vaticanæ baſilicæ immineret, idem propere accurrit, &
precatione,ac ſigno crucis adhibito ſubitò furentium omnẽ vim flam-
marum compeſcuit. Poſtero verò anno,profectis ex Italia Sarracenis, 848
ad baſilicas ſanctorum Petri, & Pauli nouis ornamentis honeſtandas
conuerſus,cum multis præſtantiſſimis Vaticanam donariis cumulauit,
tum Crucem in primis Caroli Magni nobilem, quæ, Paſchali ſedente,
per noctem furto ſurrepta fuerat, ex puriſſimo auro, gemmisq́; pre-
tioſis refectam non minimum decus baſilicæ Lateranenſi reſtituit. &
Victori patriarchæ Gradenſi creato pallium tribuit. Proximo, Lu- 849
douicus patrem, proauumq́; imitatus, eccleſiam Patauinam ſub pa-
trocinium ſuum recepit. Extat diploma, cuius partem aſcribere con-
ſuetudinis illuſtrandæ gratia placet: *Deprecatus eſt clementiam noſtram
Rorius epiſcopus, vt ſuam ſedem ſub noſtram defenſionem ſuſciperemus. cui ob-
ſequuti hoc noſtræ immunitatis præceptum fieri iuſsimus. quo cauemus, ne quis
Comes, gaſtaldius, vel iudex, ſeu quilibet reip. miniſter, vel quiſpiam ex iu-
diciaria poteſtate in eccleſiis, xenodochijs loca, agros, poſſeſsiones memoratæ eccle-
ſiæ, quas nunc in quibuslibet pagis, ac territorijs intra ditionem Imperij noſtri iuſtè,
ac legaliter poßidet, vel ea, quæ deinceps in iure ipſius ſancti loci voluerit diuina
pietas augeri, ad cauſsas cuiuſuis iudicum more audiendas, aut freda exigenda,
aut manſiones, vel paratas faciendas, aut fideiuſsiones tollendas, aut homines
ipſius ſedis tam ingenuos, quàm & ſeruos diſtringendos, nec vllas redhibitio-
nes, aut illicitas occaſiones requirendas; vllo vnquam tempore ingredi audeat,
aut ea quæ ſupra memorata ſunt, penitus exigere præſumat, ſed liceat memora-
tò epiſcopo, eiusq́; ſucceſſoribus res prædictæ eccleſiæ cum eccleſiis baptiſmalibus,
oratorijs, xenodochijs cum omnibus rebus, & hominibus ad eam iuſtè, & le-
galiter aſpicientibus quietè viuere, & reſidere. Datum* VI *Idus Februarias
Anno Chriſto propicio Imperij Domini Lotharij Pij Imperatoris* XXVI, *&
Ludouici glorioſiſsimi Auguſti in Italia* VI. *Indictione* XII, *in Palatio regio.*
Eodem anno, nempe, vt ſcribit Anaſtaſius, Indictione XII, Leo de ſalu-
te vna ciuitatis ſolicitus muros vrbis nimia iam vetuſtate labentes in-
ſtaurauit, & valuas portarum ligneas refecit, & turres quindecim re-
poſuit, duabusq́; aliis ad Tiberim conſtitutis cauit, ne naues vllæ vrbẽ
ſubire ſeſe inuito poſſent. Dum autem hæc ille molitur, Sarraceni ſu-
perioris prædæ dulcedine incitati maiore nauium, atque hominũ nu-

T mero

mero comparato Romam vnam ſpectantes in Sardiniam acceſſerunt. Quod vbi ipſe cognouit, continuo Lotharium, & Ludouicum litteris, quæ adhuc extant, inſtantis certiores periculi fecit, ſeque ſaluti vrbis non defuturum pro virili oſtendit. Inde Romanos ad patriam, & Eccleſiam Dei tutandam pro antiqua pietatis, ac fortitudinis laude accendit. Hoc cognito, Neapolitani, Amalfitani, & Caietani, quorum ad eam vſque diem naualis incognita virtus fuerat, certatim claſſem ornarunt, atque huius petendi decoris gratia Sarracenis occurrere cum ſtatuiſſent, Oſtiam progreſsi aduentum ſuum Pontifici nunciarunt. Miratus Leo, primores eorum, in primiſq; Cæſarium Sergii magiſtri militum filium, ipſius claſſis præfectum acciuit, & quo animo ad littus Romanum acceſſiſſent, quæſiuit. Cum illi ſe veniſſe dicerent, vt prœlio cum Sarracenis confligerent, ac Romana templa, mœniaq; defenderẽt, incredibilem fructum voluptatis cepit, atque eos honeſtiſsimè in Laterano excepit. Vix memorari poteſt res vel euentu, vel exemplo in tota antiquitate nobilior. Horum populorum Pontifex alacritate comperta, vt eos in bene agendi propoſito confirmaret, poſtridie vniuerſo non ſolùm clero, ſed etiam populo comitante Oſtiam eis occurrit. & ſacris in æde Beatæ Aureæ magna cæremonia celebratis, precatuſq;, vt quod de nouo bello in animo Chriſtiani haberẽt, ea res vt ſibi, atque Eccleſiæ bene, ac feliciter eueniret, omnes humanis ante noxiis expiatos corpore Domini noſtri ſacrato refecit, atque bona ſpe rei bene gerendæ repletos inde ad prœlium diuina cum benedictione dimiſit. Iam Sarraceni claſſem propius admouerant, vt noſtri, ne ſi vellent quidem, iuſti detrectandi prœlii facultatem haberent. Itaque poſtridie eius diei acri facto in eos impetu tanto animorum ardore, tantaq; alacritate pugnarunt, vt claſſe eorum diſperſa, aut in proximas inſulas compulſa, pleroſque aut fœdè contrucidarint, aut in ſeruitutem captiuos abſtraxerint. Clariſſima hæc de Sarracenis, communibus hoſtibus, victoria inſigne Romanis antiqui naualis triumphi ſpectaculum præbuit. Quod iterum poſt tot clades acceptas vt videremus, Deus, Pio V. Pontificatum adminiſtrante, conceſsit, cum, profligata, captaq; à fœderatis Turcarum maxima, atque ornatiſſima ad Echinades claſſe, M. Antonius Columna pontificius in eo bello præfectus ſpolia, captiuoſque in vrbem adducens reuertit. Hac victoria Leo erectus maiora inde opera moliri ad ornamentum, & ſecuritatem vrbis non
850 dubitauit. Itaque ſequenti anno, qui fuit octingenteſimus quinquageſimus, S. Petri baſilicam nouo ad vſum rei diuinæ, eoq; magnifico campanario exornauit, &, ne eiuſmodi in poſterum obnoxia impreſſio

nibus, ac direptionibus eſſet, Vaticanum ipſum munire, & lapideis muris, qui ad eam diem nulli fuerant, ſepire inſtituit. Poſtero, Adelolfus rex Angliæ vulgata Leonis pontificis ſanctitate permotus venit 851
Romam, ac benignè exceptus, cum ad baſilicam S. Petri adiſſet, damnatus voti regnum ſuum tributarium Eccleſiæ Romanæ conſtituit, ſingulis familiis nummo argenteo in annos ſingulos obligatis. Sub idem tempus Maſſar, dux Sarracenorum, qui Barrium inſidebant, Beneuentum auxilio ab Adelgiſo contra Siconolſum vocatus. Beneuentanos, ipſo Adelgiſo deſpecto, multiſmodis afflixit, &, monaſteriis aliquot regionis vaſtatis, Teleſiam oppidum occupauit, & populatione Aquinum vſque producta, inde ſe retulit Beneuentum. Hæc verò vbi Ludouicus Mantuæ, & Brixiæ agens per Baſſacium monaſterii Caſſinatis abbatem accepit, continuò exercitum eò adduxit. & caſtris Beneuento admotis Adelgiſum, ac Sarracenos, ciuibus eos tradentibus, in poteſtatem adduxit. ac Sarracenos in vigiliis Pentecoſtes ad vnum extra vrbis mœnia cum ipſorum duce Maſſare iugulauit. &, vt belli materiam tolleret, Ducatum Beneuentanũ inter Adelgiſum & Siconolſum diuiſit. Adelgiſus Beneuenti, Siconolſus Salerni & Capuæ Princeps relictus. Hæc Salernitani, & Capuani Principatus fuere primordia. Adelgiſus inde, & Siconolſus pactum huius diuiſionis inter ſe confirmantes, ſtatuerunt, Monaſterium S. Benedicti, Sanctiq; Vincentij ad ſe nõ pertinere; quia ſub tutela Imperatorum Lotharij, & Filii eius Ludouici poſita eſſent. Poſtero inde anno Ludouicus Mantuæ egit. atque inde pri- 852
uilegium epiſcopo Cremonenſi conceſſit. Proximo, in Franciã ad col- 853
loquium patris contendit. Sequenti, Sarraceni, qui relicti Barrii fuerãt, 854
iterum Apuliam, Calabriam, Beneuentanumq; Ducatum hoſtiliter incurſarunt. atque effuſis populationibus omnia miſcuerunt. Quo facto, Baſſacius abbas à Principibus rogatus Iacobum S. Vincentii abbatem aſſumpſit, atque in Franciam profectus Ludouicum, vt in Italiam ad hæc propulſanda mala primo quoque tempore rediret, orauit. Lotharius autem, cum audiret ſimul lapſam Eccleſiæ, ac regni diſciplinam à Carolo auo, & Ludouico patre ſeueriſſimis ante legibus in Italia conſtitutam, eidem decedenti præcepit, vt, cum primum per bellicas occupationes poſſet, regni epiſcopos, & optimates aduocaret, & nouis eam decretis ex eorum auctoritate conſtringeret. Ludouicus in Italiam progreſſus, parato exercitu, Barrium citato agmine prodiit, atque, adiuuantibus Capuanis, varia cum Sarracenis prœlia edidit. Verùm, cum ſe eorum perfidia parum proficere ad victoriam intelligeret, Siconolfi filio, qui patri ſucceſſerat, è Salerno deiecto, &

Principatu Ademario tradito per hiemem inde Papiam reuertit. Ibi ocium nactus mandata conficere patris cupiens conuentum indixit.
855 Cum menſe Ianuario ſacri, & profani proceres conuenißent, Angilberto archiepiſcopo Mediolanenſi, & Andrea patriarcha Aquileienſi adhibitis, ſe cognoſcere velle dixit de vita, & officio epiſcoporum, atque omnium clericorum, ſacris concionibus ad populum, inſtauratione templorum plebium, & xenodochiorum, diſciplina monachorum, iuriſdictione Comitum, atque ea, quæ correctione egere viderentur, emendare. Quo mandato accepto, illi rem ad epiſcopos rettulerunt, & poſt diligentem aliquot dierum inquiſitionem tale Ludouico reſponſum reddiderunt: *Nos Angilbertus archiepiſcopus, & Andreas patriarcha voluntatem veſtram conuentui notam fecimus, quæ gratiſſima omnibus accidit; ſeruato autem ordine quæſtionum veſtrarum reſpondemus, epiſcoporum, & reliquorum, quos ita vitam ſuam inſtituere oporteret, vt omnibus virtutis, & ſanctitatis exemplo eſſent, alios alijs languidius in ſuo munere eſſe verſatos. Quibus vt ſpatium emendandi ſui tribuatis, oramus; parati interim delationes nominum accipere, & ijs qui detulerint, ius dicere. Conciones ad populum partim epiſcoporum, partim populorum negligentia intermiſſas inuenimus. Sacerdotum nulla eſt excuſatio. Laici verò, & maximè potentes, ac nobiles, quos ſtudioſius eiuſmodi intereſſe concionibus oporteret, delubra ædibus ſuis coniuncta habent, in quibus rem diuinam audientes maiora adire templa non curant. Quare ſolis pauperibus accedentibus nulla alia concionis materia relinquitur, quàm ſuadendi, vt afflictam ſuam conditionem magna patientia tolerent. Quòd ſi diuites ſe ad audiendum darent, tum de luxu, de libidinibus, de auaritia, deque pijs largitionibus monerentur. Quamobrem, vt eis maiora templa frequentandi neceßitatem imponatis, oramus, quos eò ſtudioſius verbum Dei audire æquum eſt, quò maioribus à Deo bonis affecti ſunt. Et, quoniam quidam Comites, ac vaßi dominici presbyteros, & clericos noſtros iniuſſu noſtro recipiunt, & vbicunque initiatos, & fortaſſe non conſecratos ſacris operari iubent, id ne faciant, prohibendum cenſemus. Miniſtros Comitum propter frequentes iuriſdictiones pauperibus graues eſſe comperimus. in eo verò, vt lex aui veſtri obſeruetur, poſtulamus. Statuimus porrò, ne epiſcopi plebes pro confirmando populo adeuntes graues ſint archipresbyteris ſuis. Vt immunitates ſeruentur, quemadmodum à patre veſtro ſancitum eſt. & populus eos dies veneretur, quos epiſcopus ſuus feſtos indixerit.* Quibus rebus cognitis, Ludouicus pridie Nonas Februarias in Auguſtali aula ſedens, præſentibus optimatibus ſuis, ita diſſeruit: *Sæpe aliàs vos monuimus, vt pro ſe quiſque viuere ex lege Chriſtiana ſtuderet, & ſuos à rapinis contineret: quod quia adhuc ſegnius factum eſt, poſthac, vt omnes ſtudium eò ſuum totum conferant, impe-*

ramus.

ramus. Statuimus igitur, vt eccleſiæ in noſtro regno cum ſuis rebus, & familijs ſint tutæ, prout maiorum noſtrorum temporibus fuere. earumque rectores proprijs fruantur priuilegijs; monachi in ſuis cænobijs antiquas diſciplinæ ſuæ leges obſeruent; clerus omnis ſuo fungatur officio, ſinguli magiſtratus, & curatores reip. ius dicant ex legibus; in locis ſolitis inſtaurent prætoria, quibus nos, legatosq́ noſtros poßint recipere, ne incommodum eccleſiis afferamus. Qui nos adeunt, caueant, ne cui incolarum in itinere noxiæ ſint, contraq́ incolæ, ne nos adeuntibus, quæ ad victum pertinent, parcius, aut carius præbeant, quàm vicinis. Per eoſdem dies Leo pontifex munitionem Vaticani abſoluit, nempe ſexto, quãm eam inchoauerat, anno: vrbemq́; eam magna cæremonia conſecrauit, & Leoninam à ſuo nomine appellauit. Extat hodie quoque carmen, quo illam conſecrationem obiuit: *Præſta, quæſumus omnipotens, & miſericors Deus, vt ad te toto corde clamantes, intercedente beato Petro apoſtolo tuo, tuæ pietatis indulgentiam conſequantur. & ciuitas hæc, quam ego famulus tuus Leo quartus epiſcopus te auxiliante meo nomine Leoninam vocaui, nouoq́ opere dedicaui, vt ſemper illæſa maneat, ac ſecura*. Noua inde vrbs Corſorum Romam quotidiè metu Sarracenorum confugientium multitudine frequentata. Demum, munita vrbe, valuas argenteas baſilicæ Vaticanæ repoſuit, & ad formandum Eccleſiæ ſtatum conuentum epiſcoporum ſexaginta duorũ in Laterano habuit, in quo antiqua Pontificũ decreta renouauit, & Anaſtaſiũ Cardinalẽ grauibus de criminibus reũ cõdemnauit. Tranquillatam inde Pontificis, Regumq́; virtute remp. Daniel quidã mirificè perturbauit. Hic ad Lotharium in Franciam profectus detulit, Gratianum magiſtrũ militũ, eximiæ virtutis, atque auctoritatis virum, Romæ ſeditionem inter regnum, & ſacerdotium ſerere, atque de transferendo in Græciam Imperio agitare. Quam rem haudquaquam ſpernendam Lotharius ratus, Ludouico ſcripſit, vt extemplo Romam ad rem inquirendam contenderet. Ludouicus Romam profectus, atque in Vaticano hoſpitatus conſtituta, admirante Pontifice, quæſtione rem vnà cum eo totam cognouit. Daniel, qui in Franciam iuerat falſi conuictus in Gratiani poteſtatem eſt traditus. Itaque Leo, probata innocentia ſua, ſcriptis, quæ extant, ad Lotharium litteris profeſſus eſt, *ſe præcepta eius, & maiorum ſeruare, & in perpetuum ſeruaturum eſſe*. petiitque, vt *quemadmodum antea, ſic nunc; & in poſterum lex Romana* 878
valeret. Atque his actis, XVI Kalend: Auguſti deceſsit, à poſteris in numerum Diuorum propter eximiam eius ſanctitatem relatus. Sexto inde die clerus, populuſq. Ro. ſecundùm precationem ad Titulum Caliſti concurrit, atque inde Benedictum presbyterum Cardinalem, ſpectatæ in primis vitæ hominem, in Patriarchium Lateranenſe deduxit, eumq́;

in ſolio collocauit, & cum eo in baſilicam Saluatoris deſcendit. Quæ dum aguntur, ſeditioſi quidam Anaſtaſium Cardinalem, quē Leo abdicarat, per legatos Imperatorum, vi, atque armis intentatis, temere intruſerunt, ac Benedictum è Laterano exegerunt. Benedictus à ſuis ad baſilicam ad Præſepe deductus ibi per triduum, precibus, ac ieiuniis ſtuduit. Tum verò qui Anaſtaſium legerant, ad eum profecti, procumbentes ad terram, veſtigia ipſius oſculari cœperunt, atque errato ſuo veniam petierunt. Qua haud grauatè conceſſa, Benedictus in Lateranum reductus eſt. inde, Anaſtaſio in carcerem coniecto, atque abdicare coacto, iterum in pontificia ſede locatus, & è Laterano perductus in Vaticanū, III Kal. Octobris, legatis ipſis Imperatorum præſentibus, conſecratus, & Benedictus tertius appellatus eſt. Eodem anno Lotharius hereditarium filiorum diſſidium veritus, conuocatis optimatibus, regna ſua inter eos diuiſit, ac Ludouico Italiam cum Imperii titulo, Lothario Lotharingiam, & Carolo cum parte Prouinciæ Burgundiam tradidit. ac relicta rerum humanarum cura, mox monachum Prumienſi in monaſterio induit. atque ibi III Kal. Octobris extremum ſpiritum edidit. Hic eam vitæ varietatem attulit, vt melior ne, an deterior fuerit, diiudicari non poſsit. niſi quòd mortis honeſtas omnem vitæ delere turpitudinem potuit.

LVDOVICVS II IMPER. ET REX.

MOrtuo Lothario, Ludouicus ex paterna, auitaque hereditate ſolum Imperii titulum cum ipſo regno Italiæ tenuit. Itaque, vt is, qui rerum trans Alpes nihil haberet, Italiam vnam excoluit, eamque ſingulari cum cura, ac fide adminiſtrare, ac tueri aduerſus externas impreſsiones omnes perrexit, nec ſolùm Papiæ, ſed etiam Mediolani, & in aliis vrbibus pluribus Lombardiæ verſari iuriſdictionis gratia conſueuit. Ceterùm ad eum Mantuæ commorantem Petrus Dux Venetorum legatum Adeodatum miſit, atque ab eo priuilegium elicuit de poſſeſsionibus cleri, & populi Veneti in imperio eius iuſtè, ac legitimè poſsidendis, prout per fœdus cū Græ-
856 cis ictum, Carolo proauo ſuo regnante, poſſederant. Poſtero anno Ioannes nonus eccleſiam Rauennatem, Venantius Aquileienſem, & Vitalis Gradenſem accepit. In Campania, cum Capua, quæ & Sicopolis dicebatur, ante annos fermè XXV in monte Triſliſco ædificata ſæpius incendio conflagraſſet, Lando Comes, & Landulfus epiſcopus cum ceteris propinquis ſuis alteram apud Pontem Caſulini conſtruxerunt. Lu-

douicus cum Auguſta coniuge Venetias proficiſcens ab vtroque Duce, & populo obuiam egreſsis ad ædem S. Michaelis ad Brondulum ingenti honore excipitur. & ad confirmandam amicitiam Ioannis Ducis filiam de ſacro fonte ſuſcipit. Sequenti Baſſacius abbas Caſsinas eſt mortuus. in eius locum monachi Bertharium ſubrogarunt. Magnitudo rerum in Campania gerendarum efficit, vt abbatum etiam Caſſinatium comitia memorentur. Hic pericula monaſterio imminentia contemplatus monaſterium ſuperius muris, turribuſque firmiſsimis in modum caſtelli muniuit, atque oppidum ad crepidinem montis circa monaſterium Domini Saluatoris inſtituit. quod S. Benedicti Ciuitatem vocauit. Ludouicus Romam profectus cū Benedicto pontifice, quæ regno, atque Eccleſiæ opportuna eſſe videbantur, conſultauit. Quibus conſiliis maturè compoſitis, ſequenti anno vrbe profectus Lombardiā verſus iter ſuſcepit. Poſtquam autem Benedictum ipſum pontificem VI Idus Aprilis mortuum eſſe audiuit, ſubitò vrbem, vt conſecrationi noui Pontificis intereſſet, repetiit. Ceterùm, iuſtis mortuo Benedicto ſolutis, clerus, populuſq; ſolemnibus precibus, ieiuniiſq; perfunctus in ædem beati Dionyſii eſt conuocatus. Ibi relatione de nouo ſublegendo Pontifice facta, ceteris omnibus prælatus eſt Nicolaus, Cardinalis diaconus, vir & doctrina, & ſanctitate illo tempore inclytus. Itaque citato gradu in Vaticanum progreſsi ipſum vel inuitum arripuerunt, atque in Lateranum deductum Apoſtolico in ſolio poſuerunt. Nicolaus inde VIII Kal. Maii in Vaticanum reductus, & Ludouico præſente conſecratus ſuper Auguſtiſsimum apoſtoli Petri corpus magno rerum apparatu diuinis eſt operatus. Inde paucis interpoſitis diebus, cum Ludouicum de profectione cogitare audiſſet, officii cauſſa ad eū in caſtra venit. Quod vbi Ludouicus ſenſit, obuiam aliquanto viæ ſpatio prodiit. & degreſſus ex equo frenum per integrum ſagittæ iactum tenuit, & conuiuio ſub militari tabernaculo excepit. Quo ſuauiſsimis ſermonibus celebrato, donis ipſum magnificis coluit, & in vrbem reuertentem proſequutus deſtinato in loco iterum ad frenum acceſsit. oſculoq; ſancto pedi oblato in tabernaculum ſe, atque inde in Lombardiam recepit. Poſtero anno nouus in eccleſia Conſtantinopolitana tumultus eſt ortus, non dū vetere diſcordiarum ob ſanctarum imaginum cultum incendio planè reſtincto. Bardas Michaelis Imperatoris auunculus, Cæſar creatus, auctor turbarum fuit. Quippe facto cum vxore diuortio, nurum duxit. Quod cum patriarcha Ignatius comperiſſet, ei, vt qui ſacris à legibus diſceſſiſſet, piorum communione interdixit. Ea re Bardas exacerbatus, vbi placare patriarcham non potuit, conuentu propria auctoritate coa-

857 (beside "liam de ſacro fonte ſuſcipit"); 858 (beside "ſus iter ſuſcepit"); 859 (beside "to in tabernaculum ſe")

ćto Ignatium ſede deiecit, ac Photium ſenatorem nullis ſacris initiatum ſubſtituit. eumque per Gregorium epiſcopum Syracuſanum nuper à Benedicto pontifice condemnatum curauit initiandum, ac deinde etiā conſecrandum. Per eoſdem dies nouum etiam in Rauennati Eccleſia diſſidium excitatum eſt. Ioannes archiepiſcopus vetere Eccleſiæ ſuperbia elatus pontificiam auctoritatem prorſus repudiabat, neque ei ſe obnoxium eſſe per ſcriptas à ſe tabulas aſſerebat, & hæreſis ſuſpectus erat; ac iura epiſcoporum Aemiliæ deteriora faciebat. Hæc cum ſuffraganei Benedicto pontifice pertuliſſent, Nicolai ſpectata ſeueritate illecti, ad eum confugerunt, ac crimina omnia Ioannis aduerſus ſe exponenda, ius ab eo poſtulantes, curarunt. Quibus auditis Pontifex reſpondit, ſe calamitatibus eorum remedium allaturum, ac Ioannis impotentiam compreſſurum. Extremo anno, III Kal. Nouembris, & VI Kal. Ianuarias Tiberis ſuper ripas effuſus circumiectos vrbi campos cum maximo arborum, ac ſatorum exitio inundauit, atque vrbem ingreſſus complura
860 templa, atque ædificia labefecit. Poſterò, qui fuit octingenteſimus ſexageſimus, Conſtantinopolitanam, & Rauennatem cauſſam ſanctus, ſeuerusq; Pontifex cognoſcere ſtuduit. Nam Conſtantinopoli orta grauis inter ciues ſeditione, cum alii Ignatium, alii Photium tuerentur, Imperator legatos, litteraſq; ad Pontificem miſit, quibus accuſato Ignatio petiit, vt Pontifex legatos ad ſe ſuos mitteret, quorum opera ſeditio ſedaretur. Addidere etiam legati hæreſim Iconomachorum recruduiſſe; ac ſanctas imagines paſſim in ciuitate deleri, & Chriſtum ipſum fœdis vulgo maledictis inceſſi. Itaque Nicolaus, vt tantis vulneribus Eccleſiæ mederetur, epiſcopos duos Radoaldum Portuenſem, & Zachariā Ananinum legauit, datis mandatis, vt cauſſas, cur Ignatius pulſus eſſet, cognoſcerent, cum Photio, tanquam cum laico, verſarentur, &, vt controuerſias de ſanctis imaginibus, ſi quæ ad ſe deferrentur, deciderent. Quin etiam lectione Photii reprobata, imaginum cultum retinendum ſuaſit, atque vt Calabriæ, & Siciliæ patrimonia ſibi redderentur, poſtulauit. Extant litteræ hæ datæ VII Kal. Octobris, Indictione IX, cum his verbis: *Præterea Calabritanum patrimonium, & Siculum quoque noſtræ Eccleſiæ conceſſa fuerunt, & ea poſſidenda obtinuit, & diſponendo per ſuos familiares regere ſtuduit, conceſſionibus reddantur. quoniam irrationabile eſt, vt Eccleſiaſtica poſſeſſio, vnde luminaria, & concinnationes Eccleſiæ Dei fieri debent, terrena quauis poteſtate ſubtrahantur, ſed domui Dei reſtituta meritum redditoris multiplicent. & ſuſcipientis votum ſpiritalis deſiderij lucris exerceatur.* Eodē modo litteras ad Photium dedit factum eius arguentes. In Rauennati verò cauſſa Ioannem archiepiſcopum ter Romæ coram ſe adeſſe præ-

cepit, ac demum imperium detrectantem officio pontificali priuauit. Ea re ictus Ioannes Ludouicum Papiæ conuenit, orans, vt ſibi duriſſimo ſuo tempore adeſſet, ſe Rauennati ſede ſuffraganeorum ſuorum coitione deiectum, neminem, per quem reſtituatur, habere, niſi illum, cuius beneficio ſit adeptus. ni cauſſam apud Pontificem ipſe ſuam ſuſcipiat, nihil fortuna ſua fore perditius. Ita Ludouicus hominis miſericordia tactus Nicolaum ad audiendam eius cauſſam rogauit. Nicolaus, ne iniuriam vtrique feciſſe videretur, Romam conuentum ad eam rem cognoſcendam indixit. Proximo anno legati Pontificis Conſtantinopolim profecti mandata eius tranſgreſſi ſunt. Nam qui Ignatii cauſſam cognoſcere tantummodo iuſſi erant, iudicium ſuum interpoſuerunt, atque Ignatium iure abdicatum, & Photium ritè ſubſtitutum laudarunt. verùm Romã extremo anno reuerſi nihil aliud Pontifici, quàm Ignatium de ſede à conuentu Conſtantinopolitano depulſum, Photiũ verò collocatum, renunciarũt. Biduo verò poſt Leo legatus Imperatoris aduenieus duo volumina Pontifici reddidit, vnum, in quo acta abdicationis Ignatianæ continebantur, alterum, in quo ſanctarum imaginum. reddidit etiam litteras, quibus petebat Imperator, vt abdicationem Ignatii, & ſubſtitutionem Photii confirmaret. Eodem anno Vitalis patriarcha Gradenſis, & epiſcopi ex Campania, Tuſcia, Pentapoli, Aemilia; aliiſq; regionibus Romam euocati à Pontifice conuenerunt, vt de criminibus Ioanni archiepiſcopo obiectis cognoſcerent. Ipſe etiã Ioannes citatus ad dicendam cauſſam acceſſit. Res tribus diebus, tribuſq; conuentibus acta eſt. Primo die, cum epiſcopi vnà cum Pontifice, & Ludouici Imperatoris legatis Leonianis in ædibus conſediſſent, Ioannes de detrectato Pontificis imperio eſt accuſatus. Cui accuſationi cum reſpondere in re manifeſta non poſſet, erratum confeſſus, pontificiam miſericordiam implorauit, ac repudiatis tabulis promiſsionis, & ſacramenti, quas tempore conſecrationis ſuæ præciſa, atque obſcura nimis oratione conſcripſerat, nouas alias apertiores, ac ſynceriores exarauit, easq; ſuper Cruce, & ſacro Euangelio poſitas recitauit clara voce, omnibus audientibus, iurans, ſe, dum vita ſuppeteret, cõſtantiſsimè, quæ in eis ſcripta eſſent, omnia ſeruaturum. Poſtridie eius diei epiſcopi conuenerunt in Lateranum. Ibi Ioannes de hæreſi cauſſam dixit. Quod crimen cum ſatis diſertè diluiſſe viſus eſſet, veniam, ac rei diuinæ faciendæ ius impetrauit. Tertio die conuentus iterum Leonianis in ædibus conuocatus eſt. Eo demum die cauſſa epiſcoporum Aemiliæ eſt audita. Hi, cum facta accuſandi copia ſurrexiſſent, hæc præſenti archiepiſcopo crimina obtulerunt: Ioannem ſecundo quoque anno epiſco-

861

pia ſua cum ferme quingentorum hominum, equorumq; numero perluſtrare, ac tandiu in ſingulis moram trahere, donec omnia, quæ ad fructus epiſcopi, alimentum clericorum, & pauperum, ſuſceptionem peregrinorum, atque inſtaurationem baſilicarum pertinerent, cum magna illa multitudine conſumpſiſſet, neque antè recedere, quàm ab epiſcopo ducentos manicoſos ſibi, familiaribus verò ſuis dona non modica exegiſſet; eundem tres, aut quattuor equos perpetuò alendos, agros fodiendos, vineas paſtinandas quotannis ſuffraganeis ſuis, tanquàm prædioru ſuorum procuratoribus, vel repugnantibus attribuere. Plebes, Titulos, & monaſteria ad epiſcopiū ſuum pertinentia adminiſtrationi ſuæ ſubtrahere, & ſibi ipſi ſubiicere. præterea neceſſitatem ſibi imponere, vt eccleſiis ſuis deſertis more presbyterorum ſingulis menſibus Rauennæ miniſtrent, & ſe xx, aut xxx diebus per vim Rauennæ tenere. per quos nulli clerico ſuo equo vehi per vrbem iniuſſu ipſius ſine magno diſcrimine ſuo licere. ac demum epiſcopos ire Romam ad limina Apoſtolorum amplectenda, & ſedem Apoſtolicam viſitandam more prædeceſſorum ſuorum non permittere. Quæ cum dixiſſent, ac ſe teſtimoniis confirmaturos omnia oſtendiſſent, tum Ioanni ad reſpondendum locus eſt datus. Ioannem, cum ad hæc refutanda vires non ſuppeterent, manifeſta animi conſternatio inceſſit. Ex quo ſontem omnes facilè iudicarunt. Itaque epiſcopi, qui in conuentu iudices aſſidebant, ad Pontificem conuerſi, hæc ſingula aduerſus leges facta ab archiepiſcopo docuerunt, atque ab eo vehementius, vt perpetuo coerceret decreto, ad incolumitatem eccleſiarum, poſtularunt. Tum Pontifex tanta mala in ſancta Eccleſia Dei pullulaſſe conqueſtus, rem eſſe dignam aſſeruit, quæ ſcito grauiſſimo notaretur. Itaque, ne Ioannis exemplo alii metropolitani temere eiuſmodi ſe delictis obſtringerent, præſente concilio Ioanni ſic interdixit: *Secundo quoque anno ſedem Apoſtolicam viſitato, niſi aut aduerſa valetudine præpeditus, aut pontificio beneficio abſolutus. Epiſcopos per Aemiliam ne conſecrato, niſi à clero, populoq; electos, & litteris ſuper ea re à Pontifice miſsis. Eoſdem epiſcopos, quotieſcunque ad Apoſtolicam ſedem venire voluerint, ne prohibeto, & nullam ab eis pecuniam, niſi, quæ legibus contineatur, exigito. Nullius hominis res quocunque modo, ac iure partas, & poſſeſſas aliqua ratione occupato, aut titulum ſuperimponito, donec in præſentia Apoſtolici, aut legati eius; aut Veſterarij Rauennæ legitimè illas in iudicio obtineas, Prædia, quæ à iure S. Petri ad ius S. Apollinaris tranſtuliſti, & per emphyteoſim ſingulis hominibus tribuiſti, diligenter exquire, & ipſas emphyteoſes reſcinde, & S. Petro, cuius fuerunt, reſtitue.* Atque his actis, conuentus dimiſſus eſt. Eodem anno Ludouicus Imperator per Ianuarium menſem ius Brixiæ dixit, vnde

priuilegia dedit. per Septembrem verò Parmæ. Ibi XIII Kalendas Octobris Ernido Mutinenſi epiſcopo indulſit, *vt in monaſteria, xenodochia, eccleſias baptiſmales, & reliquas poſſeßiones, quæ ad epiſcopatum pertineret, ſiue à regibus, & reginis, ſiue ab alijs religioſis hominibus dono datas nemo iudex publicus ad cauſſas audiendas, fręda exigenda, manſiones, aut paratas faciendas, fideiuſſores accipiendos, homines epiſcopatus diſtringendos inire, aut aliquid exigere auderet*. Poſtero, Pontifex, præſente Leone legato Imperatoris Michaelis, conuentu Eccleſiæ ſuæ aduocato, decreto profeſſus eſt, nequaquam ſe legatos aut ad abdicandum Ignatium, aut ad Photium confirmandum miſiſſe, idque renunciandum Michaeli, & Photio per eundẽ Leonẽ curauit, litteris ad vtrumque menſe Martio, Indictione decima datis. atque hoc idem patriarchis, & metropolitis omnibus eodem die ad liberandam fidem ſuam ſignificauit. Proximo, ingens excitata in Lotharingiæ regno ſeditio, atque ab eodem, quo Conſtantinopolitana, profecta initio magnam vniuerſæ Occidentali Eccleſiæ intulit perturbationem. Lotharius Lotharingiæ Rex, Imperatoris Ludouici frater, inſano Valdradæ concubinæ olim ſuæ incenſus amore cum Thietberga vxore diuortium facere geſtiens Guntharium Colonienſem archiepiſcopum primò per nuncios, deinde per ſemetipſum promiſſis pluribus oneratum, vt ſibi obſequeretur, induxit. Guntharius fide, gratificandi data, Thietgardum Treuirenſem archiepiſcopum, hominem parum in Eccleſiaſtica doctrina verſatum, prolatis quibuſdam ex diuinis ſcripturis in ſpeciem teſtimoniis, nullo negocio in ſuæ ſententiæ aſſenſum traduxit, ac re compoſita Metas conuentum indixit. Conuentu coacto, Thietberga adeſſe iubetur; &, cum acceſſiſſet, de inceſtu cum fratre commiſſo poſtulata teſtibus ſubornatis conuincitur. Recitatis inde ſanctorum patrum de inceſtu decretis, ab epiſcopis non ſolùm à thoro legitimo ſeparatur, ſed etiam omnis ei maritalis coniunctio inhibetur. Sequenti verò, alter ex compoſito Aquis conuentus cogitur. Ibi Lotharius in medium prodiit, ac ſe diuortium cum vxore feciſſe, ſeuero epiſcoporum condemnata iudicio dixit. ſe à concubitu continere, & ſine vxore ſæuientem vigentis æſtum ætatis ſuſtinere non poſſe. quamobrem quid fieri placeret, conſulere. Quibus rebus auditis, decretũ eſt, illam iuſtam vxorem non fuiſſe, quæ publico inceſti damnata iudicio eſſet. ipſum Lotharium aliam ritè vxorẽ ducere poſſe. Quæ poſtquam Lotharius impetrauit, lætus ſtatim Valdradam ſibi matrimonio copulauit. Hæc ipſa vt erant ex omni parte fœda, & peſſimo in poſterum exemplo acta, ſtatim ad Nicolaum pontificem Thietbergæ fratres detulerunt, iuſque ſibi, ac ſorori in cauſſa, quæ ſummam religionis

attin geret,

Marginal years: 862 (beside "re auderet. Poſtero…"), 863 (beside "ad liberandam fidem…"), 864 (beside "tur. Sequenti verò…").

attingeret, popoſcerunt. Nicolaus cum hæc & noua, & à ſacris legibus diſſidentia haudquaquam putaret eſſe ferenda, continuò legatos duos in Franciam deſtinauit, qui omnia, vti eſſent acta, cognoſcerent, cognitaq; renunciarent. Hi fuere Haganus, & Rodoaldus paullo ante ex Græca legatione reuerſus. Legati profecti Lothario mandata Pontificis ediderunt. cumq; ab eo reſponſum tuliſſent, ſe nihil aliud egiſſe, niſi quod epiſcopi conuocati ſibi faciendum præſtituiſſent, epiſcopos, qui eos conuentus habuerant, Romam ire ad reddendam rationem Ponti-
865 fici præceperunt. Poſtero anno Pontifex comperto, quod adhuc fugerat, legatos ſuos actis Conſtantinopolitanis de abdicatione Ignatii, & ſubrogatione Photii conſenſiſſe, conuentum Romam indixit. cumq; in baſilica Vaticana primùm, deinde propter loci frigiditatem in Lateranenſi habuit. In eo Zacharias legatus, qui Romæ erat, aſſenſum præbuiſſe Pontificis iniuſſu conuictus, epiſcopatu, & communione priuatus eſt. Photius, qui ex laico faſtigium patriarchale conſcenderat, & Gregorius epiſcopus Syracuſanus, qui illum conſecrauerat; quiq; à Photio initiati fuerant, è cœtu piorum expulſi ſunt; Ignatius dignitati priſtinæ reſtitutus; Epiſcopi, qui poſt deiectionem Ignatii relegati fuerant, reuocati. Iannem, qui quondam patriarcha imagines conculcandas cenſuerat, diris deteſtationibus obſtrinxerunt. Ex legatis autem, qui in Franciam miſſi fuerunt, Radoaldus acceptis ijs, quæ aduerſus Zachariã collegam olim ſuum decreta erant, exanimatus, aufugit, neque in conſpectum ſe dare Pontificis pœnã eandẽ metuens voluit. Haganus vnus legationem renunciauit, addens, neminẽ ſe inueniſſe in Lotharii regno epiſcopum, qui canonicis eſſet diſciplinis imbutus. Quibus rebus cognitis Pontifex Arſenium legatum miſit ad dirimendum iniuſtum inter Lotharium, & Valdradam matrimonium. Interim Thietgardus, & Guntharius archiepiſcopi cum ſuffraganeis ſuis aduenerunt, atque iuſſi conuentus Metenſis, atque Aquenſis acta proferre, paruerunt. rogatiq; num ea probarent, ſe approbare dixerunt. Re inde inter epiſcopos legitimè diſceptata reuocati in conuentum ipſi cum actis ſuis damnati, & omni Eccleſiaſtica dignitate exuti ſunt. Principio eiuſdem anni ingens in Campania bellum exarſit: quod Imperatorem Ludouicũ inde aſſiduè in reliquum vitæ tempus exercuit. Seodanus Sarracenorũ, qui Barrium tenebant, dux, Adelgiſo, Beneuentano Principe, inſtigante, Capuanum Principatum inuaſit. Quippe Barrio egreſſus Capuam petiit, eaq; regione direpta, in agrum Neapolitanum irrupit, ac crebris populationibus, atque incendiis vaſtare omnia inſtitit. Ea re excitati Maiepoltus, & Vandelpertus, quorum ille Teleſiæ, hic Bouiani gaſtal-

diatum gerebat, coducto Lamberto Duce Spoletano, & Gerardo Marſorum Comite ſigna aduerſus eum tulerunt; verùm de Capuana populatione reuertentem aggreſsi commiſſo prœlio ſuperati ſunt. Præcipuè Gerardus, Maiepoltus, & Vandelpertus in acie cecidere. Qua victoria inflatus Sarracenus pleraque circumiecta caſtra deleuit. quin etiam Quadrageſimæ initio monaſterium S. Vincentij magnis diuitijs affluentis adijt: &, cùm monachi, aduentu eius præcepto, ad caſtellum ſuum monaſterio proximum, confugiſſent, immiſſo exercitu domeſtica omnia inſtrumenta diſiecit, frumenta, & legumina in amnem profudit, atque eccleſiæ theſaurum induſtria monachorum abſconditum è latebris eruit, ac ſæuum demum incendium monaſterio intulit. Poſt tertium inde diem ad portas vſque Capuanæ vrbis progreſſus plauſtra onuſta, & iumenta cum hominibus multa cepit, atque inde Teanum acceſsit. Ea re cognita Bertharius abbas imminentem Caſsinati monaſterio, ac populo ex infeſto illius aduentu cladem formidans per Reginaldum diaconum ſuum tria illi aureorum millia dono miſit, atque ita furentem libidinem eius compeſcuit. Venafrum inde cum contendiſſet, oppidum intra paucos dies adduxit in poteſtatem, ac vicina loca deuaſtans aliquot ibi permanſit dies. ac demum populationibus aliquot alijs factis, recepit inde ſe Barrium. Longobardi verò, quantis anguſtijs vrgerentur, videntes, legatos iam tertium ad Ludouicum Imperatorem miſerunt, precibus imis orantes, vt rurſus ad ſe veniret, & ſe, ſuaq; oppida à nefandiſsima Sarracenorum gente defenderet. Id cum Imperatorium munus cenſeri, tum Ludouico Imperatori Magni Caroli pronepoti præcipuè omnium animis deſtinari. Scriptores Græci Ludouicum etiam à Michaele Imperatore rogatum fuiſſe, vt Apuliam Sarracenorum armis magna ex parte captam recuperaret, atque ab eo quoque auxilia accepiſſe, auctores ſunt. Ludouicus, his cognitis, delectus ad hoc bellum acerrimè haberi præcepit, atque ingentes & validas vndique peditatus, equitatuſq; copias cōgregauit. & Engilberga vxore aſſumpta, rurſus in Ducatum Beneuentanum proceſsit. Per Soranum autem agrum Beneuenti fines ingreſſus menſe Iunio Caſsinas monaſterium infimum adijt, à Berthario, & omnibus monachis maximo honore exceptus. poſtridie montem, vota Deo facturus, aſcendit, & benignè acceptus totum oculis monaſterium perluſtrauit. cumq; illud laudaſſet, priuilegia à ſuperioribus Regibus monaſterio data firmauit, ac donis varijs decoratum reliquit. Inde profectus Capuam, cuius priore bello expertus perfidiam fuerat, trium menſium ſpatio obſeſſam recepit, eamq; maxima ex parte deleuit. Mox Salerno,

Amalfi, Puteoliſque aditis conuerſo itinere per Neapolitanum agrum
adijt Sueſſulam, inde ad vallem Caudinam caſtrametatus petijt Bene-
uentum, atque ad Adelgiſum diuertit hoſpitem haud ſatis, niſi cogente
metu, in officio permanſurum. Ibi archiepiſcopi Colonienſis, & Treue
renſis pontificia damnatione ambuſti ipſum adierunt, ac decreti ponti
ficij iniquitatem expoſtularunt: nouo exemplo, neque eo ſatis laudan-
do factum eſſe, vt metropolitanus inſciente Imperatore, atque alijs me
tropolitis abſentibus, dignitate ſpoliarentur, ac multis congeſtis in Pon
tificem maledictis, opem Imperatoris orarunt. verùm, ſicut decuit, ir-
rita omnia ceciderunt. Radoaldus cum latibula omnia quærens ta-
men ſe nuſquam tutum eſſe animaduerteret, Romam venit, cum eſſet
conuentus iam propter Sarracenorum impreſsiones dimiſſus, atque in
866 aliud tempus dilatus. Poſtero anno Arſenius legatus in Francia Lo-
tharium indicto anathemate perpulit, vt nuncium Valdradæ remitte-
ret, & Thietbergam veterem in matrimonij ſocietatem reciperet, ſeq;,
dum vita ſupereſſet, iuſtæ coniugis loco habiturum iuraret. Inde Val-
dradæ imperauit, vt Romam ad reddendam ſui rationem contende-
ret. Eorum neutrum eſt obſeruatum. Lotharius, profecto ex Francia
Arſenio, Valdradæ inſtinctu iterum Thietbergam ream adulterij fe-
cit, ſeq; id crimen ſingulari certamine, comparatis ab vtraque parte,
quos illi campiones vocabant, propugnatoribus probaturum, &, ſi
Thietberga inferior fuiſſet, vita eam ſpoliaturum, oſtendit. Thiet-
berga ceteris præſidijs deſtituta ad Carolum Caluum, regem Franciæ,
Lotharij patruum ſeſe contulit. Qua re cognita, Nicolaus litteras ad
Carolum ſcripſit, monẽs, ne quid iniuriæ fieri Thietbergæ permitteret.
cui neque adulterij crimen Lotharius iuſtè obiicere poſſet, neque ſingu
lari certamine prouocare, fas eſſet. Singulare certamen nulla diuina
lege ſancitum eſſe, qui id tentarent, Deum ipſum videri tentare; in Pu-
rificatione verò Valdradam, vt quæ iuſsis ſuis non paruiſſet, piorum è
cœtu motam pronunciauit, & Lothario per litteras erroris ſui admoni
to edixit, vt ab eius, tanquàm abſtentæ, amplexibus abſtineret, & Thiet
bergæ, tanquàm legitimæ vxori, hæreret. Eodem anno Ludouicus vl
timam Sarracenorum bello manum imponere, eosq; prorſus extermi-
nare ex Italia cupiens, exercitum Barrium, ſedem, atque arcem eorum
duxit, ac vario oppidum apparatu oppugnare inſtituit. non ſuccedente
autem incœpto, perſpecta expugnationis difficultate, Lotharium fratrẽ,
vt ſibi auxilio è Francia adueniret, rogauit. qui ſe morem ei geſturum eſ
ſe, oſtendit. Idibus Nouemb. xv. Indictione, Nicolaus maledictis Mi
haelis Imperatoris impulſus legatos epiſcopos Donatum Oſtienſem,

Stephanum Nepeſinum,& Marinum diaconum ad eũ de re Ignatii per conuentum conſtituenda miſit. Hi profecti poſtero anno in ipſam rerum perturbationem mediam inciderunt. Siquidem IX. Kal. Maii 867
Baſilius, quem Michael conſortem Imperii receperat,ipſum per inſidias Michaelem occidit,atque Imperium vni ſibi aſciuit. Lotharius ope Caroli patrui in Italiam auxilio Ludouici fratris aduenit. Ludouicus Lotharii auxiliis nixus Luceriam oppidũ, quod à Sarracenis in Apulia tenebatur,adortus,collatis ſignis victus acie ceſſit.inde redintegratis viribus cum hoſtes magno prœlio ſuperaſſet,Luceriam cum omnibus finitimis caſtris in poteſtatem adduxit.Poſtremò omni Barrium bello compulſo,vrbem maiore, quàm adhuc,mole oppugnauit. ſed, Sarracenis validè propugnantibus, nihil profecit. Lotharius militibus ſuis ex inſueto æſtatis calore,& cæli intemperie grauiſsimos in morbos lapſis, ac pleriſque peſtilentibus aranearum morſibus fœdiore morte cõſumptis, domum inglorius rediit. Ludouico verò Beneuentum ſe referenti Sarraceni Barrio egreſsi duo millia equorum.extremi agminis ademerunt. atque, agminibus duobus factis,montem Gargani petierunt, atque ædem S. Michaelis,eosq́;,qui voti cauſſa eò conuenerant,ſpoliarunt. Quo nuncio Imperator,Pontifex,& Romani grauiſsimè perturbati ſunt. Tadonem quoque per hos dies Mediolanenſem adminiſtraſſe Eccleſiam, Nicolai pontificis ad eum epiſtolæ ſunt argumento. Nicolaus autem Idibus Nouembris occubuit. qui Gregorium Magnũ vt cognomine, ſic gloria adæquauit. Vndecimo Kalendas Decembris. clerus, populusq́; in baſilica ad Præſepe coactus Hadrianum, cardinalem presbyterum, ſubrogauit, atque inde humeris de more in Lateranenſe patriarchium deportauit. Is Hadrianus ſecundus vocatus. Quo cognito legati Ludouici,qui Romæ aderant,ſe non eſſe ad comitia vocatos expoſtularunt, verùm edocti, id factum non regiæ auctoritatis contemptu,ſed,ne expectatio regiorum in legendo pontifice legatorũ nouum ius,velut probato exemplo,regi in poſterum compararet, moræ nihil fecerunt. & læti ad venerandum cum aliis pontificem acceſſerunt. Ludouicus autem,re cognita, Romanos collaudauit,quòd dignũ ea ſede pontificem ſublegiſſent, ſeq́; iura Eccleſiæ amplificare, non minuere velle, oſtendit. Poſtero anno venere legati à Baſilio Imperatore nouo ad Hadrianum, quos ille ad Nicolaum de habendo concilio deſtinauerat. Cauſſa verò mittendi hæc incidit. Cum Baſilius inito Imperio templum Magnum ad ſacram hoſtiam accipiendam inire vellet, Photius patriarcha eum repulit, indignum eſſe templi ingreſſu aſſerens, qui manu ſua hominem, atque eum Imperatorem in- 868

teremiſſet. Hæc de re Baſilius ita percitus de concilio aduerſus Pho-
tium generali habendo ad Nicolaum legatos miſit. qui Nicolaum ex
humanis ſubtractum cum inueniſſent, legationem Hadriano expoſue
runt. Hadrianus legatos eoſdem, quos Nicolaus deſtinauerat, confirma
uit, Donatum Oſtienſem, & Stephanum Nepeſinum epiſcopos, & Ma-
rinum diaconum. cum quibus fuit etiam Anaſtaſius bibliothecarius,
qui vitas ſuperiorum pontificum exarauit. His præſidentibus, cõcilium
octauum generale concelebratum eſt. in quo diſsidium de Ignatii ab-
dicatione, & Photii ſubſtitutione ſublatum eſt, Photio ditis deuoto, &
Ignatio in priſtinum honoris locum reſtituto. Statutum eſt etiam,
*vt conſecrationes, & promotiones epiſcoporum clericorum electione, & decreto, et
epiſcoporum collegio fierent, nene laici principes, aut potentes ſemet immiſcerent ele
ctioni, vel promotioni patriarchæ, aut metropolitani, aut cuiuslibet epiſcopi.* & rur
ſus ſacratum imaginum cultus eſt confirmatus. Hoc concilium anno
DCCCLXXI perfectum eſſe Annonius auctor eſt. Ludouicus, Barrio rur
ſus, ſed fruſtra, tentato, bellum Materam, Venuſiam, Canuſiumq; pari-
ter à Sarracenis occupata traduxit. Matera capta igne ſuccenſa eſt. reli-
qua validis præſidiis impoſitis communita. Vbique ſanctorum loca lu-
ſtrata, quæ, vt Ado inquit, perfidia, ac ſcelere barbarorum erant pollu-
ta. Lotharius in gratiam tandẽ redire Eccleſiæ cupiens noui pontifi-
cis comitate allectus ad eũ ſcripſit, ſe litteris, & legationibus à Nicolao
pontifice contendiſſe, vt ipſe, & accuſatores ſui coram audirentur, ſed
ſemper repulſum eſſe. nunc ab eodem idem flagitare, vt coram venire,
& colloqui liceat. Ad quas Hadrianus reſpondit, ſe ad iuſtam purgatio
nem accipiẽdam paratum eſſe, neque quod omnes leges diuinæ, atque
humanæ iuberent, repudiare. ſi ille ſe obiecti criminis inſontẽ putaret,
ad ſe adiret, vt veniam experitam acciperet; ſin minus, tamen ne veni-
869 re pigeret, vt merita piacula pœnitentiæ caperet. Sequenti igitur anno
Romam venit, magna procerum ſuorum caterua ſtipatus. Ibi rogatus
ab Hadriano, num diligenter omnia põtificis Nicolai præcepta, ac con-
ceptum iuſiurandum ſeruaſſet, reſpondit, ſe omnia ſanctiſsimè cuſto-
diſſe. idq; proceres omnes eius, qui aderant, ſuo teſtimonio confirma-
runt. Tum Hadrianus. Reliquum eſt igitur, inquit, vt ad Confeſsionem
S. Petri accedas, & ſalutaris hoſtiæ, quam pro corporis, & animę tuæ ſa
lute immolabimus, partem nobiſcum ſumas, ac per hãc membris Chri
ſti iungaris, vnde abſciſſus videbaris. Quod Lotharius ſummo ſtudio di
xit ſe facturum. Tum Pontifex ad rem diuinam faciendam progreſſus
eſt. qua perfecta, corpus Domini in manus ſumpſit, & in Lothariũ ver-
ſus, Age Lothari, inquit, ſi te expertem interdicti à Nicolao adulterii

ſentis,

ſentis,ac ſyncera fide te in poſterum à Valdradæ concubitu temperatu rum promirtis, ſacramentum ſalutis æternæ ad remiſsionem peccatorum tuorum profururum accipe; ſin minus, caue, ne ad internecionē animæ tuæ ſuſcipias. Ille verò cæcus ſine dubitatione ſuſcepit. Tum ſingulis proceribus eius accitis idem obtulit, dicens: Si regi Lothario in obiecto adulrerij crimine non fauiſti,& Valdradæ piorum communione priuatæ colloquium refugiſti, corpus, & ſanguis Domini noſtri proſit ribi ad viram æternam. Huius verò tanri, ac tam manifeſti flagitij maturas Deus pœnas expetijt. Siquidem Lotharius domum rediēs, cum Lucæ morbo eſſet oppreſſus,demū Placentiæ VIII. Idus Auguſti mortem oppetijt. & reliqui penè omnes ea ſceleris tabe contacti ante anni exitum varijs caſibus perierunt. Dum hæc aguntur,Ludouicus omni in Sarracenicum bellum cura intentus; claſſe Baſilij Imperatoris iuuante Barrium ruſus terreſtribus,ac maritimis viribus eſt adortus. Sarracenis ſuperioribus oppugnationibus feſsis,ac ſubſidij deſperatione debilitatis, oppidū anno,quàm obſideri cœperat,quarto in ditionem cum duce Seodano redactum, &, ne in poſterum arx hoſtium eſſet,ſubuerſum eſt. Seodanum Leo Oſtienſis necatum, Græci omnes Capuam in cuſtodiam traductum ſcripſerunr. Arma inde Tarentum, quod irem à Sarracenis tenebatur,conuerſa ſunt. Interim duo aduerſus Ludouicū Comites conſpirarunr. Quo ille cognito,fugientes Marſiam vſque eſt inſequutus. Ibi illi conſiſtere non auſi Beneuentum ſe contulerunt, atq; implorata Adelgiſi fide ſeruati ſunt. Dum autem eos Ludouicus perſequitur, Aeſerniam acceſsit, eamq; breui admota oppugnatione recepit. Inde prætergreſſus Alliſas per Teleſinum agrū ad Ciuitatem S. Agathæ venit, quam multos anre dies iuſſerat oppugnari. At Bertario abbate pro Hiſembrando,propinquo ſuo, ciuitatis gaſtaldeo, rogante,& ipſi,& ciuitati pepercit. ac Beneuentum Adelgiſo infenſus reuertit. Ibi Adelgiſus quoque, cum ſe ad Imperatoris genua proieciſſet, ac veniam ſibi, & receptis Comitibus petijſſet, haud difficilè gratiam impetrauit. Vrſus Dux Venetorum proſperè ad Tarentum prœlio nauali conflixit. Hendelmarius Eccleſiam Aquileienſem accepit. Anno, qui inſequutus eſt, octingenteſimo ſeptuageſimo, Ludouicus,& Carolus Lotharij patrui,quorum alter Germaniæ, alter Franciæ rex erat, V. Kalendas Auguſti in vnum conuenientes Lotharingiam ita inter ſe diuiſerunt,vt Ludouicus vrbes Coloniā, Aquas, Treuiros, Traiectum, Metas, Argentinam,& Baſileam, Carolus Lugdunum, Viſontionem, Viennam, Tungros, Tullum, & Virdunum cum adiacentibus obtineret. Ludouicus autem Imperator le- 870

gatis miſsis, fraternam hereditatẽ ad fratrem potius, quàm ad patruos pertinere cõtendens, Hadriano ius ſuum tuente, ac per legatos diras in Ludouicum, & Carolum intentante, idem ſibi regnum, ſed fruſtra, vindicauit. is Sarracenicum ne bellum hoc anno perſequutus ſit, incompertum. Tarentum quidem certè cum aliquot alijs Calabriæ locis in
871 eorum ditione remanſit. Poſtero anno compoſitis Campaniæ rebus, Romam ſe recepit, & poſtridie in feſto Pentecoſtes ab Hadriano pontifice, neſcio qua de cauſſa, iterum coronatus perfectis ſacris, cum eo in Lateranum inſigni cum pompa proceſsit. Ludouico abſente Seodanus, quem ille diſcedens dimiſerat, Adelgiſo adiuuante, Beneuentum, Capuam, ac multas alias Beneuentanæ, & Capuanæ ditionis ciuitates ſolicitauit, atque accito domo exercitu ad ſe traduxit. Quod vbi Ludouicus accepit, ira fremens rurſus exercitum in ea loca promouit, Beneuentum in primis, totius defectionis caput, cupiens expugnare. Adelgiſus, vt Ludouicum aduentare percepit, obuiam læto vultu pro greſſus, ab omnibus ſe rebellium populorum conſilijs ſeparauit, atque, vt ſemper aliàs, ſic nunc paratum eſſe ad omnia, quæ imperaret, facienda oſtendit. Quibus verbis Ludouicus inductus, ac magnificis præterea muneribus delinitus facilè ignouit. ac Beneuento dimiſſo, aduerſus alias ciuitates, quæ defecerãt, arma conuertit, eaſq; haud magno certamine recuperauit. Capua vna, quæ quadrato lapide erat conſtructa, ciuibus diutius reſiſtendi audaciam præbuit. Hæc igitur frequenti militum corona circundata, atque omnibus exeundi facultas adempta. Inde ager longè, lateq; vaſtatus. His de rebus Capuani ad extremam rerum omnium inopiã, ac neceſsitatem adducti, epiſcopo aſſumpto, corpus S. Germani in humeros ſuſtulerunt, ac patefactis portis ſupplices in caſtra ad Ludouicum perrexerunt. eumq;, vt, ſi non ſuis, at Diui illius meritis ſibi ignoſcere vellet, intimis precibus obſecrarunt. Placidi, mitiſq; ingenij Imperator ſordes, lacrymaſq; ſupplicantium ferre non potuit, ac ſtatim veniam ſe dare reſpõdit, atque ita Sarracenis expulſis, præſidioq; in omnibus receptis oppidis firmo relicto, Beneuentum ſe rettulit, ac milites in æſtiua dimiſit. Exercitus interim patrij ſoli reuiſendi ſtudio flagrare, domumq; poſt tot, tantoſq; labores exantlatos ſpectare. Id vbi Adelgiſus animaduertit, Ludouicum conueniens ſimulanter hortatur, vt exercitui gratiã reuiſendæ aliquando patriæ faciat, ac ditionem ſuam prægrauante militum multitudine leuet, cum nulla belli materia ipſius ſit virtute, ac felicitate relicta. Quo probato, ille exercitum maxima ex parte dimiſit, atque ipſe cum paucis nihil mali ſuſpicans reſtitit. Adelgiſus, vbi Ludouicum proprijs orbatum viribus

ſenſit,

ſenſit, conſtituto die ſatellites adhibuit ſcelerati conſilij ſui participes, atque agmine facto, in ædes, in quibus ille meridiabatur, irrumpere inſtitit. Ludouicus, ſtrepitu armatorum audito ex lecto repente deſilijt, atque arreptis armis, cum paucis, qui aderant, ſui cuſtodibus ad oſtium domus occurrit, adituq; intercluſo, hoſtem à liminibus arcuit. Adelgiſus, vbi vidit eò ſe penetrare ſine ſuorum cæde non poſſe, faſces iuſſit adduci, atq. ædibus ignem inferri. Hoc cognito Ludouicus exterritus inducias ſibi dari, pacemq; popoſcit. cui reſpondit Adelgiſus, nihil æqui ſe concedere poſſe, niſi iureiurando promitteret, ſe nunquàm in poſterum Beneuenti fines intraturum, neq. huius iniuriæ vindictam aliquam exacturum. Ita Ludouicus præſenti neceſsitate adactus, allatis Sanctorum relliquijs, eiuſmodi ſe ſacramento deuinxit ac poſtridie Beneuento egreſſus Berolam petijt. atq. ibi per menſes vndecim manſit. Itaque ſequenti anno, cum ibi eſſet, primùm tria, dein 872
de nouem millia Sarracenorum per Comites ſuos apud Capuam profligauit. Profectus eſt inde Capuam. Cuius aduentu comperto, Sarraceni Principatum reliquerunt, atque in Calabriam conceſſerunt. eaq; populationibus lacerata, conſcenſis nauibus in Africam ſe recepe runt, quicunque è naufragiis euaſerunt. Eodem anno Hadrianus pontifex Kalendis Nouembris moritur, atque ei Ioannes octauus, homo Romanus, xix. Kalendas Ianuarias ex archidiacono Cardinali ſufficitur. Proximo Ludouicus, cum annum iam Capuæ confeciſſet, ac, pul 873
ſis tota Campania Sarracenis, iniquo aduerſus vnum Adelgiſum, atq. exulcerato animo eſſet, Romam ſibi repetendam, & nouum pontificem ſuper ea re conſulendum putauit. A pontifice honorificè exceptus petiit, vt concilium de ſumma re conuocaret. Ibi congregatis patribus ſcelus in ſe, ac perfidiam Adelgiſi edocuit, vt verbis deceptum, vt in ædibus obſeſſum, vt metu mortis perterrefactum ſacramento ſe grauiſsimo obligauiſſet. atque vt ea de re ſententiæ dicerentur, poſtulauit. Ea relatione facta, cenſuere patres, Adelgiſum, qui ſe hoſtili, ac perfido animo aduerſus Imperatorem geſsiſſet, hoſtem eſſe Imperij iudicandum, ac rurſus bello quàm acerrimè perſequendum. ſacramentum non eſſe, quod aduerſus remp. ſuſciperetur; nec Ludouico obeſſe debere, quod ſalutis conſeruandæ cauſſa iuraſſet. Atq. ita pontifex Ludouicum ſacramento, quo ſe obſtrinxerat, diuina auctoritate abſoluit. Hoc decreto Ludouicus erectus bellum maioribus opibus inſtaurauit. verùm, ne periurus exiſtimaretur, reginam ſummæ rerum præfecit, eamq; exercitum Beneuentum adducere iuſsit. Adelgiſus, cum ſe hoſtem iudicatum, atq. vniuerſis peti viribus intelligeret, tan

tam ſe tempeſtatem ſuſtinere poſſe diffiſus ſpem ſalutis in fuga poſuit, atq. in Corſicam inſulam ſeſe abdidit. Eodem anno Gradenſis Eccleſia ad Petrum Venerum eſt tranſlata. Sequenti, Rodoaldus gaſtal-
874 dio Aquinas caſtrum apud Pontem Curuum conſtruxit, quod ab eo Pontem Curuum vocauit. quo in loco Fregellæ quondam inclyta Romanorum colonia fuit. Brixiæ tribus diebus, tribuſq. noctibus ſanguine pluuit. Ludouicus in Lombardiam reuerſus ius populis dixit, & beneficia poſtulantibus, quæ ſunt viſa, conceſsit. Adelgiſus Beneuentanum recepit Principatum, & moriens Aionem filium ne, an fratrem, ſibi aſſumpſit ſocium. Ioannes pontifex Rauennam profectus, ibi conuentum ſeptuaginta epiſcoporum egit. In eo conuentu lis inter Vrſum Ducem Venetiarum, & Petrum Patriarcham Gradenſem compoſita eſt. Mortuo Senatore, epiſcopo Torcellano, Petrus patriarcha confirmare, & conſecrare Dominicum Leonis Caloprini filium monaſterii Altinatis abbatem abnuerat, quia ſibi virilia ſuccidiſſet, perterrituſq. à Duce Romam contenderat. Hinc cum Ioanne pontifice Rauēnam perrexit. quò etiam Hendelmarius Aquileienſis patriarcha, & Leo Caprulenſis epiſcopus, & alii eiuſdem prouinciæ epiſcopi aduocati. qui quoniam conuentu iam confecto aduenerunt, communione priuati, ſed Ducis precibus reſtituti ſunt. Bona tamen Ec-
875 cleſiæ Torcellanæ Dominico permiſſa. Poſtero anno Ludouicus ſæuum morbum nactus menſe Auguſto mortem Mediolani oppetiit. Extat adhuc vetus eius in æde Ambroſiana ſepulchri elogium. Fuit vir pietate, iuſtitia, & religione inſignis: verum ſtudium in eo gloriæ, & dignitatis Italicæ conſeruandæ multò maius aut fortuna, aut opibus fuit, nec tantum virtute, quantum voluntate, complexus eſt. Ludouici vxor Engilberga religionis cauſſa nobile monaſterium ad vrbem Placentiæ ædificarat, idq́; Diuis Xyoſt, & Agapeto conſecrarat. Eodem anno Anſpertus archiepiſcopatum Mediolanenſem accepit.

CAROLVS CALVVS REX, ET IMPERATOR.

MOrtuo Ludouico, magna inde pro Imperii titulo, regnoq́; Italiæ aſciſcendo certamina concitata ſunt. Etenim ad hanc diem eiuſmodi decus à patre viuente maximo natū filio deferri, idq́; ſubſequente archiepiſcopi, ac Pontificis conſecratione conſueuerat affirmari. Sic Carolus Magnus Pipino, & Ludouico; ſic Ludouicus Lothario, ſic demum Lotharius Ludouico indulſerat. Ludouico verò ſine vlla virili prole extincto,

certatim Franci, Italiq; ad eius laudis cupiditatem, ac ſtudium exarſerunt. In Francia partui Ludouici Carolus Caluus Franciæ, & Ludouicus Germaniæ reges, cum ſine contentione Lotharingiam diuiſiſſent, certatim animum ad Italiam, atque ad Imperium adiecerunt, haud dubia ſpe, eius fore vtrunque, qui prior armatus in Italiam deſcendiſſet, ac parta pontificia gratia, ſolemnia ab illo inſignia recepiſſet. Ac Caluus quidem, nuncio apud Duciacum de morte Ludouici accepto, ſtatim motis caſtris ad Pontigonem perrexit, & proceribus, quos potuit, ſumptis, Kalendis Septembris iter ingreſſus in Italiam per montem Iouis tranſire contendit. Ludouicus autem pari ſtudio inflammatus, ac conſilii fratris certior factus primò Carolum Craſſum, dein de Carolomanum filios, qui iter Caluo impedirent, magno cum exercitu miſit. Ex quibus, cum Craſſum in fugam compulſum, Carolomanum perterritum à Caluo audiſſet, ira furens ipſe cum tertio filio Ludouico magno impetu in Franciam introrupit, ipſamq; hoſtiliter dilacerare inſtituit. Interim Ioannes pontifex, communicato cum epiſcopis, quos alia de cauſa aduocauerat, & ſenatu Rom. conſilio, Caluum ceteris omnibus antepoſuit. Itaque Saderico Veliterno, & Formoſo Portuenſi epiſcopis miſsis, ipſum Romam ad coronam accipiendam acciuit. Quod vbi Caluus cognouit, recto itinere ad vrbem ſe contulit, eamq; XVI. Kal. Ianuarias ſolemni ciuitatis occurſu exceptus iniuit. Inde die Chriſti Natali in Baſilica Vaticana ante Confeſsionem de more inunctus, Auguſtali nomine, & diademate eſt inſignitus, cum ſanctiſſimum iuſiurandum concepiſſet, ſe aduerſus inimicos Eccleſiæ perpetuò pontifici pro viribus affuturum. quo facto, vt præſens aliquod pietatis ſuæ ederet documentum, multa, eaq; precioſa S. Petro dona tulit. Hinc titulus Imperatoris Auguſti poſthac ſincerũ pontificis beneficiũ eſſe, anniq; Imperii à cõſecratione pontificia repeti cœpti. Quibus rebus ritè peractis, Ioannes orationem ad epiſcopos habuit, in qua, commemoratis rebus Caroli Magni, & Ludouici Pii pro ſalute Eccleſiæ geſtis, ad extremum eximias Calui nepotis laudes auitis, pater nisque virtutibus reſpondentes adiunxit, atque ita ſubiecit: *Et quia pridem prædeceſſori noſtro Nicolao pontifici id ipſum cæleſti inſpiratione reuelatum fuiſſe comperimus, eligimus Carolum hunc Caroli Magni nepotem, & approbauimus omnibus fratribus, & coepiſcopis noſtris, & ſenatu, populoque Romano aſſentientibus, & vetere inſtituto ad Ro. Imperij ſceptra proueximus, & Auguſtali nomine decorauimus, vngentes eum oleo extrinſecus, vt interiorem quoque Spiritus Sancti vnctionem oſtenderemus. Neque verò hic ad tantum faſtigium ſe velut improbus intulit, nec fraude, aut machinatione, aut ambitione* 876

huic

aſpirauit, ſed deſideratus, & poſtulatus à nobis, & à Deo vocatus, & honoratus ad tuendam religionem, & Chriſti vbique ſeruos defendendos humiliter, & obedienter acceſsit, operaturus, & roboraturus in Imperio ſummam pacem, & tranquillitatem, & in Eccleſia Dei iuſtitiam, & exaltationem. neque enim niſi nos talem eius animum perſpexiſſemus, noſtrum nos ſtudium ad illum prouehendum contuliſſemus. Quapropter fratres cariſsimi vnanimes benedicamus domino, qui hunc tantum nobis, & talem dedit, per quem paganorum contritio, & Chriſtianorum ſperetur cita redemptio. et quod iam in Ro. Eccleſia, quæ eſt magiſtra, mater, & caput Eccleſiarum, auctore Deo, geſsimus, preces benedictionis fundentes, & coronam imponentes ſceptrum, & Diadema Imperii etiam in hac ſancta, ac generali fraternitatis noſtra ſynodo, ad quam Deo duce in humanis neceſsitatibus ſanctæ Dei Eccleſiæ conueniſſe dignoſcuntur, iterum cordis affectibus, oris vocibus, & manus ſubſcriptionibus roboremus. ſub quas voces epiſcopi reſponderunt: *Amamus, quem tu amaſti, eligimus, quem elegiſti, & benedictionem, vnctionem, & conſecrationem, quam tu in Carolum contuliſti, ſequimur, probamus, ac veneramur. & ſi quis aliter ſenſerit, ei reſiſtemus, quiq; repugnauerit, anathemate iugulabimus.* Ac mox, quæ dixerunt, ſubſcriptione firmarunt. Nonis inde Ianuarii Carolus vrbe egreſſus Papiam venit. atque ei Anſpertus vrbis archiepiſcopus Italici regni coronam magno epiſcoporum, procerumq; conuentu ex vetere conſuetudine detulit, inquiens: *Nos Anſpertus cum omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, & reliquis, qui nobiſcum conuenerunt, Italici regni optimatibus, perpetuam optamus proſperitatem, & pacem. Et quia diuina pietas vos per Ioannem ſummum pontificem ad Auguſtale culmen euexit, nos vnanimiter vos protectorem, dominum, & defenſorem omnium noſtrum, & Italici Regni regem eligimus, cui & toto cordis affectu ſubdi gaudemus, & omnia quæ nobiſcum ad vtilitatem totius S. Dei Eccleſiæ, noſtrorumq; omnium ſalutem decernitis, & ſancitis, totis viribus, annuente Chriſto, concordi, & prompto animo ſeruare promittimus.* Subſcripſere epiſcopi ipſe Anſpertus Mediolanenſis, Ioánes Arretinus, Ioannes Ticinenſis, Benedictus Cremonenſis, Theodulfus Oerthonenſis, Adalgardus Vercellenſis, Azo Eporedienſis, Gerardus Laudenſis, Hilduinus Haſtenſis, Leudoinus Mutinenſis, Hildradus Albenſis, Ratbonus Auguſtanus, Filbertus Comenſis, Adelardus Veronenſis, Paulus Placentinus, Andreas Florentinus. Inde Anſpertus iurauit, ſe, quoad vita ſuppeditaſſet, opem, atque obedientiam præſtiturum. contraq; Caluus ſe Anſpertum pariter conſeruaturum iureiurando interpoſito affirmauit. Inde menſe ipſo Februario in Palatio Ticinenſi vnà cum ipſo Epiſcoporum conuentu leges ad ſalutem Eccleſiæ, atque Italiæ pertinentes tulit. ac ciuitatum, & eccleſiarum iura reno-

uare inſtituit. Præter cetera III. Kal. Martias priuilegia Caroli Magni, Pii, Lotharii, ac Ludouici nepotis, vt vocat, ſuo Eccleſiæ Cremonenſi primatu. Inde Boſonem Buuini Comitis filium, Rechildis vxoris ſuæ fraterno, Ducem declarauit, & Vidonem Lamberti, ac Berengarium Efetardi filios illum Spoleti, & hunc Foriiulii confirmauit atque his actis trans alpes abiit. Interim Romæ Ioannes pontifex Formoſum Portuenſem epiſcopum, & Gregorium Nomenclatorem coniurationis aduerſus ſe initæ compertos cum adeſſe iuſſi, fugam cœpiſſent, communioni remouit. Caluus autem paucis poſt diebus in monaſterio S. Dionyſii Paſcha celebrauit. atque ex auctoritate pontificiorum legatorum conuentum in Idus Iunias Pontigonem indixit. Is conuentus XI. Kalendas, Indictione nona, præſente Imperatore, pontificiſq; legatis eſt inſtitutus. In eo præter cetera X. Kalendas electio Imperatoris, quam epiſcopi, & reliqui Italici regni proceres comprobarant, legeſq;, quas ille Papienſi in regia tulerat, confirmata. VI. inde Idus Iulias venere legati pontificis epiſcopi, Leo Sabinenſis pontificis nepos, & Petrus Foro Sempronienſis, qui Imperatorem, & epiſcopos verbis pontificis ſalutarunt. poſtridie verò dona à Pontifice miſſa obtulerunt, Imperatori ſceptrum, & baculum aureum, Imperatrici pallia, & armillas cum gemmis. iidemq; damnationem Formoſi epiſcopi, & Gregorii Nomenclatoris, & eorum, qui cum eis contra pontificem conſpirauerant, toto approbante concilio recitarunt. Dimiſſo inde conuentu Caluus legatos pontificis eximiè donatos dimiſit in vrbem. profectusq; Pontigone III Kal. Auguſti venit Catalaunos, ibique vſque ad Idus imbecillitate valetudinis eſt detentus. Inde progreſſus Rhemos cum Syluacum pergeret, nuncium accepit, fratrem ſuum Ludouicum Germaniæ regem V Kalendas Septembris diem ſuum Francfordiæ obiiſſe. Itaque propere Aquas, Coloniamq; contendit, vt Lotharingiam, quæ fratris, & filii eius Lotharii fuerat, occuparet. Ludouicus tres filios reliquerat, Carolomanum, Ludouicum, & Carolum cognomine Craſſum. ex quibus Ludouicus, qui paterno funeri interfuerat, vbi patruum paterni regni fines ingreſſum caſtra ad Rhenum poſuiſſe audiuit, ira incenſus, quòd paternum inuadere regnum eſſet auſus, Francfordia copias mouit, atque ad alteram Rheni ripam è regione conſedit. Ibi iure primum, deinde gratia per legatos petita, cum neutrum impetraſſet, decem homines cum aqua calida, totidemq; cum frigida, decemq; alios cum ferro candenti miſit, iuſſos experiri iudicio, vtri regnum illud conueniret, quod cum ipſo pater ſuus Ludouicus ſacramento interpoſito diuiſiſſet. Qui, re tentata, cum detri-

mentum

menrum nullum cepiſsent, nihil tamen æqui obtinuerunt. Ob id Ludouicus animo incitatus VIII Iduſ Octobris Rhenum copias occulte traiecit, ac Calui exercitum adortus ipſum in fugam verſum profligauit. Victo Caluo, fratribus paterna regna inter ſe partientibus, Carolomano Baioaria, Pannonia, Carantanum, Boemia, & Morauia euenit, Ludouico Franconia, Thuringia, Saxonia, Friſia, & pars Lotharingiæ, Craſſo Alemania, & altera Lotharingia. Dum autem hæc in Francia à Caluo Imperatore, & rege Italiæ adminiſtrantur, Sarraceni, qui Tarenti à Ludouico dimiſsi remanſerant, collectis viribus Barrium, ac finitima Barrio loca populabundi percurrerunt. & Salernitanos, Amalfitanos, ac Neapolitanos impulerunt, vt iuncto ſecum fœdere Romanam vrbem inuaderent. Quod vbi Pontifex Ioannes reſciuit, conatibus eorũ occurrere cupiens, accitis Calui auxiliis, Lambertum, & Vidonem eius fratrem, Spoleti Comites, Caluo ipſo iubente, aſſumpſit, ac Neapolim, Salernumq; progreſſus Guaiferium Principem Salernitanum, vt rupto fœdere ſecum Sarracenos adoriretur, induxit. Sergium verò Ducem Neapolitanum, vbi ad officium redigere non potuit, prorſus piorum ſocietate, congreſſuq; priuauit. Nihil commodius à pontifice geri potuerat, ſi in iis fides fuiſſet, in quibus eſſe debebat. Hic fuit Athanaſius Neapolitanus epiſcopus, qui Sergio fratre capto, Romamq; tranſmiſſo, Dux ipſe ſuffectus cum Sarracenis fœdus inſtaurauit, atque eis iuxta Neapolim collocatis, Beneuentanos, Capuanos, Salernitanos, Romanosq; fines hoſtiliter populari, ne eccleſiis quidem parcens, perrexit. Quibus malis permotus Pontifex anathema illis inflixit, ac XVIII Kal. Decembris Caluum certiorem per litteras de his rebus omnibus fecit, narrãs, ſe à Sarracenis ferro, à vicinis Chriſtianis fame vrgeri. quare enixè eum cum clero, populoq; Romano rogare, vt celeriter auxilia iampridem promiſsa ſubmittat, memor ſe ab Eccleſia Romana in Auguſtali nomine deferendo cum ceteris, tum fratri ſuo

877 eſse prælatum. Sequente autem Februario conuentum iampridem indictum Romæ habuit, in quo electionem, & conſecrationem eius Auguſtalem ratam eſse in perpetuum ſanxit, diris grauibus, quicunque eam auſi fuiſsent infirmare, deuinctis. Inde IIII Idus Februarias litteris miſsis primùm expoſtulauit, quòd adhuc neque terra, neque mari nuncium mittere propter imminentia à paganis, & iniquis Chriſtianis pericula potuiſset, deinde petiit, vt promiſsa per Leonem epiſcopum auxilia vellet mittere, ne à Sarracenis aut morte afficerentur, aut in ſeruitutem abſtraherentur, aut noua capere conſilia cogerentur: ſimul admonens, vt in memoriam reuocaret, quantos labores pro ip-

ſo ad

ſo ad Imperium euehendo ſubiſſet, quantumq; hoſtium ob eam cauſſam ſibi paraſſet. rogare vt gratiam referret,atque Eccleſiæ ſimul, & honori ſuo conſuleret. duos Petros epiſcopos,Foroſempronienſem, & Senogallienſem ſe propterea ad illum mittere. in eoq; ſpem ſalutis omnem poſuiſſe. Inde Idibus iterum ſummis precibus orauit, vt periclitanti opitularetur Eccleſię. nam Sarracenos Anienem, Tiberimq; tranſire, & excurſiones in Sabinos facere, nec ſacratis Deo viris, & virginibus abſtinere.quod ſi quid intacti relinquerent,id quoque ab improbis Chriſtianis vſque ad vrbis mœnia procurrentibus abſtrahi. & beneficio coronæ delatæ commemorato addidit, reliquas eius occupationes huic vni poſthabendas eſſe, cum Romana Eccleſia, quæ aliarum eſt caput, ruente, reliquas eodem motu concidere eſſet neceſſe. ad Richildem verò Auguſtam ſcripſit,vt maritum ad opem maturè ferendam impelleret. nam ſe nulla alia de cauſſa coronam illi Imperatoriam detuliſſe, niſi vt Eccleſiam, Romamq; protegeret. Quin etiam à Boſone Comite auxilia poſtulauit, narrans Romanam oram Sarracenorum, tanquam locuſtarum, turba eſſe opertam. IIII verò Kal. Maij Anſpertum Mediolanéſem,Ioannem Rauennatem, & Valpertum Aquileienſem admonuit, ſe Adelardum epiſcopum Veronenſem communione priuaſſe, quòd Nonantulanum Cœnobium inuaſiſſet. VIII. inde Kal. Iunij rurſus ſcripſit ad Caluum, vt nullam horam in auxilio ferendo eximeret.nam Sarracenos,omni depopulata Campania,ſuburbana Romæ loca incendio miſcuiſſe. Caluus autem legatione pontificis, cum paſcha apud Compendium ageret, cognita, ſe non defuturum reſpondit, ac ſtatim rebus Franciæ per Iunium menſem conuentu Compendij habito conſtitutis, cum Richilde vxore, & maxima re pecuniaria, atq; ingenti pretioſæ ſuppellectilis copia in Italiam iter intendit. Interim Ioannes, cum conuentum Rauennam epiſcopis indixiſſet,ad Ioannem archiepiſcopum ſcripſit, ſe conuentum illum Rauennę celebrare velle,non ſolùm quia Eccleſia ab iniquis Chriſtianis vexetur, ſed etiam quia multis in rebus emendationis indigeat, & quia locus nullus Rauenna ſit magis idoneus, rogare vt eò cum ſuis ſuffraganeis occurrere ad VIII Kal.Iulij velit. VI autem Kal. Iunias Vrſum Ducem Venetiarum, vt eò adeſſet, admonuit. XIII verò Kal. Auguſti, ſcripſit, ſe Rauennam, omni itineris incommodo ſpreto, conuentus habendi gratia conceſsiſſe, eumq; Kal. Auguſti inchoaturum eſſe. Conuentu inde perfecto, cuius acta ad nos non peruenerunt,vt maturius Caluum de inſtanti bello conſuleret,Rauenna egreſſus ad eum iter intendit. Quod vbi Caluus Iuram montem iam prætervectus

teruectus vnà cum actis Romanis accepit, & ipſe iter, opportunè occurrere volens, accelerauit. Vercellis congreſsi vnà Papiam proceſſerunt. Grauia inde Sarracenicibelli propulſandi conſilia Carolo manus rex Bauariæ interrupit. Is, quod pater Ludouicus tentauerat, perfecturum ſe arbitratus, in Italiam cum maximo armatorum numero deſcendebat. Eo illi nuncio exanimati, nouo conſilio capto, ſtatim Papiam reliquerunt, Derthonemq. ſe contulerunt. Ibi Richildis Augusta à pontifice conſecrata eſt. Addit etiam Regino, eundem Boſoni vxoris ſuæ fratri Hirmingardem Ludouici Imperatoris mortui filiam in matrimonium collocaſſe, ac Prouincia donatum regem appellaſſe. Rumore inde de Carolomani aduentu in dies magis increbeſcente, Caluus Richildem cum theſauro domum remiſit, neque ita multò poſt ipſe quoque ſubſequi cœpit, poſtquàm proceres ſuos, quos acciuerat, ſeditione conflata, non venire, Carolomanum verò iam affuturum accepit. Quo facto & ipſe pontifex vrbem repetijt, cruce ab eo aurea magni ponderis, & pretioſis gemmis ornata donatus. Iam alpes Imperator attigerat, cum eum repentina febris inuaſit. qua re permotus Sedechiam Iudæum, medicum ſibi dilectum, adhibuit, atque ex eius ſententia præſentis remedij gratia puluerem quendam mortiferum hauſit, atque inde Ciniſium montem aſcendere cœpit. Vbi verò ad locum, qui Brios dicitur, venit, ingraueſcentis morbi magnitudine, & veneni ſæuitie conflictatus Richildem, quæ apud Mauriennam erat, acciuit, atque in eius complexu vndecimo die, pridie Nonas Octobris, animam efflauit. Ceterùm ad hoc malum illud quoque adiunctum. Capuani expulſo Landulfo epiſcopo Landenulfum ſummo apud ſe loco natum, licèt vxore præditum, & neophytum ſuffecerunt, ac ſummis precibus Pontificem, vt eum conſecraret, orarunt. Qua re cognita Bertharius abbas Caſsinas, & Leo Teanenſis epiſcopus Ioannem pontificem Romæ adierunt, monentes, ne poſtulationi tam iniquæ, atque inſignem iniuriam ciuitati, ac pontificiæ auctoritati perniciem allaturæ aures præberet. Pontifex hominum grauitate permotus primò ſe facturum negauit, deinde precibus nobilium expugnatus neophytum conſecrauit. qua ex re ſeditio in ciuitate grauis eſt orta. Quod vbi Sarraceni animaduerterunt, rurſus omnia populando vaſtarunt. Pontifex autem, vt ſeditionem extingueret, Landulfum in eccleſia Capuæ veteris epiſcopum conſtituit, Landenulfum verò in nouæ. atque æqua ſorte inter vtrumque eccleſiæ bona diuiſit. Paullo poſt Landenulfus, qui Capuæ præerat, cum pontificis in fide maneret, petiit ab eo, vt Caietam, quæ tum in ditione pontificis erat, ſibi ſubiiceret.

Qua re impetrata ille ciues acerba premere ſeruitute inſtituit. Id verò cum pati Docibilis Dux Caietanus non poſſet, Sarracenos Agropoli aduocauit, atque Caietam, vt ſibi auxilio eſſent, adductos Formianis in collibus collocauit. Quibus de rebus pontifex edoctus, quacunque ratione potuit, Caietanos ab amicitia Sarracenorum auertit, Docibilemq., vt arma Sarracenis inferret, induxit. Verùm, cum Docibilis acie cum Sarracenis congreſſus malè pugnaſſet, captiuos ſuos recuperandi cupidus fœdus cum eis percuſſit, atque Garilianum arcem ad Lirim amnem in finibus Campaniæ condidit, eamq. illis ad habitandum conceſſit. Quo ad cetera incommoda nihil accidere potuit Romanæ poſt in multos annos ditioni pernicioſius. Gradenſis Eccleſia ad Petrum Venetum, licèt recuſantem, delata.

LVDOVICVS BALBVS IMPER. ET CAROLOMANVS REX.

MOrtuo Caluo, Carolomanus extemplò Italiæ regnum iniuit. atque in Italiam progreſſus, receptis ciuitatum ſacramentis ſe in Bauariam falſo Caroli aduerſus ſe contendentis nuncio exanimatus recepit. Regnum quidem ipſum Italiæ per triennium tenuiſſe, in maximo Francorum, Germanorumq; annalium ſilentio vetera multa, quæ in Lombardia leguntur, diplomata fidem faciunt, quibus ipſe Bauariæ, atque Italiæ rex, ſic enim ſe inſcribit, per hos tres annos eccleſijs, populisq. beneficia confirmauit, ante à Carolo, Pio, Lothario, & Ludouico regibus condonata. Omnia tamen diplomata in Bauaria data ſunt. Ludouicus verò Balbus, patris morte audita, Compendij cum Richilde nouerca pridie Kalendas Decembris conuenit. atque ab ea tabulas patris accepit, quibus ille regnum ſibi Franciæ tradebat, & enſem S. Petri, per quem ſe regem inſtituebat, & regiam veſtem, & coronam, & ſceptrum auro, gémiſq. pretioſis diſtinctum: atque ita magno epiſcoporum, procerumq. conſenſu V. I. Idus Decembris rex ab Hincmaro Rhemenſi archiepiſcopo conſecratus, & coronatus eſt. Is acceptis ſolemnibus omnium ſacramentis, propè Sueſſionas in monaſterio S. Medardi Natalé 873
Dñi, & Paſcha in monaſterio S. Dionyſij celebrauit. Progreſſus inde ad quoſdam compeſcendos tumultus Turonum, ibi grauiſſimè ægrotauit. Interim Romæ nouus, isq; deteſtandus tumultus eſt concitus.

re coegit, ac Tarentum miſit, qui Sarracenos donis ſolicitarent, vt ſibi auxilio adeſſent, denique omni perfidia vſus peſſimè ipſum Pontificem habuit. Quare rogo te, vt patris exemplo Eccleſiæ defenſionem ſuſcipias: ego maritimo itinere ad te contendam. Ludouico autem Ludouici Baioariæ regis filio ſignificauit, ſe mari in Franciam ad ſynodum agendam iturum, vt Eccleſiæ rationibus conſulat, *Quæ perfidia,* inquit, *Lamberti Vidonis Ducis, imo proditoris, filij conflictatur, qui cupiditate Imperij accenſus ſimulata religione Romam venit, ac poſtridie porta S. Petri occupata, Pontificem, & omnes alios mi ſerè diuexauit: atque hæc ſe facere iuſſu Carolomani regis dixit. quare moneo te, vt epiſcopos regni tui ad concilium mittas.* Hoc modo vrbe egreſſus cum pretioſiſsimis ſanctorum corporum reliquijs Genuam peruenit, atque inde litteras ad Carolomanum miſit, expoſtulans, quòd, cum ille ſe Eccleſiæ Ro. tutelam ſuſcepturum eſſe ſupra omnes reges, Auguſtóſq; promiſerit, tamen temporibus eius ea labes contracta ſit, quæ nullis regibus contigiſſet. nam ſe biennali paganorum perſecutione defeſſo exortos eſſe Lambertum Comitem, & Adelbertum deſignatum Marchionem, qui hoſtili manu vrbem per fraudem lacerarint. ſe, quia terra iter interſeptum ſit, mari in Franciam ad habendum concilium conceſſurum. quare monere, vt eò ſuos mittat epiſcopos. Genua inde progreſſus in Prouinciam in die Pentecoſtes acceſsit. Inde Boſonis Prouinciæ regis auxilio Lugdunum progreſſus ad Balbum nuncios de ſuo aduentu Turonum præmiſit. Balbus, miſsis obuiam epiſcopis, Trecas vt adiret, rogauit. Eò verò profectus pontifex conuentum epiſcoporum Galliæ, qui officij cauſſa conuenerant, egit, atque ad eos de iniurijs coniuratorum ſibi, atque Eccleſiæ illatis rettulit, &c. vt anathema à ſe in eos intentum confirmarent, poſtulauit. Anathema de ſcripto recitatum vbi Epiſcopi audiuerunt, ſcripto ſe quoque confirmare velle dixerunt. Itaque poſtridie iterum conuocati ita decreuerunt: *Beatiſsime Pater Catholicæ, atque apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ ſumme pontifex, Nos filij, famuli, ac diſcipuli tui Galliarum, ac Belgicarum epiſcopi iniurijs, quas vobis, & ſanctæ matri noſtræ, atque omnium eccleſiarum magiſtræ improbi homines intulerunt, vehementer dolemus, & propterea ſententiam veſtram, quam priuilegio beati Petri, & ſedis Apoſtolicæ in eos, & ſocios eorum iuxta ſacros canones ſpiritu Dei conditos, atque hominum reuerentia conſecratos, & iuxta prædeceſſorum veſtrorum decreta pronunciaſtis, verbo, & aſſenſu noſtro, atque auctoritate ſancti Spiritus approbamus, id eſt, quos communione priuaſtis, pro priuatis habemus, quos ab Eccleſia repuliſtis, repellimus, quos anathemate perculiſtis, perculſos eſſe iudicamus; & quos rite ſatisfacientes in gratiam receperitis, recipiemus.* In eodem etiam

conuentu Formoſus præſens omni Eccleſiaſtica dignitate nudatus, & laicam vitam poſthac traducere iuſſus. idemq́; ſacramento adactus, ſe in poſterum neque vrbem, neque epiſcopatum repetiturum. & quædam alia inſtituta ad rationes Eccleſiæ pertinentia ex veteribus Concilijs ſunt relata. Kalendis inde Septembris Balbus aduenit, neque enim propter imbecillitatem valetudinis ante potuit. Colloquio conſtituto, Balbus duris ſe ipſius, atque Eccleſiæ, quæ commemorabat, temporibus affuturum oſtendit, ſi ille ſe Auguſtali corona, quam patri ſuo tradiderat, exornaret. Cui cum ſe pontifex gratificaturum ſummo ſtudio reſpondiſſet, ipſum VII. Idus Septembris, maximo totius Galliæ concurſu, Imperatorem inunxit, ſolemni iureiurando adactum, ſe Eccleſiam, dum vixiſſet, ab hoſtium, & maximè infidelium impreſsionibus tutaturum. atque his rebus actis, multis vltro citroq́; officijs præſtitis abierunt, pontifex eodem comitante Boſone per ſaltus montis Ciniſij in Italiam, Balbus verò Compendium. Ioannes, cum VIII. Kal. Decembris Taurinum veniſſet, epiſcopis Lombardiæ, vt Papiam ad conuentum prodirent, in ante diem IIII. Nonas Decembris edixit. quo habito Romam reuerſus, inimicis Balbi auctoritate perterritis, cum Sarracenos, ſe abſente, Romana occupaſſe littora inueniſſet, nulla interpoſita mora, cum ijs, quæ ad manum erant, amicorum copijs aduerſus hoſtes contendit. atque eis pulſis Balbum in Italiam ad conficiendas eorum relliquias aduocauit. Litteræ ad Imperatorem, & Reginam ſcriptæ adhuc leguntur: *Romam reuerſi omnia littora noſtra Fundis, & Tarracinæ teneri à Sarracenis inuenimus. Quare non amplius quàm quinque dies, in vrbe morati cum fidelibus noſtris exiuimus, & naues eorum octodecim cepimus, & ſeruos ſexcentos liberauimus. ideò veſtro ad nos aduentu eſt opus, vt virtute veſtra præterita damna reſarciantur, & futura prohibeantur.* Balbus, cum legatos miſiſſet ad patrueles ſuos Ludouicum, & Carolum Craſſum, de concilianda, quæ Lotharingiæ diſtinebatur, diuiſione concordia, reſponſo Compendij, quod optabat, accepto, vſq; ad Heriſtallium venit. Inde Kalendis Nouembribus conueniens cum Ludouico apud Marſuam pacem cum eis ita firmauit: *Sicut inter patrem meum Carolum, & patrem veſtrum Ludouicum regnum Lotharij diuiſum fuit, volumus, vt ita ratum ſit. De regno verò, quod Ludouicus Imperator in Italia habuit, quia nondum eius aliqua diuiſio inita eſt, quicunque modò illud tenet, ita teneat, donec conuenientes ex communium amicorum conſilio, quod æquius, meliuſue viſum fuerit, ſtatuamus. Omnes autem ſciant, nos Regni Italiæ partem repetiſſe, & repetere, & repetituros eſſe.* Dimiſſo con-
879 uentu, Ludouicus in Germaniam ſe recepit. Romano eccleſia Rauen-

nas mandata. Balbus Natalem Domini in Longiaco, Purificationem verò Pontigone peregit. vnde Trecas, atque inde Compendium adijt. Ibi morbo ſæuiente (nam veneno infectus dicebatur) per fidos homines Odonem epiſcopum, & Albuinum Comitem coronam, enſem, & reliquum ornatum regium ad Ludouicum filium miſit, atque eum regem conſecrari Franciæ iuſsit. neque ita multò poſt, IIII Idus Aprilis, in Paraſceue mortem oppetijt. Poſt multos procerum, varioſq; tumultus Ludouicus, & Carolomanus, Balbi filij, reges Franciæ ab epiſcopis conſecrati ſunt. Boſo autem, Hirmingarde inſtigante vxore, Burgundiam repente inuaſit, ac ſe regem eius coronari, regibus Ludouico, & Carolomano deſpectis, iuſsit. Eo anno Ioannes Pontifex, conuentu Romam indicto, dum alios epiſcopos, tum in primis Anſpertum Mediolanenſem iampridem iuſſa pontificia detrectantem, ad Kal. Iunias euocauit: *Accede ad me*, inquit, *vt præſentibus Eccleſiæ malis remedium comparemus, & quia Carolomanus corporis, vt audiuimus, ægritudine oppreſſus regnum retinere non poteſt, de nouo rege ſufficiendo agamus. atque vero vllum poſthac ſine noſtro conſenſu regem recipies: quia qui à vobis rex eſt ordinandus, à nobis ad Imperium primum debet eſſe euectus.* Quin etiam ad Berengarium Comitem ſcripſit, vt paterno exemplo Eccleſiæ defenſionem ſuſciperet. & ad Carolomanum regem, ſe ſumma illius videndi cupiditate flagrare, vt eius ope decus Apoſtolicæ ſedis cuſtodiret; infinitas, quibus prematur, calamitates non poſſe enumerare, pro quibus leuandis maritima, & terreſtria itinera ſuſcepiſſe. neque vllius hominis auxilium plus, quàm ipſius, expetiuiſſe, verùm improborum hominum inſidiis id aſſequi non potuiſſe. orare, vt ad ſe defendendum maturet, aut vtile conſilium afferat. pro qua re legatos ad eum mitterej, & cum iis Goſpertum diaconum, vt eum Epiſcopum in eccleſia Vercellenſi ſeditionem agitante conſtituat. Confecto inde conuentu Anſperto Mediolaneſi denunciauit, ſe illum piorum communione priuaſſe, quòd ad tres conuentus accitus Trecenſem, Papienſem, & Romanum, venire abnuiſſet. Scripſit inde ad Landulfum epiſcopum Capuanum deſignatum, gratum ſibi eſſe, quòd diſſidentium propinquorum ſuorum inſidias euitando ex vrbe Capua exiſſet, ibiq; antequam eccleſiæ Capuanæ ſedem obtineret, cum vicinis epiſcopis diſcordias ſedare inſiſteret. ſe ad Kal. Octobris Traiectum venturum, & cum Guaiferio principe, quæ paci, tranquillitatiq; conducant, curaturum. Annus inde octingenteſimus octuageſimus immatura Carolomani, regis 880
Bauariæ, atque Italiæ, morte fuit nobilitatus. Is paralyſi oppreſſus VII Nonas Aprilis in Bauaria ad Odingas occubuit, vir religioſiſsimus, &

litteris eruditus, & laudis bellicæ haud expers, vt qui cum Ludouico patre, & ſine illo multis prœliis ſæuientem Sclauorum ferociam compreſsiſſet. Audita morte eius Ludouicus frater, rex Lotharingiæ, ſubitò Ratiſponam accurrit, ac regem ſe ſalutari Baioariæ iuſsit. Arnulfo Carolomani ex concubina filio Carantanum iampridem ei à patre deſtinatum eſt datum.

CAROLVS CRASSVS REX ET IMPERATOR.

CRaſſus autem Alemaniæ rex maiora animo agitans egreſſus ex Alemania vocatu pontificio in Italiam aduolauit. Quo facto benignè receptus ab Italicis regni inſignia ab Anſperto archiepiſcopo ſumpſit. conuentuq́; procerum de more aduocato regnum conſtituere inſtitit. mox autem, cum Romam ad coronam Imperii accipiendam ſpectaret, à Ludouico, & Carolomano, Franciæ regibus, reuocatus Italia ceſsit, atque eos bellum aduerſus Boſonem in prouincia gerentes, ac Viennam oppidum obſidentes adiuuit. Ioannes autem pontifex, qui illi in Italiam aduentanti Rauennam vſque occurrerat, ſpe promiſsi auxilii deſtitutus Romam repetiit. atque inde ad eum ita ſcripſit: *ſe litteris eum ad vrbem aduocaſſe, vt Auguſtale diadema pro Eccleſiæ amplificatione acciperet, & relicta eccleſia ſua inter inſidias paganorum, & impiorum Chriſtianorum Rauennam vſque proceſsiſſe, cum ſperaret, ſe poſſe per eum Eccleſiam in ſtatum priſtinum reſtituere. qua opinione deceptum domum reuerſum omnia lapſa in deterius reperiſſe, hoſtibus ob ſuperbiā in res S. Petri conatu acriore inuectis. quare orare eum, vt Eccleſiam reſpiciat, &, dum iter parat, homines ſtrenuos in ſui præſidium mittat. qua de re legatos ad eum deſtinaſſe*. ad quas litteras cum ille reſcripſiſſet, ipſe IIII Kal. Nouembris reſpondit. *ſe lectis eius litteris, vehementer de illius incolumitate lætatum, Deumq́ orare, vt omnia illi proſperè eueniant. ſe quoque, quāquam multis anguſtijs conflictatum, valere, ſed valiturum magis, cum eum ad ſe profectum conſpexerit. ſe à Sarracenis ita premi, vt nemo exire vrbe tutò poſsit. quare orare, vt ſublatis motibus omnibus ad ſe contendat, ne terra S. Petri peccato, & damno ſuo intereat*. ſcripſit etiam ad epiſcopos Spoletani, & Camertis Ducatus, vt ad conuentum VI Idus Octobris celebrandum Romæ adeſſent. His de rebus permotus Craſſus, ac ſimul Imperii Romani cupidine ardens, rebus Prouinciæ compoſitis, in Italiam iterum ſe recepit. Quem vbi traieciſſe alpes Ioannes audiuit, obulam nepotem ſuum miſit, cum his litteris: *Petimus, vt cum præſente ne pōte noſtro idoneum è latere veſtro nobis dirigatis legatum, qui ad iuſtitiam, &*

ſalutem terræ S. Petri interim nobiſcum laboret, cui fidem in omni ſermone habebitis. Inde Romam cumq; Valperto patriarcha Aquileienſi progreſſus ſummo ſtudio à pontifice, populoq; Romano exceptus eſt, petensq;, vt ſibi inſignia Auguſtalia traderentur, cum ſe in auctoritate pontificis futurum, Eccleſiamq. defenſurum enixè, promitteret, facile impetrauit. Corona in ipſis Chriſti Nataliciis exornatus ſolemne ſacramentum ſuſcepit, atque omnibus rebus, quæ cum pontifice de rep. agendæ erant, expeditis, Lombardiam repetiit. In itinere Rauennam cum acceſsiſſet, fœdus inter Venetos, atque Italicos ſibi ſubiectos in quinquennium renouauit, ſanxitq., vt Sclaui, qui mare aſsiduis latrociniis infeſtum habebant, communibus armis non ſolum arcerentur, ſed etiam peterentur. inde IX Kal. Iunias Nonantulam venit, atque inde quoque diplomata dedit. Interim Ludouicus, rex Franciæ, relicto ad Viennæ obſidionem Carolomano fratre, Nortmanis à Septentrione Franciam ineuntibus ſeſe obtulit. Eodem anno Ioannes Particiacus mortuo patre Vrſo Ducatum Venetiarum gerens Badoarium fratrem Romam miſit, vt Comitatum Comaclenſem à Ioanne Pontifice poſtularet. Qua re præcepta Marinus Comes conſilio cum Iudicibus habito cum armato militum globo egreſsus Baduarium in itinere adortus commiſſa pugna vulneratum comprehendit, & ſacramento obſtrictum, ſe illam iniuriam neque armis, neque iure perſequuturum, dimiſit. Baduarius Venetias reuerſus haud ita multò poſt ex vulnere eſt mortuus. Ea de re Ioannes Dux exercitu Comaclum adducto oppidum expugnauit, atque eis, qui fraternæ conſcii iniuriæ fuerant, vindicatis, domum repetiit. Eo anno Ioannes pontifex IIII Kal. Aprilis ad Craſsum Imperatorem ſcripſit, ſe eis malis à Sarracenis affici, vt ſuſtinere non poſsit. Quamobrem *ſuccurre*, inquit, *& exercitum, quem promiſiſti, quamprimum ſubmitte, duce ſtrenuo, atque acri adiecto, qui cum poteſtate his mederi incommodis poſsit. ne inimici dicant, Vbi eſt Imperator eorum? Palmam tibi in ſignum victoriæ cum benedictione mitto. Deumq́ oro, vt eam te in die tantæ ſolemnitatis geſtare permittat.* Inde Neapolim proficiſcens Romanum, antiſtitem Rauennatem, increpuit, quòd Albericum Comitem ex parte Imperiali Rauennam acciuiſset, & nobiles Rauennates propterea diuexaſset, contra iuſiurandũ, quo ſe ſibi obligauiſset. ſe vbi Neapoli, quò tum tendat, reuerterit, ei cognitioni operam nauaturum. mandare, vt Dominicum archidiaconum in epiſcopum Fauentiæ conſecret. ſin minus, ſe, vbi redierit, conſecraturum. reprehendit etiam, quòd matrimonium quoddam iniuſtè diremiſset, & propterea, ne quam ordinationem obiret, inhibuit, donec VIII Kal. Octo 882

bris ad conuentum Romam veniret, & delicta ſua purgaret. quem ni
ſi paruiſſet, ſe communione eſſe pulſurum. Quod & poſtea factum
882 eſt. Sequenti anno, cum res Eccleſiæ poſtularent, vt nouo pontificis,
Imperatorisq. colloquio opus eſſet, Craſſus pontificem Rauennam ad
conſilia communicanda vocauit. cui Ioannes reſpondit, *ſe lectis eius lit
teris, & voluntate perſpecta, quia intellexit, nihil ei eſſe antiquius, quàm hono
rem S. R. Eccleſiæ omnibus uiribus conſeruare, & ſalutem terræ eius afferre, ma
gnam ex ea re voluptatem hauſiſſe. Quod autem rogaretur, vt in die Purifica-
tionis Rauennam ad colloquium conueniret, ad ea conſultanda, quæ ad ſtatum,
& incrementum Eccleſiæ, & Imperij pertinerent, hoc ſe libenter recipere. pete
re autem, vt ante quartum diem ibi adeſſet. nam ſe miro eius viſendi deſide-
rio affici, & poſtulata implendi, ſi valetudo ſuppeditaſſet.* Conuentus inde
ex dignitate, & ſententia vtriuſque Februario menſe eſt habitus. Hinc
maro Rhemẽſi archiepiſcopo Fulco ſucceſsit. Interim Nortmani in
die Epiphaniæ monaſterium Prumienſe ingreſsi, poſtquam opes inde
omnes auexerũt, ſubiecto incendio combuſſerunt. &, cũ Ludouicum,
Lotharingiæ regem fato conceſsiſse audiſent, animo incitati Nonis
Aprilis Treuiros vrbem nobiliſsimam in Cœna domini occuparunt,
eaq; ſuccenſa infeſta ſigna Metas conuerterunt. Craſſus Baioariæ re-
gno inito ad accipiendum item Lotharingiæ regnum, & opem pro-
uinciæ ferendam accitus ex Italia mouit, atque innumerabili Italico
rum, Baioariorum, Francorumq. contracta manu in Franciam tran
ſiit, regnoq. altero inito Nortmanos, ſed inani incœpto, Metis ob-
ſedit. Gotfrido regi Nortmanorum Chriſtiano facto Friſia data, ac
Lotharii filia Giſla in matrimonium collocata, reliqui Nortmani in-
genti pondere auri accepto, finibus exceſſerunt. Quo facto, Craſſus
formandi regni cauſſa Kal. Nouembris conuentum Vormaciæ habuit.
Menſe Auguſto inter cetera detrimenta homo quidam Vidonis mar-
chionis octingentos tres homines è ditione pontificia cepit, ac ma-
nus eis apud Narniam amputauit. quorum plerique interierunt. Cu-
ius rei dolore ardens pontifex rem ad Mediolanenſem antiſtitem detu
lit, atque tranſacto miſerè ſacerdotio poſt XVIII Kal. Ianuarias vi-
ta ceſsit. Tum verò Tuſculanorum Comitum factio ad nouum pon-
tificem pro arbitrio ſuo creandum omni ope incubuit, ac Marinum
Galleſianum, Martinum II vulgò nominant, ex cardinali diacono
883 ſubrogauit. Is in ipſo Nataliciorum die conſecratus Albertum, & ce-
teros à Ioanne damnatos reſtituit, & præcipuè Formoſum in gratiam
Eccleſiæ recepit, ac religione ſolutum epiſcopatum, vrbemq. repete-
re iuſsit. Ceterùm ab hoc tempore Romana Eccleſia grauiſsimè labo

rauit

rauit, diſtracta in duas factiones ciuitate, quarum alterius principes Comites Tuſculani fuere. qui vrbanam potentiam affectantes pontifices, quos cupiditatibus ſuis aduerſarios nacti ſunt, coniurationibus initis fatigarũt, atque eis pulſis aut pecunia, aut vi vel propinquos, vel amicos ſuos cupiditatibus ſuis opportunos intrudere inſtituerunt. Itaque regibus, & pontificibus aſsiduis certaminibus occupatis paullatim vetus Eccleſiæ diſciplina eſt lapſa. ſi quidem præter cetera turpi Simoniacorum, & Nicolaitarum hæreſi polluta, ac corrupta ſunt omnia. quorum illi interdicta ſacrorum commercia, hi prohibita clericorum connubia defendebant. Interim Craſſus regno Franciæ conſtituto, Italiam reuiſit. Nonis enim Maij Veronæ III Idus Mantuæ fuit: vnde Venetis priuilegium tale indulſit, vt Andreas Dandulus Dux Venetiarum memoriæ prodidit: *Ioannes Dux Venetiarum per legatos ſuos Laurentium epiſcopum, Vigilium, ac Leonem noſtram precatus eſt clementiam, vt rerum ſui ducatus, quas intra ditionem noſtri Imperij eſſe conſtaret, confirmationis noſtræ præceptum ſibi fieri iuberemus, quas ipſe, & ſui heredes, epiſcopi, abbates, & popu'i ſibi ſubiecti tenerent, quemadmodum temporibus proaui noſtri Caroli decreto cum Græcis ſancitum poſsiderent. Petijt etiam, vt in quibuſcunque locis regni noſtri Venetus aliquis eſſet, ſuæ poteſtati ſubiectus maneret. Cuius nos petitionibus annuentes has litteras ſcripſimus, decernentes, vt nemo de regno noſtro, vel in finibus Ciuitatis nouæ, vel eius, quæ dicitur Caput Aggeris, in poſſeſsionibus, vineis, agris, pratis, paſcuis, ſyluis, & cunctis locis, de quibus in pacto eorum legitur, vel vbi in ditione noſtra ipſi proprietates habere noſcuntur, aliquam pabulationem, aut venationem exerceat, vnde homines eius aliquam vexationem accipiant, ſed ſecurè per loca, & flumina, quæ in noſtro regno ſunt, negocia ſua peragant, ac populus eius tantum telonaria, & ripatica ſoluat. Statuimus etiam vt nemo locis, eccleſiis, domibus, & poſſeſsionibus eius negocium faceſſere audeat, ſed ei, atque heredibus eius, patriarchæ, epiſcopis, abbatibus liceat quiete poſsidere. Concedimus quoque metropolitano eius eccleſiæ, & epiſcopatibus ei ſubiectis, & monaſterijs iuſtitiam requirendam de ſuis rebus, prout Rauennas habet eccleſia, confirmantes, vt in quacunque patria regni noſtri quilibet Venetorum fuerit, eius ſit poteſtate diſtringendus, eiusq́ per omnia debeat obedire præceptis, adeo vt nemo cuiuslibet conditionis contra eum quempiam Venetum defendere audeat. Datum III Idus Maij, Anno Incarnationis domini DCCCLXXXIII, Indictione prima, Anno Imperij Caroli in Italia tertio, in Francia ſecundo. Actum Mantuæ.* Victor patriarcha Gradenſis factus, licèt inuitus, Ioanni Duci morem gerens Dominicum Torcellanum epiſcopum conſecrauit, diligenter tamen increpitum, quòd repugnantibus legibus, dignitatem epiſcopalem accipiebat. Craſſus graui languore

oppreſſus,

oppreſſus, cum propicio S. Alexandri numine ſe leuatum exiſtimaret, Bergomum ad inuiſendam martyris illius in ea vrbe baſilicam voti cauſſa contendit, ac III Kal. Auguſti omnia à regibus Longobardis, & Francis ei eccleſiæ conceſſa priuilegia renouauit. & Papiam regreſſus per Octobrem mẽſem iuri dicundo vacauit. Eodem anno Ludouicus Balbi filius, rex Franciæ, obijt. regnum eius Carolomanus frater obtinuit. quem Fulco Rhemenſis antiſtes Marino pontifici per litteras commendauit. Is Vienna demum capta, Hirmengardem, Boſo
884 nis vxorem, adduxit in poteſtatem. Proximo anno XV Kal. Februarias Marinus pontifex moritur. poſt triduum Agapetus eadem Romanorum principum ſuffragante factione ſublegitur. atque Hadrianus tertius appellatur. qui Victori patriarchæ Gradenſi pallium dedit. Et huic quoque à Fulcone Carolomanus eſt commendatus. Friderico poſt Lupum eccleſia Aquileienſis commiſſa. In Francia Nortmani Sequanam amnem inuecti Franciæ regnum aſsiduis incurſionibus laniarunt, quas cum ſuſtinere Carolomanus non poſſet, XII millibus pondo argenti puri datis, atque inducijs in XII annos acceptis, pacatos è regno dimittit. neque ita multò poſt ab apro inter venandum ſauciatus vitam, regnumq; relinquit. Ad huius mortis nuncium excitati Nortmani in regnum ſe iterum intulerunt, inducias ſe cum Carolomano pepigiſſe, non cum alio, aſſerentes. quicunque Carolomano ſucceſsiſſet, eum pacem, atque amicitiam ſuam eadem ſumma pecuniæ redempturum. Quibus vocibus Franciæ primores exanimati Craſſum Imperatorem ad regnum accipiendum inuitant, & venienti ad Gundulfi villam occurrunt. ac ſe illius poteſtati ſolemnibus ſacramentis obſtringunt. Nortmani inde è Sequana egreſsi Lotharingiam inierunt, & caſtris ad Louanium poſitis, vtranque incurſare prouinciam inſtiterunt. Ea re Craſſus in Lotharingiam reuerſus, quanta maxima adhiberi celeritas potuit, aduerſus eos contendit. atque ad Moſam amnem adeptus poſt quindecim dierum obſidionem ad deditionem adduxit. Verum vt illud fortiter geſtum, ſic hoc imprudenter. quippe duces eorum captos non ea, qua oportuit, ſeueritate multauit, ſed accepto iureiurando, & fœdere icto munificè, liberaliterq; donatos dimiſit. Profecto Italia Craſſo, Sarraceni, qui Garilianum tenebant, celebri opulentia monaſterii Caſsinatis allecti eò ex improuiſo ſe intulerunt, ac pridie Nonas Septembris ſuperiore monaſterio inflammato XI Kal. Nouembris fœdum in inferioris quoque tecta incendium iniecerunt, & Bertharium abbatem ad aram beati Martini crudeliſsimè obtruncarunt. Monachorum, qui ad tantum terrorem trepida ſe in-

de fuga proripuerunt, opportunum Teanum receptaculum fuit. Ii, ſublatis, quas quiſque potuit, de ſacra ſuppellectile rebus, Angelario monaſterij Præpoſito ſibi abbate delecto in cella S. Benedicti ſedes poſuerũt. Sarraceni præda onuſti Garilianum alacres redierunt. Iampridem Italici, Romaniq; veteres ſpiritus recipere cœperant, ac Francis Imperatoribus, regibuſq; contemni poſt imminutas opes, & exorta inter eos certamina cœptis externum iugum à ceruicibus deijcere cupiebãt. Itaque Sarracenos impune Italiam, Eccleſiamq; populantes ipſorum regum incuria indignati ipſi res aliquando reſpicere ſuas, vireſq; florentis demum perpendere Italiæ inſtituerunt. Omnium vna vox erat, quando Craſſus virili ſtirpe careret, qui vnus antiqua virtutis indole præditus ex Caroli Magni legitima progenie ſupereſſet, cui propter egregia erga Italiam, atque Eccleſiam merita Imperii titulus cõmiſſus fuiſſet, tempus voce prope miſſa monere, vt aliquando tandem ſibi ipſis conſulerent, neque id decus cum alia gente communicari, vulgariue permitterent. non adeo veterem indolem Italicæ virtutis exoleuiſſe, quin vnus ex multis reperiri in ea poſsit, qui auitam repræſentare conſilio, atque officio imperandi gloriam queat. haud dubie, ſi rex præſens Italiam gubernaret, maturius eum omnibus hoſtium irruptionibus occurſurum, & ſalutem, dignitatemq; Eccleſiæ tutaturũ. Suffragabatur huic ſententiæ aliena reip. ipſius quoque Craſsi Imperatoris abſentia, qui duriſsimo, & remotiſsimo bello implicitus rationibus Eccleſiæ, atque Italiæ præſens ſeruire nõ poterat. His rebus inſtincti Hadrianum pontificem adeunt, eumq;, vt ſalutari decreto in poſterum reip. caueat, orant. Hadrianus, ſiue proximo Ioannis, ſi negaret, exemplo deterritus, ſiue Romæ, atque Italię laude, ſaluteq; permotus facile petentium in poteſtate fuit. ac ſtatim inſignia duo decreta fecit: vnum pro Romanorum libertate, *Vt pontifex deſignatus conſecrari ſine præſentia regis, aut legatorum eius poſſet*; alterum pro dignitate Italiæ, *Vt moriente rege Craſſo ſine filijs regnum Italicis principibus vnà cum titulo Imperij traderetur.* Quibus rebus auditis, Craſſus in Italiam ſe recepit. ac ſequenti anno per Aprilem menſem Papiæ ius dixit. Eo anno VII Idus Maij Hadrianus 885
deceſsit è vita. in eius locum Stephanus V poſt triduum eſt ſubſtitutus. Hic eſt, qui Vberto epiſcopo Moguntino reſpondens purgationem ex parte ſuſtulit, quæ candenti ferro, & feruenti aqua fiebat. *Conſuluiſti*, inquit, *de infantibus, qui in vno lecto dormientes cum parentibus mortui reperiuntur, vtrum ferro candenti, & aqua feruente, an alio quolibet examine parentes ſe purgare debeant, eos non oppreſſiſſe: Monendi ſunt parentes, ne tam tenellos ſecum in vno lecto collocent.*

Nam ferri candentis, aut aquæ feruentis examinatione confeſsionem extorqueri à quolibet, ſacri non cenſent canones. Idem etiam cum accepiſſet, populum Imolenſem in eligendo epiſcopo ſeditionem excitaſſe, Romanum archiepiſcopum Rauennatem admonuit, vt videret, ne electio contra canones fieret. In Venetia tanta aquarum inundatio fuit, vt in prodigium verterit. Craſſus VIII Kalendas Septembris Vibelingæ fuit, atque inde diplomata dedit, anno Imperii in Italia quinto, in Francia quarto, in Gallia primo. Godefridus rex Nortmanorum ab Hugone, vxoris ſuæ fratre quondam ex Valdrada, & Lothario nato ſolicitatus vrbes aliquot à Craſſo Imperatore in Germaniam reuerſo ex regno Lotharingiæ poſcit; ni faciat, arma ſe pro eis occupandis capturum oſtendit, atque inſidiis Craſsi exceptus ipſe vita, Hugo luminibus, ſpo-
886 liatur. Sequens annus inſignis Vngarorũ ex Scythia in Pannoniam aduentu fuit. Hi populi, qui, qualeſq; fuerint, poſt ſuo loco aperietur. Nortmani item Sequana rurſus egreſsi Louanium inuaſerunt duorum regnorũ in finibus ſitum, atque inde crebris excurſionibus vtrumque acriter fatigarunt. Contra quos Craſſus cum ſemel, atque iterum paratos exercitus immiſiſſet, nihil tamen operæpretii fecit. Eodem anno Baſilius Imperator eſt mortuus. In eius locum Leo filiorum maxi-
887 mus eſt ſuffectus. Poſtero, in Ducatu Beneuentano Aio Princeps, audita Baſilii morte, ſeſe ab amicitia Græcorum auertit, ac ſibi totam prouinciam vindicauit, & Conſtantini exercitum, quem Leo aduerſus ſe miſerat, in fugam compulit. In Francia Nortmani motis Louanio caſtris Sequanã intrant, ac Pariſios obſident. Cum Henricus Dux à Craſſo aduerſus eos miſſus in inſidias eorum præcipitaſſet, ipſe ad ſoluendã obſidionem occurrens ne ita quidẽ quidquam momenti attulit. Nortmani, Franciæ finibus peragratis, vrbes cum templis incenderunt, epiſcopos cum clericis trucidarunt, & paſsim omnis ætatis, ſexuſq; homines barbara crudelitate necarunt. Itaque Craſſus Neuſtriam, quæ vltra Sequanam ſuum imperium detrectabat, pacis habendæ cauſſa eis conceſsit, atque in Alemaniam ſe recepit. Ibi Richardim coniugem adulterii poſtulauit, atque in concione, ſe nunquàm cum ea concubuiſſe, iurauit. Quod crimen illa ita repulit, vt ſe virginẽ eſſe, idque ſe Dei iudicio aut ſingulari certamine, aut candentis ferri tractatione confirmaturã eſſe, reſponderit. nec multò poſt, constructo ſibi monaſterio, velũ ſumpſit. Exinde Craſſus corpore, atque animo languidiore eſſe inſtituit. Itaque Nouẽbri menſe Triburias in feſtũ diẽ S. Martini cõuentũ Tranſalpinis proceribus habuit, atque ad eos de rep. rettulit. Ea occaſione oblata Germani Italicorũ exemplo adducti eũ accuſarũt, q̃ ſiue ætatis,

erat

erat enim adoleſcens, ſiue naturæ vitio tantis tractandis rebus parum
conſilii, ac neruorum haberet: & communi conſenſu regnum ei abro
garunt, & Arnulſum Carolomani filium ſuffecerunt, qui extemplo re-
gnum occepit. Qua ex re Craſſus tantum animo mœrorem contra-
xit, vt mox pridie Idus Ianuarij migrarit è vita. Aequauit Craſſus ſu-
periorum regum omnium opes, tribus regnis Germaniæ, Italiæ, Fran
ciæq. in vnum collatis, tituloq. inſuper Imperij magnificentiſsimo aſci
to. Quæ omnia ſoli Carolus Magnus, & Ludouicus Pius ante ſe obti
nuerant. Atque hic quidem ſtatus Italiæ Francis regnum tenentibus
fuit: quibus rerum potientibus ipſa diuturni ocij, atque optatæ pacis
fructum vberrimum tulit, quòd ab aſsiduis bellis recreata, & iuſtis
Francorum imperijs renouata plurimum cum ad ſobolis incremen-
tum, & cultum ædificiorum, & rectarum diſciplinarum ornatum, 888
tum in primis ad religionis ſanctitatem, & Imperij dignitatem profe-
cit. Mediolani Anſpertus archiepiſcopus mortuus, cũ multis aliis pie-
tatis laudibus clarus, tum quòd ædem Diuis Satyro, & Syluestro con-
ſtruxit, ac monaſterio inſtituto omnia ſua prædia teſtamento reliquit.
quem deinde Anſelmus excepit.

CAROLI SIGONII
HISTORIARVM
DE REGNO ITALIAE
Liber Sextus.

BERENGARIVS REX ET VIDO REX ET IMPER. ADVERSVS BERENGARIVM.

FRANCOS inde reges Italici excepere. Hi ſum-
mam ſibi rerum haud malo conſilio aſciſcere ni-
xi, inteſtinis populorum diſcordiis Italiam per-
turbarunt, ac ſe ipſos prorſus vnà cum Eccleſia
perdiderunt, ea tempora in rempublicam infe-
rentes, quibus nulla alia tetriora, ac fœdiora fuiſ-
ſe, vel principum nequitia, vel populorum inſania in tota antiquitate
reperiuntur. Quem ſtatum rerum mira ſuperiorum ſcriptorum inſci
tia deprauatũ nos dirigere hoc libro, in ſuos quæque annos diſtribuen-
tes, conabimur, principio ab ipſa diſcordiarum origine repetito.

PRAESTABANT hoc tempore opibus citeriore in Italia duo Du-

ces Foroiulienſis, ac Spoletanus; & duo marchiones Lucenſis, & Epo-
redienſis, Francorum omnes regum beneficio ad honores illos euecti.
Foroiulienſi, & Veronenſi ditioni Berengarius, Spoletanæ Vido præe-
rat. Hi à ſuperioribus regibus producti, cùm ad maximas opes, ſum-
mamq́; auctoritatem perueniſſent, mortuo Craſſo, proximo Hadria-
ni decreto ſubnixi, reliquis approbantibus Italis, regnum Italiæ, Impe-
rijq́; titulum ſibi vindicare conati ſunt; verùm propter inſanam po-
pulorum cupiditatem, & fœda certaminum ſtudia totum regnum per-
nicioſis in multos annos tumultibus impleuerunt. Quippe iampridem
decreto Hadriani diuulgato, atque ipſo adhuc ſuperſtite Craſſo taci-
to inter ſe fœdere pepigerant, vt ipſo ſine filijs moriente rege, cui mi-
litarem operam ambo nauarant, Vido Franciæ, Berengarius Italiæ
888 regnum inuaderet. Mortuo inde ineunte anno DCCCLXXXVIII.
nulla relicta ſtirpe Craſſo, Berengarius extemplò ſtudijs ſuorum ſuffra-
tus ſine certamine regnum Italiæ occupauit. Vido, Stephano hortan-
te, atque annitente Pontifice, ad regnũ Franciæ capeſſendum progreſ-
ſus nihil profecit. Nam cum Franci Eudonem Comitem Pariſienſem,
Caroli Simplicis, qui poſtea rex fuit, tutorem ſubſtituiſſent, regno ex-
cluſus inanis in Italiam ſe recepit. Fulco Rhemenſis antiſtes litteris Ste-
phanum pontificem monuit, ſe ad illum venturum fuiſſe, niſi à paganis
deterreretur, qui non longè ab urbe ſua decem millibus paſſuum abeſ-
ſent, & tunc Lutetiam obſiderent. cui Stephanus reſpondit, ſe eo nomi-
ne valde dolere, ac dominum pro populorum ſalute orare. Interim Be-
rengarius, quemadmodum ex veteribus eius tabulis liquet, quarũ mul-
ta nos archetypa apud ipſas adhuc Lombardiæ ciuitates inſpeximus,
regnum iniuit. Quippe Papiam agmine pacato ingreſſus coronam ab
Anſelmo noſtro Mediolanenſi antiſtite ſumpſit, atque ibi vetere in-
ſtituto ſedem regiam collocauit, ac priuilegio ciuitatibus, eccleſijs, &
monaſterijs, vt quodque poſtulatum eſt, ſuperiorum regum more, ſan-
ciuit. Eodem anno Dominicus archiepiſcopatum Rauennatem ac-
cepit, & Rodulfus, Ricardi Ducis filius, in Francia aduerſus Eudo-
nem, atque Arnulphum reges regem ſe Burgundiæ appellauit, is,
qui poſtea ad regnum Italiæ aduerſus Berengarium venit. Vido au-
tem Spoletum reuerſus, cum ſe ardentibus magnæ partis Italiæ ſtudijs
florere videret, ſpe Francica deturbatus de regno inde Italiæ vſurpan-
do conſilium habuit, atque ita extremo anno Pontifice, Romaniſq́;
enixè fauentibus rex aduerſus Berengarium à ſuis eſt ſalutatus. Re-
gia dignitas peſſimo in poſterum exemplo diuiſa ſubitò Italiam in
duas contrarias factiones diſtraxit, vſqueadeo vt nemo reperiretur, qui

cum alterum regem vigere vellet, alteri non omne vltro, ſi poſſet, exitium compararet. Sed maior pars, licèt Berengarii cauſſa iuſtior eſſet, pontificis, credo, anctoritate impulſa ad Vidonem ſe contulit. Hoc 889
vt Vido ſenſit, poſtero anno Berengariũ parta regni poſſeſsione deiicere ſtatuit, atque ingentem in id exercitum partim ex ſua, partim ex Berengarii ditione contraxit. & Spoleto egreſſus aduerſus eum ire contendit. Huic Berengarius Papia profectus in agro Placentino cum ex peditis & ipſe copiis ſeſe obtulit. Prœlio ad Trebiam amnem commiſſo, vtrinque dimicatum eſt acriter. Sed Vidonis impetum ad extremũ Berengarius ferre non potuit. Pulſus autem acie, verùm haud quaquam animo territus, exercitum Auguſto, & Septembri menſe Cremonæ, ac Veronæ refecit, prœlii caſum deintegro tentaturus. ac paullo poſt ferocior aduerſus Vidonem in agro Brixiano agentem reuertit. verùm collatis ſignis tanta clade eſt affectus, vt extremo anno Italia cedere fuerit coactus. Eo facto Vido Papiam recepit, atque anno,
qui inſequutus eſt, octingenteſimo nonageſimo, Lombardiam nullo 890
ferme negotio in poteſtatem redegit. demum vniuerſa hortante Ita- 891
lia, nouo procedente anno, Romam à Stephano pontifice accerſitus, quod conſequebatur, Imperator ab eo IX. Kal. Martii eſt conſecratus. Atque ita antiquum Italiæ Imperium Italici poſt tam multas, ac tam diras gentium exterarum impreſsiones recuperarunt. Vido, vt ſe pontifici gratum præberet, priuilegia, ac dona à Pipino rege, Carolo, & Pio Imperatoribus Ro. Eccleſiæ data probauit. inde Papiam regreſſus ſolemnẽ regni conſtituendi cauſſa conuentum habuit. & beneficia eccleſiis, ac ciuitatibus more regio indulgere ingreſſus Petro Duci Venetorum vetus priuilegium de tuta, iuſtaq; rerum ſuarum poſſeſſione firmauit, ac leges tulit, quas ſe Kalendis Maii Papiæ anno Imperii ſui primo edidiſſe ſcribit. quarum vna hæc eſt: *Placuit nobis ſtatuere, vt epiſcopi, & Comites conueniant in ſuis parochijs, & comitatibus pro pace, & ſalute incolentium apud ſe, ita vt nullum prædonem, aut raptorem, aut inceſtatorem permittant. Quod ſi quos per fines ſuos tranſire velle ad huius regni vaſtationem audiuerint, obuiam nuncios mittant, qui moneant, vt ſine iniuria, ac maleficio tranſeant. Curent autem, vt eis tranſeuntibus, quæ neceſſaria ſunt, ſolita mercede vendantur. Si verò illi aliquid rapuerint, ab epiſcopo, & Comite eius loci ex banni noſtri ſententia ſoluant. Sin minus, ab epiſcopo communione pellantur. Quod ſi Comes, populuſq. ipſos prædones inuaſerint, atque occiderint, ne quæſtio de ijs, qui ceciderint, habeatur. Si Comes hoc prætermiſerit, proprio honore priuetur. ſi vicinum ſuum auxilio aduocare neceſſe habuerit, & ille recuſauerit, ſimiliter proprio honore nudetur, &*

triginta libras argenti Comiti pendat. Eodem etiam menſe, nempe XII Kal. Iunij Stephanus pontifex morte abſumptus eſt. Comitijs nouo creando pontifici habitis diſsidiúm in Eccleſia grauiſsimum eſt coortum, factionibus, quæ Romam ciuitatem tenebant, parum in legendo ſucceſſore conſentientibus. Nam Tuſculanorum Comitum factio Eccleſiæ Ro. Sergium presbyterũ Cardinalem Pontificem declarauit, atque conſecrandi cauſſa ad altare admouit, hominem nulla re, niſi ſplendore familiæ, commendatum. Hominis indignitate offenſa contraria factio Formoſum, de quo diximus, Portuenſem epiſcopum, intulit, virum tum inter ceteros elegantia doctrinæ, morumq. probitate præſtantem. Quod vbi Sergiani viderunt, ſtatim vociferari cœperunt, Formoſum creari pontificem non licere. cum ſacramento interpoſito perpetua ſe laicæ vitæ conſuetudine obſtrinxiſſe, atque alienæ epiſcopatum eccleſiæ obtinere. ſemper ita obſeruatum vſque ad eam diem fuiſſe, vt pontifices ex ipſa tantùm Romana Eccleſia ſumerentur. Quibus fruſtra contendentibus, aduerſarij Sergium ab altari remouerunt, ac Formoſum ipſum conſecrauerunt. Inde totus Formoſi pontificatus aſsiduis Sergianorum contentionibus fuit infeſtus, Vidone Imperatore euidenter parti Sergianæ ſtudente. Interim Berengarius ſalutare aliquod afflictæ ſuæ fortunæ auxilium quærens ad Arnulfum Germaniæ regem ſe receperat, ac ſe omnibus in rebus obnoxium illi fore oſtenderat, ſi Vidonem ipſius beneficio expuliſſet, regnumq. recuperaſſer. Itaque Arnulfus Berengario gratificatus Zuendebaldum filium cum haud inualida militum manu in Italiam miſit. Is profectus caſtra ad Papiam oppugnationis cauſſa locauit. Verum amniculo, quo vrbs alluebatur, Veruarolo copiis, atque operibus à Vidone accuratè munito, nullum vrbi detrimentum inferre potuit. Itaque poſt dies X X I, cum obſidione potius, quàm oppugnatione, res ageretur, parua res totum belli apparatum diſcuſsit. Quippe eques vnus è Baioaria, qui ſuperioribus diebus quietis vtrinque ſtationibus in alueum amnis progreſſus Italis ſæpe ignauiam, atque equitandi inſcitiam arrogantius obiectarat, more ſolito prodiit, atque equitem Italum nactus haſtam ei de manu extorſit. Quo conſpecto Hubaldus Bonifacii, qui poſtea Spoletanorum marchio fuit, pater Italicum recuperare decus cupiens clypeum, ac lanceam ſumpſit, atque in medium equo prouectus ſtolidè gloriantem inter ſuos Baioarium prouocauit. Baioarius quaſi victoriæ certus impigre in certamen deſcendit, eo conſilio, vt habili equo crebris curſibus, & recurſibus circumagendo Hubaldus ad eam rem rudem deciperet. verùm opinione fruſtratus eſt. nam

cum

cum aſsiduis anfractibus arté ſuam prope ad faſtidium omnium oſten taſſet, tandem, dum impulſo equo, vt de improuiſo in Hubaldum re flecteret, terga oſtendit. Hubaldus in eum repente inuectus, atque, antequam ſe conuertere poſſet, adeptus lancea ad cor vſque traiecit. Hic caſus mirificam Italicis ad pugnandum alacritatem, Germanis contrà maximum torporem iniecit. Itaque Zuendebaldus exterritus, atque, vt quidam ſcripſerũt, pecunia quoque à Vidone corruptus con ſilium domum redeundi cepit. atque ita vano incœpto receſsit. Vido hac victoria elatus extremo anno Lambertum filium ſocium ſibi regni aſciuit. Hoc eodem anno piratæ aliquot Sarracenorum ex Hiſpa nia ad littora Italiæ forte delati Fraxinetum arcem in alpium Cottiarum prouincia occuparunt, eamq; per multos poſt annos cum maximo Lombardiæ detrimento tenuerunt. atque eorum, qui in Campania Garilianum inſederant, prædationes æquarunt. Leo autem Imperator iniuriis Aionis Beneuentani Ducis exarcebatus nouum exerci tum aduerſus eum Symbaticio protoſpathario ſuo duce miſit. qui Be neuento obſidionem admouit, ac poſt tres menſes XV Kal. Nouembris ſuæ ditionis effecit. Inde Ducatus Beneuentanus per aliquot annos Græcorum fuit in poteſtate. Siquidem Symbaticio Georgius Patri cius eſt ſummiſſus, qui Beneuento per triennium pręfuit. Vido Imperator X. Kal. Decembris, cum eſſet Lignaci, anno Imperii ſui primo Leudoino eccleſiæ Mutinenſis epiſcopo beneficia ſuperiorum regum nouis conceſsionibus cumulauit, ſiquidem ad cetera adiicit: *Concedimus etiam eidem epiſcopo, vt quemadmodum loca, in quibus prædicta ciuitas Mutina conſtructa fuerat, ſicut anteceſſorum noſtrorum auctoritate conceſſa ſunt, ita noſtræ auctoritatis præcepto firma remaneant. Concedimus etiam ei vias, pontes, portas, & quidquid ex antiquo iure incolumi ciuitate de his regia auctoritati per procuratores reip. ſoluebatur. Item, vt vbicunque vias, pontes, portas in ſua terra habuerit, loco noſtrum, liberam exigendi debitum ex eis vectigal habeat poteſtatem. & vt liceat ei foſſas fodere, molendina conſtruere, portas erigere, & vltra mille paſſus in circuitu munire ad ſalutem ipſius ſanctæ Eccleſiæ, eiuſq; Canonicæ, & aquam aperire, & claudere, atque cum omnibus ſuis rebus, & ad eas pertinentibus quietam ſub noſtra defenſione traducere.* Et biduo poſt, cum eſſet Ferrariæ, eccleſiæ Veronenſi vetera item priuilegia confirmauit. Sequenti anno Franci Eudone rege abdicato Carolum Simplicem, Ludouici quondam regis filium, adhuc puerum ſubſtituerunt. eumq. aduerſus Eudonem diu defenderunt. Fulco autem Rhemenſis antiſtes pro eo litteras ad Arnulphum regem, & Formoſum pontificem ſcripſit. Formoſus autem Eudonem, ne Carolum in- 892

eſtum habere vellet, admonuit. & vt inducias daret, donec Fulco Romam adiret gratulatus eſt etiam Carolo de egregia, quam erga Eccleſiam apoſtolicam gerere voluntate ſignificauerat, ac panem benedictum, quem petierat, pro pignore miſit. Proximo, Berengarius exul
893 ad Arnulfum Vormaciæ conuentum habentem, reuerſus ſummis iterum ab eo precibus contendit, vt ipſe in Italiam traiiceret. fore enim, vt ſi præſens rem gereret, vniuerſam ad ſe leui momento traduceret. maiuſq. cõmunibus præſidium rebus afferret, quàm abſens per Zuendebaldum puerum attuliſſet. Aderat etiam Carolus Simplex, auxilium ſibi aduerſus Eudonis tutoris tyrannidem implorans. Arnulphus autem vtrunque dignum eſſe auxilio iudicans militaribus copiis, quæ viſæ ſunt, Carolo datis, ipſe in Italiam, quò maiorum ſpe rerum vocabatur, ſibi tranſeundum putauit. Neque enim dubitabat, quin, ſi res ex ſententia ſucceſsiſſet, manentibus diſcordijs, Italia potiri, atque Imperij titulum aduerſus Vidonem adipiſci, haud magno admodum negotio poſſet. Itaque ſeneſcente iam autumno per iuga Tridentina iter ingreſſus cum maximo pedeſtrium, atque equeſtrium copiarum numero in Italiam, ipſum ſecum habens Berengarium, tranſiit. atque eum Veronæ conſtituit. extant enim diplomata hoc anno, nempe D C C C X C I I I, V Idus Nou. Veronæ ab illo data, anno regni illius ſexto. Bergomum inde nouo ineunte anno progreſſus, cũ à ciuibus murorum munitione confiſis excluderetur, ira percitus oppido oppugnationem admouit, eoq. in Purificatione capto, Comitem eius Ambroſium prodendi exempli cauſſa ante portam vrbis ſuſpendio ſtrangulauit. Quo terrore adacti Mediolanenſes, Papienſes, & Placentini confeſtim ei ſe præmiſsis nunciis tradiderunt. Harum rerum ſecundo ſucceſſu lætus, Othone Othonis Magni auo ad recipiendum Mediolanum miſſo, ipſe Papiam perrexit, ac Berengario reſtituto, Vidonem cum filio, atque vxore Spoletum verſus fugientem inſequi cœpit. Placentiam inde progreſſus haud vltra ſibi tendẽdum exiſtimauit. verùm tranſgreſſus Alpes exercitum aduerſus veterem hoſtem, Rodulfum, Burgundiæ regem, adduxit. Qua recognita, Vido collecto animo fugam continuit, & conuerſo impetu ipſum inſequi cœpit. Verùm ad Tarum agri Placentini amnem cum perueniſſet, vomitu ſanguinis repentino oppreſſus interiit.

IDEM BERENGARIVS REX, ET LAMBERTVS REX, ET IMPERATOR.

BERENGARIVS autem, cum eodem fere tempore profe-
ctionem Arnulfi, & mortem Vidonis audiſſet, ſubito Ve
ronã Papiam ſe cum exercitu retulit, ac regiam rurſus
obtinuit. Italici, qui Vidonem ſequuti fuerant, Berenga-
rij aduerſus ſe iracundiam veriti Vidonis partes tueri perſeuerarunt, et
ſe ad Lambertum, Vidonis filium, regem, qui Spoleti ſedebat, contule-
runt: eumq; ad repetendum regnum à Berengario occupatum, auxilia
ſua polliciti incitarunt. His verbis, ſubſidiiſq; excitus Lambertus Spo-
leto exercitum eduxit, ac Papiam verſus ire perrexit. Quo cognito
Berengarius à pleriſque ſuorum deſertus, Papia diſceſsit, ac Veronam,
ne tentato quidem certamine, redijt. Lambertus vacuam rege Papiam
ingreſſus regnum ſumma ſuorum gratulatione recepit, idque admini
ſtrare, foris de more agendis, inſtituit. Poſtero vero anno Sergianis à 895
principibus vocatus Romam contendit, ac Formoſum, partemq; eius
grauiter afflictauit. Eodem anno bellum in Ducatu Beneuentano ex-
ciuit Vido, quem Leo Oſtienſis Ducem, & marchionem vocat, qui
Græcis Ducatu exactis, ipſum ſibi vindicauit: atque ibi per duos fer-
me annos reſedit. Ceterùm Sergianorum iniurias iniquo ferens ani
mo Formoſus Arnulfum auxilio ex Germania occultis nunciis euo-
cat, atque ad Lamberti tyrannidem compeſcendam impellit: neque
Berengarius huic operi ſe defuturum oſtendit. Quibus rebus Arnul-
fus adductus, nulla interpoſita mora, in Italiam Octobri menſe iter ſu-
ſcepit. atque ad Padum profectus partem exercitus Bononia per Apen
ninum Florentiam ire iubet, ipſe ora Liguſtici, Tyrrheniq; maris luſtra
ta eodem proficiſcitur, ita vt Lunæ Natalicia celebret. Exercitus in 896
tranſeundo Apennino iactatus, iumentis pleriſque peſtilentia amiſ-
ſis, tamen incolumis euaſit. Progreſſus inde Romam caſtra ad vrbem
Leoninam locauit. Ageltruda Lamberti mater præſidio vrbis fuerat à
filio decedente relicta. Hæc vim Germanorum ſuſtinere ſe poſſe verita
ſub aduentum Arnulfi ſubito ex vrbe profugit, ac Spoletanam in ditio
nem progreſſa Camerini oppido ſeſe incluſit. Arnulfus admoto exer-
citu, vbi Romanos imperium ſuum detrectantes cognouit, ira perci-
tus vrbem oppugnare inſtituit. neque per aliquot dies, Romanis ſtre-
nuè ſe tuentibus quidquam profecit. Ceterùm, dum vrbs variis fru-
ſtra perrumpendi conatibus ſumptis obſidebatur, oblata eſt egregia

præter opinionem ipſius occupandæ fortuna. Lepuſculus forte inaudito ante exercitus clamore perterritus ad vrbem fugit, eumq; militaris quaſi ludi cauſſa militum manus auidè inſequi cœpit. Quod vbi ſtationes videre Romanæ, re ignota, vniuerſis ſe peti viribus arbitratæ metu repente de muris ſe proiecerunt. Hac re conſpecta, Germani locum ſibi datum aggrediendæ vrbis rati, ſubitò ſarcinas muris admouerunt, eisq; ad iuſtam altitudinem coaceruatis extemplo alii muros conſcenderunt, alii portam ariete perfregerunt, atque vrbem defenſorum inané ingreſsi, vt Tranſtiberini ſeſe dederent, effecerunt. Arnulfus vrbe be primus per vim poſt Gotthicam tempeſtatem potitus ipſum ſubitò Sergium expulit, ac Sergianos omnes, qui ſibi obſtiterant, interemit. neque aut pueris, aut mulieribus, aut ſacerdotibus, ſacratis ve virginibus ipſis pepercit. atque ad extremum ſe à Formoſo Imperatorem, & Auguſtum inungi, imperauit. ac populum Romanum in hæc verba iureiurando adegit: *Teſtor Deum, omneſq́ Diuos, & per diuina myſteria iuro, me, quoad viuam, fore in poteſtate Imperatoris Arnulfi, neque Lamberti, aut matris eius rebus fauturum, neque, vt dignitatem aliquam adipiſcantur, aut hanc vrbem ſeruitute premant, operam daturum.* Vrbe inde egreſſus Lambertum in Ducatum eſt perſecutus. Lamberto verò incertis in locis latitante, nec ſui copiam faciente Camerini Ageltrudam obſedit. Mulier ceteris deſtituta ſubſidiis, cũ ad vim par non eſſet, ad dolum ſe contulit. quippe occultè per miniſtrum pecunia corruptum ſoporiferum ei poculum ad leniendam, vt præ ſe ferebat, iracundiam præbuit. Quo hauſto repente ſomno ille captus eſt. ex quo poſt triduũ excitatus, cum neque ſentire, neque quæ ſentiret, exprimere commode poſſet, ac mugitus potius, quàm voces, ederet, amicorum conſilio Camerini obſidionem, bellumq; omne aduerſus Lambertum reliquit, ac Lombardiam verſus ire perrexit. Verùm cum in Etruriam tranſgreſſus montem Bardonis aſcenderet, libido inceſsit Berengarii, qui in comitatu aderat, excæcandi, atque regni Italiæ occupandi. Quod vbi Berengarius, qui laternarium agebat, à cognato ſuo, Arnulfi familiari forte cognouit, trepidus eum, laterna alteri data, deſeruit, Veronamq; ſe, & Forumiulium retulit. Ea cauſſa factum, vt re vulgata Arnulfus ab Italicis deſpici, & pro nihilo duci ſit cœptus. Itaque Papiam cum perueniſſet, irati Papienſes per noctem milites eius in vrbe incautos adorti tanta cæde proſtrauerunt, vt ſalutis cauſſa ſe in cloacas abſcondere cogerentur. Ob id, cum de reditu in Germaniam cogitaret, atque Verona tranſire propter magnas Berengarii ibi ſedentis opes non auderet, per montem Iouis iter ſuſcepit, atque Anſcario Eporediæ mar-

chione reſiſtere ſibi patante perterrefacto,trans Alpes abiit.Lambertus rex Lombardiam perluſtrans in exitu anni Regii fuit, atque inde VIII Idus Decembris priuilegia matris Ageltrudæ rogatu indulſit. Eodem verò anno Formoſus pontifex obiit.In eius locum Bonifacius ſextus poſt biduum eſt ſuffectus, cum diaconatu, & presbyteratu eiectus per tumultum popularem à Sergianis priſtinis eſſet ordinibus reſtitutus.is Gregorio Victoris fratri,patriarchæ Gradenſi,pallium tribuit.Eo verò poſt dies quindecim ex humanis rebus exempto, Stephanus ſextus ex epiſcopo Anagnino,Sergiana ſuperante factione,creatur.Itaque inito Pontificatu Sergianis incitantibus nihil prius habuit,quàm, vt, quod Bonifacius ne inchoare quidem morte præreptus potuerat, ipſe perficeret,id eſt,vt Formoſi mortui pontificatum exterminaret.Quare epiſcopis,clericiſq; adhibitis conuentū habuit, atque ad eum de Formoſi comitiis,actiſq; pontificiis retulit.Qua relatione Sergiani erecti baſilicam Vaticanam per ſpeciem expilandi theſauri tumultuosè ingreſſi ſunt. ac violato Formoſi ſepulchro,cadauer eius extraxerunt,ac iuſſu Stephani in conſpectum conuentus produxerunt. Quod oculis epiſcoporum obiectum Stephanus pontificalibus veſtibus exui, & laicalibus indui iuſsit.& conuentum metu, miniſque, vt Formoſum tanquam ſimoniæ compertum damnaret,adegit.Damnatum inde Sergiani ira, ac libidine inflammati proiecerunt in Tiberim. Neque verò hac iniuria contentus Stephanus fuit. quin etiam omnia Formoſi pontificatus acta reſcidit, atque in primis eos, qui initiati ab eo fuerant, exauctorauit.& Arnulfum regem, quem Formoſus metu conſecrarat Imperatorem, vitio factum eſſe pronunciauit, Lambertum vero regem Italiæ,factionis ſuæ partes exemplo patris fouentem inunxit Imperatorem. Ad hunc etiam Fulco ſcripſit, ſæpe optaſſe ſe limina apoſtolorum adire,verùm variis diſtentum negociis nequiuiſſe, ac ſe tandem Carolum,& Eudonem ad concordiam adduxiſſe. Eodem anno terra ingenti motu concuſſa, cuius impulſu baſilica Lateranenſis magna ex parte procubuit. Quod multo verò memorabilius eſt,Sigifridus Comes,qui ab Ateſtinis principibus genus ducebat,ex agro Lucenſi, vbi aliquandiu fuerat, in Regienſem migrauit. atque ibi caſtra, & poſſeſſiones multas præſenti,qua abundabat,pecunia comparauit. ac poſtea vrbem Parmæ Sarracenorum à Fraxineto incurrentium metu perculſam in deditionem accepit, regibus ipſis nequaquam ſatis aut virium, aut animi ad tantam iniuriam prohibendam habentibus. Hic filios tres genuit,Sigifridum, Athonem, & Gerardum, quorum Atho genus Mathildis Comitis procreauit, cuius poſt crebra mentio fiet; &

marchionum Ateſtinorum, qui in hunc vſque diem maximæ in Italia potentiæ, atque auctoritatis fuerunt. Berengarius Aprili menſe Veronæ, Nouembri Aquis, Ianuario Cenetæ forum egit. Inde Kalendis
897 Aprilis mortuus pontifex Stephanus, atque in eius locum ſublectus Romanus ex Conſtantino Marini quondam pontificis fratre genitus. à quo Vitalis minor patriarcha Gradenſis pallii honorem obtinuit. Hic Formoſi cauſſam tanquam à Stephano iniquè oppugnatam ſuſcepit. Erat enim ciuitas tacita religione perfuſa. Nam cadauer Formoſi, quod Sergiani in Tiberim iecerant, cum fluitans ad os Tiberis perueniſſet, ſæpius ab æſtu marino reiectum piſcatores quidam inuenerant; &, cum in baſilicam Vaticanam reportaretur, Sanctorum illum imagines venerabundæ ſalutaſſe fuerant viſæ. Itaque nouo conuentu epiſcoporum habito Stephanum neque ordine, neque rectè feciſſe pronunciauit, quòd in Formoſum adeo impotenti animo deſæuiſſet. Herueus Rhemenſis antiſtes, Fulconis ſucceſſor, Romanum ipſum Pontificem docuit, Nortmannos in Gallia ad fidem Chriſti eſſe conuerſos. Eo verò intra quinque menſium ſpatium morte ſublato, Theodorus ſecundus eſt ſubrogatus, qui eandem cauſſam amplexus omnes etiam à Formoſo initiatos, quos Stephanus abdicarat, priſtinis ordinibus reddidit. Quo poſt dies viginti defuncto, Albertus, factionis princeps, qui ſe pontificatu, atque adeo etiam principatu Romano deiectum videbat, Sergium iterum inferre contendit: verùm ab aduerſariis victus, ac repulſus eſt. V Idus Septembris Ioannes nonus, diaconus, ex contraria factione creatus eſt. Eodem anno Leo Aquileienſem Eccleſiam, Ioan
898 nes decimus Rauennatem obtinuit. Poſtero, Ioannes pontifex diro, quo laborabat Eccleſia, mederi morbo cupiens celebre habere concilium ſtatuit, idque metu Sergianorum, qui in armis ob ſecundam Sergii repulſam erant, Rauennam indixit, atque Ioanne archiepiſcopo admonito, Lambertum Imperatorem eò quoque reſp. conſtituendæ gratia committer inuitauit. Cum ſeptuaginta quattuor epiſcopi conueniſſent, Pontifice, atque Imperatore præſente, conuentus eſt inſtitutus; deq; cauſſa Formoſi, & ceteris rebus, quæ egere correctione in Eccleſia videbantur, relatum. Dictis autem ex ordine de re quaque ſententiis, pontifex decretis factis acta conuentus à Stephano habiti infirmauit, ita tamen vt epiſcopis, & presbyteris, qui ei interfuerant, veniam poſtulantibus, & vim, ac metum excuſantibus, indulſerit; Arnulfi regis imperialem conſecrationem, vt metu extortam, reſcidit; Sergium, & ſocios damnatos reſtitui vetuit; Violatores ſepulchri, cadaueriſq; Formoſi damnauit. & Formoſum, vt qui propter neceſſitatem ex aliena Ec-

na Eccleſia ad Romanæ adminiſtrationem veniſſet, pontificem confirmauit. verùm, ne quid ſimile poſthac in Eccleſia fieret, ſanxit. Epiſcopi à Stephano exaugurati ad gradus priſtinos redacti. Sacra Lamberti Imperatoris inunctio confirmata, itemq; cetera à Stephano pro ſalute Eccleſiæ acta. Quin etiam ſtatutum, ne pôtifices deſignatos, niſi in conſpectu legatorum regiorum, ius eſſet conſecrari. in quo ſuperiori decreto Hadriani eſt obrogatum, ad vitanda, quæ in comitiis oriebantur cum maxima Eccleſiæ offenſione, diſsidia. Ibi etiam Lambertus Imperator donationes Eccleſiæ ab regibus prædeceſſoribus ſuis factas, & à Vidone patre Imperatore inſtauratas confirmauit. Huius concilij acta Murinæ apud Canonicos Eccleſiæ ſcripta reperiuntur. Itaque ſummam eorum in hanc hiſtoriam, quia res eſt multis de rebus cognitione digniſsima, intexere placuit. Conſiliis ab epiſcopis agitatis, ac ſententiis dictis, demum pontifex ex eorum auctoritate, præſente Lamberto Imperatore, ita pronunciauit. *Synodum à Stephano VI pontifice, deceſſore noſtro, celebratam, in qua cadauer Formoſi pontificis è ſepulchro extractum, & quaſi ad iudicium adductum, iudicatum, atque damnatum eſt, quòd nunquam aliàs factum accepimus, penitus abrogamus; &, ne poſthac tale aliquid fiat, per Spiritus ſancti iudicium interdicimus. Epiſcopis, presbyteris, & reliquis clericis, qui ei ſynodo interfuerunt, quia veniam petentes vi ſe, ac metu interfuiſſe confeſsi ſunt, ſanctæ ſynodi precibus indulgemus, cauentes, ne quis poſthac epiſcopis aut vim, aut detrimentum inferat, quominus eis liberè ſententiam dicere liceat. Quia neceſsitatis cauſſa de Portuenſi Eccleſia Formoſus ob vitæ merita ad apoſtolicam ſedem eſt euocatus, ſtatuimus, ne quis id in exemplum trahat, ſacris legibus prohibentibus. Etenim quod neceſsitate conceſſum eſt, id ſublata neceſsitate, auctoritatem non debet habere. Ne quiſquem de gradu eccleſiaſtico ſynodicè deturbatum, neque dum canonicè reſtitutum ad altiora prouehat, quemadmodum Bonifacium primum in ſubdiaconatu, deinde in presbyteratu popularis manus euexit. Quod ſi, ſpretis ſanctiſsimorum patrum decretis, id quoquo modo tentauerit, non ſolùm apoſtolico anathemate feriatur, ſed Imperatoriam quoque indignationem experiatur. Epiſcopos, presbyteros, diaconos, ſubdiaconos, qui ab eodem Formoſo pontifice ritè conſecrati temere quorundam libidine exaugurati ſunt, ad proprios ordines, & gradus redigimus. Reordinationes, & rebaptizationes, & ſedium mutationes, quas ſancti patres in Africano concilio interdixerunt, & nos interdicimus. Sacram inunctionem ſpiritalis filij noſtri Lamberti in Imperatorem firmam, & ratam in perpetuum eſſe, Spiritu ſancto ſuffragante, decernimus. illam verò barbaricam, quæ per ſubreptionem extorta eſt, omnino abrogamus. conſecrationes verò ſacri chriſmatis, & olei, & quæcunque pro ſtatu Eccleſiæ geſsit, firma, &*

inuiolata omni tempore permanere apoſtolica auctoritate ſancimus. Ea, quæ in ipſo ſupra commemorato concilio ſcripta ſunt, quoniam contra canonicam auctoritatem acta eſſe ſanxiſtis, decernimus, vt accedente conſenſu veſtro igne crementur, prout de Ariminenſi, & Epheſina ſecunda ſynodo factum proditur de ijs, quæ contra ſanctiſsimum pontificem Leonem acta ſunt. & quæ tempore Hadriani iunioris aduerſus ſanctiſsimum pontificem Nicolaum Conſtantinopoli nequiter acta ſunt. Sergium, Benedictum, atque Marinum dudum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyteros, Ioannem, Paſchalem, & Ioannem dudum Sanctæ Apoſtolicæ ſedis diaconos iuſtè, & legitimè damnatos, & è gremio ſanctæ Dei Eccleſiæ ſegregatos, ſi quis inter eccleſiaſticos iniuſſu noſtro referre, aut ad ipſos gradus, quibus iuſtè priuati ſunt, redigere, aut ſacerdotes vocare, aut habere voluerit, aut nobiſcum non ſenſerit, ſciat, ſe anathemate percuſſum iri. Violatores ſepulchri Formoſi pontificis, qui facta ad rapiendum theſaurum conſpiratione, corpus eius traxerunt, atque in Tiberim proiecerunt, niſi reſipuerint, à ſancta Dei Eccleſiæ liminibus propulſamus. Quia Sancta Romana Eccleſia moriente Pontifice multas patitur violentias, quòd inſciente Imperatore, aut legatis eius abſentibus, pontifex conſecretur, neque canonico ritu miſsi ab Imperatore interſint nuncii, qui vim, & ſcandala in eius conſecratione prohibeant, volumus, vt poſthac pontifex conuenientibus epiſcopis, & vniuerſo clero, ſenatu, & populo expetente legatur. atque ita in conſpectu omnium celeberrimè electus ab omnibus, præſentibus legatis Imperatoris, conſecretur. nemoq; ſine periculo ſacramenta, aut promiſſa noua arte ab eo audeat extorquere, niſi quod antiqua contineatur conſuetudine, ne quid ſcandali, aut detrimenti Eccleſia patiatur. Quoniam pernicioſa inoleuit conſuetudo, vt Iudices populi flagitia populi, quæ ab epiſcopis eſſent inquirenda, inquirant, & ſi in poſſeſsione Eccleſiæ; *aut clerici feminas deprehendant, tanquam adulteras, capiant, ac vexent, donec à dominis; aut à parentibus earum pretio redimantur; ex quo propinquorum inopia, & mulierum fornicandi licentia ſequitur, quòd nihil pertinere ad epiſcopum aſſerant, quæ ſemel à magiſtratu iudicata, & liberata ſit: ob hæc ſtatuimus, vt epiſcopi habeant in ſua diœceſi liberam poteſtatem ſcelera, & adulteria inquirendi, iudicandi, & puniendi, prout ſacri canones iubent: &, cum opus fuerit, ad coercendos contumaces magiſtratus opem implorent.* Atque his decretis ita ſubiecit. *Quando igitur dilectiſsimi fratres vos nobiſcum conueniſtis, vt duce Spiritu ſancto communi veſtrum omnium conſilio ea, quæ neceſſaria ſanctæ Dei Eccleſiæ putaremus, vnà cum glorioſiſsimo Imperatore, Lamberto conſtitueremus, vultis ne, vt quæ capitulatim notata ſunt, recitentur, examinentur, & confirmentur?* Cui epiſcopi reſponderunt: *Ingentes Deo Saluatori noſtro gratias agimus, qui te ſuæ præfecit Eccleſiæ, qui omnem ex ea zizaniam euellere conareris. Capitula, quæ pro communi omnium cautione ad munimentum*

Eccleſiæ ſcripta ſunt, placet recitari, vt diſcamus, quæ vel obſeruare, vel caue re debeamus. Ea verò fuerunt eiuſmodi: *Si quis ſanctorum patrum decre ta contempſerit, & glorioſiſſimorum Imperatorum Caroli Magni, Ludouici, Lotharij, & filij eius Ludouici de eccleſiaſticis decimis in eorum Capitularibus conſti tuta, non obſeruauerit, & eas aliubi, quàm in baptiſmalibus Eccleſiis in iuſſu epiſcopi dederit; & qui dedit, & qui recepit, auctoritate ſedis apoſtolicæ, & ſanctæ ſynodi, communione remotus ſit. Si quis Romanus, cuiuſcunque ſit ordinis, ſiue de clero, ſiue de ſenatu ad noſtram Imperatoriam maieſtatem venire voluerit, aut neceſſitate compulſus noſtrum auxilium implorarit, nemo ei impedimentum afferat, aut eius vitæ noceat, aut in eundo, aut in redeundo, aut in manendo. liceatq; Imperatori aut per ſe, aut per legatos ſuos cauſſam eius cognoſcere. Qui ſecus fecerit, ab Imperatore puniatur. Vt priuilegium S. R. E. quod primis temporibus per pijſſimos Imperatores conſtitutum eſt, à nobis firmetur. Vt flagitia, de quibus ad vos venimus, quæ in territorio noſtro committi conſpeximus, in truncationibus, deprædationibus, incendijs, rapinis, & violentijs à vobis diligentiſſimè, &, prout neceſſe eſt, legitimè coerceantur. vt pactum, quod veſtro genitore D. V idone, et à vobis pijſſimis Imperatoribus ex antiqua conſuetudine factum eſt, renouetur, & inuiolatum ſeruetur. Quoniam Maieſtas veſtra nouit, quas conſpirationes Romani, Longobardi, & Franci faciant aduerſus Apoſtolicam, & Imperatoriam auctoritatem in terris beati Petri, vt, ſicut prædeceſſores veſtri prohibuerunt, ne fierent, ſic in poſterum & ipſi Auguſtali veſtro decreto prohibeatis. Cum ad pontificatum euecti baſilicam Domini noſtri Conſtantinianam dirutam cerneremus, eius reſtituendæ cauſſa qui trabes inciderent, miſimus, ſed qui miſſi ſunt, nefariorum hominum temeritate mandata noſtra exequi non potuerunt. Quod opus vt ad exitum perducatur, tanquam dilectiſſimus filius, & glorioſiſſimus Imperator, operam date. Et quoniam S. R. Eccleſia eò inopiæ eſt redacta, vt pecuniæ, quæ pauperibus pro incolumitate veſtri Imperij diſtribui ſolebant, vnà cum ſtipendijs clericorum exhauſtæ ſint, his ad ſtabilitatem Imperij veſtri vnà cum fidelibus veſtris proſpicite.* Quibus recitatis, cum epiſcopi ſibi placere ſucclamaſſent, tum ita perorauit: *Quando igitur vos vno conſenſu, quæ Chriſto bene iuuante ſtatuimus, approbaſtis, hortor vos, vt commiſſæ vobis Eccleſiæ curam agere ſtudeatis, & gregem Chriſti ſanguine redemptum bonis exemplis, & ſalutaribus documentis imbuatis. Vbi verò domum redieritis, ieiunium indicite, ſupplicationes agite, orantes Deum, vt iram ſuam à populo auertat, pacem tribuat, diſsidia dirimat, peccata miſerando aboleat, & ad defenſionem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ ſpiritalem filium noſtrum Imperatorem Lambertum conſeruet. et ſuperbarum gentium ceruices ſua potenti dextra ſubijciat.* Atque his actis, dimiſſo concilio, ſuas quiſque domos repetiit. Berengario interim in

Forоiulio agitanti aliquid ad repetendum regnum optatæ lucis affulſit. Quippe Italici principes, vt antè Berengarij, ſic nunc Lamberti imperium, vt nimis graue, peroſi conſilia de illo pellendo, & reſtituendo Berengario contulerunt. Quin etiam Mangifredus Mediolani Comes, qui vrbem aduerſus Lambertum tenebat, vicina loca Lamberti auctoritatem ſequentia hoſtilibus populationibus incurſauit. Et eodem tempore Adelbertus Lucæ marchio, homo longè omnium in Italia ea tempeſtate ditiſsimus, Hildebrãdo Comite in ſocietatem aſcito, occulte aduerſus eum exercitum comparauit, ſcilicet ab vxore Berta, inquieti ingenii fœmina, regni cupiditate accenſus. Lambertus autem, cum Mangifredo capitalis rei damnato, atque necato omnes ſe ab nouis ineundis conſiliis deterruiſſe putaret, à concilio Rauennati reuerſus venationis cauſſa Marincum in nemus ſe contulit. extat nunc quoque Mutinæ diploma *pridie Kalend. Octobris anno* DCCCXCVIII *à Lamberto Imperatore, anno ſui ſeptimo, ex Marinco datum,* quo patris ſui Vidonis priuilegium Mutinenſi Eccleſiæ confirmauit. Ibi, cùm per aliquot dies aſsiduis venationibus intentus agitaret, Adelbertum Bardonem montem cum diuerſis, & infirmis aduerſus ſe copiis ſuperare cognouit. Itaque, vt erat prompti in omni re expedienda conſilii, ne tempus in acciendo maiore domo exercitu tereret, ſtrenuos centum, quos ſecum in armis habebat, milites ſumpſit, ac propere aduerſus hoſtem eduxit. Illi ex monte in campos ad Burgum S. Domnini degreſsi, nullo Lamberti ante explorato conſilio, nullis munimentis ante caſtris firmatis, cibo, ac potui largius indulſerunt. ac quieti inde, ac ſomno ſe, quaſi per ſummum ocium, tradiderunt. Quod vbi Lambertus Placentiam profectus præcepit, confeſtim ſilentio noctis vrbe exceſsit, ac raptim agmine acto alios immobiles, alios ſemiſomnos, pleroſque ad arma trepidantes oppreſsit. Hildebrãdo fuga elapſo, Adelbertus in præſepio, cum ibi forte latitaret, eſt captus. Cui, cum ad ſe deductus eſſet, Lambertus dixit: Nimirum Berta vxor tua diuino tum afflata ſpiritu fuit, cum ſe ſcientia ſua te ipſum aut regem, aut aſinum effecturam promiſit. nam quia regem non potuit, aſinum, ne mentiretur, effecit, dum te ad præſepe confugere compulit. Atque his dictis eum cum nonnullis alijs Papiam in cuſtodiam miſit. atque inde Marincum repetijt, vt de captiuis ſecreto à congreſſu hominum loco ſtatueret. Erat præter ceteros cum eo Hugo Mangifredi filius, quem poſt patris necem ipſe omnibus honoribus colligendæ beneuolentiæ cauſſa erat complexus. Forte autem accidit, vt inter venãndum ceteris in diuerſas ſyluæ partes effuſe, vt fit, equorum curſu perla-

tis Hugo cum Lamberto remanſerit. qui paternæ iniuriæ recordatus conſilium vlciſcendæ cepit, occaſionem nactus, quòd rex ad quaſdam anguſtias, per quas aper impellendus erat, conſtiterat, atque labore, & expectatione diurina fatigatus paululũ quieturus ſemet ipſi cuſtodiendum commiſerat. Itaque ſomno ſtratum gladio percutere veritus, ne ſanguinis effuſio patratorem facinoris proderet, ceruici fuſtem inflixit, atque ipſum effuſe currentem equo præcipitaſſe, collumq; fregiſſe, diſſeminauit. Extat regis huius tale apud Luitprandum elogium: *Inerat illi honeſta morum probitas, ſancta, & formidoloſa ſeueritas, & quem iuuentus ornauerat in corpore ſplendida, mentis canicies decorabat ſancta. Plane plus ille reip. quàm reſpublica illi, ornamenti tribuerat. Quòd ſi non immatura morte præreptus eſſet, poſt Romanos vnus totum ſibi terrarum orbem viriliter ſubiecißet.*

IDEM BERENGARIVS REX SOLVS.

NVNCIO de Lamberti nece accepto Berengarius ſine cunctatione Verona Papiam proceſsit, regiaq; recepta Adelbertum cuſtodia liberauit, ac ſingulas inde vrbes regni conſtituendi cauſſa luſtrare inſtituit. Itaque VII Idus Decembris, Bononiæ cum eſſet, anno regni ſui vndecimo, ſuperiorum regum priuilegia Murinenſi conceſſa eccleſiæ comprobauit. Qui verò à Berengario auerſi erant, ne Lamberti quidem morte cũ eo in gratiam redierunt, ſed noui regis cupiditate flagrantes, cum neminem ex Italia probarent, quem Berengario opponerent, extrinſecus quæſiuerunt. Regnabat tum in Prouincia Ludouicus Boſonis regis, de quo ſupra ſcripſimus, filius, Ludouici ſecundi Imperatoris, atque Italiæ regis nepos, virtute, atque iuſtitia clarus. Hunc igitur vel quia Italiæ propinquus erat, vel quia à Carolo Magno genus trahebat, nunciis miſſis in Italiã inuitarunt, atque obſequium ei ſuum, ſi Berengarium pelleret, obtulerunt. Huius autẽ conſpirationis auctor, & princeps fuit Adelbertus Eporediæ marchio, qui Berengarii gener erat, atque ex filia eius Giſla Berengarium genuerat, eum, qui poſt & ipſe regnũ Italiæ tenuit. Ceterum noua hæc in Adelberto perfidia admirationi omnibus fuit. nam tanta ſanctitate ab ineunte pueritia fuerat, vt ſi à venatione forte recedens in pauperem incidiſſet, neque præſentem pecuniam, quam ei daret, habuiſſet, cornu, quod pretioſum collo geſtabat, elargiretur, & poſt ab eo, quanti illud æſtimaret, redimeret. Hac legatione accepta Ludouicus quaſi hereditariam, ac ſibi debitam ditionem repeteret,

quam auus ſuus ingenti cum gloria poſſediſſet, exercitum in eam expeditionem, quàm primùm potuit, comparauit. Contra Berengarius, neque enim tanta res latere hominem prudentiſsimum potuit, ad Adelbertum Lucæ marchionem, quem paullo ante vinculis ſoluerat, ſe recepit. atque deteſtandam generi ſui perfidiam, & inſanam aduerſariorum ſuorum pertinaciam, quibus vehementiſsimè premeretur, oſtendit. tolerandos eos adhuc fuiſſe, cum Vidonem, & Lambertum homines Italicos ſibi reges optarunt. nunc vix ferendam illorum ſtultitiam apparere, cum externum iterum ſeruitutis iugum Italis velint in ceruices imponere, eoſq́; grauibus imperiis, quibus ſe eximia Dei benignitate aliquando liberauerant, rurſus ſubiicere. Ludouicū Prouinciæ regem aduerſus ſe aduocaſſe, qui non ſolum externus, ſed etiam externo patre, ac ſuis etiam, dùm uixit, propter ſuperbiam inuiſo, genitus ſit. quamobrem orare illum etiam, atque etiam, vt ſiue ſua, ſiue Italicæ cauſſa, communē remp. ſecum ſuſcipiat, & ſociatis armis Ludouico in Italiam deſcendenti reſiſtat; ni faciat, regia inſignia ſine dubio iterum ad exteros peruentura. quod ne eueniat, nullius, quàm ipſius, vehementius intereſſe. His verbis addidit etiam munera ampliſsima. Quibus Adelbertus impulſus, ſe in eius auctoritate dixit fore. Itaque ſe-
899 quenti anno Ludouico in Italiam cum exercitu magno tranſgreſſo, Berengarius cum multò maiore occurrit, atque illum ita circumuenit, vt copiam euadendi omnem ademerit. Qua difficultate oppreſſus Ludouicus, miſsis nuncijs Berengarium, vt ſe incolumem redire permitteret, obſecrauit, ſeque, ſi id faceret, nullis vnquam in poſterum conditionibus Italiam repetiturum eſſe, iureiurando aſſeruit. Quo accepto, Berengarius, mitis, ſynceriq; ingenii vir, ipſum haud grauatè dimiſit. Eodem anno in Campania Adelgiſo Principe Beneuenti mortuo Atenulfus Capuæ gaſtaldeus Principatum vtrumque cum filio Landulfo inuaſit. Cuius progenies in ducentos inde ferme annos vtramque ditionem obtinuit. Hic aſsiduis maleficijs Sarracenorum impulſus, qui Gariliano egreſsi neminem Romam aut negotii, aut voti cauſſa ire, niſi ſpoliatum, aut grandi pecunia multatum, ſinebant, Neapolitanis, & Amalfitanis aſſumptis Garilianum proceſsit, confectoq; ex lintribus ponte iuxta Traiectum tranſiens acriter eos oppugnare inſtituit. Sed, cum nocte quadam minus diligenter cuſtodiæ agerentur, à Sarracenis, & Caietanis ex improuiſo oppreſſus multos ſuorum amiſit, & cum reliquis fugatus ad pontem ſe recepit. Ibi receptis animis tanto ardore prœlium eſt inſtauratum, vt Sarraceni coacti fuerint in fugam ſe verte re, ac caſtra ſua repetere. Eodem anno IX Kalen. Octobris Ioannes

pontifex morte abſumptus eſt. In eius locum Tuſculanorum factio Benedictum quartum ſubrogauit, eumq; contra legem ſine auctoritate regia conſecrauit. Et III Kalendas Decembris Arnulfus rex Germaniæ, quem vitio Imperatorem factum fuiſſe, Rauennati in concilio fuerat conſtitutum, pediculari morbo confectus interiit. Ei verò proceres, & optimates in Forcheim conuenientes poſtero anno, qui fuit nongenteſimus, Ludouicum filium ſuffecere, & coronatum, ac regiis veſtibus exornatum regali in ſolio locauere. cui nihil rei cum regno Italiæ fuit. Interim inimici Berengarii conſilia agitare, quemadmodum Ludouicum alterum in Italiam attraherent, non ceſſabant. addebat autem animum Benedictus pontifex ex parte Comitum Tuſculanorum creatus, à quo ſe facile Auguſtalia illi quoque impetraturos inſignia confidebant. Itaque, quòd ratio nulla melior oſtendebatur, ad ipſum Tuſciæ marchionem Adelbertum ſe conferunt, ac Berengarii ſuperbia, Ludouici verò comitate propoſita, quantis ſtudiis Italici erga Ludouicum accenſi ſint, docent. in eo ſpes omnes ocij, & tranquillitatis Italiæ poſuiſſe, nec dubitare, quin, ſi ſecum ipſe ad illum reuocandum voluerit conſentire, propriis ille omiſsis rationibus facilè in animum inducat, vt Italorum votis obtemperet. His verò Berta vxor acceſsit. quæ, cum quotidianis maritum ſtimulis aduerſus Berengarium non deſiſteret incitare, tum verò petitione Italicorum erecta multò etiam vehementius inſtigauit. Iaque Adelbertus cum Italorum, tum vxoris voluntate permotus, legatos ſe miſſurum ad Ludouicum de repetenda Italia dixit, ac continuò miſit. Ludouicus, vbi ſe ab Adelberto vocari ſenſit, certam ſpem Italiæ potiundæ concepit. ac iuriſiurandi, præ nimia regnandi cupiditate, ratione non habita, cum maiore, quàm ante, copiarum numero Alpes verſus iter intendit. ac tota ſibi fere occurrente Lombardia, eas traiecit. Quod poſtquam Berengarius audiit, prœlio rem experiri non auſus ſubitò Papiam reliquit, Veronamq; ſe rettulit. 900

LVDOVICVS III REX, ET IMP. CONTRA BERENGARIVM REGEM.

LVDOVICVS inde vacuam Papiam ingreſſus magna principum, & populorum gratulatione regiis eſt inſignibus exornatus. Regno rurſus in duas partes diuiſo, certatim vterque rex beneficia amicis poſtulantibus dedit. Extant enim utriuſque diplomata, Berengarii quidem IIII *Idus Martias*,

& XIII Kal. Nouembris Veronæ, Ludouici verò *pridie Idus Octobris Olonnæ, & pridie Kalend. Nouembris Placentiæ* epiſcopis Murinenſi, & Regienſi hoc anno conceſſa. Poſtero inde Ludouicus, proſequentibus Italicis,
901 Romam contendit, & coronam, titulumq; Imperatoris à Benedicto pontifice accepit. inde Papiam regreſſus ſuperiorum Imperatorum munera confirmare de more perrexit. Legitur Nonantulæ diploma, in quo auctoritate ſua rata eſſe omnia iubet, quæ monaſterio Nonantulano à regibus donata fuerant, Aiſtulfo, Deſiderio, Adalgiſo, Carolo maiore, Ludouico maiore, Lothario, Ludouico Pijſſimo, Carolomano, Carolo Iuniore, Arnulfo, Vidone, & Lamberto Imperatoribus. Id verò reſcriptum datum eſt ab ipſo Imperatore *anno adhuc in Italia primo, Papiæ, Kalend. Iulijs anno à Chriſto nongenteſimo primo*. Ceterum dum hæc geruntur, noui, atque antehac inauditi Italiæ hoſtes apparuerunt. qui Italicos paulliſper ſe ſuperioribus à cladibus attollentes, ac quaſi aliquam antiquæ dignitatis lucem aſpicere incipientes crebris incurſionibus, ac fœdis populationibus afflixerunt. Hi fuere Vngari, qui ex Scythia Craſſo regnante profecti Pannoniam victis, pulſiſque Hunnis occupauerant. Agreſtibus moribus, atque ad ſolam belli diritatem formatis prædita gens fuiſſe dicitur. matres pueris primum natis faciem cædere, vt ante vulnerum dolores tolerare aſſueſcerent, quàm lactis nutrimenta perciperet. ſagittis in prœlio plus, quàm gladio vtebantur, quas tanta induſtria deſtinabant, vt earum ictus nulla vitari induſtria poſſent. neque manum cominus conſerere, neque vrbes premere oppugnatione ſciebant. eminus autem non ſolùm procurrentibus, ſed etiam refugientibus equis pugnabant, ita vt cum maximè formidare viderentur, maximæ hoſtibus formidini forent. carnibus crudis veſcebantur, ſanguinem bibebant, corda hominum, quos ceperant, in partes diſſecta, velut pro remedio, deuorabant. ingenia crudelia, tumida, ſeditioſa. nihil veri, nihil ſynceri, fraus, & perfidia omnia. in feminis eadem ferocitas, atque in viris. filijs vna equitandi, iaculandiq; ratio magna cura, atque ſolertia tradebatur. Semper aut inteſtinis diſcordijs, aut externis bellis agitati neque ipſi quietem agebant, neque alios quieſcere patiebantur. Hæc igitur tam fera, tamque barbara gens biennio antè morte Arnulfi regis erecta Marauanorum gentem, quam Arnulfus ope eorum ſubegerat, ſimulq; Baioariorũ adierat, atque omnia in eos hoſtilis impotentiæ exempla ediderat, & cum Ludouico nouo rege prœlio ad Auguſtam congreſſa exercitum eius occidione occiderat, ac Baioariorum inde, Sueuorum, Franconum, & Saxonum fines rapinis, atque incendiis peruaſtarat. Quibus rebus elati hoc anno ani

mum ad inuadendam Italiam adiecerunt, ac modica aſſumpta mili-
tum manu in Venetiam tranſgreſsi ad Brentam agri Patauini amnem
conſederunt. Inde ſpeculatores miſsi, qui terræ ſitum, populorum fre
quentiam, mores, ac ſtudia ciuitatum explorarent, ac comperta refer
rent. Ii profecti ita renunciarunt: Campos eſſe colonis refertos, ab vno
latere montibus arduis, ſed fertilibus, ab altero mari Adriatico cinctos.
oppida ineſſe multa, ac pleraque munitiſsima. populos, quanquam
incognitæ fortitudinis, tamen infinitæ apparere multitudinis. quamo-
brem, ſi cupido diuitiarum, quarum tantam apud Italos copiam vi-
derint, quantam ne in toto quidem terrarum orbe credant eſſe, ſic eos
ſolicitat, vt abſtinere non poſsint, magnopere ſuadere, vt domum iter
dierum decem, aut paullo amplius repetant, ac contractis omnibus
gentis ſuæ militibus redeant, vt Italis non minus multitudine, quàm
fortitudine ſua eſſe terrori poſsint. Quibus rebus auditis, omnes ſubi-
tò caſtra mouent, ac domum reuerſi totam hiemem in apparatu ar-
morum, & exercitatione militum ponunt. Ludouicus interim nihil
actum ratus, niſi tota Berengarium Italia deturbaret, exercitum aſ-
ſumpſit, atque aduerſus eum Veronæ X Kalen. Septembris agentem
proceſsit. Quod poſtquam ſenſit Berengarius, viribus, ac fortuna ſua
diffiſus ſubitò Veronenſi quoque ditione relicta, in Bauariam ſe rece-
pit. Ludouicus omnium rerum breui haud magno labore potitus Ve-
rona inde Papiam reuertit, ac ſequenti anno totum regnum pacatè 902
adminiſtrare perrexit. Legi diploma ab eo IIII *Idus Maij Papiæ da-
tum anno regni ſui in Italia ſecundo, Chriſti* DCCCCII. Inuaſit inde cupi-
do, quemadmodum Lombardiam inuiſerat, ſic Tuſciam quoque lu-
ſtrare. Itaque Papia egreſſus Lucam adiit. Ibi effuſo in omnem magnifi
centiæ regiæ ſpeciem apparatu ab Adelberto marchione exceptus eſt.
Cum autem lectiſsimorum militum cohortes, ſummam domus digni
tatem, & mirabiles familiæ impenſas videret, inuidia tactus in aurem
amico inquit: Nimirum hic regis potius, quàm marchionis nomine
poteſt dignari. neque enim vlla in re mihi, niſi titulo, cedit. Quod
verbum Berta, vt erat verſuti ingenii mulier, fortè excipiens ad mari-
tum continuò detulit, animumq; ab illo eius alienauit. Luſtrato inde re
gno, rebuſque, quantum res ferre videbatur, ſatis in præſens compoſi-
tis, Veronam ſe contulit, ac quaſi ab omnibus iam ſecurus inſidiis
exercitum, Adelardo epiſcopo adhortante, dimiſit. Hoc verò vbi Be
rengarius comperit, in omnes repetendi regni occaſiones intentus, oc
culte è Bauaria in Italiam rediit, ac XII Kalend. Auguſti ex improui-
ſo Veronam aduenit. ac, cuſtodibus vrbis corruptis, ſilentio noctis in-

greſſus

greſſus nonnullos expertæ fidei, ac ſpectatæ fortitudinis viros contraxit. Mediam tum vrbem amnis Atheſis interfluens ingenti marmoreo egregij operis pōte partem vtranque iungebat. à læua autem fluminis, quæ vergebat ad Aquilonem, vrbis pars ſita erat, difficili adeo, arduoq; colle munita, vt, ſi pars, quam dexteram fluuius alluebat, in hoſtium poteſtatem veniſſet, hæc tamen egregiè ſuſtinere ſe poſſet. in vertice vero collis pretioſi operis erat baſilica S. Petri, vbi propter loci amœnitatem, & munitionis firmitatem Ludouicus agebat. Berengarius igitur vrbem per noctem ingreſſus, traiecto cum globo ſuorum militum ponte, ſub lucem in collem euaſit. Ad eum tumultum excitus Ludouicus, quid nam id rei eſſet, quærere de ſuis cœpit, ac re incomperta trepidus in baſilicam ſe recepit, atque in penetralibus eius ſeſe abdidit. Quærente autem, ac perſcrutante omnia Berengario, miles eius, qui vnus fugientem animaduerterat, timens ne repertus occideretur, Berengarium adiit, atque ita dixit: Rex, quando te Deus tantæ victoriæ compotem fecit, vt hoſtem tuum in poteſtate habeas, æquum eſt, & te præceptis eius obtemperare, qui inquit: *Eſtote miſericordes, ſicut et pater veſter miſericors eſt. Nolite iudicare, & non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini.* Berengarius autem intelligens, eum, vbi nam Ludouicus lateret, tenere, ſed vitæ eius conſulere velle, reſpondit: Putas ne me, homo inſulſe, quem mihi Deus tradidit in manus, occidere velle? Qua voce erectus miles locum, vbi ſe Ludouicus condiderat, indicauit. Berengarius autem, cum Ludouicum comprehendi iuſsiſſet, tum in cōſpectum ſuum productum ita appellauit: Non credo te oblitum eius temporis eſſe, cum ego te meis præſidiis circunſeptum, ita, vt elabi non poſſes, miſericordia tui captus, quæ nulla tibi debebatur, dimiſi, ipſeq. te nunquam amplius Italiam ingreſſurum mihi ſacramento interpoſito ſpopondiſti. quare, quando tu neque beneficii mei, neque iuriſiurandi tui rationem, vt decuit, habuiſti, meq; eodem tempore, ac Deum ipſum libidine alieni regni percitus fefelliſti, vitam quidem, ſicut ei, qui te mihi prodidit, promiſi, concedo, oculos verò erui tibi prodendi exempli gratia iubeo. atque his dictis Ludouicus ſtatim luminibus orbatus, & regno ſe abdicare coactus eſt.

IDEM

IDEM BERENGARIVS REX SOLVS.

BERENGARIVS inde recepta Verona, Papiam reuerſus regnum, nemine repngnante, recuperauit, idq. per annos inde viginti duos pacatè adminiſtrauit. Nam Italici dira Ludouici calamitate fracti ad officium redierunt, atque in Berengarii fermè auctoritate fuerunt. VIII Idus Auguſti Papiæ cum eſſet, Mutinenſem eccleſiam, Gothifredo epiſcopo poſtulante, magnificè munerauit, anno regni ſui, vt in diplomate ſcriptum eſt, quinto decimo. Eo anno Landulfus archiepiſcopus Mediolanenſis creatus. Hæc autẽ dum ille agit, Vngari, prout ſtatuerãt, Pannonia egreſsi, menſe Auguſto, iterum in Italiam irruperunt, atque Aquileiam, & Veronam vrbes munitiſsimas prætervecti, Comum, Bergomum, atque ipſam denique regni ſedem Papiam, latè omnia populando, reſiſtente nemine, petierunt. atque in itinere Truſardum epiſcopum Vercellenſem grandi cum pecunia fugientem adepti, necarunt. Ad primum huius tam fœdi tumultus nuncium excitus Berengarius, nuncijs in omnes regni partes dimiſsis, ac ciuitatibus de imminenti periculo monitis ingentem ex tota Italia vltro nomina dante exercitum conuocauit. eumq́; aduerſus Vngaros effusè omnia peruagantes adduxit. Vngari triplo maioribus ſe peti copijs, quàm quas ipſi adduxerant, ex inſperato cernentes, planè quid conſilij caperent, neſciebant. nam nec rem pugnæ committere confidebant, nec fugam capeſſendo ſe elapſuros ſperabant. Demum præſtare viſum eſt, fugam, quàm prœlium, experiri. Cum autem hærentibus aſsiduè in terga Italicis, ad amnem Abduam effusè fugiendo eadem, qua venerant, via perlati eſſent, atque in eo feſtinanter, ac tumultuosè tranando multos amiſiſſent, deſperatione debilitati petierunt ab Italis, vt ſe, vniuerſa præda recepta, viuos abire permitterent. Eam verò petitionem Italici ſuperbè, vniuerſos depoſcentes in vincula, reſpuerunt. Quo audito, Vngari repetita fuga in campos Veronenſes elati ſunt. Ibi cùm primum Italicorum agmen extremum eſſet Vngarorum adeptum, leue prœlium eſt commiſſum. Quo cum ſuperiores fuiſſent Vngari, mox vniuerſo ſuperueniente Italicorum exercitu territi, rurſus cœptæ ſe fugæ mandarunt. Poſtquam ad Brentam amnem eſt ventum, equis curſum, fugamq. præ laſsitudine denegantibus conſiſtere coacti trans amnem caſtra locarunt. ac nunciis ad Berengarium, qui cis amnem conſederat, miſsis poſtularunt, vt ſupellectilem omnem ſuam, captiuos, arma, equos omnes præter eos, quibus vterentur, ac-

ciperet, & ſe abire incolumes ſineret, iurantes, ſe datis in fidem obſidibus filiis ſuis, nunquam amplius prædæ cauſſa Italiam ingreſſuros. Ad hæc Italici nimia rerum proſperitate cæcati reſponderunt, ſtulti hominis eſſe, muneris, aut conditionis aliquid à mortuo, aut planè iam profligato, accipere. Qua re audita Vngaros indignatio acris inceſsit, &, Quæ noua, inquiunt, ignauia, ac torpedo animos noſtros oppreſsit? an verò, quando vitam neque pretio redimere, neque fuga ſeruare pertinaci hoſtium inſolentia poſſumus, dubitamus, audacter in eorum caſtra irrumpere, & morte noſtra mortem illis inferre? quamq. à patribus noſtris fortitudinis gloriam accepimus, eandem poſteris nos quoque noſtris relinquere? quanquam, quid ſi ne mortem quidem oppetemus? an vero nos ignoramus, qui id ſæpe conſequuti virtute noſtra ſumus, quàm exigua ſæpe virorum manus ingentes hoſtium copias profligarit, quàmq; ſæpe Mars fugientem perculerit, fortiter vero reſiſtentem protexerit? Quibus verbis confirmati, qui ante fugere decreuerant, iam ſummo in quencumque caſum contendere prœlio ſtatuunt. atque ita inſidiis bifariam diſpoſitis, rectà amne traiecto, in hoſtes ſe medios inferunt. Italici reſponſo expectando defeſsi interim ſe corporibus curandis, vt victoriæ certi, tradiderant. Itaque Vngari irruptione facta, incautos adorti partim epulantes intemerunt, partim equis ademptis fuga intercluſos proſtrauerunt. Auxit etiam Italicorum cladem, quòd nonnulli non ſolùm non pugnarunt, ſed proximos etiam, vt ſoli ſuperſtites dominarentur, à manu conſerenda deterruerunt; quosq. in alijs caſus cum voluptate ſpectarunt, in eos ipſi haud ita multò poſt inciderunt. Hac victoria elati Vngari inde Taruiſium, Viceriam, & Patauium populati ſunt, cum omnes munitis locis inſeſsis victori ſe obijcere hoſti metuerent. Inde
903 poſtero, Venetos aggreſsi paratis lembis nõ ſolùm Ciuitatem nouam, Equilium, Clodiam, & Caput Aggeris incenderunt, ſed etiam Albiolam prouecti Metamaucum, & Riuoaltum die feſto S. Petri tentarũt. Demum à Petro Duce naualibus cum copiis acriter reſiſtente repulſi, ſeſe ad mediterranea contulerunt. atque ad Appenninum populando progreſsi obuia omnia, quæ munita non erant, loca vaſtarunt. neque eccleſiis, aut monaſteriis temperarunt. Mutinam tamen ingreſsi vrbem intactam virtute ſancti Geminiani epiſcopi reliquerunt. Nonantulano monaſterio diti in primis, atque opulento fœdum incendium eſt illatum. Leopardus abbas cum monachis fortè euaſit incolumis. Tandem, cum ſe Italia non exceſſuros, niſi certa pecuniæ ſumma accepta, oſtenderent, Berengarius, vt primo quoque tempore ea

peſte Italiam liberaret,ſummo ſtudio eam collegit,atque,vt quamprimum abirent, effecit. Leuata inde Vngarorum mole Italia, tum ad reſarcienda damna conuerſus in primis ſtuduit eccleſijs,quæ vim eorum paſſæ fuerant,ſubleuandis. Eo præſente Bergomi Adelpertus epiſcopus oſſa S. Alexandri martyris, qui in ipſa vrbis baſilica colitur,ex antiquo ſepulchro in Confeſsionem,vbi nũc quoque quieſcunt, traduxit, & reſcriptum ab eo impetrauit. Sequenti,idem aliquot Regienſi baſilicæ poſſeſsiones ad damna ab Vngaris accepta reſtituenda conceſsit. 904
quod ex diplomate apparet,*anno DCCCCIIII,regni ſui XVII, pridie Nonas Ianuarij,rogatu Berthilæ coniugis dato.* Eodem anno VI Idus Aprilis Benedictus pontifex moritur. Noui inde comitia pontificis non Romæ ſolùm,ſed etiam Eccleſiæ totius ocium perturbarunt, libidine Romonorũ,vt cum maximè,ſæuiente, atque humanas leges,diuinaſq. ſpernente.In Benedicti locum Leo V eſt ſuffectus. Hominem incautũ, & parum tractãdis rebus idoneum eſſe,cum animaduertiſſet Chriſtophorus,ſacerdos eius quadrageſimo,quàm conſecratus fuit, die accitis ſociis comprehendit,atque in cuſtodiam traditum abdicare coegit, atque ipſe ſe pontificem facere nouo exẽplo non dubitauit. Huius inde audaciam imitatus Sergius,qui bis iam ab aduerſariis de põtificatu fuerat deturbatus,illum exigere,& ſemet ipſum inferre conſtituit. Itaque, ne aduerſæ potentia factionis opprimeretur,Adelbertum Tuſciæ marchionem,vt ſibi auxilio eſſet,orauit. & cõſpiratione facta Chriſtophorum IX Kal.Ianuarias comprehenſum ſe abdicare,atque monaſterium inire coegit, ac poſtridie ſedem occupauit. Is Sergius tertius appellatus. Pontificatum malè partum nullo tamen inſigni probro fœdauit. Neque enim Formoſi cadauer ex ſepulchro iterum ab eo poſt XX annos extractum,vt quidam ſcribunt, eſt veriſimile. Eodem anno Andreas eccleſiam Mediolanẽſem, Petrus Rauennatẽ, Laurentius Gradenſem, obtinuit. Berengarius annum Papiæ egit. vbi per menſem Iunium nouis muneribus Mutinenſis eccleſiæ cladem ab Vngaris acceptam ſarciuit. Poſtero,Vngari noua prædandi cupiditate incenſi nouis Italiam 905
popularionibus incurſarunt. Nec Berengarius propter ſuorum perfidiam militum aliqua ratione eſt aduerſatus. Sarraceni verò etiam multò,quàm antea,impotentius ipſius extrema Italiæ lacerarunt. Nam & qui Fraxinetum inſederant, reliquis circa direptis vrbibus,oppidum Aquarum non longè à Papia diſtans inuaſerunt, omnibus munitiſsimas in arces,turreſq. dilapſis. quæ per hos annos vulgo fieri ad repentinas barbarorum impreſsiones eludendas ſunt cœptæ: & qui Africam incolebant, Apuliæ, & Calabriæ littora, oraſq. hoſtiliter diuexarunt,

906 Leone Imperatore prope in re tanti periculi conniuente. Proximo,
Sergius baſilicam Lateranenſem, quæ terræmotu labefactata corrue-
907 rat, inſtaurauit, inſtauratamq; picturis egregijs exornauit; inſequenti
verò, Ioannem Rauennatem, epiſcopum Bononienſem Petro archie-
piſcopo Rauennatis eccleſiæ mortuo ſubrogauit. & Berengarius Pa-
908 piæ annum tranſegit. Eo verò, qui inſequutus eſt, Leo Imperator op
petiit, imperio penes fratrem Alexandrum relicto. Alexandrum verò
909 altero anno mortuum Conſtantinus Porphyrogenitus Leonis filius ex
cepit. quo eodem anno Vrſus ad eccleſiæ Aquileienſis adminiſtratio-
nem euectus eſt. Berengarius vero annum Veronæ tranſegit. Eodē
anno Leopardus abbas reuocatis, qui diffugerant, monachis monaſte
rium Nonantulanum nouem ante annis ab Vngaris inflammatum re-
ſtituit. atque accepta à Sergio pontifice poteſtate, vt per quem vellet,
ex tribus epiſcopis conſecraret, Ioanne Papienſi, Vidone Placentino,
910 & Elbungo Parmenſi, conſecrauit. Anno inde nongenteſimo decimo
Leo abbas monaſterium Caſsinas viginti ſeptem ante annos à Sarrace-
nis incenſum inſtaurare cœpit, ac priuilegia ab Atenulfo Capua-
no, & Beneuentano Principe, & à Guaimario Salernitano popoſcit.
911 neque tamen Teanenſi monaſterio ſeſe extulit. Poſt annum Sergius
pontifex mortuus eſt, atque in eius locum factus Anaſtaſius tertius.
Cupiebat Berengarius Papiam, vt quæ regni ſedes erat, honore ſupra
reliquas regni ciuitates efferre. itaque, quoniam eccleſiam eius metro-
politana afficere dignitate non poterat, ius, atque inſignia noua epi-
ſcopo conquiſiuit. atque, vt Anaſtaſius pontifex ei ius indulgeret adhi
bendæ vmbellæ, equo albo vehendi, crucis præferendæ, & in concilio
à læua Pontificis aſsidendi, obtinuit. Eodem anno Atho archiepiſco-
patum Mediolanenſem accepit. &, cum per Decembrem menſem Lu-
douicus rex Germaniæ obiiſſet, qui fuit ex Caroli Magni progenie vl
timus, in eius locum Germani proceres Conradum è Franconia, virum
rei militaris peritiſsimum ſublegerunt. Cum Vngari monaſterium nō
longè à Taruiſio ſitum vnà cum templo, in quo erant corpora ſancto
912 rum Syneſii, & Theopontij, deleuiſſent, ſequenti anno Petrus abbas
Nonantulanus, cui monaſterium illud erat obnoxium, miſit, qui ea cor
pora inde Nonantulam deportarent, eaq. magna cæremonia in tem-
plo Nonantulano repoſuit. Berengarius IX Kal. Aprilis Veronæ à
Sibicone epiſcopo Patauino edoctus, baſilica ſua ab Vngaris inflāma-
ta, antiqua tabularū monumenta omnia eſſe cōſumpta, vetera oīa re-
gū priuilegia inſtaurauit, anno, vt ipſe ſcribit, regni ſui viceſimo quin-
913 to. Proximo, die ſuū obiit Anaſtaſius pontifex. cui poſt biduū Lando

eſt

eſt ſubrogatus, nulla re in pontificatu geſta nobilitatus. Eo inde V. Kal. Ianuarias mortuo, comitiisq. pontifici creando indictis, nihil ex legibus actum eſt. Siquidem Albertus marchio Theodoræ ſocrus inſtinctu neque ex eccleſia Romana, ſed ex Rauennati, neque cleri ſuffragijs, ſed propriis opibus IX Kal. Februarias ſucceſſorem Ioannẽ Rauennatem archiepiſcopum dedit. Is Ioannes decimus eſt vocatus. Berengarius cum Placentiam veniſſet, agrum Cremonenſium, & Placentinorum poſitis terminis definiuit. Ioannes autem non iiſdem artibus, qui bus cepit pontificatum, etiam geſsit, ſed Eccleſiæ, atque Italiæ mirè vtilis fuit. Cauſſam bene gerendæ rei dedere Sarraceni. Hoc enim pontifice conſtituto auctus mirificè eorum, qui Garilianum inſederant, numerus acrem pontificem in ſui perniciem incitauit. Ea verò res in hũc modum eſt geſta. Cum vicina vrbi loca in dies magis ab incurſantibus Sarracenis affligerentur, Sarracenus quidam graui à ſuis iniuria prouocatus venit ad Pontificem, pollicituſq. eſt, ſi ſibi ſocios idoneos daret, ſe Romam ea cura liberaturum. annuente autem Ioanne, iuuenes ſexaginta robuſtiſsimos legit, ac parmis, pilis, gladiis, veſtibuſq. ſingulis cũ exiguo obſonio inſtructos in anguſtiis viarum, per quas iter erat Sarracenis, occuluit, ac redeuntes à prædatione adortus leui admodum momento confecit. Hoc cum ſemel, iterumq. proſpero euentu feciſſet, Romanis iuuenibus huic officio pleriſque ſe addicẽtibus Sarracenos ingentibus detrimentis affecit. Quibus adacti illi violata inter ſe fide ceteris, quæ tenebant, oppidis derelictis, in vnum Garilianum, tanquam tutiſsimam in arcem ſe contulerunt. ac fœdiora in dies auaritiæ, & crudelitatis exempla in viatores, & incolas ediderunt. Hac igitur cura ſtimulatus Ioannes conſilio cum Athenulfo Beneuenti, & Capuæ Principe cõmunicato, legatos ad Græcum Imperatorem Conſtantinum, cuius etiam prouincias Apuliam, Calabriamq. Sarraceni inuaſerant, atque ad Spoletinos, Camerteſq. miſit, atque, vt ſecum arma aduerſus barbaros caperent, inuitauit. Ob eam rem Nicolaus Patricius ſequenti anno cum magnis Græcorum copiis ab Imperatore miſſus aduenit, ac Landulfo Atenulfi iam mortui filio Capuæ, & Beneuenti, & Guaimario Salerni Principibus, Apuliſq., & Calabris ſibi adiunctis, iuxta Garilianum conſedit. Ab altera verò parte Ioannes pontifex cum Alberto marchione, ac Spoletinis, Camertibusq. poſuit caſtra. Cũ acris Gariliani obſidio ad tres menſes perducta eſſet, Sarraceni, re frumentaria deficiente, inedia ſolicitati Ioanne Neapolis, & Gregorio Caietæ Ducibus auctoribus, conſilium eruptionis ceperunt, ac rebus ſuis omnibus inflammatis magno ex oppido impetu facto euaſerunt, ac mon-

914 915

tes,ſyluasq. proximas petiuerunt. Noſtri verò eueſtigiò inſequuti eos circunſteterunt, atque ad pugnam compulſos menſe Auguſto ad vnū omnes occiderunt. Apud alios, & quidem vetuſtiores ſcriptores inuenio, rem non obſidione tentatam eſſe, ſed prœlio; & Sarracenos, cum premerentur à Chriſtianis, in Garliani montem ſe recepiſſe, ac viarum anguſtias inſediſſe; Græcos autem, qua parte facilior erat Sarracenis deſcenſus, locum caſtello conſtructo cuſtodiuiſſe; cumq. quotidie pugnaretur, factum, vt ne vnus quidem ex hoſtibus ſuperfuerit. Hanc Chriſtianorum victoriam ſcriptores tanti faciunt, vt ſanctos apoſtolos Petrum, & Paulum in ijs conſpectos eſſe prœlijs prodant.

IDEM BERENGARIVS REX, ET IMPERATOR SOLVS.

CETERVM Berengarium etiam regem magna huic expeditioni adiumenta ſubminiſtraſſe crediderim. Is certè hoc anno à Ioanne pontifice ad referendam, credo, gratiam Imperator per menſem Septembrem inunctus eſt. vt ex diplomatis eius elicitur. Quem titulum cum ab initio expetiſſet, ſatis tamen apparet, nunquam, niſi anno regni ſui viceſimo octauo, eſſe adeptum. Itaque poſthac in diplomatis Imperij ſui annos non aliter, atque regni, adſcribere ſeparatim inſtituit. Petrus archiepiſcopus Rauennas factus. Ioannes abbas Caſsinas monachos Teano Capuam traduxit, atque ædem monaſterii Caſsinatis à Leone abbate refectam

916 ornauit. Poſtero anno Berengarius, vt ipſe ſcribit, *regni ſui viceſimo nono, Imperij verò adhuc primo*, Papiæ cum eſſet, Kalendis Septembris eccleſiam Cremonenſem multis ab Vngaris detrimentis affectam, ac propè attritam nonnullis vectigalibus liberauit, & *ne quis procurator regius aliquam in vrbe haberet poteſtatem, neue quis Comes, Vicecomes, Sculdaſio, gaſtaldio, decanus regius in vrbe, aut extra vrbem ad quinque millia paſſuum placita cuſtodiret, aut hoſpitaretur iniuſſu Ioannis epiſcopi, aut ſucceſſorū eius, in-*

917 *dulſit*, proximo, Adelberto Tuſciæ marchione ex humanis erepto, Vidoni filio eius ditionē confirmauit. Berta Vidonis mater, cum dominatum Italiæ adipiſci, viuente marito, non potuiſſet, filio rerum potiente ſe aſſequuturā arbitrata, varia moliri aduerſus Berēgarium cœpit. Quibus cōpertis, Berengarius exercitu in Etruriā miſſo ipſam cum filio cepit, ac Mantuæ in cuſtodiam tradidit. Cum autem oppida eius neque vi, neque metu ſibi ſubiicere potuiſſet, tandem beneficio ſibi reconci-

918 liandam ratus impunitā dimiſit, & proximo anno, nēpe, vt ipſe ſcribit, *regni ſui triceſimo primo, Imperij verò quarto, VII Kal. Ianua. Indictione VII,*

Modœtiæ egit. Garibertus eccleſiæ Mediolanenſi præpoſitus. Sequenti, mortuus eſt Conradus rex Germaniæ magnis bellis cum Vngarorũ gente proſperè geſtis, inſignis, qui nõ aliter, ac Ludouicus deceſſor eius, negotii nihil in Italia habuit, quod ex Germanis ſcriptoribus horum temporum æqualibus intelligi poſsit. Regnum inde Germaniæ ad Henricum Saxoniæ, & Thuringiæ Ducem à principibus Conradi iudicium, auctoritatemq. ſequutis delatum eſt. Proximo, qui in nongenteſimum viceſimum incidit, Lamberto poſt Garibertum eccleſiam Mediolanenſem fauore Berengarii regis adepto, ſeditio aduerſus Berengarium grauis exarſit, ab Adelberto Eporediæ marchione, Olderico Palatii Comite, Gileberto alio Comite, atque aliis Italiæ principibus concitata. Adelbertus, cum mortua vxore Gisla, Berengarii filia, Ermengardam Bertæ filiam haberet in matrimonio, à ſocru inſtigatus hoc cepiſſe conſilij creditur. Re patefacta Oldericus captus, atque Lamberto nouo beneficio obligato aſſeruandus, quouſque repeteretur, eſt datus. Paucis poſt diebus Berengarius Oldericum ſupplicii ſumendi cauſſa popoſcit. Lambertus autem negauit ſe redditurum, indignum eſſe aſſerens, ſacerdotem ad ſupplicium hominem tradere. Iracundiã autem eius metuens, dimiſſo Olderico, & ipſe ſe cum Adelberto, & ceteris principibus iunxit. Quærebatur à coniuratis homo potens, qui rex Berengario obiiceretur. viſus eſt ad id aptiſsimus Rodulfus Burgundiæ rex, de quo ſupra commemorauimus. Hunc igitur, vt in Italiam veniret, & Berengario ope ſua exacto regnum arriperet, inuitarunt, atque ei omnia ſtudia ſua eximiè promiſerunt. Dum autem ſequenti anno Adelbertus, Oldericus, & Gilebertus, aliiq; complures apud Brixiam in ſuburbano colle congreſsi hæc inter ſe conſilia conſerunt, Vngari Veronam his imprudentibus acceſſerunt. Quod vbi ſenſit Berengarius, reges eorum, quibus erat amicus, rogauit, vt eos de improuiſo adorirentur. Vngari Berengarii ſtudio obſequuti tanta incautos illos celeritate oppreſſerunt, vt Oldericum occiderint, & Adelbertum, ac Gilebertum viuos in poteſtatem redegerint. Adelbertus, ne agnoſceretur, pretioſo omni cultu abiecto, vilibus ſe veſtibus induit, & quinam eſſet, rogatus, ſe gregarium militem eſſe reſpondit, & paruo pretio ſemetipſum liberauit. Gilebertus autem agnitus flagris cæſus eſt, & ſeminudus, vinctuſq; in conſpectum Berengarii ductus. Cum autem partibus corporis iis, quæ velandæ forent, nudatis, riſum ceteris excitaſſet, Berengarius miſericordia captus lautũ, optimiſq; veſtimentis inſtructum dimiſit, atque hæc verba dixit: Iuſiurandum nullum à te Gileberte poſco. fidei tuæ me ipſum cõmitto Si de me malè mereberis,

919 920 921

ſcito, te rationem Deo eſſe redditurum. Liberatus autem Gilebertus malè liberatori ſuo gratiam retulit. nam ab Adelberto, ceteriſq. rebellibus ad Rodulfum miſſus eum citra triginta dies cis Alpes adduxit.

RODVLFVS REX CONTRA BERENGARIVM REGEM, ET IMPERATOREM.

RODVLFVM autem in Italiam degreſſum lætis omnes animis exceperunt, ac, pulſo illius auxilio Veronam Berengario, Papiæ regem acclamatum, per Lambertum archiepiſcopum coronarunt. Is per annum proſperis, & ad voluntatem fluentibus rebus eſt vſus.

922 Poſtero anno Itali ad priſtinam inconſtantiam redierunt. cumq. diuiſis populorum voluntatibus alij Rodulfo, alij Berengario ſe applicarent, ciuile bellum ingens contraxerunt. Vido Placentinus epiſcopus Berengarii partes fouebat. Ea cauſſa fecit, vt IIII Kal. Auguſti XII. millibus paſſuum longè à Placentia atroci apud Fidentiolam prœlio ſit concurſum. Inclinante Rodulfi parte Bonifacius, Valdradæ ſororis eius maritus, & Gaiardus Comites opportunè ex inſidiis conſurgentes pugnam reſtituerunt, atque ingenti edita cæde Berengarium Veronam fuga ſe recipere coegerunt. Hac victoria parta Rodulfus Papiam rediit, ac populo in concionē vocato, victoriam gratulatus, quando ſibi Deus permiſiſſet, vt deuictis hoſtibus regnum Italiæ pacatum haberet, patrium Burgundiæ regnum ſe reuiſere velle dixit. & Bonifacio ſororis viro, cuius egregia in acie vſus opera fuerat, Spoletinorum, & Camertum marchione declarato, populis bene precantibus abiit. Eodem anno in Græcia Romanus Lecapenus vnà cum genero
923 Conſtantino Imperium cœpit adminiſtrare. Inſequens regni Berengarii triceſimusſextus illius vitæ extremus fuit. Etenim Veronenſes, qui adhuc ſemper fidem erga illum conſtantia ſumma coluerant, nouo accenſi odio capiti eius cœperunt inſidiari, auctore tanti ſceleris Flamberto quodam, cuius filium Berengarius è ſacro fonte ſuſceperat. Cuius rei cum in ſuſpicionem Berengarius incidiſſet, homo, & natura, & ætate iam exacta mitis, Flambertum ad ſe vocauit, atque ita appellauit: Si mihi tecum non & multæ, & iuſtæ amoris cauſſæ intercederent, haud difficilè credidiſſem, quod vulgi ſermone audio celebrari, te meæ vitæ inſidias comparare. Nunc, vt eis fidem non habeo, ſic meminiſſe te volo, quantæcunque acceſſiones & fortunæ, & digni

tatis tibi fuerunt, eas te non potuiſſe, niſi meo beneficio, conſequi. Quare eo animo in me eſſe debes, vt vita mea in amore, & fide conquieſcat tua. Quòd ſi à te mihi fidem præſtitam eſſe intellexero, faciam, vt in referenda gratia beneuolentiam experiaris meam. Atque his dictis aureum magni ponderis poculum ei porrexit, & addidit; Amoris, ſalutisq; meæ cauſſa quod continetur, haurito; quod continet tibi habeto. Flambertus reſponſo, quod facilè liberare regem ſuſpicione poſſet, in ſpeciem dato, ab illo abiit. ac ſtatim ſocios, qui ſecum proxima nocte illum conficerent, conuocauit. Berengarius prope templum, vt ſolitus erat, in amœno potius, quàm firmo, diuerſorio cubuit, neque cuſtodes, vt ab omnibus tutus inſidiis, vllos appoſuit, ſub lucem autem, cum precandi cauſſa templum iniſſet, Flambertus cum armato iuuenum globo irrupit. Quorum vbi tumultum ſenſit Berengarius, procedens ad eos, Flambertum eminus vocat, &, quid hoc tandem turbæ ſit, quærit. Iubet ille bono animo regem eſſe, non enim hos contra illũ, ſed pro illo ſtare. ac ſenſim armatos in medios iam progreſſum corripit, ac romphæa à tergo percuſſum proſternit. Innocentia eius ex eo apparuit, quòd lapis ſanguine eius infectus nulla vnquã ablutione purgari potuit. Berengario mortuo, Milo vrbis Comes, ſpectaræ virtutis iuuenis, quem ſibi rex à puero educarat, cum defendere vitam domini ſui, quia non affuerat, nequiuiſſet, mortem ſaltem vlciſci cupiens tertio poſt eius necem die Flambertum, ſociosq; eius per vim cepit, ac ſtatim ſuſpendio interemit. Berengarius præcipuam tulit laudem iuſtitiæ, clementiæ, & pietatis. odio tamen populorum, ac perfidia fatigatus vt ipſe nunquam quieuit, ſic aliis quotidianam mouendarum ſeditionum materiam præbuit. varijs rerum ſecundarum, aduerſarumq. in vicem ſuccedentium caſibus rarum inter mortales inſultantis fortunæ ludibrium.

RODVLFVS REX SOLVS.

RODVLFO inde abſente, & Berengario mortuo, Vngari tantam occaſionem haud temere dimittendã rati, exeunte anno, Salardo duce, rurſus Lombardiam adorti Mantuam, Brixiam, & Bergomum impotenti populatione diripuerunt. 924 Papiam inde progreſſi, locatis circumquaque tentoriis, omnem oppidanis exitum obſepſerunt. demum IIII Idus Martij flantem acriter ventum nacti ignem attingentibus mœnia tectis iniecerunt, ac refractis portis ingreſſi ciuibus promiſcua cæde per

culſis vrbem direptione, atque incendio deformarunt. Inter ceteros Ioannes epiſcopus interfectus. Cremata vrbe regia, Placentiam profecti ſuburbanum D. Xyſti monaſterium igne ſubdito combuſſerunt. ac præda onuſti tandem ex Italia exceſſerunt. Tetrum Papienſis cladis exemplum Italicos docuit, vt eò ſtudioſius firmis ſe arcibus communirent, in quas ſub ingruentes Vngarorum impreſsiones confugerent.. Rodulfus Berengarii morte, & Vngarorum incurſione permotus in Italiam rediit, ac Veronam profectus totum regnum ſine contentione recepit. Extant diplomata ab illo hoc anno, nempe regni ſui in Italia tertio, Veronæ data, quibus omnia priuilegia regum, & Imperatorũ eccleſiæ Patauinæ conceſſa cõfirmauit, in primiſq; quietã, ac tranquillam poſſeſsionem omnium bonorum ſanciuit, quæ Berengarius Imperator tradiderat. aliaq;, quibus eodem beneficio Parmenſem, & Cremonenſem eccleſiam cumulauit. Nouis interea rebus materiã mors Berengarii, & Rodulfi abſentia peperit. Adelberto Eporediæ marchione mortuo, duobus filiis Berengario, & Anſcario relictis, Ermengarda ſecunda vxor, Adelberti Tuſciæ Marchionis, & Bertæ filia, cum mariti ditionem vidua adminiſtraret, fauore principum Italicorum muliebribus illecebris ſibi conciliato tantas opes quæſiuerat, vt etiam Rodulfo regnum eripere cogitarit. Neque cogitationem euentus fefellit.
925 Siquidem anno poſt Papiam firma contracta militum manu, quippe Vngarorum bello attritam, adorta occupauit. Ea re permotus Rodulfus Verona ſtatim accurrit, atque, Lamberto archiepiſcopo adiuuante, exercitum ad Papiam ex manibus hoſtium recuperandam adduxit, ac caſtra quinque millibus paſſuum ab vrbe ad Padi, & Ticini confluentem locauit. Dum vrbs lenta obſidione vrgetur, Ermengarda regem nuncio per fluuium miſſo admonuit, ſe, ſi perdere eum voluiſſet, iampridem potuiſſe. in iis enim eum locis ſedere, in quibus captus iampridem eſſet, ſi amicorum eius conſiliis paruiſſet, qui eum deſerere, & ad ſe tranſire diſcuperent. His Rodulfus verbis exterritus, remiſſo nuncio, gratias egit, & ſe acturum, quod illa vellet, oſtendit, ac concubia nocte imprudentibus ſuis omnibus lecto ſtrato in tentorio relicto, parato lintre ad eam ſe deuehi iuſsit. Prima luce principes, vt ſoliti erant, ad regis tabernaculum conuenerunt, quod magno ſilentio à militibus ſeruabatur. & cum aliquantulum expectaſſent, mirati, quòd illa hora ſomnum caperet, conſultò ſtrepitum ad eum excitandum ediderunt. cumque ne ita quidem quidquam proficerent, tentorium inierunt, & nemine ibi repetto, raptum alij, alii occiſum exiſtimarunt. Dum autem incerti ſententiæ fluctuant, allatus eſt nuncius,

Rodulſum apud hoſtes verſari, ac repentinam in ſuos impreſsionem moliri. Qua re perculſi principes extemplo ſe inde proripuerunt, ac Mediolanum, vt tutum in locum, ſe contulerunt. Eodem anno Albertus marchio è familia Comitum Tuſculanorum, cum opibus in vrbe Romæ polleret, in offenſionem Pontificis lapſus vrbe exceſsit. atque Ortæ ſe, Tuſciæ oppido, validis præſidiis confirmato ad vlciſcendam iniuriam Vngaros ad Romanam ditionem inuadendam exciuit. Illi verò Rodulfo in Papienſe bellum auerſo progreſsi, præcipuè in eã, quam ipſe exceperat, Tuſciam irruperunt, ac pueros, & virgines, & cetera, quæ auferre poterant, ſecum in Vngariam exportarunt. Cuius rei inuidia mox Albertus Ortæ eſt à Romanis oppreſſus. Sequenti anno Lambertus archiepiſcopus ex Ioannis pontificis, principumq; ſententia nuncios ad Hugonem Comitem Arelatenſem in Prouinciã miſit. Hic erat Lotharij Comitis Arelatenſis filius, Lotharij Lotharingiæ regis nepos; eius, quem ſupra mortuum Placentiæ demonſtrauimus, Berta, quæ poſt mortem patris Adelberto Tuſciæ Marchioni fuerat collocata, progenitus. qui viuente Berengario regno Italiæ imminens exercitum eius occupandi cauſſa cis Alpes adduxerat, ſed à Berengario repulſus pedem retulerat. Hunc igitur Lambertus, vt in Italiam iterum cum exercitu traiiceret, inuitauit, veniſſe tempus demonſtrans, quo leui momento regnum Rodulfo in ſumma populorum defectione auferret, cuius ille iampridem incredibili cupiditate flagraret. Neque ille conditionem aſpernatus omnia parare ad iter, & victoriam neceſſaria ſumma diligentia inſtitit. Conſiliis Italicorum perſpectis, Rodulfus in Burgundiam regreſſus Burchardum ſocerum ſuum, Ducem Sueuorum, ad arma ſecum ſocianda exciuit, & cum eo, antequam Hugo mouere ſe potuiſſet, in Italiam rediit. Eporediam vſque cum exercitu progreſſus Burchardum explorandæ vrbis Mediolanenſis gratia, legatum ad Lambertũ miſit. Burchardus Mediolanum profectus, antequam vrbem iniret, ad ædem S. Laurentij rei diuinæ cauſſa deflexit, locumq. arci fabricandæ oculis deſtinauit, qua non ſolum Mediolanenſes, ſed omnes etiam Lombardiæ principes coerceret. Inde verò egreſſus cum mœnia vrbis obequitaret, Germanica lingua ad ſuos conuerſus dixit: Niſi effecero, vt Italici vno tantùm calcari vtantur, & informibus equabus vehantur, non ſum Burchardus. Neque enim ego firmitatem, altitudinemq. huius muri, quo confidunt, magni admodum facio. Erat forte in turba homo pannoſus, atque deſpectus, Germanicæ, quod ille non animaduerterat, linguæ gnarũs. qui verba eius audita extemplo ad Lambertum detulit. Lambertus, vt erat 926

ſolerti

ſolerti ingenio, ſummoq. conſilio prædıtus, Burchardum comiter,ac benignè accepit. verùm interea Papienſes,nõnulloſq. alios Italiæ principes ad necem eius occultè inuitauit. Ita eum,cum Mediolano egreſſus Nouariam perueniſſet, ſummo mane Eporediam properantem infeſti Italici inuaſerunt, atque in foſſa vrbis Nouariæ, in quam ſub tumultum ab incitato metu equo abreptus fuerat, oppreſſum interemerunt. Comites eius,quia aliò non potuerunt,cum in templum D.Gaudentii confugiſſent, diſiectis ædis foribus ſunt confoſsi. Qua re cognita,Rodulfus nihil vltra ſibi tentandum putauit. verùm retro, vnde venerat, abiit.

HVGO REX.

EODEM tempore Hugo ab Italis accerſitus terreſtrem Rodulfi potentiam timens maritimo itinere menſe Iulio Piſas lætus acceſsit. ibique ab Ioannis pontificis,omniumq. principum, qui illum acciuerant, occurrentibus legatis exceptus rectà Papiam contendit. Quò cum veniſſet, rex ſummo omnium ſtudio ſalutatus coronam Mediolani ab archiepiſcopo ſumpſit. Mox rerum adminiſtrationem aggreſſus VIII Idus Auguſti Veronam, atque inde Mantuam prodiit. ibiq. cum pontifice,qui eò ex compoſito venerat,fœdus percuſsit. ac demum Papiam per Septembrem regreſſus regiæ, regnoq. ordinando ſe tradidit. Eodem anno Marocia Alberti, marchionis mortui vxor, quæ diu in imperio fuerat,priuata viuere neſciens Vidoni Tuſciæ marchioni nupſit, atque vrbis Ro. ad eum principatum,qui fuerat Alberti,traduxit. eumq. ad cœptas inimicitias cum Pontifice exercendas incendit. Marino Gradenſis eccleſiæ adminiſtratio eſt tributa. Interim Hugo, homo ſummi conſilii, ac prudentiæ ſingularis, omnibus ſe, quibus poterat,domeſticis,exter
927 niſq; præſidiis confirmauit. Itaque proximo anno Henricum Germaniæ regem ad amicitiam ſecum iungendam adduxit,&Græcum Imperatorem,Romanum,miſsis muneribus exquiſitiſsimis ſibi conciliauit. Memorandum autem illud,quòd cum præter cetera duos ad eum canes magnitudinis in Græcia inuſitatæ miſsi eſſent, vbi in cõſpectum eius adducti ſunt, regii veſtitus nouitate permoti, in eum tanquam in feram, tanto ſe impetu intulerunt, vt ab eo laniando vix multorum manibus potuerint coerceri. Vrſo præterea Duci Venetorum per legatos vetera libertatis,atque immunitatis beneficia ſibi confirmari poſtulanti annuit. & quod ad memoriam inſignius eſt, inteſtinam aduerſus

uerſus ſe conflatam coniurationem non ſumma ſolùm prudẽtia eruit, ſed magno etiam conſilio protſus extinxit. Erat quippe Papiæ Valpertus iudex quidam, ſic enim tum Iuriſconſulti vocabantur, magnis opibus præditus. nam & Petrum filium epiſcopum Comenſem effecerat, & Razam filiam Gileberto Comiti Palatii matrimonio collocarat. & ipſe in reſpondendo tanta auctoritate erat, vt à populo vniuerſo, oraculi more, conſuleretur. Hunc igitur Eberardus, cognomento Gezo, illi affinitate coniunctus induxit, vt ſecum, & cum quibuſdam aliis in Hugonis regis perniciem coniuraret. quin præſtituta die rem confeciſſet, niſi à Valperto, homine timido, retardatus fuiſſet. Hoc vbi Hugo cognouit, neque enim occulta res fuit, vtrumque ad ſe vocatum mollibus, ac clementibus verbis permulſit, ſeq., ſi quid aduerſus eos deliquiſſet, ſummo ſtudio ſatiſfacturum oſtendit. Quibus verbis haudquaquam deterritus à ſuo propoſito Gezo eadem miſcere pertexit. Itaque Hugo alius rei cura ſimulata Papia exiit, & militibus ad ſe ſuis accitis, ac re cum Sampſone Comite, qui capitali à Gezone odio diſſidebat, communicata, ex eius conſilio tales cõiuratis inſidias comparauit. Mos erat, vt reuertenti aliunde Papiam regi nobiliſſimus, ac fortiſſimus quiſque ciuis obuiam extra vrbem occurreret. Redeunti igitur, ſic enim res compoſita fuerat, Papiam Hugoni Valpertus, & Gezo cũ aliis coniuratis, quemadmodum facturos animo præceperant, obuiam exierunt. Quo facto Leo epiſcopus, ita enim mandatum ſecretò à rege habebat, portas occluſit. Ita coniurati ab Hugonis militibus circunuenti, cum neque aliò euadere, neque ſubſidium expectare ab vrbe poſſent, leui admodum negotio comprehenſi ſunt. Ex quibus Gezo oculis, & lingua multatus, reliqui in vincula traditi, Valpertus vnus ſupplicio capitali affectus. Ceteris eius bonis direptis, vxor ad occultos quoque prodendos theſauros variis cruciatibus eſt adacta. Hac re proſperè geſta, Hugo non Papiæ ſolùm, ſed in tota etiam Italia metui, neque, vt ſuperiores reges, ludibrio, ac deſpectui haberi, ſed eximiis honoribus cœptus eſt coli. Quibus rebus cognitis, Hilduinus Laudocienſis epiſcopus à ſuis pulſus ad eum, quo cum affinitate erat deuinctus, venit, ac Veronenſem ab eo eccleſiam tulit. neque ita multò poſt, Lamberto archiepiſcopo mortuo, Mediolanenſem conſequutus Veronenſem Ratherio, monacho, eximiæ doctrinæ viro, ſocio ſuo, conciliauit. Poſtero anno Marocia quietis impatiens Vidonem maritũ ſuum 928
tandem impulit, vt Ioannem pontificem, cuius adhuc vehementi erat odio inflammata, de ſede deiiceret, atque optatum vrbis principatum vtique ſibi aſciſceret. Itaque Vido Petrum, fratrem Ioannis, prius ſibi

bi de medio remouendum ratus, cum eum quodam die forte paucis ſtipatum nactus eſſet, immiſsis ſatellitibus in Laterano, pontifice inſpectante, confodit, ac mox ipſum etiam incautum comprehendit, & cuſtodiæ traditum faucibus ceruicali occluſis V I I Idus Aprilis interemit. Ioanni Leo ſextus, ciuis Romanus ſuffectus. Vidone inde paullo poſt ex rebus humanis erepto, frater eius Lambertus Tuſciæ ditionē excepit. Marocia verò, ne quid de priſtina ſua potentia in vrbe amitteret, nouis ſibi conſulendum nuptiis rata Hugonem regem miſsis nunciis inuitauit ad matrimonium ſuum, & vrbis imperium capeſſendum. Tantam creſcendi occaſionem Hugo haudquaquam omittendam arbitratus conditionem non reſpuit, ſed maturato itinere Romam contendit. Eò verò progreſſus, relicto de more extra vrbem exercitu, benignè à Romanis accipitur, atque ad mulierem in arcem profectus, nuptiis contractis, vrbis Romæ, nemine aduerſante, potitur, felix nimis futurus, ſi quæ ipſum ſemel complexa fortuna erat, non ſtatim deſeruiſſet, atque leuiſsima de cauſſa vrbe eadem, quam ceperat, expuliſſet. Erat Marociæ filius Albericus ex Alberto marchione progenitus. Hunc, cum matris hortatu aquam ad abluendas manus Hugoni regi præberet, Hugo correctionis cauſſa, neque enim ſcitè admodum officio fungebatur, in faciem cæcidit. Eam ardentis animi iuuenis vlciſci contumeliam cupiens Romanos protinus adiit, & ſe haudquaquam ſatis mirari eorum dementiam ne, an ignauiam, dixit, quòd qui omnibus olim bellicoſiſsimis ſuperbè gentibus imperaſſent, nūc Hugoni homini Burgundioni non armis, atque virtute, ſed inceſtis nuptiis Romanorum imperium conſequuto tam humiliter obedirent. pro certo ipſos habere debere, ſi ſe priuignum ſuum nouus hoſpes in faciem immeritò percuſiſſet, multò in ipſos inſolentius, multòq. ſuperbius conſulturum, vbi in regno inueteraſſet. Quibus dictis adeo animos omnium perpulit, vt vno conſenſu, Hugone rege repudiato, illum ſe ſibi aſciſcere conſulem dixerint. Ita nulla interpoſita mora armati ad arcem procedunt, eamq., ante quàm Hugo milites introuocare ſuos poſſet, expugnant. Quo cognito, Hugo de ſalute iam potius, quàm de regno ſolicitus, propere ex ea parte arcis, quæ muris vrbis adhæret, ſe deiecit, atque ad ſuos confugit. Hugone profecto Albericus conſulari poteſtate ciuitatem adminiſtrauit. Conſulum renouatum Romæ nomen efficit, vt mutatam ſub hoc tempus Romanam remp. arbitrer. Romani certè regibus, pontificibusq. contemptis, nouum ſtatum ciuitatis inuexiſſe hac tempeſtate videntur. argumento eſt, quòd Ducis, aut magiſtri militum magiſtratus, à quibus, Exarchis, & Pontificibus

ciuitatem tenentibus, vrbs Romana diu eſt gubernata, per hæc tempora celebrari deſiit, ac pro eis præfectus vrbis, conſules, & tribuni plebis inducti ſunt, qui decarchonum nomen tulerunt. Decimo Kal. Nouembris, mortuo Leone pontifice, Stephanus VII poſt biduum ſubrogatur, ex parte Comitum Tuſculanorum ab Alberico, vt veri ſimile videtur, excerptus. Hugo in Lombardiam reuerſus iuri dicundo ſe dedidit, vltionem Romanorum meliori tempori reſeruauit. 929
930
Biennio poſt, nempe anno nongenteſimo triceſimo, Parmæ cum eſſet, XV. Kal. Octob. conceſſa à Rachiſio rege vſque ad id temporis à regibus eccleſiæ Parmenſi priuilegia confirmauit, cum regni ſui annum quintum iam eſſet ingreſſus. Eo anno Stephano pontifice VI Idus Decembris vita functo, Ioannes XI Sergii pontificis ex Marocia filius, ac propterea Alberici conſulis frater ſedere iuſſus. Vidoni Tuſciæ marchioni Lambertus frater, vt dixi, eius ſucceſſerat, qui ex eadem matre Berta natus erat, quæ Hugonem etiam antè regem pepererat. Hunc, veritus Hugo ne Italici ſe deſerto, quòd acer in primis, ac potens erat, ſibi optarent regem, proximo anno de medio tollere ſtatuit. 931
verùm occaſionem quærens, conſilium Boſonis fratris ſui ex eodem patre nati ſequutus, illum fratrem ſuum eſſe negauit, &, ne ſe ita nominaret, edixit. Ille verò ferocis ingenii homo ſe ex eadem, qua ille, matre Berta ortum eſſe, contendere, idque ſingulari certamine defenſurum eſſe. Qua accepta conditione rex honeſtam ſe perdendi hominis adeptum occaſionem ratus Teduinum quendam iuuenem robuſtum in primis ei oppoſuit. Teduino autem in certamine ſuccumbente, Hugo ira, & pudore confuſus Lamberto manus iuſſit iniici, & marchia Tuſciæ Boſoni fratri ſuo donata, haud ita multò poſt oculos erui. His de rebus Italici tædio regni Hugonis affecti Rodulfum per nuncios in Italiam reuocant, atque ei ſe ad repetendum regnum affuturos, oſtendunt. Ea re animaduerſa, Hugo ilico, vt homo erat rerum tractandarum peritus, Rodulfo partem Prouinciæ tradidit, & ſacramento, ſe poſthac ab Italia temperaturum, obſtrinxit. Interim Sarraceni, qui Fraxinetum inſederant, iterũ Aquas vſque populabundi venerunt, verùm duce Sagitta in prœlio amiſſo plus cladis, quàm intulerant, retulerunt. Non veniente autem Rodulfo, Italici in propoſito permanentes poſtero anno Arnoldum Baioariorum, & Carantanorum Ducem adiere, atque ei, ſi occaſione vti vellet, regnum obtulere. Arnoldus ſibi non defuit. verùm idoneo ſtatim conducto exercitu Tridentinam, primam ab ea parte Italiæ marchiã, prætergreſſus Veronã acceſsit, ibiq. à Milone Comite, & Ratherio epiſcopo, qui in primis 932

illum acciuerant, eſt acceptus. Quod vbi Hugo percepit, raptim va lida militum manu contracta occurrit, fortunaq. virtuti fauente, prœ lio commiſſo, partem eius in fugam auerſam funditus profligauit. & Arnoldo ipſo cum Milone in Baioariam pulſo, Veronam vrbem, & Ratherium epiſcopum in poteſtatem redegit. Ratherius Papiam rele gatus librum de exilio ſuo, vt iis temporibus, elegantem conſcripſit. Lupo Aquileienſis eccleſia data.

HVGO CVM LOTHARIO FILIO REX.

HIS ſeditionibus Hugo perfunctus, vt futuris malis occur reret, ſpemq. inimicis nouorum imperiorum adimeret, Lotharium filium ſuum ex Alda vxore ſuſceptum re gni ſocium ſibi adiungit, eumq. Mediolani ab archie piſcopo coronari iubet. Inde memor contumeliæ à Romanis acceptæ ad tentandam Romam, vnde fœdè fuerat deturbatus, cum firmo exer citu prodiit. ac caſtris poſitis agros vaſtare, vrbemq. primùm manu oppugnare inſtituit, deinde, Alberico impigrè ad omnes impetus ho ſtiū occurrente, vi ſe potiturum diffiſus, arte inuadit. Quippe fraudan di cauſſà Alberico filiam ſuam Aldam deſpondit. neque tamen ipſum decipere potuit, militibus de induſtria materiam belli alentibus, quos ab Hugone inclementius, aut illiberalius habitos Albericus honorifi cè, munificèq. tractabat. Inde, cum vrbe potiri non poſſet, oppidis Romanæ ditioni ſubiectis arma intulit, ac bello in ſequentes annos continuato, tandem omnia in poteſtatem redegit. Eodem anno dira quoque Lombardiam peſtilentiæ inuaſit lues. Papienſes præter cete ros graui ſſimè conflictari. Itaque remediis omnibus aliis deſperatis, di uinas in preces verſi corpora Sanctorum martyrum Syneſij, & Theo pontii Nonantulano in monaſterio condita, ac miraculis ea tempeſta te fulgentia ad ſe deferri curarunt. eaq. ſuppliciter venerati triſti mox
933 ægritudine liberati ſunt. Poſtero, Manaſſes, Arelatenſis epiſcopus, co gnita item Hugonis regis, cui arcta propinquitate coniunctus erat, proſperitate, atque potentia, venit in Italiam, obtinuitq. ab eo Vero nenſem, Tridentinam, & Mantuanam eccleſiā, deinde marchiam quo que Tridentinam. Eo anno bellum in Ducatu Beneuentano coortū. Beneuentanus Princeps à Græcis acriter armis oppugnatus Theobal dum Spoletanorum, & Camertum marchionem, Hugonis regis affi nem, in auxilium aduocauit, atque eius virtute Græcorum vim, impe tumq. retudit. cum multi Græci in prœlijs quotidie caperentur, Theo

baldus ad contumeliam multare eos teſtibus aſſueuit; atquæ prætori Græcorum dicere: Quoniam viro ſancto Imperatori tuo ſpadonibus pretioſius nihil eſſe animaduerti, hos paucos ei mittere volui, multò plures propediem, ſi Deus annuerit, tranſmiſſurus. Hanc iacturam mulier quædam, cuius captiuus maritus erat, apud Theobaldum miſerabili ploratu conqueſta eſt, cum diceret, Theobaldum iniuſtè facere, qui viris non quod eorum, ſed quod mulierum eſſet, adimeret, ac ſe non ſolùm præſentis voluptatis oblectamento, ſed etiam ſpei futuræ prolis ſolatio ſpoliaret. quin, ſi qua viros afficere pœna vellet, oculos eis potius, & naſum, & manus eriperet, quæ illorum eſſent, teſtes verò, qui in vſum feminarum dati eſſent, relinqueret. Qua voce cũ effuſum omnibus, qui aderant, riſum excitauiſſet, digna viſa eſt, quæ maritum integrum, & pecora omnia ſibi adempta, reciperet. Florebant ea tempeſtate diuitiis, atque opibus duo fratres, Berengarius, & Anſcarius, Adelberti Eporediæ marchionis filii. Ex quibus Berengarius Berengarii ſenis ex filia Giſla erat nepos. Anſcarius ex altera vxore Ermengarda erat natus. Horum etiam Hugo potentiam metuens eximiis eos ad ſe allicere beneficiis ſtuduit. Itaque Berengario Villam Boſonis fratris ſui, Tuſciæ marchionis, filiam matrimonio ſociauit, Anſcarium verò poſtero anno, Theobaldo Camertum, & Spoletanorum marchione mortuo, ea ditione donauit. Eodem anno Lotharius rex XII Kal. Octobris canonicis eccleſiæ Mutinenſis bona à Leudoino, & Geminiano epiſcopis quondam conceſſa confirmauit, anno, vt ſcriptum eſt in diplomate, *Hugonis patris octauo, ſui tertio*. Inſequenti, Ioanne pontifice mortuo Leo VII ad eam dignitatem ſubuectus. Interim Boſo quotidianis vxoris Villæ furijs inſtigatus non bono eſſe aduerſus Hugonem fratrẽ animo cœpit. Qua re comperta Hugo vtrunque iuſsit comprehendi, & ad ſe adduci. in primiſq. baltheum pretioſiſsimum inter omnes mulieris theſauros exquiri. Re vtraque cõfecta, cum baltheus excuſsis arcis omnibus non inueniretur, mulier iuſſa eſt veſtibus exui: quo facto apparuit, eam cupiditate gemmarum eius accenſam in occultiſsimis corporis partibus abdidiſſe. Tuſciam Boſoni ademptam Vbertus obtinuit. Genuæ fons ſanguinẽ per totum diem manauit, ac magnã, quæ illi vrbi imminebat, calamitatem portendit. Siquidẽ haud ita multò poſt Sarraceni ex Africa claſsẽ eò appulerunt, atque vrbẽ ciuibus imprudentibus ingreſsi viros oẽs ceperũt, atque occiderũt, mulieribus, & pueris pepercerunt. ac præda tã ſacra, quàm profana in naues impoſita in Africam redierunt. Ab iiſdem, cũ in maritimã Etruriæ orã egreſsi eſſent, Anſidoniæ oppidũ direptũ, atque incenſũ eſt.

934 (margin, beside "Anſcarium verò poſtero anno")

935 (margin, beside "Ioanne pontifice mortuo")

Hugo rex Romano vaſtato per biennium agro rurſus ad vrbis obſidionem acceſsit. Erat eo tempore Romæ Odo abbas Cluniacenſis religionis cauſſa ad limina Apoſtolorum profectus, vir eximiæ illo ſæculo ſanctitatis. Is vt pacem componeret, ſæpius in caſtra ad Hugonem exiit, & in vrbem ad Albericum reuertit. Forte autem accidit, vt, cum ad monaſterium S. Andreæ ad cliuum Scauri eſſet, ruſticus eum quidam propter aquæ laguneulam ferro appetierit, ſed clamoribus eorum, qui non longè aberant, reuocatus inceptum omiſit. Qua re comperta Hugo iratus ruſticum comprehendi, & manu multari præcepit, deinde ab Odone rogatus, pepercit. Cum autem pax conuenire non potuiſſet, atque Hugo, exercitu in obſidione relicto, in Lombardiam ſe rettuliſſet, Leonis pontificis mandato ad illum menſe Ianuario adiit. quo in

936 itinere vrbem Senarum extrema fame oppreſſam offendit. atque ad Hugonem progreſſus, pacem optatam tranſegit. Ita vrbs Romana diuturno, quo laborauerat, bello tandem eſt releuata. Eo anno Henrico Germaniæ rege mortuo Otho filius, Dux Saxoniæ, Aquis rex Germaniæ conſecratus eſt. Hic eſt, qui poſt à rerum geſtarum magnitudine Magni cognomen inuenit, ac res Germanicas ad ſummum faſtigium dignitatis euexit. Mortuo Rodulfo Burgundiæ rege, Hugo Bertam vxorem eius ſibi coniugio copulauit. Eo anno, indictione decima, Vngari cum magnis popularium copiis in Campaniam procurrerunt, ac Capuanum, & Beneuentanum agrum populati Sarnum vſque, ac Nolam, & Liburiam penetrarunt, direptiſq., ac vaſtatis latè locis obuiis omnibus, iterum ſe Capuam retulerunt, diebuſq. duodecim in Campo Galliano morati multos ex hominibus Caſsinatibus abduxerunt captiuos. qui poſt magna ſacri theſauri parte erogata redempti ſunt. Ea inde victoria elati in Marſorum agrum ſeſe effuderunt, atque omnia direptionibus, & incendiis miſcuerunt. Demum Marſi, & Peligni in vnum conuenientes eos adorti ſunt, atque in di-

937 ſpoſitas attractos inſidias omnes fermè trucidarunt, præda ingens re-

938 lata. Poſt biennium Lotharius rex Adeleidem Rodulfi regis Burgundiæ iampridem vita functi filiam vxorem ſibi deſpondit, atque ea de cauſſa in Burgundiam adiit. Extant adhuc Tabulæ apud monachos Sancti Saluatoris Papiæ, quibus ipſe ſe Adeleidem filiam diuæ memoriæ Rodulfi regis ſibi ſponſam deſtinare, atque eam quinque curtibus in Italico regno ſitis nomine dotis donare teſtatur. quæ tabulæ anno DCCCCXXXVIII: pridie Idus Decembris Hugonis re-

939 gis anno XII, Lotharii regis VII in Burgundia datæ ſunt. Sequenti anno in Leonis pontificis demortui locum pontifex factus eſt Stepha-

nus

nus VIII. Fatum inde Hugonis tulit, vt quos ſibi beneficiis magis
obſtrinxerat, eos capiti ſuo infeſtiores adeptus ſit. Ex his Anſcarius,
& Berengarius fuit. Ceterùm Anſcarium, cum inſidias occulrè moli-
ri deprehenſus eſſet, per Sarlionem quendam primùm marchia, dein-
de vita quoque priuauit. Sarlioni propter operam egregiè nauatam
Spoleti marchia condonata. Berengario autem eadem furto ipſius
capiti machinanti manus inijcere, atque oculos eiicere in animo ha-
buit, ſed, conſilio patefecto, non potuit. Itaque Berengarius certior
factus periculi vitandi cauſſa anno nongenteſimo quadrageſimo, ex Ita 940
lia per montem Iouis fugiens ad Hermanum Sueuorum Ducem ſe con
tulit. à quo demũ eſt ad Othonem regem deductus. Hoc cognito, Hu
go nuncios ad Othonem cum eximiis muneribus miſit orans, ne Berẽ
garium reciperet, receptumue retineret. verùm propoſitum non te-
nuit. Eo anno Ardericus archiepiſcopus Mediolani ab Hugone in lo-
cum Hilduini ſuffectus. Stephanus pontifex Damaſum epiſcopum
cum litteris in Franciam miſit, vt principes, & populos Franciæ, & Bur
gundiæ admoneret, vt Ludouico regi ſuo obtemperarent, qui ab Hu
gone, & Hereberto principibus vexabatur. ni facerent, ſe illos com-
munione remoturum, atque ita cauſſam paci, quæ poſtea conſequu
ta eſt, attulit. Hugo rex Italiæ, inſidiatoribus, quoad licuit, vindica-
tis, arma aduerſus Sarracenos, qui Alpes omnes infeſtas è Fraxineto
reddebant, conuertit. miſsiſq. ad Imperatorem legatis triremes, ignéq.
Græcum ſibi dari poſtulauit. Cuius ea vis erat, vt niſi liquore aceti in
fuſo nequiret extingui. Quibus acceptis maritimo eos, ac terreſtri ap
paratu poſtero anno inſtituit oppugnare. Sarracenorum nauibus Græ 941
co igne combuſtis, Sarraceni plerique Fraxinetum reliquerunt, & in
Montem Maurum ſe receperunt. Eos obſidione cinctos Hugo magnis
detrimentis affecit, facilè in poteſtatem etiam adducturus, niſi Beren
garium exulem, ne contractis ex Sueuia, & Francia copiis in ſe irrue-
ret, formidaſſet. Itaque malo conſilio vſus Græcos domum remiſit,
& cum Sarracenis fœdus percuſsit, vt pars eorum in montibus Italiam
ab Sueuia diuidentibus conſideret, & Berengarium per eos montes
exercitum traiicere molientem in Italiam prohiberet. Hi ibi colloca-
ti, quicunque poſtea ad ſanctiſsima Apoſtolorum limina viſitanda il-
lac iter fecerunt, ſpoliatos crudeliſsimè interemerunt. Stephanus pon
tifex à Romanis per ciuilem tumultum Alberici, credo, factione op-
preſſus fœdis vulneribus afficitur. quorum verecundia in publicum
prodire nolens nimio animi dolore extinguitur. In eius locum Ma-
rinus ſecundus pontifex factus. Sequenti anno Petrus Candianus 942

vnius Petri Candiani Ducis filius, & alterius nepos Ducatum Veneto rum excepit. Hic interuentu Marini patriarchæ Gradenſis pacem cum Lupo Aquileienſi patriarcha compoſuit, ne fines Venetorum patriarcha aut lite, aut armis vexaret, ſed ius vtrinque ex fœdere diceretur. Eo anno reges Gardæ, & Papiæ ſuperiorum regum beneficia confirma

943 runt *anno Hugonis XVI*, *Lotharij XI*. Proximo Baldoinus abbas Caſſinas à Marino pontifice diſciplinam monaſterii, & Baſilicam S. Pauli ſuburbanam, & ab Hugone, ac Lothario regibus de tuta poſſeſsione

944 bonorum priuilegium impetrauit. Eo verò, qui inſequutus eſt, Engilfridus eccleſiam Aquileienſem obtinuit, & Romanus Imperator legatos ad Hugonem, potentiæ illius fama permotus, miſit, ac filiam nepoti ſuo in matrimonium poſtulauit. Hugo legitima ſe puella carere cum reſpondiſſet, Bertam ſe ex Bezola pellice ſuſceptam libenter daturum dixit. acceptamq. poſtero per Sigifridum Parmenſem epiſco-

945 pum in Græciam miſit. Eo anno Sigifrido, Comite Parmæ, mortuo, Attho filius eius ſucceſsit. Is in matrimonio Hildelgardem habuit, quam inuenio Comitis, Marchionis, & Ducis titulum geſsiſſe. atque ab ea poſt, vt puto, marchiam Tuſciæ tulit. ſiquidem poſteri eius vſque ad Mathildem in Tuſcia dominati ſunt. Idem monaſteriũ apud Brixillum ædificauit, & prærupto, atque edito ſaxo Regienſibus in col libus animaduerſo, arcem, quæ Parmæ ſubſidio eſſet, extruxit, quam Canuſium appellauit, eamq. monaſterio poſt nobiliſsimo decorauit. Id monaſterium capite, & brachio D. Apollonii, Brixiani epiſcopi, à Gothifredo filio, eius ciuitatis epiſcopo miſsis, & corporibus Diuorum Victoris, & Coronæ venerabile factum. Proximo, Marini pontificis

946 mortui locum tenuit Agapetus ſecundus. Interim Berengarium extor rem Amedeus quidam, fidus eius in Sueuia comes, ita eſt alloquutus: Non credo, te ignorare Berengarii, quemadmodum Hugo rex ſe om nibus inuiſum Italicis fecerit, cum eos dignitatibus omnibus ſpoliarit, & Burgundiones ſuos ornarit. neque vlla alia re Italicos ab nouis ineũ dis defectionum conſiliis abſtinere, quàm quòd non habent, quem po tiſsimùm regno dignum exiſtiment. Quare non puto alienum, vt aliquis noſtrum mutato habitu in Italiam adeat, & ſingulorum principum voluntates exploret. Tum Berengarius, Rectè, inquit, admones. verùm, ſi quiſquam mittendus eſt, neminem reperiri puto, qui te hoc facere poſsit commodius. Igitur Amedeus mutato ornatu iis, qui Romam religionis cauſſa petebant, ſe iungit, atque in Italiam profectus ſingulos principes conuenit, &, quid eorum ſit conſilii, ac voluntatis, exquirit. neque tamen omnibus ſe eodem habitu offert, verũ

aliis atrum, aliis album, aliis alius coloris ſe oſtendit. Hoc verò vbi fortè ad aures Hugonis accidit, iubet hominem diligenter conquiri, & ſtatim comprehendi. verùm ille, qua erat verſutia præditus, omnes eius inſidias facile eluſit. quin etiam barba, quam nitentem alebat, pice fœdata, & capillis fuluis atratis, & facie polluta cum ſe debilem ſimulaſſet, nudus inter pauperes in conſpectu regis veſcentes obuerſatus, neque agnitus, ab eo veſtem tulit, & quidquid de ſe, & Berengario loqueretur, excepit. Quibus actis, quòd clauſtra Alpium cuſtodiri ab eo, atque viatores excuti accepiſſet, per inuia, atque aſpera loca traiecit, atque ad Berengarium cum legatione ſaluus peruenit. Ita Berengarius, cum ſe deſiderari ab Italicis cognouiſſet, conſilium redeundi cepit, ac cum paucis per Venuſtam vallem in Italiam tranſiit. Ad Formicarium caſtellum progreſſus, quod Adelardus clericus firmo Manaſsis, qui Tridentinam, Veronenſem, ac Mantuanam regebat eccleſiam, præſidio obtinebat, cum ſe nulla vi, nulloq. conatu loci potiturum confideret, Manaſsis ambitionis memor Adelardum ad ſe acciuit; Et, ſi hanc mihi arcem tradideris, inquit, & Manaſſem dominum tuum ad partes meas traduxeris, iuro, me illum eccleſia Mediolanenſi opulentiſsima, te verò Comenſi, poſt receptum regnum, exornaturum. Manaſſes Adelardi verbis inductus non ſolùm Berengario Formicarium tradidit, ſed etiam Italos ad eius auxilium excitauit. Berengarii aduētu cognito, plerique eorum, Hugone deſerto, ad illum ſe contulerunt. Ex his præcipuus Milo Comes fuit. Hic Hugoni ſuſpectus, cū cuſtodibus clam appoſitis ſeruaretur, id ſe intelligere diſsimulans cœnā vſque ad mediam noctem protraxit. &, cum omnes tum vino, tum ſomno merſos ſentiret, ſolo ſe familiari, qui geſtabat clypeum, comitante, Veronam accurrit. miſsisq. nunciis Berengarium accerſiuit, venientemq. recepit. Neque verò Milo ad id perfidia eſt impulſus, ſed incommodis, quibus erat ab Hugone grauibus prouocatus. Milonem inde Vido Mutinenſis epiſcopus conſequutus, non vlla ille iniuria laceſsitus, ſed magna Nonantulæ abbatia illectus non ſolùm Hugonem reliquit, ſed frequentem etiam ab eo multitudinem auocauit. Quod vbi Hugo audiuit, ſtatim conuocato exercitu ad Vineolam caſtrum eius acceſsit, idque vi ſumma oppugnare inſtituit. Inde Italici paſsim Berengario ſe aggregare, aurea ſibi ſub eo ſæcula pollicentes, cœpere. In Campania cum Landulfus, & Atenulfus fratres, Capuæ Principes monaſterium Capuanum monachis Caſinatibus ademiſſent, ac monachos diſciplinam deſerere coegiſſent, poſtero anno Agapetus ponti- 947
fex Principibus, vt monaſterium dimitterent, monachis, vt Caſinum

redirent, iniunxit. Ita Caſsinas monaſterium rurſus celebrari cœptum. Interim Berengarius ab Arderico archiepiſcopo accitus Verona Mediolanum acceſsit, ibique pro rege ſe gerere cœpit. Quo cognito Hugo Vineolam extemplo reliquit, Papiamq; triſtis reperiit. Mox, cum ſe vulgo deſeri, & Berengarium vnum celebrari videret, de ſe actum exiſtimans, ac Lothario filio conſulere ſaltem cupiens ipſum Mediolanum ad Berengarium, & populum Mediolanenſem mittit, captato tempore, quo Berĕgarius regio more dignitates Italicas præſente populo ipſis è factione ſua hominibus diuidebat. Voluntati patris Lotharius obſequutus accedit, atque eos S. Ambroſii in tĕplo nactus ante Crucĕ Domini ad pedes eorum ſe proſternit, ſupplexq; orat, vt, ſi patrĕ repudiare ſua aliqua culpa velint, ſaltem ſe omnis expertem noxæ retineant. Hæc triſti, ac flebili voce orantĕ Mediolanenſes tacti miſericordia excitarunt, ac bonum animum habere iuſſerunt. Quin etiam Hugonĕ Italia cedere vltro parantem præmiſsis nunciis abire prohibuerunt. Id autem Berengarii potiſsimum conſilio factum: qui Hugonem remanere cupiebat, ne diſcedens ingenti, qua pollebat, pecunia Burgundiones ad arma ſolicitaret, atque aduerſus ſe ipſum adduceret. Ita regnum communi conſilio adminiſtrari eſt cœptum; verum nomen quidem regis penès Hugonem, & Lotharium erat, ius autem imperii penès Berengarium reſidebat. Ceterùm Berengarius, cum eccleſias diſtribueret, Ioſepho Brixiæ epiſcopo ſpectatæ probitatis viro, ſede ſua remoto, Antonium, nullo epiſcoporum conſilio adhibito, nouo exemplo ſubſtituit. Comi verò non Adelardum, vt promiſerat, ſed in gratiam archiepiſcopi Valdonem quendam inſtituit. Adelardum autem Regienſibus dedit, qui poſt ſancta martyrum corpora Chryſanthi, & Dariæ à Berengario impetrata Regium deportauit, quæ in hunc vſque diem Regienſes religione præcipua venerantur. Boſonem Hugonis regis nothum Placentina, & Luitfredum Papienſi eccleſia deiicere geſtiens tamen non leui accepta pecuniæ ſumma dimiſit. Cum mortuo Arderico archiepiſcopo Mediolanenſes Aldemarum eccleſiæ ſuæ cardinalĕ ſublegiſſent, ipſe Manaſſem epiſcopum Tridentinum nouo exemplo ſuffecit. Itaque neuter eorum, graui in ciuitate diſsidio oborto, eſt conſecratus. Quæ mala cum Hugo rex iniquo animo cerneret, nec prohibere pro imperio poſſet, ne ludibrio ciuitatibus eſſet, relicto in Italia Lothario, cum theſauro in Prouinciam rediit. & paullo poſt vita exceſsit, vir, ſi amari, quàm metui, ab Italis maluiſſet, & eorum vſque ad extremum retinere ſtudia didiciſſet, inter primores Italiæ reges propter eximias virtutes eius meritò numerandus.

IDEM LOTHARIVS SOLVS REX.

LOTHARIVS patris præſidio deſtitutus Berengarii ſæuien
tis opes adauxit, neque rem fermè vllam, quæ prodita
litteris ſit, pro imperio geſsit. Idem V Idus Iulias roga-
tu Manaſsis archiepiſcopi Adeleidæ vxori prædiũ quod-
dam donauit. Tabulæ in monaſterio S. Saluatoris Papiæ reperiuntur
anno DCCCCXLVII Indictione V; regni Lotharii XVI datæ.
Poſtero anno ſol ſanguine infectus eſt viſus. Nec multò poſt Henri- 948
cus, Bauariæ Dux, Othonis regis Germaniæ frater, Vngaris duobus
prœliis ſuperatis, in Italiam Principum imbecillitate, & diſsidio popu
lorum allectus venit, atque Aquileia capta, Papiam contendit, at-
que ingentibus, nemine prohibente, populationibus factis ex Italia
exercitum incolumem, atque opulentum deduxit. Agapetus pont. Ma
rinum epiſcopũ ad Othonem miſit, vt ſynodus celebraretur ad diſcor-
diam Ludouici regis Franciæ, & Hugonis principis componẽdam, quæ
Moguntiæ habita eſt VII Idus Iunias. Agapetus inde in templo S.
Petri acta Synodi Moguntinæ firmauit, ſacris Hugoni principi interdi
ctis, donec Ludouico regi ſatisfeciſſet. Lotharius Adelardi epiſcopi Re
gienſis rogatu Vidoni epiſcopo Mutinenſi bona quædam in agro Co-
maclenſi ſita donauit. Extat diploma VII Idus Octobris datum, ſe-
ptima indictione, Papiæ. Sequenti, Tapis rex Vngarorum ſecunda 949
Henrici in Italiam expeditione audita eiuſmodi cupiditate prædæ exar
ſit. Itaque cum expedito equitum robore in Italiam, atque adeò in
Lombardiam ipſam irrupit, ac nemine reſiſtendi gratia occurrente
impune hominum, pecudumq. prædas agere inſtitit. Ad tantum tu-
multum tota latè formidante Italia, Berengarius eius ſibi adminiſtratio
nem rei ſuſcipiendam, Lothario quieſcente, ratus legatos de compo-
ſitione ad eum miſit. &, cum reſponſum tuliſſet, ſe, niſi ingenti acce
pto pecuniæ numero, Italia non ceſſurum, eius ſibi parandæ officium
depopoſcit. Verùm tanta iniquitate eam extorſit, vt Vngarorum di
reptioni compar ipſius exactio fuerit. Nam neque eccleſias, neque pau
peres vllos excepit, atque ſingulis omnis ſexus, atque ætatis hominibus
iniquum tributi genus, ſingulos in caput nummos impoſuit, eoſq. ſu-
perbè, impotenterq. exegit. Cumq. ita infinitam vim pecuniæ confe-
ciſſet, decem, vt aiunt, nummorum modiis Vngaro datis, reliquam
ſummam, quæ maior erat, auertit. Ex his rebus Lotharius ſæuo animi
dolore confectus exeunte anno in phreneſim incidit, ac mox è vita mi
grauit. Adeleida regina relicta Papiam nomine dotis obtinuit.

BERENGARIVS II CVM ADELBERTO FILIO REX.

His actis Berengarius Veronæ rex à populis acclamatus regnum vnà cum Adelberto maiore natu filio cepit, idq. quàm liberaliſsimè potuit, adminiſtrare inſtituit. Itaque
950 ſequenti anno, qui fuit poſt Chriſtum natum nongenteſimus quinquageſimus, cum eſſet Olonnæ, fœdus inter Venetos, & Italicos renouauit, fineſq. eorum inter ſe terminauit. Cepit inde eum cupido Papienſis regiæ potiundæ. neque enim regem ſe eſſe arbitrabatur, niſi antiquam regni ſedem vetere inſtituto teneret. Hanc verò quia Adeleida poſsidebat, Adeleidæ coniugium Adelberto filio regi popoſcit. Mulier ſiue antiquo odio propter iniurias ſocero, maritoq. ſuo illatas impulſa, ſiue ſpe honeſtiorum nuptiarum elata eam conditionē repudiauit. Hac repulſa accepta Berengarius vſque adeò ira eſt inflammatus, vt quod elicere amore non potuit, id per vim ſibi extorquendum eſſe cenſuerit. Itaque exercitu Papiam adducto, vrbem haud magno certamine expugnauit, ac reginam in poteſtatem adductam in caſtro Gardæ ad lacum Benacum diligenti cuſtodiæ tradidit, verens ſcilicet, ne, ſi libera eſſet, per externas nuptias aduerſi aliquid in Italia tumultus excitet, atque ita regnum à ſe ad alium vel inuito transferret. Papiæ verò cum eſſet, monaſterio S. Xyſti Placentino priuilegium huius ſententiæ contulit: *Nos Berengarius, & Adelbertus reges rogatu Giſelprandi Derthonenſis, et Vidonis Mutinenſis epiſcopi monaſterium S. Xyſti, quod extra Placentiam ab Imperatrice Engilberga conſtructum fuit, Berthæ abbatiſſæ eius, amitæ noſtræ confirmamus, atque eidem monaſterio Guardaſtallam, & quæcunque ſupraſcripta Imperatrix, & ceteri reges huic cœnobio reliquerunt, ſancimus, & vt ipſa, dum vita ſuppetat, monaſterium adminiſtret, concedimus. & præcipuè ædem S. Petri ad Caput Trebiæ ſitam, quemadmodum Carlomanus rex largitus eſt, elargimur. Anno DCCCCL. Regni verò Donni Berengarij, & Donni Adelberti pijſsimorum regum primo, Indictione nona. Actum Papiæ.* Interim Adeleida magnum ſui in timorem adducta Martini ſacerdotis ſui ope ex arce profugit, atque illo vno cum pediſſequa comitante nauiculam nacta ſilentio noctis ad ſyluam quandam acceſſit. vbi, cum per aliquot dies maneret, neceſsitate adacta victum per Martinum ipſum, ceteris deſtituta ſubſidiis, corrogauit. Demum in agrum Regienſem profecta ipſam ſe Adelardo epiſcopo commendauit. Adelardus loco ſe ad eam cuſtodiendam munito carere excuſans

auctor ei fuit, vt ſe ad Athonem auunculum ſuum conferret, qui arcē Canuſii non longè inde firmiſsimam obtineret, & Lotharii regis fidelis quondam amicus fuiſſet. Ita Adeleida ad Athonem profecta caput ei ſuum commendauit, ſuppliciter orans, ne ſe furenti Berengarii ſibi diri proderet, cuius ipſe ſanguinem infeſtus appeteret. atque eam Atho omni cultam officio, vt reginam, excepit, & ſe pro viribus ab omni iniuria vindicaturum promiſit. Receptam autem ſimul comperit Berengarius, miſſo nuncio, eam ſibi tradi præcepit. eo verò imperium abnuente, continuò ingentes aduerſus eum copias militum comparauit, ac Canuſium progreſſus, oppidum magna vi obſidere inſtituit. In his rerum anguſtiis Atho poſitus, cum ſuis ſe opibus tantam belli molem ſuſtinere poſſe diffideret, poſtero anno ex Adeleidæ auctoritate nuncium occultè ad Othonem Germaniæ regem miſit, cum vetere virtutis indole inſignem, tum recenti Vngarorum victoria in dies 951 magis ad famam hominum floreſcentem, per Deum obteſtans, vt ad ſe, atque Adeleidem Berengarii obſidione liberandam accurreret. Id ſi maturè faceret, ipſum cum rem maieſtate regia, & virtute ſua dignā facturum, tum Berengario expulſo Adeleidem vxorem ſibi conciliaturum, ac totam Italiam in manu, ac poteſtate habiturum, cuius imperio par eſſet, ipſum, pro animi ſui magnitudine, & rerum geſtarū amplitudine, imminere. Non reſpuit conditionem Otho, ratus, facilè futurum, vt regno Germanico Italicum quoque adiungeret, eumq. gradum ad maiora etiam imperia faceret. Carolum Magnum regnum Italiæ adeptum nouum Romani Imperii titulum in Franciam rettuliſſe, ſe pariter deuicta Italia, ſi ſe res dederit, idem decus ſuæ parere Germaniæ poſſe. Itaque Italico bello decreto, Litulfum filium regem Germaniæ poſt ſe deſtinat. ac magnis pedeſtribus, equeſtribuſq. copiis cōuocatis in Italiam iter inſtituit. ac ſuperatis alpibus ſubitò Veronam oppidum recipit. Canuſio diu validè oppugnato, paucos dies ſuſtinere ſe poſſe Atho videbatur, cum opportunè nuncius ab Othone remiſſus cum litteris ad ipſum, & Adeleidem Verona ſcriptis aduenit. Ibi, cum propter intentas diurnas, nocturnaſq. obſeſſorum cuſtodias nulla in arcem ratione penetrare poſſet, ne quid intentatum relinqueret, epiſtolam ſagittæ vnà cum annulo ab Othone accepto alligauit, atque intento arcu in arcem tranſmiſit. Eius epiſtolæ hæc erat ſumma. Bonum animum haberent. nam ſe traiectis Alpibus in Italiam cum exercitu incolumi deſcendiſſe, ac propediem, vbi Litulfus filius, quem præmiſerat Mediolanum, veniſſet, iunctis copiis illis auxilio affuturum, atque in omnibus rebus conſilio, & voluntati eorum obtemperaturū.

Othonis

Othonis aduentum ſimul ac Berengarius ſenſit, raptim inde nullo tentato certamine caſtra mouit, atque ad alia tuendi regni cauſſa capeſſenda loca ipſe cum filiis ſuis Adelberto, & Vidone ſe contulit. Otho, Canuſio liberato, Adeleidem ſine mora ſibi matrimonio copulauit, perfectiſq. magna pompa ſponſalibus, inde Papiam acceſsit. Eamq. per Octobrem mẽſem in poteſtatem redactam vnà cum regina triumphantis in modum iniuit. Ibi Natalicij dies celebrati, ac menſes ali-
952 quot conſtituendis rebus abſumpti. Eo anno Conſtantinus Porphyrogenitus Orientale excepit Imperium. Ineunte inde vere, Otho ſe cum vxore in Germaniam rettulit, & Conradum generum Lotharingiæ Ducem, qui reliquias belli aduerſus Berengarium perſequeretur, reliquit. Profecto Othone, Conradus omni ope Berengarium eſt adortus. Berengarius belli fortunam periclitatus, cum ſe haudquaquam Conrado uiribus parem ſentiret, vt prudens, arma depoſuit, atque ipſo auctore Conrado, ad Othonem in Saxoniam ad pacem petendam contendit, ita animo paratus, vt omnia, quæ ſibi imperarentur, obedienter expleret, atque omnino victoris præpotentis decretum, iudiciumq; ſeruaret. Aduenienti Duces, & præfecti, Palatinorumq. primores obuiam ad primum lapidem Othonis imperio prodierunt, ac regali pompa ſuſceptum in vrbem regiam deduxerunt, eumq. præparato in hoſpitio collocarunt. Poſt triduum in conſpectum ab Othone admiſſus in auctoritate ſe futurum eius, ſi in gratiam reciperetur, aſſeruit. Venia data ſolemni peragendæ deditioni dies apud Auguſtam eſt conſtituta, vbi per Auguſtum menſem conuentus principum erat futurus. Ibi Berengarius nexis cum Adelberto filio manibus, cuncto inſpectante exercitu, regiæ ſe poteſtati, clementiæq. permiſit. Receptis in fidem Otho regnum reliquit, marchia Veronenſi, & Foroiulienſi excepta, quas Henrico fratri Bauariæ Duci attribuiſſe ſe dixit. Au-
953 guſta inde Francfordiam regreſſus ibi Domini Natalicia celebrauit. Eo porro in Alſatiam prodeunte, Conradus gener, & Litulfus filius coniurationem, quam occultè ſuperiore anno conflarant, explicuerunt, quippe mortalibus multis de Franconia, Saxonia, Bauariaq. ad arma ſolicitatis, multa contra regem oppida occuparunt, eaq. præſidijs idoneis confirmarunt. Præter ceteros Fridericus Moguntinus archiepiſcopus huius particeps conſpirationis fuit. Itaque Othoni Moguntiã accedenti ægrè copiam ingrediendi fecit. Moguntia inde Coloniam Otho deuectus haud procul inde in pago Paſcha tranſegit. Coloniam verò regrediens Metenſem epiſcopum, ac Lotharieñſes obuios habuit, qui ſua à coniuratis conſilia ſeparantes ſe in auctoritate regis perman-

ſuros

ſutos dixerunt. in Saxoniam inde progreſſus idoneo comparato exercitu ad Moguntiam, quam Conradus tenebat, ducere maturauit. Quod vbi Fridericus accepit, relicta vrbe, Briſaci, euentum rei expectaturus, conſedit. Dum autem Moguntia, Henrico Bauariæ Duce opem ferente, acriter obſidetur, Litulfus auertendi belli cauſſa in Bauariam ingreſſus Ratiſponam expugnauit, eamq. militibus diripiendam permiſit. Quod ipſum Otho iniquo adeò animo tulit, vt Moguntiæ obſidione omiſſa, ſubitò eò caſtra conuerterit, ac protinus Ratiſponæ obſidionem admouerit, quam vſque ad exitum anni perduxit. Interim autem dum hæc in Germania adminiſtrantur, Berengarius dudum in regnum reuerſus, nouum in Italia tumultum exciuit. Quippe Germanico bello permotus, & accepti beneficii ſtatim oblitus & ipſe defecit. ac regni propagandi cauſſa, quod ab Othone magno dolore imminutum ferebat, exercitum Canuſsium ad Athonem vlciſcendum, atque inde Rauennam, atque in Exarchatum adduxit, & Agapetum pontificem, epiſcopos, abbates, Comiteſq. Italiæ in ordinem cogere, vexare, atq. omni demum iniuriarum genere inceſſere inſtitit, ita vt neque fortunis, neque dignitati vllius parceret, verùm apud omnes inſignia auaritiæ, atque ſuperbiæ exempla relinqueret. Mediolani, Aldemaro archiepiſcopo mortuo, Valpertus aduerſus Manaſſem à clero, & populo eſt ſubſtitutus. Otho inde ſoluta Ratiſponæ, quæ in longum trahebatur, obſidione, in Saxoniam adiit, ibique Natalem Domini celebrauit. atque appetente Quadrageſima ad redintegrandum 954
bellum in Bauariam rediit. Ibi, Heroldo archiepiſcopo ab Henrico cęcato, ſtatim Bauari omnes, tradita Ratiſpona, in fidem ſe receperunt. Quo audito Fridericus quoq., vt ſe ſacramento à coniurationis contagione ſeiungeret, venit. Interim Conradus Dux Vngaros ad arma ſolicitauit. Itaq. dúcente illo, cum Rhenum in Quadrageſima traiecisſent, Franciam fędè vaſtarunt. Inde per Italiam redeuntes, quacunque iter fecerunt, latè populationibus, atq. incendiis omnia lacerarunt, Berengario adhuc in ditione pontificia oppugnanda, eccleſiiſq. vexandis implicito. Extremo anno Otho Litulfum filium fidem ſuam, ac miſericordiam implorantem XVI Kal. Ianuarias in gratiam recepit. Eodem etiam die Villelmus, alter Othonis filius, in locum Friderici mortui archiepiſcopus Moguntiæ lectus eum honorem iniit. Hic eximiam habuit veteris ſanctitatis, ac ſeueritatis opinionem. Itaq. patrem acerbis extemplò increpationibus aggreſſus, diras in eum execrationes intendit, niſi Adeleidem vxorem dimitteret, qua cum, quia commater eſſet, ius connubii per diuinas leges eſſe non poſſet. Quo facto Otho

ira percitus ipſum, vt ab eiuſmodi incœpto deterreret, in cuſtodiam
955 tradidit. Poſtero anno Vngari Conradi ductu iterum tanta multitudine in Bauariam deſcenderunt, vt, niſi à terra abſorberentur, aut à cælo obruerentur, vinci ſe poſſe negarent. Verùm occurrente cum expedito exercitu ad Lycum amnem Othone, amiſſo Conrado, tanta ſtrage pugnarunt, vt parem ſe de barbaris victoriam Germani retuliſſe non meminiſſent. Motis inde caſtris, Otho in Sclauos duxit, ac ſimili eos clade proſtrauit. Conrado interfecto, Lotharingiam Brunoni archiepiſcopo Colonienſi, fratri ſuo, conceſsit, & Henrico fratre mortuo, Bauariam Henrico filio eius indulſit. Adeleida puerum peperit, qui poſtea Otho ſecundus appellatus patris regnum, Imperiumq. ſuſcepit. Berengarii aſsiduæ, graueſq. iniuriæ cum neq. diſsimulari, neq. vltra ferri poſſent, Agapetus pontifex, & Valpertus archiepiſcopus ſimul tei indignitate accenſi, ſimul populorum calamitate permoti Othonem nunciis, litteriſq. miſsis de prauis Berengarii ſtudiis, immodiciſq. imperiis admonent, breuiq. fore, vt ipſe totius Italiæ imperio potiatur, niſi inuictis eius armis coerceatur, oſtendunt. ſummiſq. demum precibus, vt ſaltem laborantibus opem ferat eccleſiis, orant. Quibus rebus acceptis, Otho ſe nec reip. ſaluti, neque eorum voluntati defuturum, reſpondet. ac conſilio ad rem aggrediendam explicito Litulfum filium ducem belli aduerſus Berengarium regem de-
956 ſtinat. Nouo inde ineunte anno Agapetus pontifex obiit. Albericus conſul vetere libidine dominandi, vrbiſq. potiundæ incenſus, cum extraordinariis in ciuitate opibus eſſet inſtructus, filium ſuum Octauianum, licèt iuuenili adhuc ætate præditum, ipſa iampridem in id ipſum corrupta nobilitate fauente, ad eam dignitatem euexit, atq. Ioannem XII appellauit. Cuius pontificatus vt fœdum ingreſſum, ſic triſtem exitum cum maxima totius Eccleſiæ offenſione, & ipſius Italiæ perturbatione adeptus eſt. Quod malum ſæua hoc anno obotta tempeſtas portendiſſe videtur, qua lapis ingens de cælo cum tonitru cecidiſſe, & templa multa de cælo tacta, & aliquot fulmine icti fuiſſe ſacerdotes dicuntur. Otho, cum per annum Villelmum filium in cuſtodia habuiſſet, appetente Quadrageſima liberauit. Verùm ille non ante expletum pſalterium, quod in carcere aureis ſcribere litteris inſtituerat, eo vti beneficio voluit. Egreſſus autem eadem agere, & minari in patrem perrexit, atq. ita dixit: Tu me arbitraris pater tecum inclementius agere, & graui te præiudicio premere, verùm longe falleris. vter verò noſtrum diuinis legibus aduerſetur, clariſsimè apparebit, cum in die Pentecoſtes ad cauſſam coram Deo orandã aderimus. Quibus verbis

mortis

mortis diem patri diuino inſtinctus ſpiritu poſt prænunciaſſe eſt viſus. Litulfus iuſſu patris in Italiam aduerſus Berengarium cum robore militum expedito profectus, multas res proſperè geſſit. Nam & Berengarium congreſſum prœlio fudit, atq. in Hortam Nouarienſis lacus inſulam compulit, & oppidis plurimis receptis, populos ad ſe pleroſque traduxit. Proximo verò anno, dum bellum magno ardore perſequitur, repentina morte ſublatus, cuius ſuſpectus Berengarius fuit, omnem, quam adeptus erat, victoriæ gloriam deformauit, atq. opus longè pulcherrimum inchoatum reliquit. Eius cadauer Moguntiam relatum Villelmus archiepiſcopus apud S. Albanum ſepulturæ mandauit. Ex ea re Berengarius magis inflatus, ac duriſsimo ſimul Sclauorum bello confirmatus, in quod Othonem iterum opportunè auerſum videbat, impotentius inde ſe gerere inſtitit, ac bellum pontifici in Ducatu Spoletano commouit. Eius belli hæc, vt opinor, occaſio fuit. Sarlione, qui Anſcario Berengarij fratri ſuffectus Dux fuerat, ſiue mortuo, ſiue à Berengario deturbato, Berengarius illam ſibi ditionem aſciuit. Ioanne verò pontifice, cuius vetus id ius erat, repugnante, ac ius ſuum, quo quo modo poterat, retinente, idem arma intulit, atq. epiſcopos, eccleſiasq. exagitare inſtituit. Huic expeditioni Petrus Candianus, Ducis Venetorum filius, affuit. Is cum aduerſus patrem, à quo conſors Ducatus erat aſcitus, coniurationem iniſſet, à patre, populo, cleroq; vrbe exactus ad Vidonem regis Berengarij filium, atque inde ad Berengarium rem in Ducatu Spoletano gerentem ſe contulit. Inde, vt Venetos vlciſceretur, Berengarij permiſſu Rauennam ſe retulit, ac ſex nauibus armatis ſeptenas Venetorum, quæ onuſtæ mercibus Fanum nauigationem intenderant, ad Portum Primarij adortus hoſtiliter cepit. Sequenti verò anno, Petro patre Duce mortuo, 958
virtutis cauſſa Rauenna à Venetis reuocatus iterum in ſolio Ducali reſedit. Eo anno, continuato in Ducatu Spoletano bello, Berengarius, & Adelbertus Papiam ad ius dicendum deceſſerunt. Vbi cum eſſent, Genuenſibus petentibus veteres ſuas poſſeſsiones, & conſuetudines affirmarunt. Extat apud eos diploma, vt ipſi memoriæ prodiderunt. Proximo, Bonus Gregorij Blancanici filius, ex epiſcopo Equilino Gra 959
denſis patriarcha creatus, pallium à pontifice Ioanne accepit. Otho rurſus Sclauos bello appetijt. In Germania in religionem eſt verſum, quòd in veſtibus multorum cruces apparuerunt, in aliorum autem lepræ quaſi ſordes conſpectæ ſunt. Qua re Otho permotus monaſteria in honorem Dei, atq. Sanctorum alia inſtauranda, alia amplificanda, alia noua facienda curauit. Berengarius autem, & Adelbertus

eccleſias, ac populos Italiæ ſuperbis premere imperiis perrexerunt. 960 Succeſsit inde annus à Chriſto nato nongenteſimus ſexageſimus. Eo, Otho nouis Sclauorum iniuriis prouocatur. In Italia verò furentibus in dies vehementius regibus, cum nemo omnium eſſet, qui non externo cuicunque obedire imperio, quàm huic domeſticæ ſeruire tyrannidi, mallet, Ioannes pontifex indigna omnia paſſus, Ioannem Diaconũ Cardinalem, & Azonem ſcriniarium ad Othonem legatos cum litteris in Saxoniam miſit. Summa legationis fuit: Berengarium, atque Adelbertum occaſione occupationum eius impulſos multò, quàm ante, truculentius Eccleſiam, atque adeo totam Italiam diuexare. pertinere ad eius non dignitatem ſolùm, ſed ſecuritatem etiam, ipſorum adeò infirmas opes eſſe, vt nemini aut nocumento, aut formidini eſſe poſsint. Quocirca orare eum ſe, vt pro Chriſtianæ religionis, atque Italiæ ſalutis amore exercitum deintegrò in Italiam adduceret, atque Eccleſiam, Italiamq. Caroli Magni exemplo ab ſæua eorum tyrannide vindicaret. Id ſi feciſſet, ſe illum Auguſtalibus inſignibus ornaturum, ac, tanquam ſummum Eccleſiæ propugnatorem, Imperatorem Romanorum, qui titulus tum vacabat, appellaturum. Quæ dum illi exponunt, Valpertus, Mediolanenſis archiepiſcopus, & Valdo, Comẽſis epiſcopus, & Marchio Odbertus ſæuam eiuſdem Berengarii rabiẽ fugientes venerunt, ac ſua quiſque deplorata calamitate, maturam opẽ ſibi ſuppliciter petierunt. Addidit etiam Valpertus, regni ſe, ſi tyrannos extinxiſſet, inſignia traditurum. Pontificem inde, atque archiepiſcopum reliqui etiam epiſcopi, & principes Italiæ ſubſequuti idem litteris, ac nunciis miſsis ſummis pro ſe quiſque precibus contenderunt. Quibus omnibus Otho ſatisfacere cupiens, ſe venturum, atque eorum voluntati obſequuturum, reſpondit. Ceterùm pontifici Ioanni hoc, quod adhuc extat, iureiurando ſe ſanctas tangens relliquias obligauit: *Tibi domino Ioanni papæ ego rex Otho promitto, & iuro per Patrem, et Filium, & Spiritum ſanctum, & per ſignum hoc viuificæ Crucis, & per has relliquias Sanctorum, me, ſi permittente Domino Romam venero, ſanctam Romanam Eccleſiam, & te rectorem ipſius pro viribus meis exaltaturum. neque vt honorem, quem habes, amittas, auctorem, aut impulſorem futurum. neque Romæ vllum decretum facturum de ijs, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, ſine tuo conſilio. & quidquid de terra Sancti Petri ad noſtram poteſtatem peruenerit, tibi redditurum, & cuicunque Italicum regimen commiſero, iurare iuſſurum illum, vt adiutor tui ſit, ad defendendam terram Sancti Petri pro viribus ſuis.* His rebus tranſactis, Otho conſcriptum in Sclauos

961 duxit exercitum. Vnde victor reuerſus ſolemni Natalicio Ratiſpo-

næ peracto, profectus ad Belgas, Vormaciæ conuentum procerum cogit, ac rebus regni conſtitutis, Othonem filium puerum regem appellat, ac die Pentecoſtes Aquis Germanica corona exornat: deinde in Saxoniam reuerſus, magnas pedeſtres, equeſtreſq. copias colligit, atque in Bauariam progreſſus per Tridentinas alpes in Italiam cum coniuge Adeleide tranſit. Tranſgreſſus autem, & maximo Italicorum antiſtitum, principumq. occurſu exceptus ſine vllo certamiue Papiam recuperat, ac regiam ibi, à Berengario antè delatam, inſtaurat. atque Athonem abbatem Fuldenſem ad præparanda ſibi hoſpitia Romam præmitrit. Mediolanum inde profectus, vrbem effuſa omnium ciuium gratulatione ingreditur. Quæ dum aguntur, interim Berengarii familia inuſitato terrore perculſa, ceteris relictis oppidis, firmiſſimam quanque regni arcem inſedit, Berengarius quidem in Ducatu Spoletano Montem Feretrum, Adelbertus filius Spoletum, & Camarinum; in Lombardia verò Villa vxor inſulam in lacu Verbano S. Iulii, Vido filius inſulam in lacu Comenſi Comacinam, & ad lacum Benacũ Gardam. atque ibi ſinguli validis ſe præſidiis nulla de re magis, quàm de ſalute ſoliciti, confirmarunt, vſqueadeo vt Adelbertus etiam ad Sarracenos, qui Fraxinetum tenebant, contenderit, atque eorum auxiliũ implorarit. Interim Mediolani archiepiſcopus promiſsi memor principum, epiſcoporumq. de more concilium vocat, àtque ex omnium, qui frequentes conuenerant, ſententia regnum Berengario, atque Adelberto abrogatum ad eum defert, ipſumq. in æde D. Ambroſii vrbana magno apparatu, cæremoniaq. inungit, conſecratumq. ferrea corona condecorat, ſolemni ſacramento præſentibus omnibus alligatũ, ſe patrimonium ſuum pro ſalute, ac dignitate Italiæ profuſurum, neque eius rei gratia ſe labori, periculoue vlli parſurum. Contrà Otho, ne liberalitate ſuperaretur, archiepiſcopum multis, iiſq. amplis beneficiis ornat, in primis tres illi in agro Mediolanenſi ditiones ſubiiciens, quæ eouſq. regibus fuerant ſubditæ, Comitatum Parabiagi, Seprij, & Bazariæ, Ducatum Burgariæ, marchiamq. Marteſii. ac ciuium alios in tribubus vrbis, quas illi portas vocabant, & agri pagis, quas plebes nominabant, capitaneos, alios valuaſores inſtituit. Poſt ſolemne inde 962
Natalicium ab eo Papiæ concelebratum cum lectiſsimo exercitu, ipſo comitante archiepiſcopo, Romam pergit, vt coronam Imperii à Pontifice promiſſam accipiat. Vetus Imperii, quod per multos annos vacauerat, deſiderium, & recens Othonis erga Italiam beneficium ingentem in omnium animis inclyti viri viſendi cupiditatem accenderat, omnibus eius ſibi temporis ſpeciem animo proponentibus,

quo Carolus Magnus liberandi Leonis Pontificis cauſſa Romam profectus ingenti totius cum Italiæ gratulatione auguſtum Occidentalis nomen Imperii renouarat. Itaque venientem lætiſsimis, ſi quenquã vnquam alium, animis, atque admirando benigni occurſus ſpectaculo Romani exceperunt. Ingreſſum autem, atque ad pedes ſuos ſe ſubmittentem in Vaticanæ baſilicæ gradibus Ioannes amplexus in templum deduxit. ac ſacris magna cæremonia celebratis, cum eſſet ab archiepiſcopo oblatus, inunxit, ac demum ante Confeſsionem imperiali diademate inſigniuit, vniuerſo populo, cleroq. certatim fauſtis vocibus Auguſto, Imperatoriq. felicitatem, ac victoriam acclamante. Quo facto vterque ad aram S. Petri ſolemni ſe ſacramento deuinxit, ille ſe Eccleſiæ Ro. ſemper in auctoritate futurum, hic ſe nullo vnquã tempore Berengarii, ceterorumq. hoſtium partibus adhæſurum. Sequuta eſt inde vtrinque inuitatio liberalis. Otho Ioanni oppida Eccleſiæ ad id tempus recuperata reſtituit, & ampliſsimis pretioſarum gemmarum, auri, argentiq. donis affecit. Ioannes Othonem aliquot apud ſe dies habitum omni officii genere coluit. Quibus exactis Otho ſe Papiam recepit. Hæc Germanicæ in Italia dominationis vetera incunabula, principiaq. fuerunt.

CAROLI SIGONII
HISTORIARVM
DE REGNO ITALIAE
Liber Septimus.

OTHO MAGNVS REX ET IMPERATOR.

HACTENVS Italici regni primordia, atque incrementa ex veteribus annalibus eruta litteris, memoriæq mandauimus, res cum longè ab ætate noſtra remotas, tum haud ita multum ad præſentem rerum ſtatum, quo vtimur, pertinentes. poſthac vt noſtris tẽporibus propiora, ſic cum præſentibus fortunis coniunctiora narrabimus. Et ſanè, cum primæ huius regni origines à Longobardis inductæ, acceſsiones à Francis adiunctæ ſint, quæ relinquuntur omnia, beneficio Germanorum debentur: qui rerum Italicarum potiti, vetera Francorum inſtituta magna ex parte retinuerunt, regnumq. ipſum nouis inſtitutis

ſtituris, ac legibus temperarunt. Quod quemadmodum Italici ad ſe transferre, tribus regnantibus Othonibus, ſemel, iterumq. conati ſint, hoc libro ſcribere perſequamur.

Otho Paſchate Papiæ acto, animum ad Berengarium, vxorem, filioſq. eius perſequendos, & ex iis, quæ tenebant, locis deturbandos conuertit. itaque euocatum ex ſtatiuis exercitum protinus ad inſulam S. Iulii in lacu Verbano adduxit. atque ibi Villam coniugem circumſedit. Haud magni ea negocii oppugnatio fuit. oppidum omni è lacu exitu interluſo obſeſſum intra duorum menſium ſpatium venit in poteſtatem. mulieri, vt ad maritum iret incolumis, eſt permiſſum. Reuerſus inde Papiam pridie Nonas Octobris rogatu Adeleidæ Auguſtæ Vidoni epiſcopo Mutinenſi, archicancellario ſuo, opimam Nonantulæ abbatiam indulſit. Eodem anno Romanus cognomento Porphyrogenitus in Oriente ſuſcepit Imperium. Fuerat Ioannes pontifex primum domi patris Alberici educatus, non ſolum Italici hominis, ſed etiam patris exemplo de vetere gloria Italiæ renouanda, & antiquo recuperando Imperio aſsiduè cogitantis, deinde his ſpiritibus imbutus domeſtica patris potentia ad celſiſsimæ faſtigium dignitatis adoleſcẽs euectus. Itaque ſiue, quia, tanquam Italus, valde ab externorum imperio abhorreret, ſiue quòd, tanquam iuuenis, inconſtanti, ac mobili præditus ingenio eſſet, breui de ſuſcepta ſententia deſtitit, & Berengarium, vt qui Italici ſanguinis eſſet, ſibi in Italia retinendum, Othonem verò, vt hominem Germanum, inde eiiciendum exiſtimauit, pleriſq. Romanorum conſilium eius, vt honeſtum, ac ſalutare Italiæ, comprobantibus. Itaque ſequenti anno, nunciis ad Adelbertum in Fraxineto ſedentem miſsis, tacito ſe cum illo aduerſus Othonem fœdere iunxit, eumq. ad ſe Romam acciuit. Hoc vbi cognouit Otho, quanquam tantam in eo inconſtantiam eſt miratus, quòd quem paullo ante hoſtili animo inſequutus eſſet, eum nunc amicè vocaret, haud tamen vehementius perturbatus dixit: Puer adhuc eſt Ioannes. ſpero etiam rectis me illum admonitionibus ad ſaniora cõſilia tedacturum. verùm, quod inſtat, inchoati belli relliquias perſequamur, atque aduerſus Berengarium contendamus. Ita firmo conflato ex Germanis, Italiciſq. exercitu Papiæ naues conſcendit, ac ſecundo Pado Rauennã ſe contulit, eamq. facile in ditionem, vt quæ aut nullis, aut exiguis Berengarii præſidiis teneretur, adduxit. inde in Ducatum Spoletanũ ad Montem Feretrum, quem præſidijs, operibuſq. munitum Berengarius, & Villa coniux tenebant, proceſsit. eoq. omni induſtria, ne cuiquam pateret exitus, breui circũuallato milites ad proxima quæque 963

Vmbriæ loca occupanda immiſit. Ibi cum eſſet, Ioannis eum legati Leo protoſcriniarius, & Demetrius Patricius Romanus adierunt. Hi primum Ioannem purgarunt, ſi quid adhuc ætatis vitio deliquiſſet. queſti deinde ſunt, quòd Otho quendam Leonem epiſcopum, & Ioannem diaconum Cardinalem Eccleſiæ infideles ſuſcepiſſet, & quòd Vmbriæ populos nō Eccleſiæ, ſed ſibi ſacramento rogaret. Quibus Otho, gratum ſibi eſſe, quòd Ioannes ſe verſurum, & conſilia in melius mutaturum polliceretur. Leonem, & Ioannem ſe non ſolùm non recepiſſe, ſed ne vidiſſe quidem. verùm Conſtantinopolim proficiſcentes Capuæ retentos eſſe, audiſſe. Omnem agrum S. Petri, qui ſuæ poteſtati ſubiectus foret, Eccleſiæ Romanæ ſe reddere promiſiſſe, atque ob id nunc enixè laborare, vt ex eo caſtello Berengarium cum ſua familia deturbaret. neque enim reddere ſe poſſe, niſi hoſti detraxerit, & ſub ſuum ius, imperiumq. ſubiunxerit. Atque his dictis Landoardum Numedenſem ex Saxonia, & Luitprandum Cremonenſem ex Italia epiſcopos ad eum nuncios deſtinauit. atque eos iureiurando interpoſito ſatisfacere Ioanni præcepit. quòd ſi iuſiurandum non acciperet, tum militibus, quos comites dedit, vt facta ſingularis certaminis copia, ſemet purgarent, edixit. Ioannes neque benignè legatos, neque comiter excuſationem accepit, atque per nuncios Ioannem epiſcopum Narnienſem, & Benedictum diaconum Cardinalem poſt dies octo miſſos fallacibus eum detinere promiſsis contendit. atque interim Adelbertum Fraxineto Centumcellas, atque inde Romam progreſſum ſuſcepit, ac Romanos ad defectionem ſolicitauit. Otho interim Montem Feretrum vehementer obſidione, atque oppugnatione vrgebat. Ibi cum ageret, Idibus Septembris Vidoni epiſcopo Mutinenſi, archicancellario ſuo bona, quæ Vidonis, & Conradi filiorum Berengarii, & Villæ vxoris in agro Mutinenſi, & Bononienſi fuerant, eſt largitus. &, cum per totam æſtatem Berengarium maximo, ſed inani, rerum apparatu premendo oppido fatigaſſet, medio autumno exercitus parte in obſidione relicta, cum altera Romam contendit, ſcilicet à Romanis, qui in fide manſerant, occultè accitus. Repentino aduentu eius Ioannes, & Adelbertus ita conſternati animo ſunt, vt vrbe ſtatim, theſauro S. Petri auecto, ſe proripuerint. Ibi Otho à clero, populoq. Romano rogatus, vt remp. & Eccleſiam, cuius cauſſa in Italiam traiecisset, in commodiorem ſtatum redigeret, ſe non defuturum reſpondit, ac ſtatim de re conſultare inſtituit. Res erant diuturna ſuperiorum annorum labe ita prolapſæ, vt ægrè ſe ſuſtinerent, conciliis præſertim, quæ vna ad graues ſanandos Eccleſiæ morbos ſalutaria remedia ſunt, longo

iam interuallo temporum intermiſsis. Itaque Otho veteris inſtituti admonitus conuentum epiſcoporum in ante diem VIII Idus Nouembris indicendum curauit, atque, vbi ea dies venit, ipſe cum Engilfrido Aquileienſi, Valperto Mediolanenſi, & Petro Rauennate archiepiſcopis ei præſedit. Ibi, cum omnes de more aſſediſſent, ſilentio facto ſe eos ad conſilia de conſtituenda Eccleſia ineunda aduocaſſe, denunciauit. vnum verò illud ſibi mirum videri adiecit, quòd Ioannes, qui huius princeps conſilii, auctorq. eſſe deberet, vnus abeſſet, cauſſamq., cur non acceſsiſſet, rogauit. Tum epiſcopi, An verò tu ſolus, inquiunt, mores, vitamq. Ioannis Imperator ignoras? neque adoleſcentis arrogantiam, nequitiam, libidinemq. ſermone, aut fama vlla comprehenſam tenes? Quibus Otho miratus: Placet ne igitur, quando his Ioannes præditus moribus eſt, vt ante de illius vita, quàm de re vlla alia, referatur? Cum ſibi placere omnes dixiſſent, relatione facta, pro ſe quiſque cædes, adulteria, inceſtus, periuria, aliaq. omnis generis probra eius deferre, ac teſtimoniis confirmare inſtituit. Qua delatione perfecta placuit, vt litteræ ad eum, qui non longè ab vrbe aberat, mitterentur, atque ad cauſſam dicendam, & crimina, quæ obiicerentur, purganda ipſius conuentus nomine euocaretur. Ad has litteras nihil aliud ille reſpondit, quàm ſe audiſſe, velle illos alium pontificē, ſe abdicato, creare, proinde omnes ſe, qui id tentaſſent, pœnis inferorum deuouere, atque à re diuina facienda arcere. Decimo inde Kalēdas Decembris, cum iterum epiſcopi conueniſſent, ad eas litteras conuentus nomine hoc reſponſum eſt datum. Si, quando nullam ad conuentum non veniendi excuſationem haberet, conuentus auctoritati non paruiſſet, ſe execrationes eius non curaturos, ſed eas in eundem reiecturos. miſsi etiam Hadrianus, & Benedictus Cardinales, cum ad Tiberim perueniſſent, neque eum, quòd venatum exierat, inueniſſent, in vrbem reuerſi rem ad conuentum, qui iam IIII Idus Decēbris tertiùm erat coactus, detulerunt. Tum Otho, Reuerendi Patres, inquit, Ioannes à Berengario, & Adelberto oppreſſus miſit ad nos in Saxoniam obteſtatum, vt ſe, Eccleſiam, atque Italiam ex faucibus eorum eriperemus. Ereptus autem, atque honori priſtino reſtitutus, ſacramenti, quo ſe ſuper aram D. Petri obſtrinxit, oblitus, Adelbertum Romam acciuit, atque aduerſus me ſuſtentauit, & ſeditionem in vrbe conflauit, &, meis militibus inſpectantibus, lorica, ac galea indutus inceſsit. quamobrem, quid ſuper hac re ſtatuatis, expromite. Tum omnes, nemine diſſentiente, dixerunt, nouo morbo nouam medicinam eſſe adhibendam. haud dubiè Ioanni alium eſſe pontificem ſubrogandum

rogandum, ne Eccleſia malo exemplo corrupta funditus in perpetuum pereat. Tum Otho: Quando igitur hoc præſtare ſtatuitis, alium in eius locum, qui hac ſede ſit dignus, eligite. Atq. hís dictis omnes vna voce Ioanne reprobato, ter Leonem protoſcriniarium pontificem acclamarunt. atq. ab Othone laudatum ad Lateranenſem baſilicam deduxerunt. Inde in Vaticanam reductus, ac ſolemni in ea re cæremonia conſeruata ſacratus, Leonis octaui nomen accepit. Pontifice ſubrogato tum de ſtatu Eccleſiæ formando relatum. Non erat neſcius Leo, omnem præſentis huius perturbationis Eccleſiæ fontem à fœda Romanorum ambitione eſſe deductum. qui pontificatum, ideſt Romæ, ac totius prope Italiæ dominatum anxie affectantes, inteſtinis iampridem ſeditionibus ciuitatem, ac comitia corrupiſſent. non ſine cauſſa Hadrianum primum Carolo Magno tribuiſſe, vt Eccleſiam ordinaret, & Pontificem legeret. Hadrianum tertium, qui libera ex omni parte comitia effeciſſet, plus dignitati, quàm quieti Eccleſiæ, ſtuduiſſe. nám libertate populo in comitijs reddita, Romanos in dies deteriores effectos. Nimirum hanc libidinem coercendam eſſe, neq. aliud frenum acrius inijci poſſe, quàm ſi Hadriani primi conſtitutio renouetur. Itaq. relatione facta, & re in diſceptationem adducta, præſente, atq. aſſentiente conuentu, ſic ſtatuit: *Exemplo beati Hadriani apoſtolicæ ſedis antiſtitis, qui D. Carolo, victorioſiſſimo regi Francorum, & Longobardorum patriciatus dignitatem, ac ordinem apoſtolicæ ſedis, & inueſtituram epiſcoporum conceſſit, ego Leo quoq. ſeruus ſeruorum Dei, epiſcopus cum toto clero, ac populo Romano conſtituimus, ac confirmamus, & corroboramus, & per noſtram apoſtolicam auctoritatem concedimus, atq. largimur* D. Othoni *primo, regi Teutonicorum, eiuſq. ſucceſſoribus huius regni Italiæ, in perpetuum facultatem eligendi ſucceſſorem, atq. ſummæ ſedis Apoſtolicæ pontificem ordinandi, ac per hoc archiepiſcopos, ſeu epiſcopos, vt ipſi ab eo inueſtituram accipiant, & conſecrationem, vnde debent, exceptis ijs, quos Imperator pontificibus, & archiepiſcopis conceſſit, vt nemo deinceps cuiuſcunq. dignitatis, vel religionis eligendi, vel patricium, vel pontificem ſummæ ſedis Apoſtolicæ, aut quemcunq. epiſcopum ordinandi habeat facultatem abſq. conſenſu ipſius Imperatoris. quod tamen fiat abſq. omni pecunia, & vt ipſe ſit patricius, & rex. Quod ſi à clero, & populo quis eligatur epiſcopus, niſi à ſupradicto rege laudetur, & inueſtiatur, non conſecretur.* Pleríque Othonem etiam à Leone iterum inſignibus Auguſtalibus decoratum, auctores ſunt. Hæc ad leuanda laborantis Eccleſiæ mala ſatis in præſens ſunt viſa. Otho, ne multitudine militum Romanis oneri eſſet, partem exercitus ad premendum obſidione Berengarium miſit, atq. ipſe dies Natalicios ab omnibus

ſecurus inſidijs Romæ cum Leone traduxit. Eo anno Atho, Comes Canuſinus obijt, filiis Sigeberto, & Tedaldo relictis. His cognitis Ioannes profugus vrbe ſe,& pontificatu nouo depulſum exemplo dolens factionis ſuæ ſtudiis incitatus animum ad repetendam dignitatem adiecit. & Romanorum animos facilè ſe muneribus, ac præmiis impellere poſſe ratus, theſaurum eis S. Petri ſe diuiſurum promiſit, ſi Othonem incautum, ac nihil mali ſuſpicantem adorri ſuſtuliſſent, & ſe ipſum in vrbem recepiſſent. Romani odio Germanorum, & ſpe præmiorum accenſi facturos ſe, quod ille cuperet, reſponderunt, ac conſtituta die IIII Nonas Ianuarias repente armati in Othonem ire perrexerunt, trans Tiberim caſtra de more habentem, ac nihil de inſidiis ſuſpicantem. iamq. ad Pontem proceſſerant, cum Otho eorum conſilii tumultuario nuncio monitus cum parte ſuorum & ipſe armatus accurrit. Aequata primo vtrinque in Ponte pugna. deinde Germano acrius incumbente, Romanorum acies loco mota in fugam ſe dedit. Nec abnuere Romani, quin, niſi Otho miſericordia tactus ſuos à cæde cohibuiſſet, magnam accepturi calamitatem fuerint. Agitatum inde de pace, quæ ita conuenit, vt Romani centum obſides darent, ac ſe in fide manſuros ſacramento promitterent. Paucis poſt diebus Berengarius vnà cum oppido ad deditionem adductus, vnà cum vxore in Baioariam ab Othone captiuus eſt relegatus. Garda etiam expugnata conceſſit in poteſtatem; & Comacina à Valdone, Comenſi epiſcopo, Vidone inde pulſo, recepta. Reſtabant Camerinum, & Spoletum, quæ Adelbertus inſederat. Hanc Otho expeditionem adornans Leonis rogatu obſides Romanis reſtituit, eoſq., vt Leonis dignitatem commendatam haberent, rogauit, atque inde ire Camerinum perrexit, idq. obſidere ſumma ope inſtituit. Othone vrbe profecto Romani extemplo voluntates ſuas nudarunt, ac Leone vrbe expulſo Ioannem reſtituerunt. Is reuerſus tandem animi ſui acerbitatem euomuit. Quippe conuentu clericorum coacto, Leonem abdicauit, eiuſq. acta, & inſtituta omnia infirmauit. & Ioannem diaconum, atq. Azonem ſcriniarium ſuſpectæ ſibi fidei homines manu, & naſo detruncato debilitauit. ne verò vlterius ſæuiret, repentina mors interceſſit, quam pridie Idus Maii oppetiit. Eo facto Romani prioris prorſus ſacramenti obliti, Benedictum cardinalem diaconum ſublegerunt, atq. eum ſe aduerſus Othonis inſtantis opes defenſuros promiſerunt. Otho cum iratus Romanis, quòd Ioannem reduxiſſent, arma parare poſt Paſcha, quod cum Leone extorre apud Camerinum egit, cœpiſſet, Benedictum ſuffectum audiens eo maiore dolore exar-

964

ſit, ac propere cum toto exercitu Romam recurrit. vrbeq. corona militum cinctâ præſidia portis oppoſuit. Cum nemo ingredi, aut egredi poſſet, Romani ſubitò tanta rei frumentariæ difficultate oppreſsi ſunt, vt præ inopia modius furfuris aureis triginta venierit. Quam cum tolerare non poſſent, IX Kal. Iulii portas aperuerunt. atque Othone recepto, Leonem priſtinæ ſedi reſtituerunt. Tum Otho, vt diſsidium Eccleſiæ tolleret, Leoni auctor fuit, vt cōuentum aduocaret, ac coram Benedictum adeſſe iuberet. Epiſcopis in Lateranum congregatis, Benedictus pontificalibus veſtimentis indutus acceſsit. Quo viſo Benedictus Cardinalis archidiaconus ira commotus ita eſt percontatus: Quo tu tandem iure, quaque lege Benedicte auſus es pontificia ornamenta inducre, Leone hoc ipſo ſuperſtite, quem tu nobiſcum, accuſato, atque damnato Ioanne, ad dignitatem pontificiam euexiſti? num inficiari potes, te apud Imperatorem iuraſſe, nunquam ſine illius, aut filii ipſius auctoritate Pontificem electurum? Cui Benedictus reſpondit: Si quid deliqui, peto à vobis, vt miſericordia capiamini mei. Tum Otho, Aequum eſt, inquit, Patres, homini, ſi noxam ſuam confiteatur, veſtram vos miſericordiam impertire. Quo audito Benedictus confeſtim ſe ad Leonis, atque Othonis pedes abiecit. ſeq. peccaſſe aſſeruit. atque vltro indumentum pontificale depoſuit, ferulamq;, quam manu tenebat, Leoni porrexit. Leo ferula fracta, & populo oſtenſa, planetam detraxit, eumq. ad pedes ſedere iuſſum pontificatus, & presbyteratus honore priuauit, ac diaconum relictum in Germaniam ire in exilium imperauit, atque ita ille poſt Namburgi diē obiit. His actis, Otho, beatorum Apoſtolorum feſto Romæ celebrato, vrbe diſceſsit, & quòd Adelbertum, relicto Camerino, in Corſicam profugiſſe audiuerat, in Etruriam tranſiit. Itaque ad Aquampendentem cum eſſet, pridie Nonas Iulii Goslino, epiſcopo Patauino, bona eccleſię præcipuo beneficio confirmauit. Cuius tabulas ad illuſtranda hæc tempora his annalibus ad verbum libet intexere: *In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otho diuina fauente clementia Imperator. Si ſanctis, & venerabilibus locis digna conferimus munera, aut collata à pijs, & religioſis viris Imperiali auctoritate confirmamus, ad ſtatum regni noſtri proficere credimus. Proinde omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium noſtrorum præſentium, ac futurorum comperiat induſtria, qualiter pro Dei amore, animæq. noſtræ remedio, nec non conſultu, & interuentu dilectæ coniugis noſtræ Adeleidæ, & conſortis Imperij noſtri, per hanc noſtri præcepti paginam, prout iuſtè, & legaliter poſſumus, confirmamus, ac corroboramus eccleſiæ S. Dei genitricis, & virginis Mariæ, & S. Iuſtinæ, quæ caput eſt Patauienſis epiſcopij, cui præeſſe videtur Goslinus*

venerabilis epiſcopus, noſterq. dilectiſſimus fidelis: omnes plebes, abbatias, xenodochia, atque cortes, nec non illam, quæ Saccum dicitur, quæ à præceſſore noſtro Berengario Imperatore, et Hugone rege eidem eccleſiæ per precepti paginam data eſt; quatenus prætaxatus Pontifex, ſuiq. ſucceſſores ad partem ipſius eccleſiæ habeant, teneant, firmiterq. poſſideant in perpetuum prædictas plebes, abbatias, xenodochia, atque cortes vnà cum ſeruis, atque ancillis, aldionibus, & aldianis, omnibuſq. rebus, quæ dici, vel nominari poſſunt, ad præfatum epiſcopum integrè pertinentibus. Concedimus etiam, ac Imperiali auctoritate confirmamus prælibato Goslino epiſcopo, ſuiſq. ſucceſſoribus, in cunctis ſui epiſcopij poſſeſſionibus, vbicunque ſibi melius viſum fuerit, caſtella cum turribus, & propugnaculis erigere, negotia conſtituere, molendina componere, & publicas aquas ad vtilitatem ipſius eccleſiæ trahere, piſcationes exercere abſque alicuius contradictione. Inſuper concedimus, atque largimur, vt ſi præcepta, aut teſtamenta, aut chartulæ ipſius eccleſiæ Vngarorum incurſu, incendio, aut aliquo caſu perditæ ſint, & lites contra eandem eccleſiam ſurrexerint, hac noſtra Imperiali poteſtate fultus præfatus pontifex, ſuiq. ſucceſſores per inquiſitionem, & ſacramenta trium liberorum hominum approbent. & teſtificentur eaſdem res ad partem ſuæ eccleſiæ. quas deinde firmiter poſſideant in perpetuum. Præcipientes igitur iubemus, vt nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, aut aliqua regni noſtri magna, paruaq. perſona prælibatum epiſcopum, ſuoſq. ſucceſſores de præfatis rebus inquietare, aut moleſtare, aut de ipſis rebus teloneum exigere. ſed liceat præfatum epiſcopum cum ſuis omnibus, vt dictum eſt, quietè, & pacificè viuere, & pro nobis Dominum exorare, omnium hominum contradictione remota. Si quis igitur (quod fieri non intendimus) nefario auſu huius noſtræ confirmationis, & corroborationis præceptum infringere præſumpſerit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras centum, medietatem cameræ noſtræ, & medietatem præfato venerabili epiſcopo Goslino, eiuſq. ſucceſſoribus, qui pro tempore fuerint. Quod vt verius credatur, & diligentius ab omnibus obſeruetur, iuſſimus inde hoc præſens præceptum conſcribi, annuloq. noſtro ſigillari. & manu propria ſubter firmauimus. Signum Domini Othonis Magni, & inuictiſſimi Imperatoris Auguſti. Luitgerius cancellarius ad vicem Vidonis epiſcopi, & archicancellarij recognoui, & ſubſcripſi. Data pridie Nonas Iulij, anno Domini Incarnationis DCCCCLXIIII, Indictione IIII, anno Imperij Magni Othonis Imperatoris Auguſti III. Actum ad Aquampendentem in CHRISTI *nomine. Amen.* Otho inde, in Etruria Auguſto menſe tranſacto, in Lombardiam conceſſit. quò, maxima exercitus parte vi peſtilentiæ obortæ amiſſa, magno cum labore peruenit; vbi autumni grauitatem venationibus aſſiduis ſuperauit. Eodem anno Nicephorus Conſtantinopoli Imperium, Rodoaldus Aqui

965 leiæ patriarchatum excepit. Otho inde Natalicio feſto Papiæ acto, in Germaniam abiit. Exercitu Germanico ex Italia poſt quadriennium tandem abducto, nouus in Lombardia tumultus obortus. Nam quæ Romanos opinio, eadem quoque Lombardos inceſſerat, ſuperbum potius Italici hominis, quàm moderatum externi, regnum eſſe Italicis patiendum. Itaque nonnulli Comites, & Sigulfus Placentinus epiſcopus Adelbertum ex Corſica reuocarunt, atque in Lombardiam reuerſum omni ope ad recuperandum regnum adiuuerunt. Quod ſimul Otho accepit, continuò Burcardum Ducem cum lectiſsima militum manu in Italiam miſit, præcipiens, vt quo primùm in loco Adelbertus occurreret, acie cum eo confligeret. Ita ad Padum, cum ibi ſe oſtendiſſet, ſigna collata, ſummoq. prœlio decertatum. Adelbertus, Vidone fratre amiſſo, in fugam coniectus ægrè euaſit. Interea Leo XVI Kal. Aprilis eſt mortuus. Romani, Azone protoſcriniario, & Marino, epiſcopo Sutrino, legatis miſsis, Othonem de pontifice ex Leonis decreto ſubſtituendo conſuluerunt. Otho Otgerum Spirenſem, & Linzonem Cremonenſem epiſcopos ea de re Romam miſit. atque iis præſentibus, populus, clerusq. concordibus animis Ioannem epiſcopum Narnienſem VI Nonas Octobris pontificem declarauit, & tertium decimum appellauit. Nemo erat, quin rebus Italicorum acciſis, rès Romanas, quæ diu impotenti Romanorum contumacia fluctuauerant, poſt latè quieturas arbitraretur, cum repente nouis, ac turbulentis ſeditionum ſunt fluctibus agitatæ. Quippe Petrus præfectus vrbis, conſules, tribuni plebis, qui decarchones dicebantur, opes ſuas ab Othone fractas acerbè ferentes varia moliri inſtituerunt ad libertatem ſuam recuperandam, & potentiam Pontificis, quæ Othonis fauore creuerat, infringendam. In primis autem Ioannem ipſum antiqui exempli pontificem, cum conatibus ſuis ſe aduerſarium oſtendiſſet, vetere inſtituto comprehēderunt, & in arcem incluſum, ac nihil de ſententia remittentem vrbe depulerunt, Rofredo Comite ex Campania, ſummæ potentiæ viro, in auxilium aduocato. Ioannes egreſſus Capuam ad Pandulfum Principem adiit. Pandulfus non ſolùm Pontificem liberaliter habuit, ſed ſtudio etiam eius impulſus Ioannem fratrem, vt Rofre-
966 dum ſæuientem occideret, incitauit. Quo facto, Romani maximo, quo nitebantur, præſidio ſpoliati poſt decem menſes Pontificem Romam ex Campania reuocarunt, ac magno ſtudio in ſede ſua repoſuerunt. Pontifex, vt gratiam Principibus Capuanis referret, archiepiſcoparum apud eos inſtituit, & Ioannem ipſum Rofredi percuſſorem antiſtitem conſecrauit. Quibus rebus permotus Otho, vt im-

portunam

portunam Lombardorum, Romanorumq. audaciam inſigni aliquo edito ſeueritatis exemplo in poſterum coerceret, ac ſimul tranquillatis tandem Italiæ rebus, ſalutaribus Regnum legibus confirmaret, conuentu Vormaciæ in Aſſumptione Virginis habito, in Italiam iter intendit. Lombardiam verò cum attigiſſet, cauſſa ſeditioſorum cognita, Sigulfum, & Comites, eiuſdem furoris ſocios, condemnauit, eorumq. alios in Franciam, in Saxoniam alios relegauit. Romam inde 967
progreſſus poſt Natalicios dies, iudicio de Eccleſiæ turbatoribus conſtituto, ſeuerè animaduertit in omnes. Conſules Italia pulſi, tribuni ſuſpendio enecati. præfectus verò veſtibus exutus, atque vtre redimitus per frequentiora vrbis loca aſino ad ludribium auerſus circumuehitur, ac demum virgis cæſus macerandus tetro carceri traditur. Rofredi cadauer ex ſepulchro extractum late paſsim eſt diſsipatum. Inde ad res Italiæ conſtituendas omnis eius opera, curaq. conuerſa. atque eius rei gratia alii in alias prouincias epiſcopis, & principibus conuentus indicti. Primus autem Romæ actus eſt, Romanarumq. rerum, ac Venetarum ſtatus formatus. Aderant Ioannes Contarenus, & Ioannes Deneus legati Venetorum. Eis petentibus, decreuit conuentus, eccleſiam Gradenſem totius Venetiæ metropolim eſſe. Otho verò poteſtatem exercendi iuris, quod Romana haberet Eccleſia, dedit. ideſt, vt omnes ſeruos, colonos, aduenas, ceteroſq., qui in agris ſuis verſarentur, coercere, & iudicare poſſet. multaſq. ipſis Venetiæ eccleſiis indulſit immunitates. Cum à proceribus Italiæ ſermo eſſet illatus, legem de tabulis ſacramento firmandis eſſe tollēdam, quòd vulgo homines periurio concepto maximo cum animæ detrimento lites obtinere tentarent, ſtatutum eſt, vt eius rei iudicium in alium conuentum reiiceretur. Rebus Romanis formatis, tum Italicas compoſiturus vrbe exceſſit. ac Pontifice ſecum ducto, per Spoletanam regionem Rauennam petrexit. Ibi paſchate celebrato, alter conuentus eſt habitus, vbi iis, quæ ſuper ciuitatibus ſtatuenda videbantur, decretis, Pontifici Rauennam, Rauennatemq. ditionem, aliaq. complura, à Berengario in primis adempta, reſtituit, ac veterem Pipini, Caroli, ac Ludouici donationem nouo diplomate confirmauit. Almaranum generum ſuum Marchionem declarauit Montisferrati. quæ regio eo iam tum nomine inter Padum, & Tanarum vocabatur. à quo celebres Montisferrati marchiones fluxere. Sigebertum, ſiue Albertum, Athonis Comitis Canuſini filium, marchionē Ateſtis conſtituit. vnde clariſsima marchionum Eſtenſium familia eximiæ in hunc vſque diem potentiæ ducta. Vidonem Teutonici generis propinquitate ſibi coniunctū Mutilianę

creauit Comitem, vnde in Romaniola Mutilianæ Comites propagati. Rogatio de calumniis litium, cuius erat mentio renouata, in alium conuentum propter procerum infrequentiam eſt dilata. Iampridem Otho ad maieſtatem Occidentalis Imperij pertinere arbitratus totam in auctoritate ſua eſſe Italiam, prouincias Apuliam, & Calabriam bello petere conſtituerat, ac pulſis inde Græcis, & Sarracenis Italiæ regno adiungere, niſi ſibi cum Imperatore Nicephoro conueniſſet. Itaque huc ſpectans legatum ad eum Conſtātinopolim deſtinauit, per quem Theophaniam ſiue filiam, ſiue ſororem (nam vtrumque traditur,) Othoni filio poſtulauit in matrimonium. nuncium verò in Germaniam ad Villelmum filium, archiepiſcopum, ceterosq. principes miſit, vt eum ad ſe mitterent ſpecioſo, ac regali comitatu ſtipatum. Romaniola inde conſtituta, Pontificem dimiſit Romam, ac poſt Septembrē menſem (nam eo etiam Rauennæ fuit.) tranſiit in Etruriam. Ibi ciuitatibus in commodiorem ſtatum redactis, nonnulli item feudis virtutis ergò decorati. Ex Tuſcia inde in Lombardiam eſt ventum. Quarto decimo Kal. Nouembris Veronæ in inſula S. Zenonis epiſcoporum, abbatum, iudicum, populiq. conuentus frequentiſsimus habitus. In eo demum præter alia ex eorum conſenſu leges ad calumniam litium pertinentes, quæ adhuc leguntur, perlatæ. Eò quoque Otho filius ex Germania profectus acceſsit. Conuentu perfecto, exeunte anno, Romam repetiit, cum iam nuncius à Nicephoro de collocanda Theophania remiſſus veniſſet. Hoc anno duo ſoles in cælo viſi, & per biduum menſe Iulio mare dulce factum eſt à Neapoli vſque Cumas. In tanta proſperitate rerum Pontifex ſtudio Othonis addu-
968 ctus feſto Natalicio Othonem adoleſcentem corona cum patre affecit, conſortemq. Imperij declarauit. Ea res magna cæremonia, & ingenti populorum lætitia, quos vndique ſpectaculi magnitudo contraxerat, celebrata. Interim Vitalis tertius Gradenſem eccleſiam eſt adeptus. Defectione inde Principum Beneuentanorum audita permotus Otho ſtatim in Campaniam duxit. Ibi cum eſſet, Nicephorum oratores ad ſe mittere pacem petitum, & Theophaniam deſponſum audiuit. Itaque hac de re, & de toto rerum ſuarum ſtatu ſic ad Duces Saxoniæ ſcripſit: *Nos Deo bene iuuante valemus, omniaq. proſperè gerimus. Conſtantinopolitani regis homines, dignitate inſignes ad nos veniunt pacem, vt audimus, petituri. Quo quo modo res agatur, bello Deo propicio nos non tentabunt. Apuliam, & Calabriam prouincias, quas adhuc tenuere, niſi inter nos conuenerit, dabunt. Si verò voluntati noſtræ morem gerent, præſenti æſtate coniugem cum Othone noſtro in Franciam deducentes*

per Fraxinetum ad delendos Sarracenos ingrediemur, atque ad vos veniemus. Datum in Campania iuxta Capuam XV. Kal. Februarias. Principes Beneuentani armis petiti, cum vim, molemq. belli ſuſtinere non poſſent, facile in eius auctoritate fuerunt. Pandulfus Princeps Athenulfum, filium puerum, obſidem dedit, quem Otho educandum in Germaniam in monaſterium miſit. Reuerſo inde Romam Othone, Græci aduenere, ac ſimulata fide Nicephorum paratum eſſe, rettulere, Theophaniam adoleſcenti Othoni coniugio copulare, & certa non ſolùm amicitiæ, ſed etiam affinitatis fœdera iungere. illum puellam ad certum, quem nominabant, in Calabria locum cum comitatu miſſurum. rectè Othonem facturum, ſi ſuos & ipſe, qui eam exciperent, & ad ſe deducerent, eodem mitteret obuios. Credidit verbis legatorum Imperator, ac protinus exercitus partem cum pleraque nobilitate ad conſtitutum locum iuſsit proficiſci. Qui miſsi ſunt, dum aduentum ſponſæ opperiuntur, nec opinantes à Græcis, vt ſecretò mandatum à Nicephoro habebant, contra fidem oppreſsi. & cum parati ſatis ad caput ſuum tuendum non eſſent, alii miſerè trucidati, alii comprehenſi Conſtantinopolim miſsi. Hoc vbi Otho cognouit, Græcam fidem deteſtatus, bellum, quod iandiu animo coquebat, haud vltra differendum, eſt arbitratus, ſpe præſertim haud dubia ductus, ſe, quemadmodum Italiam citeriorem pacarat, ſic vlteriorem armis domiturum, atque hoc non minimum decus ſuperioribus victoriarum ſuarum titulis adiecturum. Itaque maturè omnia, quæ ad maximum gerendum bellum erant neceſſaria, comparat, ac poſtero anno Guntharium, & Sigifridum duces belli, paciſq. artibus claros, Othone quoque filio adiuncto, in Calabriam, atque Apuliam mittit. Vt reliquorum bellorum, ſic huius quoque, quod maximum fuit, tenuis ad nos memoria veterum annalium inopia permanauit. Quod notum eſt, hi duces Capuam primùm, deinde Tarentum, & Metapontum adierunt, & Pandulfo Principe Capuano adiuuante, primo aduentu Sarracenos prædis onuſtos ex Italia depulerunt. in Calabria demum Græcos poſt aliquot ſecunda prœlia facta inſolentiores, & imprudentiores effectos in inſidias pertraxerunt, ex quibus plerique cæſi, reliqui capti, ac truncatis ad contumeliam naribus Conſtantinopolim dimiſsi. Ita Apulia, Calabriaq. recepta, iuris tãdem Occidentalis Imperii facta. Græcis ingenti tributo mulctatis, Germani duces opima præda ditati glorioſiſsimam ad Othonem victoriam rettulerunt. Theodoricus, Merenſis epiſcopus, annulum ex cathena S. Petri, vim eius in ſanando dæmoniaco ingentem expertus à Pontifice petiit, & imperrauit, eumq.; ac plurimas vnà ſan-

969

ctorum martyrum relliquias ſummo à ſe ſtudio per triennium, quo operam in Italia Othoni nauarat, collectas trans Alpes detulit, & Meris in æde D. Vincentii martyris à ſe conſtructa locauit. Vitali tertio mortuo, Vitalis quartus, Petri Ducis filius, ad Gradenſem patriarchatum euectus pallium à pontifice Ioanne accepit. Superiore clade ac-
970 cepta, Conſtantinopolitani à Nicephoro alienati poſtero anno (is fuit nongenteſimus ſeptuageſimus,) ipſum per Ioannem Zimiſcem interfecerunt, atq. Ioanni ipſi ſummam Imperii detulerunt. Petro Rauennati archiepiſcopo mortuo Honeſtus ex abbate Claſſenſi ſubrogatus. Ab eo deinde Romaldus, Sergij filius, ex Rauennati nobilitate iuuenis monachus eſt allectus: qui poſt eremiticam vitam profeſſus præcipuè ſanctitate ſua hæc tempora illuſtrauit. Eodem anno maxima verminum ſub terra larirantium peſtilentia, mox frugum omnium inopia laboratum eſt. Tedaldus, Athonis Comitis Canuſsini filius, Sigeberti Marchionis Areſtini frater, idemq. Comitis, Marchionis, & Ducis titulis inſignitus à Ioanne pontifice Ferraria vrbe donatus arcem ibi ſui nominis certo apud poſteros Imperii monumento conſtruxit. Otho XI. Kal. Aprilis Ferrariæ cum eſſet, epiſcopum Mutinenſem agro, & vectigalibus nouis donauit. Inde Mediolani Bonicium quendam Scroſatum è plebe hominem, quippe lanium, creauit Ducem. poſte-
971 roq. Valpertò archiepiſcopo ex humanis rebus erepto, Arnulfum ſubdiaconum inſtituit. eumq. ad Ioannem Imperatorem Conſtantinopolim allegauit, vt Theophaniam neptem eius filio ſuo iterum in matrimonium poſtularet. Is maximo principum, epiſcoporumq. comitatu aſſumpto profectus comiter ab Imperatore acceptus eſt. Memorabile verò illud. cum ab eo ad theſaurum ſuum viſendum adductus rogaretur, vt aliquid pro animi ſententia ſumeret, annulo ingentis pretii ſibi detracto, atque ad theſaurum adiecto ſerpentem æneum ſumpſit, quem Græci ex eo conflatum ære aſſerebant, ex quo olim Moyſes ſuum in deſerto conflauerat. is deinde Mediolanum delatus, atque in æde D. Ambroſii collocatus nunc quoque religione ſua clarum eius facti teſtimonium fama à maioribus accepta reddit. Quin etiam Ioannes Theophaniam Othoni filio in matrimonium libens permiſit, eamq. archiepiſcopo, vt ſecum cum honeſto comitatu de-
972 duceret, tradidit. Ita poſtero anno Romam adducta effuſa obuiam vniuerſa ciuitate recepta eſt. Sponſalia apparatu ſplendidiſsimo celebrata. Ipſa à pontifice Ioanne in gratiam ſoceri coronata, atque Auguſtę titulo decorata eſt. Quibus rebus perfectis Otho votorum ſuorum omnium compos Papiam ſe recepit, vt Sarracenorum relliquias, quod

vnum ad liberandam omnino reſtabat Italiam, Fraxineto deiiceret. Id tamen quo minus aggrederetur, nunciata poſt Villelmum filium mortuum matris Mathildis, aliorumq. principum acerba ex Germania fûnera inhibuerunt. Qua clade perculſus poſt X. Kal. Auguſti (nam eo die Papiæ fuit.) ex Italia cum filio, nuruq. in Franciam, atque inde in Germaniam abiit. Octauo inde Idus Septembris Ioannes pontifex vitam amiſit. Ioanni Othonis, vt veriſimile videtur, auctoritate Benedictus VI eſt ſubrogatus. Sequenti, pontificatus Benedicti anno primo Honeſtus Rauennas archiepiſcopus conuentum epiſcoporum ſuorum Rauennæ habuit, ac de commodis eccleſiarum, quæ tempori conuenire viſa ſunt, ſtatuit. Eius acta Mutinæ apud Eccleſiæ canonicos aſſeruantur. Otho paſcha Quintiliburgi obiuit frequentibus prouinciarum omnium legationibus celebratus. Legi diplomata patris V. Kal. Aprilis ex eo loco data; item alia filii Nonis, in quibus Teophaniæ coniugis meminit. Inde in die Pentecoſtes Mimilenæ, cum eſſet Imperatoriis inſignibus redimitus, & epiſcoporum, principumq. cateruis vndique cinctus, repente, vt à filio multò ante denunciatum fuerat, morte ſublatus eſt. cuius rei Petrus Damiani auctor eſt, ſcriptor iis temporibus proximus. Fuit Otho vir cum cognomine, quod à magnitudine rerum geſtarum inuenit, cum præſtantiſsimo Imperatore Carolo comparandus, tum præcipuè apud poſteros Italico regno nouis legibus, & inſtitutis inſtructo commemorandus, quorum aliquot adhuc etiam veſtigia remanent. Quæ cuiuſmodi fuerint, videtur faciendum, vt ex antiquis litterarum hauſta monumentis, quia præcipuè noſtrum inſtitutum attingunt, aliquantulum à narratione hiſtoriæ recedentes aperiamus. 973

Erat Italia hoc tempore in has regiones diuiſa, Apuliam, Calabriam, Ducatum Beneuentanum, Campaniam, Terram Romanam, Ducatum Spoletanum, Tuſciam, Romaniolam, Lombardiam, Marchias Anconitanam, Veronenſem, Taruiſinam, Foroiulienſem, & Genuenſem. Ex quibus Apulia, & Calabria, ad quam antiqui Bruttii pertinebant, Græco adhuc Imperatori paruerant, reliqua omnia poſt recuperatam à Carolo Magno Italiam Romani nutum Imperatoris reſpexerant. Ex his igitur Ducatum Beneuentanum, qui antiquo ferme Samnio includebatur, Principi Beneuentano; Campaniam, cui Lucania quoque erat adiuncta, Principibus Capuano, Neapolitano, & Salernitano; Romam, & Ducatum Romanum, Rauennam cum Exarchatu, Ducatum Spoletanum cum Tuſco, & marchia Anconitana pontifici Romano Otho dimiſit. Reli-

qua Italiæ regi adiunxit. Regni verò ciuitates pleraſque liberas, tributarias omnes reliquit. nam quarundam etiam perpetuos, vt ſcripſi, Marchiones, aut Comites ſuperiore ſibi reſeruato iure conſtituit. Libertatem autem ciuitatum in eo ferè poſuit, vt leges, conſuetudines, iuriſdictionem, magiſtratus, vectigalia ſui ferme iuris, atque arbitrij haberent; ita tamen vt ſacramentum regibus dicerent. Quocirca alios ſibi præfectos rex, alios ciuitates ipſæ conſtituerunt. Ac quos quidem rex ad iura reddenda, & populos in fide continendos in prouinciis collocauit, ij Miſsi, ſiue nuncii, ſiue legati Imperatoris vocati. Quos verò populi ad regendam ciuitatem, & iura moderanda poſthac crearunt, ij conſules duo, aut plures fuerunt, ex antiqua Romana reip. conſuetudine ſumpti. qui quotannis ex ſingulis ciuitatibus creati aut apud epiſcopum ciuitatis, aut apud nuncium regis iurarunt. atque eos ante Friderici primi Imperium prætoribus peregrinis, quas Poteſtates dixerunt, ac vulgo poſt vſurparunt, prætulere. Vnde meritò Otho Friſingenſis, Friderici ipſius æqualis ſcripſit: *In ciuitatum inſtitutione, ac reip. conſeruatione antiquorum Romanorum ſolertiam ita imitati Lombardi ſunt, vt Imperij inſolentiam fugientes conſulum potius, quàm poteſtatum regi voluerint arbitrio*. Tributa verò, quæ ille à Francis inſtituta retinuit, fuere foderum, parata, & manſionaticum. Foderum ſumma quædam frumenti fuit, quam aduenienti in Italiam regi populi ſoluere tenebantur, pro quo ſæpe etiam æſtimata pecunia pendebatur; Parata, ſumptus, quem iidem in vias, pontesq. fluminum, quà tranſiturus, aut quò aditurus rex erat, reficiendos impendere; Manſionaticum, ſumptus in tecta, & cetera, quæ regio exercitui in agro hoſpitanti neceſſaria præbere iubebantur. ſiquidem tantum regibus ius terræ tributum eſt, vt ex omnibus, quæ ipſa ferre ad vſum hominum neceſſaria ſolet, exceptis bobus, & ſeminibus ad colendam terram idoneis, quantum opus militibus fuerit, ad regios vſus ſuppeditatum ſit. Hunc autem in modum cum Otho regni ciuitates inſtituiſſet, tum priuatos etiam homines præcipuo beneficio ſibi complectendos, ſiue ad vtilitatem, ſiue ad dignitatem putauit. Siquidem more à Francis accepto fortiſsimum quenque militiæ ſuæ aſcribere, eosq; qui ſtrenuam ſibi, fidelemq. operam nauaſſent, regalibus ſiris inſignire inſtituit. Erant autem Regalia dignitates, & prædia, quæ rex benemeritis ad arbitrium concedebat; dignitates, vt Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Valuaſores, & Valuaſini; prædia, vt vectigalia, telonea, portus, ripatica, pedatica, monetæ, piſcariæ, molendina, ſalinæ, fluminum vſus, & omnis proficiſcens ex illis prouentus. & quæ generis erant eiuſmo-

di

di. Duces erant,qui ducatum, Marchiones,qui marchiam, Comites, qui comitatum à rege in feudum acceperant. Capitanei,qui à rege,aut Duce, Marchione, Comite ve Plebem, Plebis ve partem; Valuaſores, qui à Capitaneis, Valuaſini, qui à Valuaſoribus acceperant. quorum tres priores Capitanei regis, reliqui Valuaſores maiores, minores, & minimi quoque vocati ſunt. Vnde noua nobilitatis ratio in Italiam eſt inducta, vt ij demum ſoli nobiles iudicarentur, qui ipſi, aut eorum maiores his, atque eiuſmodi aliis honeſtati priuilegiis eſſent. nam hanc conſuetudinem ſucceſſores eius non ſolùm non omiſerunt,ſed etiam multis partibus adauxerunt, ſiue vt gratiam præfectis ſuis, ac militibus pro opera in bellis egregiè nauata referrent, ſiue vt eos ſibi potiſſimùm clientes deuincirent, quorum virtute eam regionem continere in fide poſſent. Atque hos quidem Feudatarios, Vaſallos, Homines, ac Fideles vocarunt. Erat autem Feudum, ſiue Hominium,ſiue Homagium ius, quod reges, aut qui à regibus acceperãt, cum dignitate, aut prædio aliquo beneficij nomine ea lege alicui detulerunt, vt & ipſe, & eius poſteri heredes ſe ipſos beneficij eius auctores perpetuò agnoſcerent, ac pro domino colerent, ſuumq. caput,exiſtimationem, fortunaſq. iurati defenderent. Qui verò feudum contulerunt, ij Domini, & Seniores vocati ſunt. Ceterum iuriſiurandi formulæ tres fuerunt. vna breuis, qua Carolus Magnus eſt vſus: *Promitto me Domino meo Carolo, & filijs eius fidelem futurum in tota vita, ſine fraude, doloq. malo.* Altera aliquantò vberior: *Iuro ad hac ſancta Dei euangelia, me in poſterum fidelem ei futurum, vt vaſallum domino, nec id, quod mihi ſub nomine fidelitatis commiſerit, enunciaturum in eius detrimentum ſcientem.* Et ſi de familia, aut iuriſdictione eius erat, addebat: *Et vitam, membrum, mentem, & eius rectum honorem ſeruaturum.* Tertia omnium latiſſima fuit: *Ego iuro ſuper ſancta Dei euangelia, me in poſterum, dum viuam, fidelem futurum tibi N. Domino meo contra omnes homines, excepto Imperatore, aut Rege. ideſt iuro, me nunquam ſcientem auctorem futurum, aut operam daturum, vt amittas vitam, aut membrum aliquod, aut læſionem aliquam corporis accipias, aut iniuriam, aut contumeliam, aut honorem aliquem amittas, quem nunc habes, vel in poſterum habebis. Et ſi ſciuero, aut audiuero, aliquem hæc aduerſus te moliri, pro viribus impedimentum afferam. ſin minus, tibi primo quoque tempore nunciabo, & contra eum, quoad potero, tibi auxilium præſtabo. Et ſi quid ex ijs, quæ habes, aut habebis iniuſtè, aut fortuitò amittes, ad ea recuperanda, & in perpetuum conſeruanda opem feram. Et ſi cognouero, velle te aliquem iuſtè offendere, ſi requiſitus fuero, meum tibi ſubſidium, vt debeo, præſtabo. Et ſi quid mihi ſecretò communicaueris, id*

iniuſſu

iniuſſu tuo non enunciabo, neque vt enuncietur, operam dabo. Et ſi conſilium à me petieris, id, quod magis expedire tibi viſum fuerit, dabo. neque ſciens aliquid vnquam agam, quod pertineat ad tuam, aut tuorum iniuriam, aut contumeliam. Quin etiam eadem ratione vetera Longobardorum, Francorumq. priuilegia epiſcopis, abbatibus, ceteriſq. Italiæ eccleſijs ſigillatim conceſſa benignè aut confirmauit, aut multis regalibus permiſsis amplificauit. Quoniam autem inter ciuitates, & principes, atque adeo etiam inter priuatos homines multæ exiſtere controuerſiæ poterant, de omnibus ſe cogniturum, atque æqua ſingulis iura redditurum ex legibus ſcriptis profeſſus eſt, vbi in Italiam veniſſet. Venire autem inſtituit, in primis vt regni, Imperiiq. inſignia ſuſciperet; ſæpe etiam, vt eos, qui imperium detrectarent, armis ad officium reuocaret. Eius verò ſuſcipiendæ rei ratio fuit huiuſmodi. Mortuo rege principes, epiſcopiq. Germaniæ Aquiſgrani conuocati legitimis ſuffragiis regem aliquem ex ſuo corpore deſignabant: deſignatum verò in ſolio Caroli Magni locabant, quod erat in aula baſilicæ D. Mariæ ab eo conſtructæ. atque ſinguli apud eum ſacramenta dicebant. Ex aula inde in baſilicam deſcendentem archiepiſcopus Moguntinus cum clero occurrens excipiebat, ac populo, qui frequens honeſti ſpectaculi cauſſa circunſtabat, regem à Deo, & principibus lectum oſtendebat. Populus porrectis manibus, ac clamore ſublato nouo regi fauſta, ac proſpera omnia precabatur. Inde antiſtes cum rege progrediebatur ad aram, ſuper quam regia poſita inſignia erant, atque ei primùm gladium cum baltheo, deinde armillas cum chlamyde, tum ſceptrum cum baculo porrigebat. ac demum oleo ſacro perfuſum corona impoſita conſecrabat. inde excelſo inter duas columnas in ſolio collocabat. vnde facilè ab omnibus videri, atque ipſe videre omnes poſſet. ac diuina laude cantata in regiam adducebat. Ibi rex ſolemne cum epiſcopis, ac principibus epulum celebrabat, atque ſingulos pro cuiuſque dignitate donabat. Ceterùm coronam Germanicam in omnibus commentariis argenteam fuiſſe inuenio: Luitprandus etiam auream fuiſſe negat. at auream prodit is, qui huius totius cæremoniæ eſt auctor, Vitichindus. Conſecrationis autem ius ad Moguntinum antiſtitem, qui Germaniæ metropolitanus, & regni cancellarius erat, delatum eſt. quanuis Treuerenſis id munus ſibi vindicaret, quòd eccleſia ſua ceteris antiquitate præſtaret, Colonienſis verò, quòd ea conſecratio in ſuis finibus fieret. Rebus inde Germaniæ per ſolemnes conuentus compoſitis, ad regnum Italiæ, quod poſt hæc tempora cum regno Germaniæ iunctum fuit, ſuſcipiendum veniebat. Vbi verò venturus

rurus erat,nuncios præmittebat more iam tum à Francis inſtituto, qui ciuitatibus aduẽturum regem nunciarent,ac ſacramenta repeterent,& fodera exigerent, aliaq. aduenienti regi debita officia indicerent. Italiam autem ingreſſus rectà Mediolanum adibat. Ibi verò condicto die in Ambroſianam ædem procedens archiepiſcopo rem diuinam facienti, regijs depoſitis veſtibus, ac ſubdiaconi ſumptis, miniſtrabat. Qua re ritè perfecta, archiepiſcopus ſacro ipſum oleo inungebat, atque ad reliqua inſignia ferream ei coronam imponebat ipſum ſolemni adigens ſacramento,ſe Italiæ iura in perpetuum pro viribus tutaturum. Tum verò omnes magiſtratus,atque omnes dignitates vacabant in ciuitatibus. Rex autem, adhibito Colonienſi archiepiſcopo, qui regni Italiæ cancellarius erat, ex legum ſcitis, & iuriſconſultorum iudicio de rebus omnibus cognoſcebat. Iraque ad Padum deſcendens in campo quodam, qui Roncaliæ dicebatur, non longè à Placentia conſidebat,ibiq. caſtra in hunc modum faciebat. Loco aut natura plano, aut, ſi inæqualis eſſet, manu, atque opere complanato, vallum in orbem, aut in quadrum ducebatur. Fabrorum, opificum, ac mercatorum turba ad vſus neceſſarios ſequens exercitum cum ſuis tentoriis,& tabernis, ſi quadrata erant caſtra, ſuburbiorum, ſi rotunda, muri exterioris ſpeciem afferebat. Intra caſtra,vicis aptè diſtinctis,vias dirimebant, plateaſq. & portas effingebant, vt quaſi vrbs quædam repentina exiſteret. In medio Regis tabernaculum locabatur templo ſimillimum. circaq. principes, vt quiſque dignitate præſtabat, tentoria ſua figebant. His caſtris locatis,rex ad ſtipitem præaltum ſcutum ſuſpendebat, eoq. omnes feuda habentes ad excubias regi ex inſtituto agendas per præconem publicum euocabat. eademq. ratione qui in comitatu eius principes erant, ſinguli ſingulos ſibi addictos valuaſores citabant. poſtridie qui non affuiſſet, feudo mulctabatur. Inde conuentu inſtituto ciuitatum legatos vel gratulantes excipiebat, vel excuſantes, aut expoſtulantes audiebat, atque eorum controuerſias iuriſconſultis adhibitis cognoſcebat, ac leges, ſi erat opus, ferebat. Erat autem moris, vt primos dies in iuredicundo conſumeret, alteros paci inter ciuitates conſtituendæ dicaret, extremis iura feudorum cognoſceret, ac nouis legibus ſtabiliret. Conuentu peracto,Romam ad tertiam Imperij Romani coronam accipiendam, ipſo archiepiſcopo deducẽte, pergebat. ſingulæ in itinere ciuitates cum faculis,& fauſtis clamoribus occurrentes debita obſequiorum officia enixè præſtabant. ſin minus, aut pecunia, aut priuilegiis mulctabantur, aut armis ad officium redigebantur. Vbi Romam acceſſerat, relicto in pratis Neronianis exerci-

tu, ipſe cum honeſto procerum comitatu Leoninam vrbem ingrediebatur, atque ad Pontificem, qui ipſum ex compoſito in gradibus baſilicæ Vaticanæ opperiebatur, adorandum veniebat, atque ad Confeſſionem S. Petri deductus ſupplicem ad Deum orationem habebat. Pontifex ſacris operatus ipſum ab epiſcopo Mediolanenſi oblatum, ac diaconi vice functum ſacro oleo perungebat, digito annulum inſerebat, enſem nudum tradebat, & capiti corona aurea impoſita, ſceptrum Imperatorium porrigebat. ille tactis ſacris euangeliis perpetuum, ac conſtantem ſe fore Romanæ Eccleſiæ, ac totius reipublicæ Chriſtianæ defenſorem nouo ſacramento ſe obligabat. Deinde ab vtroque ad baſilicam Lateranenſem adibatur, atque ibi reliquum cæremoniarum abſoluebatur. Itaque ab hoc tempore qui rex Germaniæ fuit, idem etiam regnum Italiæ, & Occidentale Imperium tenuit, ac proprerea tres coronas accepit, vnam Germaniæ argenteam Aquiſgrani ab archiepiſcopo Moguntino, alteram Italiæ ferream Mediolani à Mediolanenſi, tertiam Imperii auream Romæ à Pontifice. neque ante Pontificis conſecrationem Auguſti, aut Imperatoris nomen vſurpauit, ſed rex Germaniæ, atque Italiæ, ſiue rex Romanorum, & Imperator deſignatus appellatus eſt. annos autem regnorum, atque Imperii à diebus numerauit, quibus coronas Aquiſgrani, Mediolani, & Romæ cepiſſet. quod ex diplomatis eorum apparet. Et ſane, quanquam Italia à rege, eodemq. Imperatore, & à Romano Pontifice tenebatur, non eadem tamen erat in vtroque auctoritas. Pontifex Romam, Rauennamq. & ditiones reliquas tenebat auctoritate magis, quàm imperio, quòd ciuitates Pontificem, vt reipublicæ principem, regem verò, vt ſummum dominum intuerentur, atque ei tributa, obſequiaq. quæ dixi, præberent. Et Pontificis vires in ſacris deteſtationibus verſabantur, quas Chriſtiani reges tum maximè exhorruerunt, Imperatoris in armis, & expeditionibus, quibus ipſi etiam pontifices cedere ſæpe compulſi ſunt. Pontifex tamen ab hoc tempore maiores in dies opes habuit eximiis ſtudiis fauentis Italiæ ſubleuatus. Vtraq. verò poteſtas ſacra erat, & ad Chriſtianam conſeruandam rempublicam inſtituta. Pontifice autem, & Imperatore excepto, trium antiſtitum ſumma adhuc erat auctoritas Aquileienſis, Mediolanenſis, & Rauennatis. Mediolanenſis autem ſpecies erat magna, ſed potentia maior. maieſtatem autem afferebant homines variæ dignitatis ei aſſiſtentes, nempe ſuffraganei duodeuiginti, archipresbyteri duo, primicerii totidem, præpoſitus, archidiaconus, duo & viginti Cardinales ordinarii, duodecim canonici Decumani vocati, ſecundicerius, claui-

cularii

cularii quattuor, terminarii decem, notarii quattuor, totidem magiſtri litterarum, octo pueri, totidemq. viri, ac feminæ ſenes, quam D. Ambroſii ſcholam vocabant, & cimiliarcha cum cuſtodibus ſexdecim. Animos verò faciebat, quòd cum archiepiſcopus à regibus ipſis inſtitueretur, ac reges ipſe contra conſecraret, atque ad accipiendum Imperium præpararet, maximis ab iis erat priuilegiis decoratus. Itaque, non aliter atque Rauennas quondam, nimia ſuperbia elatus à ſacra Pontificis, vt ſcripſimus, obedientia ſe ſubtraxerat, ac maximas non ſolùm in vrbe Mediolani, ſed etiam in tota Lombardia opes habebat, cum plurimis epiſcopis, capitaneis, & valuaſoribus imperaret, ac regum ſtudia coronæ delatæ beneficio deuincta teneret. Qua verò in vrbe Mediolani auctoritate archiepiſcopus erat, eadem ferme in ſua quiſque ciuitate epiſcopus vtebatur, cum & ab rege ipſo conſtituti, & ampliſsimis præterea beneficiis, ac regalibus eſſent ornati. Reliqui verò quanquam ita regis in fide fuerunt, vt omnes, qui alterum violaſſent, meritò ipſum vltorem timere, & vindicem poſſent, atque ea de cauſſa officium, fidemq. diligentiſsimè colere deberent, factum eſt tamen interdum, vt ciuitates libertate abutentes non ipſæ ſolùm inter ſe, ſed cum ipſo etiam rege cõtenderint. Nam alii integræ libertatis auidi Imperatoris arma deſpexerunt, alii meritos aduenienti regi honores nõ habuerunt, aut certè vicinorum iura, nulla Imperatorum habita ratione, labefactare tentarunt. Hi verò Mediolanenſes in primis fuere, qui cum vicinis populis Laudenſibus, Papienſibus, & Comenſibus bella ferentes, atque alios in ſocietatem armorum trahentes iuſta regum arma ſæpe aduerſus ſe prouocarunt, ac ſuæ, & aliorum reipublicæ plurimum nocuerunt. Mediolanenſes autem ad hęc induxit in primis archiepiſcopus, penes quem cum delectis duodecim ex ipſa nobilitate conſulibus totius erat ciuitatis Imperium. nam ius vitæ, neciſq. habuit. vnde Comitis nomen tulit, ac ius illud per Vicecomitem exercuit. Vicecomes autem gladio ſtricto prælato incedebat, atque omnia cum conſulibus negotia peragebat. Itaque cum vaſallorum præterea, & epiſcoporum ſibi ſubiectorum ardentia ſtudia teneret, ac maximis opibus, fortuniſq. floreret, facile ſecum totam ciuitatem trahebat, eamq. iuris ſui vel retinendi, vel amplificandi cauſſa modò ad ſeditiones, modò ad bella exercenda adducebat. Ceterùm omnium citerioris Italiæ, ſed maximè Lombardiæ, ciuitatum eadem ferme reipublicæ ratio fuit. nam & magiſtratus fere eoſdem crearunt, & optimatium primum, deinde popularem ſtatum eundem habuerunt, & eodem modo optimatium remp. tribus conſiliis adminiſtrarunt. quæ Spe-

ciale, Generale, & Credentiæ conſilia dixere. Militiæ verò grauis admodum extitit diſciplina. Si quidem, teſte epiſcopo Friſingenſi Othone, inferioris conditionis iuuenes, vel quoſcunque contemnendarum etiam artium opifices, quos ceteræ gentes ab honeſtioribus, & liberalioribus ſtudiis tanquam peſtem propellebant, ipſi ad militiæ cingulum, & dignitatum gradus euehebant. Ducibus primùm domeſticis, deinde externis, nempe prætoribus, vſi ſunt, ac poſt aliquot annos vexillum in aciem produxerunt, quod in curru impoſitum, & carrocium appellatum magna religione ad bella miſerunt, magnaq. cura in prælio defenderunt. Vrbes arctis ferme murorum ambitibus cingebantur, verùm ſuburbiis latius propagabantur. quæ nullis, aut certè tenuibus plerunque firmata vallis primas hoſtium incurſiones èxcipiebant. ædes priuatorum vtrobique ferme ex ligno erant confectæ, ac propterea incendiis quibuſcunque obnoxiæ. turres tantùm altiores ex lateribus potentiſsimus ſibi quiſque ab hoc tempore parare inſtituit, maximo futuras aduerſus hoſtes aut externos, aut domeſticos adiumento, nullo præſertim adhuc æneorum tormentorum vſu comperto, quibus nunc firmiſsimæ etiam arces haud magno admodum molimine deturbantur. atque hoc maximæ potentiæ argumento habebatur.

Ciuilibus autem, & militaribus honoribus exceptis, proximum locum tenebant qui aut equeſtri dignitate ab Imperatoribus honeſtati eſſent, aut de iure reſpondere vtcunque poſſent. Litterarum ea ætate ſtudia ferme nulla, niſi philoſophiæ, ac theologiæ. nam ius ciuile Romanum vſque ad Lotharium Imperatorem, qui Henricum eſt inſequutus, propè Italiæ fuit incognitum. & medicorum vſus ſemper fuit maior, quàm dignitas. Poetæ, & oratores, ſi qui hoc nomine digni erant, ſibi potius, quàm populo, canebant. qui verò ceteris antecedere eloquentię laude, ac varia litterarum doctrina putabantur, ij plerique aut canonici, aut monachi erant. Scholæ quidem publicæ, quæ nunc paſsim ad excolenda iuuenum peregrinorum ingenia celebrantur, de quibus affirmari poſsit, nullæ tum fuiſſe produntur. Eccleſiaſticorum honorum amplitudo maxima erat, prę ſertim verò epiſcoporum, quorum & reuerentia ſumma, & ius in ciuitatibus ſemper fuit ampliſsimum. epiſcopis verò abbates proximi inceſſerunt. Presbyterorum, diaconorumue Cardinalium antiquiſsima Romæ dignitas non dum tantis, quantis poſtea fuit, aut ad opes, aut ad decus, ſpeciemq. præſidijs erat inſtructa. Monachi Benedictini, & Canonici Auguſtiniani præcipuè nominabantur. Clerici antiqua, vt poſt apparebit, diſciplina ſoluta, minore, quàm tanto debetur ordini, apud ho-

mines habebantur honore. Ex quibus omnibus intelligi poteſt, vniuerſam ab hoc tempore Italiam renouatam, atque aliam prope in omni inſtitutorum genere eſſe factam. Verùm ad hiſtoriam reuertamur.

OTHO II REX, ET IMPERATOR.

MORTVO Othone Magno, Otho filius rex iterum à principibus, & populis acclamatus Imperium inde, quod cum patre geſſerat, ſolus exercuit. ac populis, & principibus expoſcentibus patris confirmare beneficia inſtitit. In primis autem Vitali patriarchæ priuilegium de præſtantia, atque immunitate Gradenſis Eccleſiæ ratum effectum. Eo inde Germanicis, & Francicis bellis, quæ alieniſsimo tempore exarſerunt, implicito, ac regiorum armorum terrore procul amoto, Italici integræparandæ libertatis auidi palam grandiores, atque acriores ſibi ſpiritus aſciuerunt. Nam & varias in populis ſeditiones excire, & multiplices in prouinciis tumultus conflare, & paſsim conſulatus in ciuitatibus inſtituere, & priuatas turres in vrbibus ædificare cœperunt. In primis autem Romæ apertè de antiqua recuperanda libertate tumultuatum. Hunc tumultum Cincius ciuis Rom. exciuit. Hic quod teneri Ioanne ſeden te Othonis ſenis metu nequiuerat, id ſe euicturum Benedicto Eccleſiam, Othone adoleſcente regnum obtinente, ratus negotium ingens maiore animo, quàm conſilio, inijt. ac ſequenti anno Benedictum iura Imperij, atque Eccleſiæ retinẽtem nactus arripuit, atque in vincula traditum miſerè mori coegit. Renouata inde vetere in pontificiis comitiis ambitione, Romani, neglecto proximo Leonis decreto, pontifices, quos libido tulit, turſus ſine Imperatoris auctoritate crearunt. Itaque mortuo Benedicto, Donus ſecundus, & mox poſt Donum Bonifacius VII, Ferrucij ciuis Romani filius, corruptis comitiis eſt illatus. Quod cum factio Tuſculanorum Comitum æquo animo ferre non poſſet, in eum concordibus animis conſpirauit, atque ipſum omnibus afflicta re modis inſtituit. Quorum conatibus cum par ad reſiſtendum non eſſet, poſt menſem, baſilica Vaticana pretioſis rebus omnibus ſpoliata, profugit. Quo facto Comites Tuſculani Benedictum VII, Alberici quondam conſulis nepotem, intruſerunt. vt Petrus Damiani eſt auctor. Hic domeſtica factionis, & externa Othonis [illegible] potentia fultus, multis ex aduerſariis in vincula conie[illegible] ingraueſcentem leniuit. Poſtero anno Bononienſes, [illegible] ex vrbe ſeditionibus 974

turres priuatas condere, Vrbeuetani conſules creare cœpere. Mediolani Arnulfus archiepiſcopus mortuus. populus Gothifredum eccleſiæ ſubdiaconum, licèt ipſi vehementer infenſus, Othoni gratificatus accepit.
976 Proximo, Veneti nimia Petri Candiani Ducis ſæuitie exacerbati coniuratione facta Prætorium inuaſerunt, &, cum irrumpere non poſſent, ignem in proximam domum, quæ Petri Vrſeoli erat, ipſomet auctore, iniecerunt. quo non ſolùm Prætorium, ſed etiam ædes S. Marci adnexa, & pleraque circumiecta ædificia conflagrarunt. Ita Dux caloris, fumiq. vapore fauces ad interitum comprimente compulſus ad ianuas ædis euadendi ſtudio venit, verùm ab occurrentibus coniuratis repulſus ibi vnà cum Petro filio inimica ſatellitis manu percuſſus interiit. ac ſtatim Petrus Vrſeolus, licèt reluctans, pridie Idus Auguſti ſuffectus. Ab eo ſubitò Prætorium cum templo refectum. Vitalis patriarcha ad Othonem profectus, Venetos de cæde patris ſui perpetrata accuſauit. & Valdrada ipſius Ducis vxor, quæ Sigeberti marchionis filia erat, eadem ad Adeleidem Auguſtam Placentiam progreſſa expoſtulauit. Dux nuncio Placentiam miſſo mulierem placauit, ac fœdus cum Iuſtinopolitanis, cuius tabulæ publico abſumptæ incendio fuerant, renouauit.
977 Sequenti anno, Ioanne Imperatore in Oriente mortuo, filii Baſilius, & Conſtantinus Imperium tenuerunt. Varinus abbas ex Aquitania Venetias ad corpus S. Marci venerandum profectus, Petro Duci, vt honore, ac rebus omnibus ſe abdicaret humanis, ſuaſit. cui ille actarum rerum aduerſus Candianum pœnitentia tactus, ſe compoſitis Venetorum rebus omnino obtemperaturum,
978 reſpondit. Itaque proximo, cum ille Venetias reuertiſſet, nocte, quæ Kal. Septembris præceſſit, domo clam egreſſus comitem ſe illi ad monaſticam vitam agendam adiunxit, & Ioanne Gradonico, ac Ioanne Mauroceno Venetis, & Romualdo, ac Marino Rauennatibus ſociis ſumptis, cum eo in Franciam ſeſe ad monaſterium contulit. Qua re animaduerſa, Veneti Vitalem Candianum, fratrem Ducis interfecti, ſuffecerunt, & Vitalis patriarcha, qui Veronæ exul agebat, domum repetiit, ac iuſſu Ducis in Germaniam profectus, Othonem Venetis
979 propter necem patris offenſum reconciliauit. Poſtero verò, Vitalis Dux Petri Vrſeoli exemplum ſequutus, magiſtratum depoſuit, ac religionis ſtudio monachum induit. In eius locū Tribunus Memmus eſt ſubſtitutus. Dum autem Italia variis per abſentiam regis ſeditionum fluctibus agitatur, repente extrinſecus ingens bellum eſt ortum. Quippe Baſilius, & Conſtantinus Imperatores turpe rati, ſe vetere tot annorum Apuliæ, Calabriæq. fuiſſe poſſeſſione deiectos, Sarracenis, quos

nuper

nuper Creta exegerant, magna mercede conductis Italiam inuaſerunt, & Barrio, ac Matera vrbibus expugnatis, Apuliam primùm, deinde, nemine prohibente, Calabriam receperunt, arma longius etiam promoturi, niſi vis maior aliqua obſtitiſſet. Iam pridem cupiebat Otho regnum à patre partum, atque ordinatum, ſed Italicorum temeritate turbatum, inuiſere. verùm grauibus Tranſalpinorum bellis aſsiduè occupatus ei ſeruire officio nunquam potuerat. nunc verò duabus prouinciis non tam inutiliter, quàm turpiter, amiſsis vehementius irritatus protinus in Italiam ſibi traiiciendum eſſe conſtituit. itaque, rebus Germanicis in præſens vtcunque compoſitis, ingentes peditatus, equitatuſq. copias contrahit, ac ſequenti anno, qui fuit nongenteſimus octogeſimus, ſecum Theophaniam Auguſtam, ac principes, epiſcopos, abbateſq.; vt aſſolebat, plurimos habens tranſmiſit. Veronam delatus, Adelbertum epiſcopum Pragenſem, qui poſt inter Sanctos relatus eſt, paſtorali virga donauit, & cum fœdus Venetum reſcindere vellet, tamen à legatis Ducis rogatus abſtinuit. Inde Placentiam XVII Kal. Septembris progreſſus ſolemnem apud Roncalias procerum, ac ciuitatum Italicarum conuentum habuit. Ibi & ius populis dictum, & quæſtiones de ſeditionum auctoribus habitæ, & nouis feudorum titulis aliquot inſigniti. Præter ceteros Lanfrancus Branciſortius Placentinus caſtro Vicoiuſtino donatus, & Tedaldus Athonis filius marchio Mantuæ inſtitutus. Vnde ille nobile poſt monaſterium D. Benedicto in agro Mantuano inter Padum, & Larionem extruxit, atque opimis multis poſſeſsionibus honeſtauit. Profectus inde Romam, atque ab omnibus, ſed præſertim à Pontifice, & parte eius ingenti animorum alacritate receptus, ibi, Lamberto auctore, Natalicia celebrauit. Ceterùm Italicarum defectionum memor rem impunitam patris exemplo doctus dimittere noluit. Itaque vltionis auidus conſilium crudelius, quàm vtilius, ad memoriam certè poſteritatis inſigne raro, aut potius ſingulari crudelis Imperij, atque impotentis exemplo cepit. Quippe magnifico in primis parato in Vaticano conuiuio principes, ac legatos ciuitatum omnes, qui celebrandi aduentus ſui gratia Romam de more conuenerant, aut iuſsi ab eo aderant, inuitauit. Vbi verò cuncti ordine accubuerunt, præconis voce, ne quis ad ea, quæ audiret, videretue, aut vocem miſiſſe, aut ſede ſua mouiſſe vellet, pœna capitis indicta, denunciatum. ac ſtatim conuiuæ omnes intromiſsis armatorum cateruis ex compoſito circunuenti. Trepidantibus ad tale ſpectaculum ſingulis deinceps nomina eorum, qui aut ſeditionem, aut tumultum conflarant, recitata, ac triſtibus de illis pronunciatis

980 (beside "qui fuit nongenteſimus")
981 (beside "Ceterùm Italicarum")

ſententiis, inſpectantibus ceteris, vltimum ſupplicium ſumptum. In reliquis conuiuium mira comitate, ac liberali inuitatione concelebratum. Ex eo inde Othoni cognomen Sanguinarii inditum. Interea magnæ ex Francia, Germania, Tuſcia, Lombardiaq. copiæ accitæ aduenerant. Quibus ad Romanas legiones adiunctis, vrbe egreſſus Neapolim, & Beneuentum acceſsit, atque ibi firma alia Beneuentanorum, Capuanorum, Neapolitanorum, & Salernitanorum manu aſſumpta, graue cum Græcis, & Sarracenis in Apulia bellum iniuit. ac multas
982 res proſperè geſsit. Inſequenti verò anno Tarento digreſſus, ad quod XVII Kal. Aprilis caſtra habuit, ad oppidum Calabriæ proceſsit, nomine Baſentellum. Ibi ardentibus pugnandi cupiditate militum animis Idibus Iulijs cum occurrentibus Græcis, & Sarracenis atrox prœlium eſt commiſſum. Romani, & Beneuentani, vbi certamen de ſumma rerum imminere viderunt, ſtatim hominis crudelitatis memores à ſignis receſſerunt, atque Othonem valido præſidio nec opinantem nudarunt. Ita exercitus eius ancipiti terrore perculſus inſtantibus hoſtibus facilè non ſolum fuſus, fugatusq., ſed etiam fœdiſsima ſtrage concisus eſt. Landulfus, & Atenulfus Capuæ Principes (nam Pandulfus pater, veniente in Campaniam Othone, perierat.) Otho Dux, Henricus epiſcopus Auguſtanus, & Vernerus abbas Fuldenſis cum alijs principibus, epiſcopis, & abbatibus plurimis in acie ceciderunt. Othò ex prœlio trepidus vix incolumis ad mare profugit. &, cum ſe nauiculæ commiſiſſet, metu piratarum in mare exiliens natatu ſibi conſuluit. Addit Sigebertus, ipſum, cum natando euadere vellet, à prædonibus, qui nam eſſet, ignorantibus captum, Theophaniam verò vxorem, & Theodoricum, epiſcopum Metenſem, qui Roſſani conſederant, prœlij exitum expectantes, ſimul Othonem captum à piratis audiuerunt, ingentem ad eos pecuniam redimendi cauſſa miſiſſe. Cui dum illi auidius inhiantes Othonem parum attentè obſeruarent, ipſum perniciſsimo equo oblato ex eorum conſpectu repente abreptum. Martinus autem Polonus auctor eſt, ipſum, auxilio Probi Cæſii epiſcopi, quem in littore armatum proſpexerat, implorato, vnà cum eo nautas ad vnum omnes, numero quadraginta necaſſe. Ceterùm ſatis inter omnes conſtat, hanc cladem tantam fuiſſe, vt, ſi Græci protinus inde Romam exercitum adduxiſſent, ipſam haud magno admodum negocio in poteſtatem fuerint adducturi. Apuliam, & Calabriam receptas Græci ſæuiore poſt imperio, nouo Catapani magiſtratu impoſito, habuerunt. Otho Capuam reuerſus Aloaræ Landulfi vxori, & Landenulfo filio Principatum confirmauit. ac reliquũ anni recolligendis

copiarum

copiarum ſuatum reliquiis tradidit. & bona Landulfi filij Landulfi
hoſtis ſui Salernitanæ eccleſiæ addixit. Inde non magis Græcis, aut
Sarracenis hoſtibus, quàm aut Romanis, aut Beneuentanis amicis ira-
tus ſequenti anno de improuiſo Beneuentum inuaſit, atque oppidum 983
captum ad vindicandam oppidanorum perfidiam hoſtiliter diruit, &,
vt maiorem eis dolorem inureret, oſſa etiam S. Bartholemæi apoſtoli,
quæ illi præcipua veneratione colebant, inde extulit. Ea Romam
traducta, vt inde in Germaniam transferrentur, Tiberis in inſula Ly-
caonia collocata. In Lombardiam inde belli aduerſus Græcos repa-
randi cauſſa receſſum. Tribunus Dux Venetorum Ioanni Mauroceno
monacho quondam genero ſuo ædem S. Georgij è regione Prætorii
ſitam dedit, monachis diſciplinam S. Benedicti ſeruantibus incolen-
dam. Otho Veronæ agens à Caloprinis, ciuibus Venetis, priuatam
vlciſci iniuriam cupientibus ad bellum Venetis faciendum impulſus,
ne quis eis aliquid cibariorum ſuppeditaret, edixit. Venetis ſtatim ne-
ceſſariarũ ad victum inopia rerum oppreſsis, oppidani Capitis aggeris
defecerunt. Dux ſeditioſorum ædibus diſturbatis, vxores, & liberos
eorum cuſtodiæ tradidit. Otho inde Verona Rauennam, & Rauenna
Romam reuerſus non multò poſt VIII Idus Decembris triſti animi
ægritudine tabefactus interiit. Sepulchrum in veſtibulo baſilicæ Va-
ticanæ conſtructum adhuc inſpicitur. Hunc paterno nomine, quàm
proprio, vt viuentibus gratiorem, ſic apud poſteros memoriæ com-
mendatiorem, fuiſſe reperio.

OTHO III REX, ET IMPERATOR.

POSTERO anno, nunciata Othonis in Germaniam mor- 984
te, in magna animorum diſſenſione alijs aliò inclinanti-
bus Otho filius, Magni nepos, de manu Henrici, Otho-
nis mortui patruelis, qui ad regnum aſpirabat, extor-
quetur, atque annos natus XVIII rex Germaniæ à regni proceribus
declaratur. Interim verò dum ille ſimul ætatis infirmitate præpeditur,
ſimul tumultibus Germaniæ ſedandis occupatur, variis Italia deinte-
grò ſeditionum tempeſtatibus æſtuauit. In primis autem Romæ, &
Mediolani ſacrorum comitiorum cauſſa certatum. Rauennæ Ioan-
nes XII archiepiſcopus factus. Romæ Benedicto pontifice mortuo,
Petrus epiſcopus Papienſis eſt ſubrogatus, qui Ioannis XIIII nomen
accepit. Hoc vbi Bonifacius comperit, iampridem à Tuſculanis Co-
mitibus ſacerdotio pulſus, ira fremens, Conſtantinopoli, quò confu-

gerat, Romam rediit, ac pecunia ingenti, quam ex rebus ſacris diuen-
ditis redegerat, multis ad ſuas partes attractis, Ioannem ipſum corri-
puit, atque in cuſtodiam tradidit, &, cum is ſiue morbo, ſiue fame
985 confectus poſt menſes octo, quàm inierat, obiiſſet, ipſe vacuam ſe-
dem iniuit. neq. ita multò poſt ipſe quoque repentina morte oppreſ-
986 ſus interiit. Bonifacio mortuo Ioannes XV, Leonis presbyteri filius,
987 pontifex ſubſtitutus. Poſt annos duos Stephanus Caloprinus Adelei-
dem Auguſtam Papiæ adiit, atque eius beneficio reditum in patriam
988 impetrauit. Eo verò paullo poſt vita functo, ſocii eius Venetias redie-
989 runt. Biennio interiecto Ioannes Pontifex anno pontificatus ſui IIII
Amatum archiepiſcopum Salernitanum inſtituit. Poſtero anno Me-
diolani ſeditio ingens exarſit, quæ nouam reip. mutationem induxit.
990 Quippe anno nongenteſimo nonageſimo Bonicius Dux, Gothifredo
archiepiſcopo mortuo, ab Othone dignitatem eam Landulfo filio ſuo
impetrauit. populo verò Landulfum repudiante, atque armis ab Epi-
ſcopii aditu repellente, ipſum tueri commiſsis certaminibus in vrbe
non dubitauit. in quibus cum alij præclari viri, tum Tatius, vir poten-
tiſsimus, cecidit. quo facto, Bonicius ipſe in lectulo ipſo furtim à Man-
tegatio Tatij familiari confoſſus. Landulfum inde, cum Ducis præfe-
cturam mandare fratri ſuo natu maximo vellet, populus ira percitus
vrbe cum fautoribus eius exegit, ac Ducis magiſtratum abrogauit,
conſuleſq. qui regerent ciuitatem, more iam in Italia inſtituto, crea-
uit. Atque hæc prima ſeditio ciuitatem Mediolanenſem in duas par-
tes diſtraxit, nobilitatem, & plebem. quo veneno ſemel infecta nun-
991 quam poſtea planè conualuit. Poſtero anno in Campania Landenul
fus Princeps, cum poſt matrem Aloaram menſes quattuor Capuæ re-
rum eſſet potitus, ab perfidis ciuibus in æde S. Marcelli crudeliter oc-
ciſus eſt, ad quam quinta feria Paſchatis ex vetere Principum more
proceſſerat. Laidulfus frater eius Principatum excepit. Cuius mortis
vlciſcendæ cauſſa Tranſmundus, Comes Teatinus, affinis eius cum Rai
naldo, & Oderiſio Marſorum Comitibus exercitum contraxit, &, Ca-
pua per XV dies obſeſſa, latè omnia peruaſtauit. Petrus Vrſeolus, Pe-
992 tri olim Ducis filius, Dux Venetiarum eſt factus. Sequenti verò anno
Hugo, Sigeberti marchionis Ateſtini filius, ab Othone miſſus eandem
obſidionem continuauit, quouſque cædis auctores in poteſtatem re-
degit, quorum alios de furca ſuſpendit, reliquos varijs cruciatibus in-
teremit. Ioannes pontifex Grimoaldum archidiaconum Salernita-
num inſtituit. Legitur diploma Adeleidæ Auguſtæ auiæ rogatu con-
ceſſum XIIII Kal. Auguſti, Indictione V. Anno DCCCCXCII,

Othonis regnantis anno nono Petro Duci Venetorum datum: *Ne in riparum legibus, & tranſitibus aliquid noui ſtatueretur. vt ſerui capti redderentur. vt bona eccleſiæ Gradenſis, & aliarum, itemq. monaſteriorum poſita in Regno, atque illis in vrbibus, caſtris, montibus, campis, nemoribus, aquis, aquarum ductibus, molendinis, piſcationibus, & venationibus à Venetis ante triginta annos poſſeſſa quietè tenerent, & amiſſa recuperarent. vt nullus princeps aliquem Venetorum coercere, aut fodrum exigere, aut banno mulctare poſſet. Lauretum, quouſque aqua ſalſa pertineret, in eorum poteſtate maneret.* Idem Dux Gradenſis vrbis mœnia, & templa, & Prætorium inſtaurauit. Proximo, Creſcens Nomentanus Romæ ingenti fauore populi conſulatum adeptus, nouam aliam, eamq. pernicioſiorem ſeditionem exciuit. 993 Hic, vt erat altiſsimo animo præditus, non modò veterem ciuitati libertatem recuperare, ſed etiam Imperij titulum ſibi aſciſcere geſtiebat, ægrè admodum ferens, eum iure quaſi hereditario ad exteros eſſe translatum. Nam quamdiu ſtirps Caroli Magni ſuperſtes fuit, Francos in poſſeſsione fuiſſe, illa extincta, cum Italici aui tam renouare dignitatem vellent, tamen inteſtinis odiis, ciuilibuſq. diſcordiis propoſito excidiſſe. Ita rem ad Othonem Germanum hominem deuolutam, ab Othone filium ad tantum faſtigium ipſo Pontifice colendo eſſe prouectum. quo mortuo, nepotem eò domeſticæ vſurpatione potentiæ potius, quàm iure aliquo, aſpirate. agendum igitur, atque obuiam eundum eſſe, omniq. ope nitendum, vt vnde emanauit, eò tandem aliquando Imperium redeat. His vocibus populus Rom. inſtinctus opem illi ſuam ad tantum decus recuperandum polliceri, atque eum, vt in bene cœpto perſeueraret, hortari. Petenti inde à Pontifice, vt & ipſe conſilia ſua adiuuaret, Ioannes ſiue reip. ſiue Othonis caritate impulſus ſe facturum, negauit. Qua re iratus Creſcens ipſum ſequenti anno ex vrbe depulit, ac Romam, & propinqua aliquot Romæ oppida ſub ditionem ſuam adduxit. 994 Ioannes in proximam Etruriæ, quæ pontificiæ ditionis erat, regionem cum ſe recepiſſet, quòd par ad vim neque faciendam, neque propulſandam eſſet, continuò Othonem de nouis Creſcentis conſiliis, deq. toto ſtatu Eccleſiæ fecit certiorem, orans, vt ſibi ad Eccleſiam, patriamq. recuperandam adeſſet. Sub idem etiam tempus Landulfus archiepiſcopus Mediolano eiectus, cum comparato exercitu in aciem cum Mediolanenſibus deſcendiſſet; ac magno prœlio in campo Carbonariæ ſuperatus eſſet, & ipſe ad Othonem opportunè auxilium imploratum accurrit. Ita Otho ſimul Pontificis, atque archiepiſcopi voluntate commotus, ſimul vt regni, Imperiiq. inſignia, quæ illi pollicebantur, patrio, aui-

roq. more ſuſciperet, ac regnum ſæuis ſeditionum procellis agitatum aut iure dicundo, aut bello gerendo componeret, expeditionem in Ita-
995 liam adornauit. ac proximo Moguntia digreſſus cum ingenti exercitu Alpes emenſus Veronam acceſsit, vbi Petrum Vrſeolum à patre Duce obuiam ſibi miſſum in chriſmatis ſacramento ſuſcepit, ac pro Petro nominari Othonem, iuſsit. Inde aduerſus Mediolanenſes progreſſus vrbem valida armatorum corona circundatam diligenter inſtituit obſidere. Non erat dubium, quin, ſi pergeret, breui eam expugnaturus eſſet. Id quod, cum quanto patriæ ſuo detrimento euenturum eſſet, Landulfus præſens videret, ſtatuit, inconſulto Othone, pacem cum ciuitate componere. itaque primores aduerſæ partis ad ſe aliquot acceſſiuit, & ingentibus, vt ſe in vrbem reciperent, promiſsis oneratos illexit, atque ita obſidioni finem impoſuit. Inde in vrbem ingreſſus Othonem regio diademate decorauit. Interim, aduentu Othonis in Italiam cognito, Creſcens rebus diffiſus ſuis Ioannem per affines, & propinquos eius ſibi reconciliarat, & in vrbem ex Tuſcia reuocatum ipſe cum ſenatu omnibus honoribus ad pedes eius prouolutus colueerat. Cum autem Ioannes pontifex Arnulfum Rhemenſem archiepiſcopum eccleſia, quam temere occupaſſe dicebatur, Hugonis Franciæ regis impulſu eiectum, & in carcerem traditum, & Gerebertum ſubſtitutum indigniſsimè ferret, Hugo rex Ioannem archidiaconum legatum ad eum cum litteris miſit, ſe purgans, atque ipſum Pontificem ad cauſſam illam coram cognoſcendam inuitans, ſimulq. promittens, ſe illum degredientem ex Alpibus excepturum, ac morantem, & redeuntem debitis obſequiis exculturum. Legatus Romam profectus à Pontifice pro dignitate ſuſceptus eſt. Sed quia Creſcenti tyrannidem exercenti nulla munera tulit, per biduum palatio excluſus, nullo accepto reſponſo, reuertit. Ioannes autem pontifex in Franciam non adijt, ſed Leonem abbatem miſit. qui IIII Nonas Iunias conuentu Moſomi in Belgica habito, Gereberto cauſſam ſuam agenti operam dedit. inde Kal. Iulijs Rhemis epiſcopos, qui Arnulfum abdicare coegerāt, audijt, & quāquam eos æqua dicere iudicaret, Gereberto tamen expulſo, peruicit, vt Arnulfus reſtitueretur. Poſt paullo Ioannes pontifex vita ceſſit. eiq; Ioannes alius conſecutus eſt, qui ſextidecimi nomen geſsit, ac poſt quattuor menſes, nulla re memorabili geſta, moriens res humanas reliquit. Otho, re Mediolanenſi compoſita, Rauennam verſus mouit, ac Ioannem pontificem mortuum audiens ibi vſurpato iure Brunonem Saxonem propinquum ſuum ex comitatu ſuo presbyterum. XVI. Kal. Iulij pontificem declarauit, ac Romam conſecran-

dum

dum miſit. Is Gregorius V vocatus. Quin etiam Claſſenſem abbatiam ordinare cupiens optionem monachis fecit, vt quem vellent, abbatem eligerent. illi Romualdum legerunt. is tum in Pereo inſula XII millibus paſſuum à Rauenna diſtanti vitam ſolitariam breui in cellula traducebat. Otho diffidens ſanctum virum ad regiam aulam per nuncium euocatum, ad ſe venturum, ipſe ad cellam eius, ſole iam occidente, proceſsit, & comiter ab eo receptus per noctem cum eo manſit, mane verò ſecum in vrbem ductum, vt monachos Claſſenſes abbas regeret, exorauit. Interim Landulfus ſoluendæ fidei gratia prædia, ac dignitates eccleſiaſticas poſſeſſoribus omnes ademit, atque iis, per quos reſtitutus erat, diſtribuit. ac noua eccleſiaſtici feudi ratione inita, in plebibus, caſtris, & tribubus vrbis locauit. eoſq. & ipſe capitaneos appellauit. quam rem ægrè ferentibus ceteris, ac mortem ei propterea comminantibus, eò confugit, vt capitaneos partem dignitatum cum iis communicare præceperit. ex quibus qui acceperunt, ij capitaneorum valuaſores dicti ſunt. reliqui inde, qui artes, opificiaue tractarunt, nouo ſe Credentiæ nomine appellarunt. ex tribus autem fratribus maximum natu Capitaneum Carcani fecit, minorem Pirouani, minimum Meregnani; vnde nobiles horum nominum familiæ dimanarunt. vt autem detrimenta eccleſiæ reſarciret, monaſterium extra vrbem D. Celſo martyri conſtruxit, ac prædiis ampliſsimis auxit. Gregorius pontifex proximo Ianuario, anno adhuc pontificatus ſui primo, bona omnia, quæ à ſuperioribus pontificibus conceſſa eccleſiæ Rauennati fuerant, Ioanni archiepiſcopo confirmauit, ſanciens, ne de aliquo clerico Rauennati per omnem Aemiliam, & Pentapolim portorium aliquod exigeretur. In Campania Landenulfum Principem Capuani poſt quattuor menſes crudeliter, vt ſupra diximus, trucidarant, ac fratrem eius Laidulfum, qui in eum conſpiraſſe dicebatur, ſuffecerant. Hanc rem animaduerſione dignam Otho exiſtimans Laidulfum de Principatu deiecit, & trans Alpes relegauit. atque Aidemario cuidam Capuano, quem ſecum à puero educatum vnicè diligebat, quemq. paullo ante marchionem fecerat, Capuanum Principatum attribuit. Rauenna inde decedens Romam venit, & coronam Imperatoriam magna pompa V Idus Maii, qui dies erat Pentecoſtes, à Gregorio vnà cum Maria coniuge ſumpſit. ac rebus Romanis ordinatis, in Lombardiam receſsit. Ibi Ioanni archiepiſcopo Rauennati mortuo Gerebertus archiepiſcopus Rhemenſis eſt ſubſtitutus. Eo inde in agro Mutinenſi agente, res exempli memorabilis incidit. Maria Auguſta Comitem Mutinenſem in amorem pellicere ſui conata,

996

poſt-

poſtquam libidini reluctari ſuæ vidit, ira furens ſe ab illo de ſtupro tentatam apud Othonem inſimulauit. Eius rei admonitus Comes totam, vt erat, coniugi ſuæ, mulieri prudentiſsimæ, patefecit, ſe citius mil lies moriturum, quàm tantum Imperatoris dedecus palàm facturum. proinde ipſam precibus omnibus obteſtari, vt forti, atque imperterrito animo apud eum mortui innocentiam ſui purgaret. Neque ita mul tò poſt Comes irati, & creduli Imperatoris iudicio condemnatus pœnas capite dedit. Conuentu inde populis ad Roncalias inſtituto, quo die ius viduis dicebatur, mulier proceſsit, atque ex lege Imperatorem ipſum ad ſupplicium, quòd maritum ſuum iniuſtè necaſſet, poſtulauit. Qua voce audita mirabundus Otho, At tu, quonam pacto, inquit, viri tui, quam iactas, innocentiam comprobabis? Cui illa, Candenti lamina, inquit. atque mox inſpectantibus omnibus ferrum ignitum iuſſu Othonis allatum ſine vlla offenſione prehendit. Ea re Otho confuſus, ſe quidem pœna dignum eſſe dicere, verùm ad eam ſubeundam ſpatium poſtulare. Tum mulier tribus vadimoniis dilatis, Atqui, inquit, ego ſupplicio reginæ contenta ſum, cuius nefaria calumnia maritus eſt meus oppreſſus. Otho, muliere collaudata, reginam igne cremari iuſsit, mulierem verò propter dilata ſibi vadimonia quattuor in Etruria caſtris donauit. Huius iudicii Gothifredus eſt auctor. Eodem etiam tempore Placentinis ius publicæ ſcholæ, vt ipſi produnt, indultum. Conuentu perfecto, inde in Germaniam tranſitum. Eodem anno Ioannes eccleſiæ Mutinenſis epiſcopus ſuburbanam ædem S.Petri paullo ante refectam monachis, populo ipſo probante, conceſſit. id monaſterium inſignibus ſubinde ipſorum epiſcoporum muneribus auctum, atque amplis pontificum, Imperatorumq. conceſsionibus honeſtatum hodie præcipuo noſtræ ciuitatis eſt ornamento.

Nondum in Germaniam Otho peruenerat, cum Creſcens vetere dominandi libidine ſtimulatus Gregorium pontificem acerbè incœpit exagitare. cuius vim cum Gregorius ſuſtinere nequiret, vrbe egreſſus Ioannis exemplo in Etruriam ſe recepit. Gerebat eo tempore Placentiæ epiſcopatum Ioannes quidam Conſtantinopolitanus, qui litterarum ne ſcientia, qua excellebat, an pecuniæ magnitudine, qua ceteros ſuperabat, inflatus vſque eò arrogantia fuerat prolapſus, vt ſemetipſum vltro archiepiſcopum appellaret. Hunc igitur virum Romani nacti, auctore Creſcente, pontificem aduerſus Gregorium declararunt, credo Gregorium criminati, quòd ab vno Othone ſine populi ſuffragiis eſſet intruſus, nec liberis ſanè comitiis deſignatus. Qua re cognita, Gregorius in Germaniam iniuriam deploratum, opemq. affectis re-

bus ſuis petitum conceſsit. Id vbi Creſcens accepit, nihil de contumacia ſua remiſit, verùm quaſi certum Othonis bellum haberet, vrbis mœnia firmare, arcemq. ad Tiberim variis munire operibus cœpit. Hæc olim Moles Hadriani dicta pòſt per multos annos propterea arx Creſcentis eſt appellata. Otho Gregorij precibus obſequutus, poſtero anno cum firmiſsimo omnis copiarum generis robore rediit in Italiam. Aprili menſe Rauennæ fuit, atque ibi marchionis Montisferrati filios Cæuæ, Salutiarum, Boſchi, Ponzoni, Carecti, & Buſchæ marchiones effecit. & Malamteſtam quendam, Germanum nonnulli fuiſſe perhibent, feudis aliquot in Romaniola honeſtauit. à quo nobilis Malateſtarum familia in hunc vſque diem eſt in ea prouincia propagata. & menſe Maio conuentui interfuit, quem Gerebertus archiepiſcopus ſuis aduocatis epiſcopis ad res Rauennatis eccleſiæ conſtituendas habebat. Inde exercitu Romam adducto, ciuibus parere recuſantibus, vrbem obſidione circundedit. Aliquandiu acriter reſtitere Romani, quippe à Ioanne, atque Creſcente magnorum ſpe præmiorum inflati. ad extremum ſumma rerum omnium, qualis in obſeſsis plerunque vrbibus ſolet, inopia conflictati, Creſcente in arcem refugiente, iram in Ioannem verterunt. captum ſcilicet oculis erutis, atque auribus, & naſo præciſis aſino præpoſtere impoſitum per frequentia vrbis loca circunduxerunt. vt Petrus Damiani ſcripſit, homo his temporibus proximus. inde, pace ab Othone impetrata, vltro portas ei patefecerunt. Otho ingreſſus Gregorium decimo, poſtquam exactus fuerat, menſe ſedi reſtituit, atque inde arcem obſedit. Quæ cum in longum obſidio traheretur, Creſcenti, ſi ſe dederet, ſpem haud dubiam veniæ fecit, ac, Creſcente conditionem accipiente, ſecuritatis ſacramentum per Tamnum, hominem ſibi familiariſsimum, præſtitit. Egreſſus inde Creſcens contra fidem datam captus, ac maieſtatis damnatus cum duodecim aliis fœdiſsimo ſuſpendii ſupplicio eſt affectus. quæ res maximam clariſsimo Othonis nomini perfidiæ notam inuſsit. Alii Ioannem cum Creſcente captum, tradiderunt, atque luminibus orbatum in Germaniam fuiſſe in exilium miſſum. Inclyta per hæc tempora virtus Hugonis marchionis Ateſtis, qui patri Sigeberto ſucceſſerat, fuit. perq. eum, vt ſuperioribus annis in Campania, ſic hoc apud Romam multa egregiè geſta. Otho inde, rebus Romanis compoſitis, aduerſus Tiburtes contendit, qui Mazolinum nobilem ipſius ducem occiderant, atque à mœnibus armis repulſus oppido obſidionem admouit. Eo verò in eam vnam curam intento, 997

Romualdus abbas Claſſenſis acceſsit, atque abbatiam in ipſius & Rauennatis antiſtitis conſpectu, reddita virga, dimiſit. Eius rogatu Otho pacem Tiburtibus dedit ea lege, vt ad honorem regis murorum partem diruerent, obſides darent, & ducis interfectorem dederent. Tamnus verò ab eo de periurio, perfidiaq. aduerſus Creſcentem increpitus eò pœnitentiæ eſt deductus, vt humanis rebus ſe abdicarit, atque Romualdum, & Bonifacium, qui poſt in Boemia ſacro martyrio eſt affectus, Caſinum religionis gratia adeuntes ſit proſequutus. Eodem anno Ioannes patriarcha Aquileienſis eſt factus. Aidemarius à Capuanis exactus, & Landulfus Landulfi Principis Beneuentani filius ad Principatum euectus. Quin & Petrus Vrſeolus Dux Venetorum claſſem in Iſtriam, & Dalmatiam comparauit, à populis, vt ſe à Coruatis, & Narentanis defenderet, accerſitus, domoq. in die Aſcenſionis profectus, victis hoſtibus totam Iſtriam, & Dalmatiam ſacramentum ſibi dicere iuſſam ad imperium Venetorum adiunxit, ſolis ante Iadertinis ditioni eorum ſubiectis. Vnde re bene geſta domum reuerſus Dux non ſolùm Vene-
998 tiarum, ſed etiam Dalmatiæ eſt appellatus. His rebus cognitis Otho, poſtero ineunte anno Rauennam, atque inde occultè cum paucis voti ſoluendi cauſſa Venetias adiit, & victoriam Duci, amico ſcilicet homini, gratulatus, comiter apud eum, populo ignorante, diuertit, & filiam eius è ſacro fonte ſuſcepit. Eo inde profecto, Dux de Imperatoris apud ſe hoſpitio populum docuit. Otho inde XIII Kal. Februarias Cremonæ fuit, vnde priuilegia dedit. Gregorius XII Kal. Martij migrauit è vita. Extat hodie quoque eius cum elogio hoc teſtante in Vaticano ſepulchrum. Rupertus abbas in vita S. Hereberti veneno à Romanis extinctum inſimulat. Erat tum Rauennæ archiepiſcopus Herebertus, de quo ante diximus, vir philoſophiæ, aſtronomiæ, ac reliquarum liberalium artium ſtudiis inſigniter eruditus ea præſertim ætate, qua nullæ, aut raræ admodum eiuſmodi fuere litteræ. In hunc igitur poſt Gregorij propinqui ſui mortem oculos Otho conuertit cum doctrinæ laude præſtantem, tum de ſe optime meritum, quippe ſuum in his ipſis, quibus ille excelluit, diſciplinis magiſtrum. Itaque cum eſſet Papiæ, vnde Kal. Octobris Bobienſi monaſterio priuilegia dedit, comitiis habitis, eum Kal. Nouembris pontificem, Romanis ipſis approbantibus, dedit, & Sylueſtrum ſecundum vocauit. Eo petente, vetera ab Othone Pipini, Caroli, & Ludouici priuilegia Romanæ Eccleſiæ renouata. Rauennati item eccleſiæ Leo præfectus. Monachis Nonantu-

lanis abbatis honor, quo poſteriore regnante Berengario, re ad præpoſitos translata, carere cœperant, redditus. Poſtero anno Syluester pontifex Vitali patriarchæ Gradenſi vetus reſcriptum de præſtantia eccleſiæ renouauit. Adeleida Auguſta monaſterium S. Saluatoris à ſe extra Papiæ mœnia conditum prædiis ſex, ac triginta donauit. inter quæ monaſteriũ S. Dei genitricis in Pompoſia numeratur. Leguntur adhuc tabulæ apud monachos anno DCCCCXCIX pridie Idus Aprilis, Indictione XII datæ. in quibus ipſa ſe profeſſam eſſe viuere Salica lege teſtatur, ac pro ſalute animæ ſuæ, Othonis viri ſui, Othonis filii, & Othonis nepotis, qui omnes Imperatores fuere, hæc Deo offerre. Fuit mulier tanta ſanctitate, vt propè ad Theodelindæ reginæ laudem acceſſerit. Otho in Beneuentano agro cum eſſet, Herebertum Colonienſem archiepiſcopum deſignatum confirmauit, atque ad eum Rauennæ negotia ſua gerentem ſcripſit. Is deinde VII Idus Iunii Beneuenti pontificali honore donatus eſt, vt Rupertus ſcribit. Romamq. profectus pallium à Pontifice ſumpſit. Inde Auguſto menſe Otho in agro Lucenſi fuit, per Decembrem autem Rauennæ, vbi Leoni antiſtiti Rauennati veteres eccleſiæ poſſeſsiones confirmauit, ac nouas alias addidit. Mediolani Arnulfus ſecundus ab Arciago archiepiſcopus Landulfo ſuffectus. Sequens inde annus humanæ ſalutis milleſimus multis prodigiis, ac cæleſtibus territamentis fuit inſignis. Eo anno Otho profectus in Germaniam V Idus Maii Aquis tranſegit, vnde etiam diplomata dedit. atque oſſa Caroli Magni, quæ tum populis erant incognita, è tenebris eruit. Sylueſter autem Vrbeuetum profectus, remp. eius ciuitatis multis ſalutaribus legibus vinxit. & Cæſenam admoto exercitu circumſedit. Leo archiepiſcopus Rauennas eccleſiam paralyſi repentina correptus depoſuit. Fridericus, qui locum eius tenuit, amplas ei ad victum poſſeſsiones ſuppeditauit. Inter hæc Sarraceni magna manu in Campaniam irruperunt, & Capuam eius prouinciæ caput ceperunt. Quod vbi Otho cognouit, tanta celeritate in Italiam ſe ſe rettulit, vt VIII Kal. Aprilis Rauennæ conſtiterit. Inde ad Sarracenos contento curſu profectus, non minore felicitate Capuam recepit, quàm virtute hoſtes è finibus pepulit. Iampridem Romualdus magnam ei religionem iniecerat, quòd Creſcentem contra fidem interpoſitam occidiſſet. Cuius ſoluendæ cauſſa graues etiam eidem functiones iniunxerat. itaque bellica cura perfunctus promiſſorum memor Caſsinum adiit, & duas coronas argenteas S. Benedicto donauit, ac nudis pedibus Garganum montem viſitauit præſenti iam multos ante annos Archangeli Michaelis numine celebrem. at

999 1000 1001

que patrio aduerſus Beneuentanos odio inflammatus oſſa S. Paulini Beneuento ſublata detulit Romam. Inde in citeriorem reuerſus Italiam VIII Kal. Decembris Rauennæ peregit, vbi priuilegia nouo antiſtiti Friderico redintegrauit. Interim Romani nouis miſcendis tumultibus Syluestrum infeſtum habere cœperant, ad quos motus compeſcendos cum iter pararet, à Romualdo conuenitur, atque, vt piaculi cauſſa, ſicuti ſæpe hortatus fuerat, monachum induat, admonetur. Tum Otho, Obſequar tibi, inquit, ſancte pater, poſtquam Romanos nouas ſeditiones cientes domuero, Rauennamq. reuertero. Cui Romualdus, Si Romam iueris, inquit, Rauennam amplius non videbis.
1002 Qua voce haudquaquam exterritus Romam perrexit, vbi Domini Natalicia celebrauit, ac ciuitatem, Eccleſiamq. legibus formare, atque in antiquum ſtatum redigere inſtituit. Quod iniquè paſsi Romani, nouam coniurationem aduerſus eum fecerunt, atque armis arreptis aliquot ex militibus eius occiſis, ipſum in prætorio obſederunt. Quibus de rebus Otho, cum ſe opibus parem non eſſe ſentiret, ſibi abeundum putauit. atque ita egregia Henrici Ducis Bauariæ, Henrici, de quo diximus, filij, & Hugonis marchionis induſtria, conditionibus ſimulatis, eductus, Roma cum pontifice Syluestro, & antiſtite Colonienſi Hereberto deceſsit, ac Lombardiam verſus ire perrexit. Ceterùm Creſcentis vxor, quæ ipſum ſpe regnandi ad amorem ſui pellexerat, diſceſſu eius dolens, venenatum chirothecarum ſimulatæ amicitiæ munus ad eum miſit, quo ille ſenſim infectus XII Kal. Februarias apud Paternum ex vaticinio ſancti viri extinguitur, ante verò, quàm expiraret, adhibito antiſtite Hereberto, veneno ſe infectum confeſſus eſt, petiitq. vt corpus ſuum Aquas deportandum curaret, & regalia inſignia apud ſe haberet. Itaque illo auctore, cadauer eius aromatibus refertum, & veſtibus regiis ad occultandam mortem ornatum, ſimulq. ipſa Imperij inſignia milites tulerunt, eaque quanuis infeſtis Italicorum incurſionibus appetiti, acriter armis defenſa tuto Auguſtam vſque ſpecie alacres deportarunt. Fuit Otho bellica virtute auo inferior, religione verò, ac pietate & patre, & auo multò ſuperior. Hæ ſunt res domi, foriſq. ab Othonibus in Italia geſtæ, vt memorabiles, ac præclaræ, ſic magna ex parte à ſcriptoribus Germanicis prætermiſſæ.

***

CAROLI

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE REGNO ITALIAE

Liber Octauus.

HENRICVS REX, ET IMPERATOR, ET ARDOINVS REX ADVERSVS EVM.

ITALICI, qui illuſtres duos regni, Imperiiq. titulos ad exteros rurſus eſſe translatos, pro inſita animi magnitudine acerbè ferebant, vt tribus regnantibus Othonibus multa pro antiquo decore repetendo mouerunt, ſic Henrico, Conrado, & Henrico ſecundo ſubinde rerum potientibus prorſus nunquam quieuerunt. Ceterum quemadmodum rebus nouis ſtudentes ab his quoque, quos dixi, regibus virtute, opibusq. compreſſi ſint, hoc libro narrare pergemus.

OTHONIS morte comperta, priſtinus repente de recuperando regno in Lombardia tumultus, ac vetus ſeditio renouatur. Eius initium ab Ardoino, Dodonis filio, Eporedienſi marchione, profectum eſt. Is æquum eſſe exiſtimans, Othone tandem ſine filiis, & ſine legitimo herede regni defuncto, ſplendidiſsimum regiæ dignitatis, atque Imperatoriæ titulum, quem Germani per annos quadraginta continuata in eadem familia dignitate tenuerant, denuo ad Italos antiquo hereditatis iure recidere, omnes Italiæ principes adit, atque eis auctorem ſe ad vetus recuperandum decus profeſſus, pleroſque in ſuam ſententiam, propriæ laudis dulcedine captos, adducit. Itaque conuentu ſuper ea re Papiæ antiquo Longobardorum more indicto, frequenti concilio, rex Italiæ vt creetur, omnium conſenſione decernitur. Nec dubium fuit, quin Ardoinus ipſe conuentus auctor conſentientibus principum ſuffragiis legeretur, idemq. extemplo regiis inſignibus ornaretur. Itaque Ardoino regnante, tabulæ ſcriptæ Mutinæ adhuc apud canonicos, Papiæq. apud monachos S.Saluatoris leguntur. Contra Arnulfus archiepiſcopus cum dignitatis, tum animi altitudine nixus inſignem ſibi iniuriam factam denunciat, quòd iniuſſu ſuo rex Italiæ lectus, & coronatus ſit, cuius à Carolo Magno ius nulla interruptum iniquitate temporum fuerit. Ob eam rem epiſcoporum, abba-

tumq. concilium Laude conuocat, atque frequenti concione antiquum decretum Diui Gregorij pontificis recitat. in quo diſertè ſcriptum ſit, vt vacante Italiæ regno, archiepiſcopus Mediolani intra dies quattuordecim ſuffraganeos ſuos aduocet, atque ex illorum ſententia regem Italiæ creet. Inde in Ardoinum conuerſus, neque rectè, neque ordine feciſſe illum, oſtendit, qui ſe inſcio conuentum principum aduocarit, ad eoſq. de rege creando rettulerit, ac lectus denique contra omnia vetuſtatis exempla ab alio, quàm à ſe ipſo, regium diadema ſuſceperit. Itaque videndum ſibi eſſe, vt ius ſuum retineat. proinde, ſi eis videatur, Ardoinum regem vitio factum pronunciare, atque Henricum, Bauariæ Ducem, à Germanis proceribus regem Germaniæ ſubrogatum, more inſtituto regem Italiæ deſtinare. Atque ita ſententia eius approbata, conuentus dimittitur.. His rebus cognitis Ardoinus non minimum perturbatus haudquaquam tamen ſe deſerit, verùm auxilia aduerſus Mediolanenſes, ceteroſq. fautores archiepiſcopi belli inferendi cauſſa, ſi ipſe non vltro petatur, conquirit. Ceterùm Henricus Dux, vt pater poſt mortem Othonis ſecundi regnum inuadere voluit, ſic ipſe, mortuo tertio, occupauit. Quippe, cum funeris in comitatu eſſet, eximiis iniuriis ab Hereberto, archiepiſcopo Colonienſi, viro ſummæ auctoritatis, affectus inſignia regia ex manibus eius, vt quæ iure ad ſe hereditario pertinerent, extorſit, ac quibuſdam, vt Sigebertus inquit, principibus ſibi conciliatis, rex Germaniæ lectus ſacram à Villigiſo, archiepiſcopo Moguntino, inunctionē accepit. Opportunè autem de regno conſilia capiebat, cum ab Arnulfo de infeſtis Ardoini conatibus admonetur. Itaque Ardoino, antequam ſe
1003 confirmare poſſet, occurrendum exiſtimans, primo vere Othonem Ducem aduerſus eum in Italiam cum valido exercitu miſit. Ea re cognita, Ardoinus, qui ingentem ex omni Lombardia Papiæ militum manum coegerat, ſine mora ſeſe ad Alpes obiecit, atque in Campo Fabricæ, auidus certaminis depugnauit. primò æquis vtrinque viribus magno ardore animorum certatum, poſtremò Henrici exercitus in fugam acie inclinata coniectus eſt. Quo audito, Henricus, tranſalpinis bellis prægrauantibus, Ardoinum, atque Italiam in præſens omittere eſt coactus. Per eoſdem dies, Friderico Rauennate archiepiſcopo mortuo, Adelbertus nullis legitimis ſuffragiis eccleſiam occupauit. & Romæ, Syluestro pontifice vita functo, IIII Idus Maias, vt teſtatur ſepulchrum eius in Laterano à Sergio pontifice poſt extructum, locum eius tenuit Ioannes Sicco Romanus, & poſt menſes quinque Ioannes Faſanus item Romanus. quorum ille octauus decimus, hic

nonus decimus eſt vocatus. Sequenti, Papia vt fortuito, ſic miſerabi- 1004
li incendio propè vniuerſa conſumpta vehementius animos omnium,
ac pectora concuſsiſſet, niſi inaudita frugum omnium conſequuta pe-
nuria ſuas res quenque reſpicere coegiſſet. In Campania terræmotus
per dies quindecim ita ſæuiit, vt præter cetera multis in locis ædem Caſ
ſinatem decuſſerit. Per hoc tempus tres populi parum adhuc in Ita-
lia aut rebus geſtis, aut principum beneficijs ad memoriam hominum
celebrati præclaris rebus gerendis vniuerſæ oculos in ſe Italiæ conuer-
terunt, Genuenſes, Piſani, & Florentini. Genuam Ligures, Piſas Græ-
ci, Florentiam Romani condiderant. Piſanorum autem apud vete-
res multò eſt fama illuſtrior. Genua oppidi, Piſæ, & Florentia colo-
niæ nomen tulerunt. verùm Piſæ Latina, Florentia militaris deducta
eſt, & quidem illa florente populo, hæc triumuiris ſummam rerum
tenentibus. Cunctæ autem diras ſuperioribus barbarorum irruptio-
nibus calamitates, ærumnaſq. perpeſſæ, tenues admodum opes vſque
ad ipſum Germanorum Imperium habuerunt. Hoc autem tempore
Genuenſes, & Piſani ad inferum mare locati, exemplo Venetorum,
qui ſuperum incolebant, rem tractare naualem non mercaturæ ſolùm,
vt antè, ſed etiam rei militaris cauſſa cœperunt. occaſionem autem
dedere Sarraceni, qui piraticam exercendo nauigationem Italiæ pro-
pè omnem ademerant, & proximis inſulis occupatis, Alpium Cottia-
rum, atque Etruriæ oræ in dies impotentius inſultabant. Itaque dum
prædones inſectari, & Sarracenos partis pellere ſedibus contenderunt,
breuì, patientibus ipſis regibus, atque annuente Pontifice, tantum ſibi
potentiæ pepererunt, vt nomen ſuum extra Europæ fines, ne dum ip-
ſius Italiæ, propagarint. Florentini verò, cum ſe terreſtribus quærendis
opibus dedidiſſent, vt qui interiora Etruriæ colerent, primùm Fæſula-
nos capiti ſuo in colle imminentes tollere ſtuduerunt, deinde cum vici
nis bella ſerere nunquã deſtiterunt. Ceterùm Piſanorum, & Genuen
ſium potentiæ comparandæ primordia fuere Sardinia, & Corſica,
quas à Sarracenis iam inde à Caroli Magni temporibus occupatas cum
pontifex Romanus acerbiſsimè ferret, propoſito diplomate indulſe-
rat, vt qui eas recepiſſet, ſibi haberet, dummodo Chriſtianos ſæuo
Sarracenorum imperio liberaſſet. Quo edicto incitati Piſani Sardi-
niam, Genuenſes Corſicam inuaſerunt, aut ſequenti anno, aut certè 1005
ſub hoc tempus. nam ne ipſi quidem annos harum rerum habent ad
liquidum exploratos. Sardiniam rex Muſactus habebat. Hunc igitur
Piſani inſula deturbare, ſed inani inceepto, conati ſunt. Dum autem
ipſi cum vniuerſo iuuentutis robore domo abſunt, Lucenſes, qui no-

uas cum eis contraxerant ſimultates, occaſione allecti, tumultuaria manu vrbe exierunt, atque oppidum eis Valdeſerchium ademerunt. verùm iratis repetentibus domum Piſanis, mox vſque ad Ripamfractam compulſi, fugatiq. breui pœnas dederunt. Eodem anno, Sarracenis in Apulia Barrium obſidentibus, Petrus Dux Venetiarum claſſem eò adduxit, ac cibaria, quorum premi ciuitas anguſtijs cœperat, importauit, ac Gregorio Catapano magna ad pellendos inde Sarracenos, & liberandum Barrium adiumenta ſubminiſtrauit. Proximo,
1006 rei frumentariæ inopiam grauis vſqueadeo peſtilentia in Lombardia excepit, vt ſepeliendi tędio adhuc ſpiritum ducentes obruerentur cum mortuis. eo quoque tempore Syneſij, & Theopontij martyrum corpora, in æde Nonantulana recondita Mutinenſis, ac Bononienſis populi precibus per vtriuſque ciuitatis agros, atque caſtra piè à monachis circumlata ſalutem ægris corporibus attulerunt. Eodem etiam anno Piſani propriarum virium fiducia elati Rhegium, quod à Sarracenis item obtinebatur, claſſem in Calabriam adduxerunt, idq. acri obſidione cinxerunt. Qua re, animaduerſa Muſactus acceptæ iniuriæ memor è Sardinia cum claſſe euectus Piſas acceſſit, eaſq. inermi multitudine ad colles refugiente, repente captas incendit. Eo nuncio accepto Piſani, Rhegij obſidione relicta, domum repetere contenderunt, ac recuperata in feſto S. Xyſti patria, ædificia, vt in præſens licuit, reſtituere inſtituerunt. In Germania Henricus, Boleſlao Sclauorum rege deleto, voti compos Bambergæ epiſcopium cum baſilica condidit, eamq. eximiis prædiis honeſtatam Diui Gregorij nomini dedicauit. in eadem etiam vrbe cœnobia duo magnifica in primis extruxit. quorum vnum S. Stephano dicatum Canonicis Auguſtinianis attribuit, alterum ſub nomine S. Michaelis monachis Benedictinis indulſit. In-
1007 ſequenti, Tedaldus marchio, relictis filiis Bonifacio, & Conrado, deceſſit, Henrico bellum cum Balduino Comite Flandriæ adminiſtrante. ex his Bonifacius tantas in Italia opes habuit, vt omnium principum Italicorum fuerit longè illa tempeſtate clariſſimus. Fuit Canuſſij Comes, Parmæ, Mantuæ, & Ferrariæ marchio, & Dux Tuſciæ perinde ac pater eius Tedaldus. ſi quidem & is Ducis titulum geſſit. Pater fuit Comitis Mathildis, quæ poſt hereditatem omnem eius adiuit. In quibus illud animaduerſione dignum, cum horum etiam temporum conſuetudo ferret, vt omnes ederent, qua quiſque lege viuere vellent, Romana, Longobarda, an Salica, Bonifacium Longobardam eſſe profeſſum, Mathildem verò Salicam. quod ex eorum tabulis, quæ plurimæ in eccleſia Mutinæ aſſeruantur, cognoſcitur. Quod in

patre

patre, & filio, non idem in viro, & coniuge obſeruatum, vnde in eodem tabulario per hæc tempora ſic ſcriptum inuenitur: *Maria, quæ professa ſum lege viuere Romana, ſed nunc pro ipſo viro meo lege Longobardorum viuere videor, qui profeſſus eſt ex natione ſua lege viuere Longobardorum.* Poſtero, Burcardus eccleſiam Vormacienſem accepit. cuius 1008
idcirco mentio eſt illata, quòd is eſt, qui volumen Decretorum confecit, vnde nonnulla ſunt etiam huic contexendæ hiſtoriæ ſubſidia conquiſita. Proximo, Ioannes pontifex moriens Sergium quartum 1009
ſucceſſorem eſt nactus. Per hoc tempus Romualdus eremitica ſtudia perſequutus in agro Arretino conſedit, ac cuiuſdam caſam Maldi in eremo incoluit. vnde Camaldulenſis monachorum congregatio ab eo inſtituta manauit. Sergius Vitali patriarchæ Gradenſi epiſcopos Venetiæ, Iſtriæq. diplomate dato indulſit. Annus inde milleſi- 1010
mus decimus nobili Vngarorum ad fidem Chriſtianam conuerſione nobilitatus eſt. Eius rei faciendæ initium ab ipſo rege eſt ductum. qui cum Giſelam, Henrici regis ſororem, eximia ſpecie virginem coniugio impetrare non poſſet, niſi Chriſtiana ſacra ſuſciperet, vltro ad ſanctum lauacrum acceſsit, ac gentem ſuam pulcherrimi facti imitatione ſuccendit. Florentini Fæſulas, quas aperta vi capere adhuc nunquam potuerant, in feſto S. Romuli per inducias occuparunt, atque oppido euerſo, ciues Florentiam traduxerunt, & iunctis opibus ex duabus vrbibus vnam fecerunt. idq. haud dubium Florentinæ, quæ poſtea floruit, initium potentiæ fuit. Poſtero, inter monachos Caſsi- 1011
nates grauis ſeditio concitata. Ioannes abbas, cum ætate confectus ſe morti proximum eſſe ſentiret, nepotem ſuum Ioannem, cognomento Rotundulum, quem non multos ante dies monachum fecerat, abbatem ſibi ſubſtituit. Quod cum plerique monachorum indignè ferrent, poſt menſes aliquot Pandulfum Principem Beneuētanum accerſunt, eumq., vt ſecum Athenulfum filium ducat, rogant; nam ſe illum abbatē cupere deſignare. Hic eſt Athenulfus, quem Otho Imperator à patre puerum obſidem acceptum trans Alpes in monaſterium miſerat educandum. Qui poſt annos aliquot pontificio præcepto, monaſtica veſte ſumpta, inde aufugit, atque in itinere morbo graui oppreſſus cucullam, quam occaſione fugæ ſimulanter induerat, vltro ſe geſtaturum, in poſterum vouit. ac domum reuerſus, paternis ædibus ſpretis, in monaſterio S. Modeſti Beneuenti ſe abdidit. Hunc igitur à Principe patre adductum monachi magno conſenſu, Rotundulo exacto, ſibi aſciuerunt abbatem. Sequenti, Sergius pontifex Michaelem 1012
archiepiſcopum Salernitanum inſtituit. Paucis poſt diebus, Sergio

pontifice

pontifice ex humanis rebus erepto, Tuſculani Comites Benedictum octauum, Gregorij filium, cognatum ſuum in eius locum creandum curarunt. is fœdere cum Henrico rege amicitiæ iuncto, ingruentes in ſe inimicorum procellas facilè ipſius auctoritate ſuſtinuit. Piſani ab Oſtienſi epiſcopo, legato Pontificis, incitati rurſus arma Sardiniæ intulerunt. atque, inſula in poteſtatem adducta, Muſacrum regem inde ſe ad ſuos proripere coegerunt. Per hos interim annos Ardoinus proſpero rerum geſtarum ſucceſſu inflatus, atque Henrici occupationibus inuitatus Mediolanenſium agrum populationibus, atque aliis detrimentis afficere non deſtiterat, atque in eo arrogantius in dies perſeuerabat. Quod cum Arnulfus archiepiſcopus ferre vltra non poſſet, nec ſatis virium ad eius ſuſtinendum impetum ſe habere, animaduerteret, Henricum per legatos in Italiam aduocat, agi non ſolùm Mediolanenſium commodum, ſed etiam ipſius dignitatem oſtendit, ſi vltra patiatur, Ardoinum aut regnare, aut clientibus ſuis inſolentius inſultare. Quibus vocibus motus Henricus continuò, rebus aliis omnibus poſthabitis, omnia ad iter, atque expeditionem Italicam neceſſaria
1013 comparat, atque ineunte vere cum magnis pedeſtribus, atque equeſtribus copiis in Italiam traiicit. Nec verò his rebus cognitis Ardoinus ſe lentius gerit, verùm armatus Veronæ in finibus ſeſe obiicit, ea ſpe elatus, quia prima ſucceſſerant proſperè, fortunam principia rerum facile ſequuturam. Verùm ſua ipſum opinio longè fefellit. Nam, cum per multos dies acriter vtrinque pugnatum eſſet, tandem virtute Germanorū pulſo, diſſipatoq. exercitu fugatus vix Papiam euaſit incolumis. Ex eo inde loco deiectus Eporediam ſeſe rettulit. Papia, quæ modico præſidio tenebatur, facilè in poteſtatem adducta. Ardoino præter ceteros Italiæ principes Hugonem marchionem, de quo diximus, Ateſtinum laudis Italicæ ſtudio adductum affuiſſe, atque ipſum cum Azone, & Opizone filiis ad Papiam prœlio ſuperatum, inuenio. His rebus magna felicitate adminiſtratis, Henricus, corona ab archiepiſcopo accepta, conuentum in Roncalijs habuit, & ciuitates, ac principes officia, quæ debebant, obedienter præſtantes indulgenter excepit, ac ſingulis hominibus iura ex legibus dixit, legeſq. tulit, quarum aliquot de veneficiis, & illicitis nuptiis adhuc extant. in quarum vna hæc verba ſunt: *Super hoc, dum in Regni vniuerſali conuentu Longobardorum ſederemus, huiuſmodi legem epiſcoporum, marchionum, Comitum, aliorumq. multorum conſenſu, & auctoritate probari ſancimus.* in altera hæc: *Cum in Regni vniuerſali conuentu noſtrorum fidelium principum Italicorum ſederemus, orta quæſtione de illicitis coniugijs, conſilium noſtrorum principum, archiepiſco-*

porum,

porum, marchionum, Comitum, ac iudicio iudicum, ſeu conſenſu omnium iudicantium, huiuſmodi ſententiam definimus. Quibus rebus expletis, Lombardiam inde luſtrauit. ac ſequenti anno Rauennam profectus, legatos ad Benedictum pontificem miſit, quibus ſe Romam ire, & Auguſtalia ab illo inſignia accipere velle, oſtendit, ac protinus eò ire contendit. Ibi benignis pontificis, ac Romanorum animis ex inſtituto excipitur. ac mox in Reſurrectione à Pontifice corona ſolemni cæremonia decoratur. Priuilegia inde ciuitatibus, eccleſiiſq. renouare ingreſſus in primis beneficia, ac iura à Pipino, Carolo, Ludouico, Othonibus patre, & filio Eccleſiæ Romanæ quondam conceſſa firmauit. Eæ tabulæ adhuc leguntur, iiſdem propè verbis conſcriptæ, quibus Ludouici fuerunt, quæ ſupra huic intextæ hiſtoriæ ſunt. Roma inde in Lombardiam ſe rettulit, ac Veronæ, & Papiæ agens multa quoque eccleſiis, & Lombardis indulſit. inde in Germaniam rediit. Rauennæ Arnoldus archiepiſcopus à Pontifice confirmatus, conuentu epiſcoporum ſuorum coacto, ex eorum ſententia acta omnia Adelberti, qui poſt Fridericum temere ſedem illam inierat, infirmauit. Proximo, Ardoinus Henrici abſentia erectus, ingenti collecta militum manu, nouum bellum molitur. atque Eporedia egreſſus Vercellas occupat, Nouariam obſidione, Comum oppugnatione, atque ad extremum Mediolanum ipſum hoſtilibus incurſionibus premit. neque hoc contentus, vt propria archiepiſcopum contumelia afficiat, mortuo Haſtenſi epiſcopo, Ardericum, Manfredi Haſtenſis marchionis fratrem, pro arbitrio inſtituit, eumq. Romam conſecrandum mittit. qui, ſi vetere inſtituto ſtaretur, ab archiepiſcopo fuerat conſecrandus. Qua re cognita, archiepiſcopus tantam auctoritatis iacturam haudquaquam ſibi ferendam arbitratus, exercitum Haſtam adducit, atque oppidum circumuallatum acri adeo obſidione vrget, vt epiſcopum, & marchionem ad ſe adire, ac ſuppliciter erroris ſui veniam poſtulare, compellat. Quam rem vt audiit Ardoinus, extemplò præ nimio animi dolore regno ſe abdicauit, atque vltro in monaſterium Fructeriæ in agro Taurinatium abdidit. Arnulfus autem eò alacrius belli relliquias perſequutus, Comites inde duos Mediolano contributos Hugonem, & Berengarium, qui agrum latrociniis infeſtum reddiderant, prœlio fregit. atque eorum bonis, Henrici permiſſu, Mediolanenſi eccleſiæ adiudicatis, archiepiſcopum earum Comitem ditionum pronunciauit. Inde Cremonenſes, vt qui eos auxilio iuuiſſent, aggreſſus, vrbem eorum obſedit, ac tribus portis occupatis, iureiurando fideles ſe fore Mediolanenſibus obligauit. Cuius rei occaſione poſt Douariorum

Margin: 1014 (beside "bardiam inde luſtrauit… lega-"); 1015 (beside "poſt Fridericum temere…")

rum familia cum ipſo affinitate coniuncta principatum ſibi inter ceteras comparauit. Hæc mala lunam, quæ crurore infecta hoc anno conſpecta eſt, portendiſſe, homines iudicarunt. Piſani per triennium Sardiniam poſſederunt, eamq. in quattuor partes diuiſam, Caralitanam, Arborenſem, Turritanam, & Galluritanam ſingulas ſingulis iudicibus commendarunt. hoc autem anno, Muſacto rege ex improuiſo cum ingentibus Sarracenorum auxiliis in eam irrumpente, turpiter ex ea cum omnibus Chriſtianis expulſi ſunt. Itaque recuperandæ auidi, Genuenſibus in expeditionis ſocietatem vocatis, rurſum in eam penetrarunt, ac cum inſula Muſactum regem ceperunt. Sunt qui tum Sardiniam Piſanis ceſsiſſe, prædam verò Genuenſibus obtigiſſe, ſcribant. at res, quæ poſtea conſequutæ ſunt, ſatis docent, Sardiniæ partem Piſanos, partem Genuenſes, partem Sarracenos obtinuiſſe. Po-
1016 ſtero anno Poppo patriarcha Aquileienſis, domo Germanus, ab Henrico eſt ſubſtitutus. Benedictus pontifex Benedictum archiepiſcopum Salernitanum confirmat. Idem annus principium magnorum in Apulia motuum intulit. quibus, Græcis Italia pulſis, noua deinde Norrmanorum dominatio, quæ poſt in vlteriore Italia claruit, conſtituta eſt. Tenebat adhuc Imperator Orientis prouincias Apuliam, & Calabriam paullo ante ex manibus Germanorum extortas, eaſq. ſæuiore, quàm ante, imperio gubernabat. argumento eſt nouus magiſtratus impoſitus, qui Catapanus dicebatur, vnde regio quædam ab illo Catapanatæ nomen inuenit. indicant noua multa à Catapano ipſo oppida ædificata, vt Troia, quæ poſt Apuliæ caput fuit, Draconatium, Florentinum, & alia. Hanc igitur Græcorum tyrannidem, inſolentemq. dominationem cum Apuli, & præcipuè Barrenſes ferre non poſſent, conſilium depellendę ceperunt, auctore, ac duce Melo quodam, ſummæ inter ipſos nobilitatis, & potentiæ viro, & Datto equite fortiſsimo, ipſi Melo propinquitate coniuncto. Verùm vbi conſilijs ſuis detectis ingentes aduerſus ſe Imperatoris copias adduci ſenſerunt, metu exterriri turpiter ſe, ſuaq. Græcis tradentes, Melum quoque, & Dattum dedere ſtatuerunt. Qua re prouiſa eorum vterque clam ex vrbe profugit. atque Aſculum progreſsi, veritiq., ne Græcis traderentur, noctu vrbe exierunt, ac Beneuentum primùm, deinde Salernum, atque ad extremum vnus Capuam, Caſsinum alter, petierunt. Melus à Pandulfo Principe Capuano ſuſceptus conſilia omnia pro recuperanda patria, & Græcorum tyrannide delenda circunſpicere cœpit. Dattus ab Athenulfo abbate acceptus, cum apud eum cum vxore, & liberis aliquot dies fuiſſet, ad extremum à Benedicto

pontifice,

Pontifice, quia amicus erat Henrici Imperatoris, Garilianum, quod tunc à Pontifice tenebatur, translatus eſt. Barrenſes Marantam Meli coniugem, filiumq. Argyrum Conſtantinopolim ad Imperatorem miſerunt. Prioribus annis Nortmani quadraginta, cum Hieroſolymis, quò religionis cauſſa perrexerant, ſe reciperent, fortè acceſſere Salernum, viri ſtatura, ſpecie, virtuteque conſpicui. Quod cum obſideri à Sarracenis repperiſſent, animis ſtudio bellicæ laudis incenſis, arma, equoſq. à Guaimario maiore Principe, ſtrenuam, fortemq. pollicentes operam, poſtularunt, atque impetu in eos facto inſignem victoriam rettulerunt. Inuitatos inde, vt ſecum remanerent, Princeps abire volentes muneribus elegantiſsimis, quæ regio fert Campaniæ, oneratos cum legatis ſuis dimiſit domum, atque ab eis, vt populares ſuos in Italiam mitterent, petiit. Interim duo regionis eius proceres Giſelbertus, & Gulielmus capitales inter ſe inimicitias exercentes eò iracundia proceſſerunt, vt rixa commiſſa Giſelbertus Gulielmum occiderit. Itaque Giſelbertus Roberti Comitis domini ſui iram in ſe iuſtam formidans conſilium Nortmania abeundi, atque in Italiam adeundi popularium ſuorum ſermone permotus cepit. ac quattuor fratribus ſuis aſſumptis, Rainulfo, Aſcilitino, Oſmundo, & Rodulfo 1017
cum aliis popularibus ſuis, equis, armiſq. inſtructus aufugit. & poſtero anno in Italiam venit, ac Capuam ſe ad Pandulfum Principem contulit. Nortmanos igitur aduenas conſiliis ſuis opportunos Melus, qui Capuæ bellum animo moliens reſidebat, arbitratus accerſit, & proximo, ſecreta cum eis belli Apulię inferendi conſilia contulit, omniaq., 1018
quæ ad eius adminiſtrationem pertinerent, ſumma diligentia comparauit, compluribus etiam ex Salerno, & Beneuento, Græcorum odio flagrantibus ad ſe traductis, ac ſequenti, vnà cum Nortmanis in fines 1019
Græcorum irrupit. Bubagano verò, qui tum Catapanus erat Imperatoris, cum exercitu firmiſsimo ſeſe obiiciente, acie cum eo quater conflixit, ac de ſumma rerum decernere non extimuit. primùm ad Tremulam, iterum ad Ciuitatem, tertio apud Vaccariciam campeſtri certamine proſperè dimicatum, ac fuſis, cæſiſq. Græcis, plurima eorum oppida occupata. Quarto verò apud Cannas, antiqua Romanorum clade nobiles, inſidiis, & arte ſuperatus exercitum, & recepta oppida vniuerſa amiſit. Itaque Nortmanis, qui prœlio ſuperfuerant, partim Pandulfo, partim Guaimario minori Salerni Principi cõmendatis, ipſe ad incitandum aduerſus Græcos Henricum in Germaniam properauit. Henricus baſilicam S. Georgij, quam prioribus annis Bambergæ conſtruxerat, conſecrare cupiens Benedictum pontificem ob id Germa-

niam aduocauit. Cuius perſpecta voluntate Benedictus trans Alpes contendit, atque Henrici auctoritati obtemperauit. Ob id Henricus ſe in ſingulos annos equum album, & centenas marchas argenti S. Petro, & ſucceſſoribus eius daturum, ſpopondit. extremo anno Benedictus Amatum II archiepiſcopum Salernitanum confirmauit. Arnulfo archiepiſcopo Mediolanenſi mortuo, Herebertus ab Arciago locum Henrici beneficio tenuit, qui eccleſiæ eius iura virtute, ac prudentia ſua plurimum auxit, neque Arnulfo in vllo munere obeundo conceſsit. Per hos dies Bonifacius, Gulielmi filius, Almarani Montisferrati marchionis nepos, monaſterium Locedi in agro Vercel-
1020 lenſi ædificauit. Anno inde milleſimo viceſimo Athenulfus, abbas Caſsinas, aſsiduis Comitum Aquinatium exagitatus iniuriis Nortmanos aliquot aſciuit, eosq. in oppido Pintalario non longè ab oppido S. Germani, vt bona monaſterij tuerentur, conſtituit. Pandulfus Princeps ſibi timens ad Græcos defecit, ac clauibus aureis Conſtantinopolim ad Baſilium miſsis, ſe vrbem ei, ac totum Principatum tradere, dixit. Hoc cognito, Catapanus, magna pecuniæ ſumma oblata, Principem orauit, vt, ſi ſynceram Imperatori præſtare fidem vellet, ſemet ad capiendum Dattum tranſire, permitteret. Qua re conceſſa, Catapanus inſtructa militum manu Garilianum ex improuiſo contendit, atque arcem, in qua Dattus nihil mali ſuſpicans verſabatur, biduum oppugnatam vi tandem cum omnibus, qui ibi erant, in poteſtatem adduxit. Ac Nortmanos quidem captos Athenulfus abbas ſummis precibus à Catapano ſaluos obtinuit, Dattum verò nulla ratione potuit impetrare. Ille verò Barrium in vinculis reductus poſt paucos dies culleo inſutus, vetere parricidarum more, Catapani iuſſu in mare præcipita-
1021 tus eſt. His rebus actis Melus exterritus poſtero anno ad Henricum iterum in Germaniam ſe recepit, vt Pandulfi defectionem, & Datti necem, & proſperos Græcorum ſucceſſus doceret, verùm in itinere morbo confectus eſt. Eodem anno in Lombardia etiam aliquid tumultus grauioris exarſit. Bonifacius marchio Richildem, Gileberti legati regij filiam, ſibi deſponderat. Horum ego legi litteras ad Ingonem epiſcopum Mutinenſem anno MXXXIIII, Imperante Conrado, datas cum hoc indice; *Nos Bonifacius marchio, et Dux Tuſcia, et Richilda iugales.* Ceterùm, cum Bonifacius propter eximias opes, quibus facilè reliquos tum Italicos anteibat, maxima apud omnes inuidia laboraret, Lombardiæ marchiones in eum conſpirarunt, ac coacta armatorũ manu ſponſam domum, Conrado fratre comitante, ducentem ad Cuuilium (is in agro Regienſi locus erat) inuaſerunt, ac prœlio memorabili edito

Contra-

Conradum ſtrenuè dimicantem interfecerunt. Proximo anno Hen- 1022
ricus Campanis, Lombardiſq. tumultibus excitus, &, ne, ſi talia ſine-
ret impunè patrari, vniuerſam ſenſim amitteret Italiam, veritus ite-
rùm Italicam expeditionem ſibi ſuſcipiendam decreuit, ac delectibus
quàm latiſsimè haberi ad eam rem iuſsis, Alpes cum Piligrino Colo-
nienſi, & Poppone Aquileienſi præſulibus tranſiit, ac res Lombardiæ
turbatas componere ſtuduit. Ineunte inde alterius anni vere, Apu- 1023
liam vnam ſpectans exercitum in tres partes diuiſit, atque eius vnam
ipſe per marchias ad Troiam, quæ adhuc muniebatur, adduxit, Pop-
ponem verò cum XI millibus militum per Marſos ire, Piligrinum
Romam pergere, atque inde cum XX millibus ad Athenulfum ab-
batem Caſsinatem, & Pandulfum Principem fratrem eius capiendum,
contendere iuſsit. Abbas inſimulatus cum fratre fuerat, quòd Datti
necis cauſſa fuiſſet. cuius rei certior factus, ſe nuſquam tutum Ger-
manicis ab inſidiis fore in Italia putans Hydrontum ad mare venit,
atque, vt Conſtantinopolim ad Imperatorem traiiceretur, conſcen-
dit. nec longius prouectus, naufragio facto, cum ſociis omnibus pe-
riit. Piligrinus Abbatis capiendi conatu lapſus, ne Principes eodem
modo euaderet, veritus propere Capuam duxit, atque vrbem ſtatim
armato milite circunfuſo cinxit. Princeps ciuium fide diffiſus obſi-
dionem non tulit, verùm vltro ad Piligrinum venit, ac ſe innoxium,
expertemq. criminis aſſerens, purgaturum ea, de quibus arguebatur,
Henrici iudicio dixit. Piligrinus eum in fidem accepit, ac lætus ad
Imperatorem perduxit. is tum Troiæ oppidum obſidebat. Henri-
cus proceribus ſuis ad concilium acceſitis accuſationem eius peragi
iuſsit. Itaque criminum, quæ in faciem obiiciebantur, multitudine
obrutus, cum nullum purgaret, omnium conſenſu rei capitalis dam-
natur. at Piligrinus, cuius ſe fidei Princeps commiſerat, ſuis, & ſuo-
rum precibus euicit, ne capite plecteretur. Itaque Henricus in vin-
cula coniecit, ac ſecum abducere in Germaniam confecto bello con-
ſtituit. Poſt paucos inde dies Troiani, cum grauia obſidionis incom
moda vlterius ferre non poſſent, ad Henricum pacem deprecantes
venerunt, atque ad pedes proiecti veniam impetrarunt. Addit Theo
doricus, cum Græcis etiam auxilio Nortmanorum non longe à Saler-
no eſſe debellatum, & ædem D. Virgini monumento victoriæ ab
Henrico, homine ſanctiſsimo, dedicatam. Inde exercitum æſtus ma-
gnitudine conflictatum reficere cupiens Capuam duxit, ac Principa-
tum Pandulfo Comiti Teanenſi attribuit. Stephano autem, Melo, &
Petro, mortui iam Meli nepotibus, quoniam propria recuperare non

potuit, Comitatus honorem detulit. Erat cum eo pontifex Benedictus. his igitur actis, Caſsinum cum eo proceſsit, ac monachos comitia creando abbati habere iuſsit. Eis præſentibus conuocati monachi in locum Athenulfi Theobaldum legerunt. eumq. poſtridie, qui dies erat S. Petro dicatus, Pontifex conſecrauit. Calculi inde dolore iactatus, ac præſenti beneficio, vt rebatur, S. Benedicti ſanatus monaſterium magnificè munerauit. atque idem quoque ipſius cauſſa Piligrinus obiuit. Et, quoniam vulgari fama deceptus, verè ne ibi S. Benedicti ſitum corpus eſſet, addubitans ipſum ſibi confeſſorem id affirmantem audire per noctem cubans erat viſus, rem omnibus audientibus conteſtatus eam ipſam etiam diplomate, quod adhuc legitur, voluit à Pontifice diuulgari. Inde ſæuientibus æſtatis caloribus Romam, Romaq. in Germaniam abiit. Poppo Aquileiam reuerſus Gradenſem eccleſiam fauore Henrici ſibi ſubiicere ſtatuit, atque ea de re nuncios ad Pontificem miſit, coramq. eo Vrſum patriarcham citari iuſsit. Vrſus adeſſe iuſſus, inſidias ſibi in itinere à Poppone paratas contendens, cauſſam contumaciæ ſuæ expoſuit, eamq. iuſtam eſſe Pontifex iudicauit. Poſtero anno Benedictus pontifex III Kal.
1024 Maias eſt mortuus, in eius locum Tuſculanorum Comitum factio Ioannem XX, ipſius Benedicti fratrem, epiſcopum Portuenſem, poſtridie eius diei ſuffecit. Henricus, morbo ingraueſcente, ſibi timens epiſcopos, & principes aduocauit, ac de regno conſultare, quaſi certam mortem oppetiturus, inſtituit. Ibi, quoniam filios non habebat, de ſucceſſore conſultus, Conradum, inquit, Franconiæ Ducem, virum conſilio, manuq. promptum eligite. Idem, cum ſe morti proximum cerneret, Chunigundem vxorem, & propinquos eius acciuit, eoſq. intuens, Recipite, inquit, quam mihi tradidiſtis, virginem veſtram. Atque his actis, maxima apud homines caſtitatis opinione relicta, III Idus Iulias expirauit. Eodem anno, ſeditione inter Venetos orta, Dux, & patriarcha, frater eius ſedibus ſuis pulſi in Iſtriam conceſſerunt. Qua re comperta, Poppo Gradum adiit, atque vrbem ſibi tradi præcepit. ciuibus autem ſe daturum eſſe negantibus, ſacramento ſuorum interpoſito affirmauit, ſe vrbem cuſtodiendi gratia poſtulare, ea verò recepta, contra fidem baſilicam, ac monaſteria diruit, moniales violauit, theſauros auertit, &, vrbe immunita relicta, miſsis ad Ioannem pontificem nunciis, Gradenſis ſubiectionem eccleſiæ impetrauit. Arnoldum archiepiſcopum Rauennatem mortuum excepit Herebertus.

CONRADVS REX, ET IMPERATOR.

COMITIIS inde creando regi in Germania inſtitutis, nonnullis principibus in Cononem Ducem animo propendentibus, reliqui, Abbone Moguntino archiepiſcopo contendente, Henrici teſtimonium, auctoritatemq. ſequuti Conrado regnum confirmarunt. eumq. aduerſus opes Cononis, omnia regnandi gratia permiſcentis, ſuſtinuerunt. Qua re audita, Herebertus Mediolanẽſis archiepiſcopus, antiquo iure reuocato, concilium epiſcoporum, principumq. in Roncaliis habuit, atque ad eos de legendo rege Italiæ retulit. Exquiſitis inde ſingulorum ſententiis, cum aliis aliò trahentibus rem ad exitum perducere non potuiſſet, relictis Italicis in Germaniam adiit, & Conradum regem auctoritate propria ſalutauit. Ob id Conradus archiepiſcopum iure eo, vel maximo, inſigniuit, vt, quemadmodum Mediolanenſis antiſtes epiſcopum Laudenſem iure ab Othone Magno accepto ſacrabat, ſic annulo, & virga præbenda inſtitueret. Auſpicatum autem Cornado regnum vſqueadeo fuit, vt poſt in eius familia, quæ Gibellina dicta eſt, per quattuor ſucceſsiones, graduſq. permanſerit. Poſtero anno Veneti 1025
Popponi ob ea, quæ fecerat, vehementer infenſi mutato conſilio Ducem, & patriarcham reſtituerunt, Gradumq. repetere decreuerunt. Itaque Dux, & patriarcha eò cum exercitu, populo ipſo iubente profecti, vrbem inuaſerunt, eamq. primo aduentu dedentibus cuſtodibus receperunt. Quo facto oppidum inde operibus muniri, atque ædes Ducis diligentia refici cœptæ. Eodem anno tumultus eſt inter Mediolanẽſes, & Laudenſes primùm exortus. Quippe Herebertus ex Germania domum reuerſus, vt recens acceptum ius tueretur, Ambroſium Mediolanenſis Eccleſiæ cardinalem in demortui locum epiſcopum inſtituit idem, & conſecrauit, eumq. ad Laudenſem regendam eccleſiam miſit. non accipientibus autẽ ipſum Laudenſibus, vehementer excanduit. Itaque cum vetere ſacerdotii amplitudine, tum recenti Conradi gratia ferox exercitum ad oppidum eorum adduxit, eoq. circumuallato, Laudenſes epiſcopum recipere, & ſacramentũ apud ſe dicere compulit. Hinc maioribus inflatus ſpiritibus ſuperbiam à Laudenſibus in Mediolanenſes cõuertit, &, vt ad principatum ſibi aditum aperiret, nobiliũ iura imminuere, ac debilitare inſtituit. Qua de cauſſa cum ſe in odium eorum incurriſſe animaduerteret, ſtructas ab iis ſibi inſidias criminatus feudis pleroſque, ac nobilitate priuauit, atque vrbe ipſa deiecit. Eiecti cum ſe in vnum contuliſſent, Mottam, qui eſt inter

Mediolanum, & Laudem locus, muniuerunt, ibiq. domicilium poſuerunt. &, quoniam nobilitatis iura amiſerant, ne populares dicerentur, nouo ſe nomine Mottenſes appellarunt, ac ſe cum Laudenſibus recenti ab archiepiſcopo iniuria irritatis, & Seprienſibus, & Martheſanis veteribus eiuſdem inimicis inito fœdere coniunxerunt. Incenſis inde vtrinque animis continuò ad arma eſt ventum, atque inſtructis exercitibus magno ardore in Campo Malo pugnarum. Ex eo prœlio Herebertus victus, Arderico Haſtenſi epiſcopo amiſſo, exceſsit. itaque ad Conradum confugere coactus eum in Italiam aduocauit.

1026 Proximo, Veneti nouis ſeditionibus agitati Othonem Ducem iterum expulerunt, atque in eius locum Petrum Barbolanum ſubſtituerunt. Conradus autem ſimul, vt nutantes res Italicas opportunè inuiſeret, ſimul, vt inſignia regia, atque Auguſtalia de more acciperet, primo vere expedito cum exercitu in Italiam tranſit. Ibi ab Hereberto rogatus, Paſchate Vercellis acto, Mottenſes, qui in armis erant, inuaſit, atque eis vix dum inito prœlio fuſis veniam, pacemq. petentibus, haud grauatè, ipſo permittente archiepiſcopo, gratiam, patriamq. reſtituit. His geſtis magno inde honore Mediolanum intrauit, ac regium ab archiepiſcopo diadema ſuſcepit. Inde Modœtiam progreſſus ibi iterum coronari ſe, vetere renouata conſuetudine, petiit, & cum id neceſſarium eſſe Herebertus negaret, ſe Caroli Magni, & poſterorum eius exemplo permoueri, reſpondit. Conradum inde imitati poſteri, ac ſucceſſores eius plerique Modœtienſem quoque coronam appetiuerunt. quam coronam Mediolanenſes inuidia perciti ad contemptum palearem vocarunt. Inde profectus in Roncalias conuentum omnium principum, ac populorum frequentiſsimum habuit, ac leges nouas pro regni ſtabilitate tulit. quarum vna hæc de beneficiis adhuc ſeruatur: *Omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, & noſtris tam præſentibus, quàm futuris notum eſſe volumus, quod ad reconciliandos animos ſeniorum, & militum, vt ad inuicem ſemper inueniantur concordes, & vt fideliter nobis, & ſuis ſenioribus ſeruiant, & deuotè, præcipimus, & firmiter ſtatuimus, vt nullus miles epiſcoporum, abbatum, abbatiſſarum, marchionum, vel Comitum, vel hominum, qui beneficium de noſtris publicis bonis, aut de eccleſiarum prædijs nunc tenent, aut tenuerint, aut hactenus iniuſtè perdiderint, tam de noſtris maioribus Valuaſoribus, quàm eorum militibus, ſine certa, & conuicta culpa ſuum beneficium perdat, niſi ſecundùm conſuetudinem anteceſſorum noſtrorum, & iudicium parium ſuorum. ſi contentio emerſerit inter ſeniorem, & militem, quamuis pares iudicauerint, illum ſuo beneficio carere debere, & ille dixerit, hoc iniuſtè, vel per odium factum eſſe, ipſe ſuum beneficium teneat, do-*

nec

nec ſenior & ille, quem culpat cum paribus ad noſtram præſentiam veniant, & ibi cauſſa iuſtè determinetur. Senior verò, & miles, qui culpatur, qui ad nos venire debuerint, ſex hebdomadas antequam ire incipiat ei, cum quo litigauerit, innoteſcat. Hoc autem de maioribus Valuaſoribus obſeruetur. de minoribus verò in regno noſtro, aut ante ſeniores, aut ante miſſum noſtrum eorum cauſſa finiatur. Præcipimus etiam, vt ſi aliquis miles ſiue de maioribus de hoc ſæculo migrauerit, filios eius beneficium tenere, ſi verò filios non habuerit, & auiaticum ex maſculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat, ſeruato vſu maiorum Valuaſorum in dandis equis, & armis ſuis ſenioribus. Si verò forte auiaticum ex filio non reliquerit, ſed fratrem legitimum ex parte patris, et ſi ſeniorem offenſum habuerit, ſibi vult ſatisfacere, et miles eius eſſe, beneficium, quod patris ſui fuit, habeat. Inſuper & omnibus modis prohibemus, vt nullus ſenior de beneficio ſuorum militum cambium, aut precariam, aut libellum ſine eorum aſſenſu facere præſumat. Illius verò quæ tenet proprietario iure, aut pro præcepto ſuo porrectum libellum, ſiue per precariam, nemo eum deueſtire audeat iniuſtè. Fodrum autem de caſtellis, quod noſtri anteceſſores habuerunt, habere volumus, illud verò, quod non habuerunt, nullo modo exigemus. Lombardiam inde perluſtrans Cremonam adiit, atque ibi XIIII Kal. Iulias rogatu Giſlæ coniugis Ingoni epiſcopo Mutinenſi bona Eccleſiæ confirmauit. Interim Poppo præſentis Conradi auxilio fultus exercitum in fines Venetorum induxit, & Conradum, ne fœdus cum eis renouaret, abſterruit. Eodem anno, Baſilio in Oriente mortuo, Conſtantinus excepit Imperium. Conradus, conuentu perfecto, Rauennam ad hibernandum ſe contulit, vt ineunte vere Romam ad coronam Imperij ſuſcipiendam contenderet, quam Ioannes pontifex ſe daturum eſſe, ſumma voluntate ſpondebat. Itaque ſequenti, rebus omnibus comparatis per dies Quadrageſimæ Romam verſus iter ſuſcepit, Hereberto ipſo officij gratia proſequente. Cum autem Romam omnes, vt aſſolebat, Italiæ proceres conueniſſent, Rauennas quoque antiſtes acceſsit. Is die Reſurrectionis, quo die in baſilica Vaticana Auguſtalia inſignia accipere Conradus debebat, cum præſens pompæ adeſſet, abſente fortè Mediolanenſi, Conradum manu prehendit, vt ipſum Pontifici pro ara ſtanti offerret. Ea re animaduerſa, legati Mediolanenſes antiſtitis munus id eſſe ſui clamarunt, qui regem Italiæ legendi, & coronandi ius obtineret. Orto autem ex ea re inter aſtantes principes, antiſtiteſq. tumultu, tum Conradus, audientibus omnibus: *Non eſt dubium, inquit, Reuerendi patres, quin quemadmodum Imperatoris inunctio ad Romanum pontificem pertinet, ſic regis Italiæ conſecratio tota ſit Mediolanenſis antiſtitis. quare eſt æquum, vt Mediolanenſis antiſtes, cuius manu in regem Ita-*

1027

liæ futurus Imperator inungitur, ſi adſit, regem Pontifici offerat, quem ad Imperium prouehat, vt ex eius auctoritate poſſit imperare, qui eiuſdem ordinatione didicit, & cœpit regnare. annuente verò Pontifice Mediolanenſis ad id muneris eſt vocatus. Cum autem iuſta de cauſſa abeſſe diceretur, iuſſit Pontifex, vt Ardericus Vercellenſis epiſcopus ſeruatas metropolitano ſuo vices impleret. atque ita ab Arderico Conradus oblatus aureum diadema ſuſcepit. Neque ita multò poſt vrbe, vt in Lombardiam rediret, excelsit. Extant enim diplomata, quibus ille V Nonas Maij Rauennæ bona eccleſiæ Patauinæ ſanciuit, & IX Kal. Iunias Veronæ, Veronenſis, anno, vt in diplomatis ſcriptum eſt, *milleſimo viceſimo ſeptimo, Imperij verò ſui primo.* Bergomum inde profectus eandem erga eccleſiam Bergomatem benignitatis adhibuit rationem. Inde in Germaniam tranſitum. Eodem anno Bononius, abbas Locedenſis, vitæ ſuæ ſanctitatem moriens multis miraculis editis comprobauit. vnde meritò aram ab epiſcopo Vercellenſi, cum eſſet à Pontifice conſecratus, accepit. Per eoſdem dies Pandulfus, qui fuerat Capuæ Princeps, rogatu Guaimarij Principis Salernitani, cognati ſui, è vinculis à Conrado dimiſſus in Campaniam rediit, atque Apulis, Græcis, & Nortmanis in auxilium aduocatis, Capuam, quam Pandulfus Teanenſis beneficio Henrici tenebat, premere obſidione inſtituit. Poſtero,
1028 Vido Arretinus, vir artis muſicæ eruditiſsimus, nouam vocum flectendarum diſciplinam, quæ in hunc vſque diem obſeruatur, per litteras, ſyllabaſq. flexuris digitorum læuæ manus adiungendas, dicitur ediſiſſe. Teanenſis à Catapano in fidem receptus Neapolim incolumis ad
1029 Sergium magiſtrum militum, ac poſtero, Neapoli à Pandulfo, exacto Sergio, occupata, Romam euaſit, atque ibi in exilio vitam finiuit. His rebus Pandulfus elatus in contumeliam Imperatoris monaſterio Caſsinati omnia intulit detrimenta, quæ potuit. Nam & Theobaldum abbatem ad ſe euocatum propè in cuſtodia habuit, & eius loco Baſilium quendam monachis Præpoſitum dedit. qui ad ceteram inſolentiam monaſterium multis poſſeſsionibus, & Sacrarium multis pretioſis ornamentis nudauit. & poſt aliquot annos, mortuo Theobaldo, Baſilium abbatem ſubſtituit. qui in eadem aduerſus monachos ſuperbia perſtitit. Eodem anno Romanus Argyrus Imperium Orien-
1030 tis adeptus. Conradus Henricum filium regem Germaniæ declarauit. is ſequenti anno, nempe milleſimo triceſimo Baſileæ XV Kal. Aprilis priuilegia eccleſiis Italicis contulit. Eodem anno Piſani claſſe inſtructa in Africam prouecti Carthaginem ceperunt, ac regem captiuum Romam adduxerunt. eumq. poſtmodum Chriſtianis ſacris

initiatum

initiatum dimiſerunt. Veneti Othonem Ducem, quem vrbe depulerant, mutatis voluntatibus reuocarunt. Herebertum archiepiſcopum Rauennatem ſequutus eſt Gebehardus. Ioannes Gualbertus, honeſto loco Florentiæ natus, cum humanis deſpectis rebus monaſterium iniiſſet, nec ſatis monachorum, quibus cum viuendum erat, ſolutam diſciplinam probaſſet, egreſſus inde in iugum montis Apennini ſe contulit, atque in loco, qui Vallis vmbroſa dicebatur, ſedem nouo monaſterio collocauit, ibiq. ſe, ſocioſq. ſuos legibus vitæ ſeuerioribus obligauit. Inde congregatio monachorum Vallis vmbroſæ profecta. Poſtero, in Campania beatus Dominicus mirabilium patrator operum, multorumq. fundator cœnobiorum apud Soram iam ferme octogenarius obiit, atque in monaſterio, quod poſtea ab eo nomen accepit, ſepultus eſt. Hunc Loricatum Petrus Damiani vocat, quòd ad macerandam interioris amictus aſperitate carnem lorica vteretur. Eodem anno Veneti nouo odio incitati Othonem Ducem ſuum corripuerunt, atque attonſum Conſtantinopolim ad monaſticam vitam agendam miſerunt. & vices eius Vrſo Vrſeolo, patriarchæ fratri, commiſerunt. à quo eſt Gradenſis baſilica reparata. mox placatis animis reconciliati Vitalem epiſcopum Torcellanum ad eum reuocandum deſtinarunt. ex quo cum illum mortuum cognouiſſent, Vrſo ad eccleſiam ſuam dimiſſo poſtero anno Dominicum Vrſeolum ſubrogarunt. Ille inimicæ factionis inſidias reformidans Rauennam profugit. in eius locum Dominicus Flabianicus eſt ſubſtitutus. ita diuturnæ ſeditioni tandem aliquando eſt modus impoſitus. In Campania Sergius, Rainulfo Nortmano cum ſociis adiuuante, Neapolim, vnde fuerat deturbatus, recuperauit. ac rerum potitus Rainulfum ſibi affinitate coniunctum Auerſæ Comitem fecit. Romæ Ioannes pontifex morte abſumptus. in eius locum Theophylactus, Alberici Benedicti octaui fratris filius, Tuſculanis Comitibus annitentibus, eſt ſuffectus. iſq. Benedictus nonus vocatus. Eodem anno Rodulfus rex Burgundiam Henrico, Conradi filio, nepoti ſuo, moriens teſtamento reliquit. Qua re comperta, Odo Celticæ Comes, Rodulfi ſororius, regnum illud ad ſe pertinere contendens Burgundiam cum lecta militum manu ingreditur, atque eam ad ſe traducere nititur. Ob id Conradus Polonico bello dimiſſo, per dies Natalicios nouas copias comparauit, vt aduerſus eum adduceret, ſed aſperitate hiemis retardatus rem in æſtatem proximam diſtulit. ac finibus Odonis ferro, flammaq. vaſtatis, hominem coegit pacem petere, & ſe à Burgundiæ regno temperaturum, iurare. Sequenti verò, iterum Bur

1031 (beside "profecta. Poſtero")

1032 (beside "Vrſo ad eccleſiam")

1033 (beside "nititur")

1034 (beside "Burgundiæ regno")

gundiam

gundiam petens omnes regni eius principes dare obſides compulit. Eo anno ſol inſigni ſe, ac mirabili obſcuritate infectum Italicis in feſto Apoſtolorum oſtendens inſignem Lombardorum cladem, quæ
1035 proximè eſt inſequuta, portendit. Proximo namq. anno, quo ſumma Imperij ad Michaelem Paphalagonem in Oriente peruenit, Lombardi ſiue integræ libertatis ſtudio inflammati, ſiue immodico aliquo Conradi imperio incitati, dum Conradus nouo Liutico bello in Saxoniæ finibus diſtinetur, noua defectionum conſilia inierunt, atque Hereberto archiepiſcopo patiente, aut certè non prohibente miſsis nunciis inter ſe coniurarunt, ſe non paſſuros, quenquam regnare, qui aliud, quàm quod ipſis luberet, ſibi imponeret. Inter hos autem inſigne eluxit Cremonenſium facinus. Hi Landulfum epiſcopum conſiliis ſuis aduerſarium nacti per iracundiam inuaſerunt, eoq. vrbe depulſo, bona expilarunt, atque oppidum eius arce, duplici muro, & turribus ſeptem munitum euerterunt, & cuſtodes, qui ibi cum quibuſdam canonicis erant, venales habuerunt, eoſq. fortunis omnibus ſpoliarunt. Vrbe verò vetere à fundamentis eruta maiorem alteram, vt
1036 Conrado reſiſterent, condiderunt. ac poſtero anno Hubaldum epiſcopum, qui mortuo Landulfo ſucceſſerat, multis contumeliis affectum poſſeſsionem inire bonorū eccleſiæ vetuerunt. Quæ mala Conradus audiens etſi iniquiſsimè tulit, tamen neque hoc anno occurrere grauioribus diſtrictus occupationibus potuit. ſi quidem ſatis conſtat, ipſo præſente IIII Idus Nouembris, Indictione quinta, Bardonem archiepiſcopum Moguntinum monaſterium S. Martini Moguntiæ conſecraſſe. Exeunte verò anno iter in Italiam videtur ingreſſus. nam
1037 ipſum Natalicia in Italia peregiſſe, Otho ſcriptum reliquit. Singulas verò vrbes adiens Brixiam, & Cremonam proceſsit, atque in ſingulis ſeueriſsimas de coniuratis quæſtiones exercuit. Extat decretum eius, quo propter iniurias Landulfo, & Hubaldo epiſcopis illatas ad eorum contumaciam comprimendam, & tanti mali conſuetudinem extirpandam prædia omnia ciuium, qui coniurauerant, in vrbe, ſuburbio, agroue per quinque millia paſſuum in circuitu ſita Eccleſiæ Cremonenſi addicit, prohibens, ne Dux, marchio, Comes, & Sculdaſio eam poſſeſsionem prohibere, aut vlla ratione turbare poſsit. Inde Mediolanum profectus, omnes coniurationis conuictos fortunis, boniſq. ſuis nudatos ciuitatibus Mediolano, Laude, Como, Crema, Cremona, Brixiaq. deiecit, atque in Germaniam relegauit. Herebertum autem archiepiſcopum iure epiſcopi Laudenſibus dandi nuper conceſſo priuauit. Qua ex re magnus in ciuitate tumultus eſt ortus. Itaque Conra-

dus, cum ſe propterea vulgo lacerari aſperis nobilium, populariumq. conuiciis, intelligeret, Mediolano egreſſus Papiam proceſsit, ibiq. pauperibus, & viduis foro de more indicto, Hereberti nomen à nobili quodam delatum recipit, atque occaſionem lædendi nactus ipſum coram ſe adeſſe, iuſsit. Neque verò Herebertus regis detrectauit imperium, immo epiſcopis Cremonenſi, Vercellenſi, & Placentino ſtipatus acceſsit, verùm ad diem ſe in iudicio ſiſtere, aut reſpondere, neglexit. Quocirca Conradus noua Hereberti contumacia magis exacerbatus ipſum cum epiſcopis comprehendi, ac Placentiam diuerſas in cuſtodias mitti, iuſsit. Popponi verò patriarchæ cuſtodia Hereberti permiſſa, ipſe Rauennam alius negocij cauſſa conceſsit. Hoc nuncio accepto Mediolanenſes nobiles iuxta, ac populares æſtuare dolore, ac rationem antiſtitis, ac principis ſui liberandi, Eliprando Vicecomite, in primis auctore, inire. Quæ conſilia dum maturius agitantur, Herebertus repente cuſtodia elabitur, lentas Germanorum vigilias, quos vino de induſtria abbas S. Xyſti ab Hereberto conſecratus obruerat, aſtute ludificatus. Conradus, Paſchate Rauennæ celebrato, vbi Herebertum euaſiſſe, atque à Mediolanenſibus receptum eſſe cognouit, vſqueadeo indignatione exarſit, vt continuò Mediolanum verſus contenderit, atque exercitu coacto, repente Landrianum caſtrum occuparit, & ſex vrbis portas militum corona circumfuſa obſederit. Mediolanenſes his oppreſsi malis haudquaquam animis defecerunt, ſed portas, muroſq. vrbis diligentiſsimè cuſtodiuerunt, ac ſe ad omnem belli procellam fortiter ſuſtinendam confirmauerunt. Multas Conradi multis è partibus oppugnationes ludificati, egredientes vrbe crebris cum Germanis prœliis conflixerunt. ex quibus memorabile illud à quibuſdã refertur, in quo Bauarum Conradi nepotem omnium Germanorum ferociſsimum Eliprandus Vicecomes ingentis ſtaturæ, ac roboris vir, ſingulari certamine in conſpectu Imperatoris proſtrauit. Hic eſt Eliprandus, à quo Vicecomitum, vt aiunt, familia fluxit, poſt tota Italia genere, & virtute clariſsima, quem Vicecomitem dictum eſſe, quòd archiepiſcopi vicecomes eſſet, inuenio. Hac re Conradus vehementius exaſperatus ſuburbiis ignem iniecit, ac propoſito edicto antiſtiti dignitatem ademit, eamq. ad Ambroſium Mediolanenſis eccleſiæ Cardinalem traduxit. Ceterùm Ambroſium die Pentecoſtes Bruno epiſcopus in æde D. Ambroſij ſuburbana conſecraturus, cum præſente Imperatore rem diuinam faceret, Sanctum Ambroſium epiſcopum gladium in cælo vibrantem, atque Imperatori minitantem dicitur conſpicatus. Quo facto, ſtatim tonitrua, ac fulgura adeo ſæua

ſunt

ſunt conſequuta, vt Bertrandus à ſecretis regis, ingenti fragoris magnitudine exanimatus, è poteſtate deceſſerit, aliiq., qui aderant, plures extincti ſint. Quibus rebus permotus Conradus Mediolani oppugnationem reliquit, ac trepido agmine poſtridie, ſecum Ambroſio ducto, Papiam ſe recepit. Ibi conuentu procerum acto, omnibus Italiæ principibus mandat, vt Ambroſio adſint, atque illius auſpiciis Heribertum, quem abdicatum eſſe conſtaret, bello quàm maximo perſequantur. Inde, vt ſcribit Otho, Cremonam proceſsit, atque ibi Pontificem ad ſe venientem excepit. demum æſtus vitandi gratia ad montium ſtatiua ſe rettulit, epiſcopoſq. Cremonenſem, Placentinum, & Vercellenſem maieſtatis damnatos in exilium egit. Eodem tempore Bonifacius marchio, mortua Richilda coniuge, Beatricem, Conradi filiam, duxerat, ac ſponſalia maximis impenſis, atque effuſà, vt erat omnium illa ætate ditiſsimus, in omnem luxuriam magnificentia apud Mincium celebrarat. Siquidem, ſi famæ credimus, ad eam ducendam profectus, equos ſoleis argenteis calciatos habuerat, & domum reuerſus piſtrina publicè ad molenda libero omnium vſui aromata excitarat, & vinum vulgò omnibus bibere cupientibus, impertiuerat. Cum au-
1038 tem Conradus apud eum Parmæ Natalem Domini ageret, Parmenſes tumultu concitato necem illius dapifero attulerunt: Qua re Conradus incenſus Bonifacium ad tantam perſequendam iniuriam incitauit. Parmenſibus autem in pertinacia perſiſtentibus, vrbs primùm variè oppugnata, deinde magna ex parte combuſta eſt. Lombardis acerrimè vindicatis, Campaniæ inde adeundæ occaſio oblata eſt. Monachi Caſsinates aſsiduis Pandulfi Principis iniuriis afflictati ad eum venerunt, orantes, vt monaſterium, quod in fide eius eſſet, ab interitu vindicaret, quem ei Pandulfus omni ope infeſtus pararet. Quorum ille precibus motus continuò cum vxore Giſla Romam proceſsit, & nunciis inde miſsis bona erepta eum reddere monaſterio iuſsit. Pandulfo verò ſe facturum negante, ira incenſus exercitu aſſumpto Caſsinum adiit, atque à monachis, vt nuncius è cælo, acceptus, humiliter cum vxore Giſla D. Benedicto vota fecit, ac deinde Capuam verſus perrexit. Eius aduentu non expectato, Pandulfus cum Baſilio abbate, quem ipſe præfecerat, in arcem S. Agathæ ſe recepit. Conradus pridie Penteeoſtes vrbem ingreſſus poſtridie apud Capuam veterem caſtra fecit, atque XII monachis, quos acciuerat, poſtulantibus Richerium abbatem Leonenſem, cuius fideli tum opera vtebatur, conceſsit abbatem, in primis ipſa ſuffragante monachorum petitioni Auguſta. & Pandulfo pertinaciam retinente, primoribus Capuanorum

adhibitis

adhibitis, Guaimario Principi Salernitano Capuanum Principatum attribuit. & Athenulfum archiepiſcopum à Pandulfo in vincula coniectum exemit, atque inde Beneuentum ſe contulit. Pandulfus, relicto in arce filio, Conſtantinopolim auxilium imploratum, ſed fruſtra, contendit. Conradus Beneuenti, rogatu Giſlæ coniugis, Henrici filij, & Adeodati epiſcopi iura, ac prædia monachorum Caſsinatium confirmauit. Inde per Adriatici maris oram reuertens, oborta graui ex cæli corruptione in exercitu peſtilentia, menſe Iulio non ſolum milites plurimos; ſed etiam ex principibus nonnullos amiſit, Hermanum Ducem, Auguſtæ filium, Chunigundem nurum, Cononem Francorum Ducem, itemq. alios. atque inde mœroris, ac triſtitiæ plenus in Germaniam tranſijt. Eo verò profecto, Herebertus antiſtes erectus magnis delectibus habitis Ambroſium, omneſq. eius fautores bello inſtitit perſequi. Itaque, cum nihil prætermitteret, quod ad maximum gerendum bellum vſui eſſet, vexillum impoſitum in curru excogitauit, quod carrocium appellauit. Is fuit currus ingens rotis grandioribus, atque axibus firmioribus fultus, purpurea pariter vndique veſte conſtratus. in quo contabulatio quadratæ turris inſtar locabatur. in medio verò eximia proceritate malus excitatus erat, multis à faſtigio rudentibus ipſi contabulationi ad nautici mali ſimilitudinem alligatus. in ſummo crux aurea, infra crucem antemna magna ſuſpenſa; vnde vexillum explicabatur. Hunc autem currum excellentis formæ boues, candida veſte inſtrati, trahebant. cura eius clariſsimo & genere, & virtute viro committebatur, qui, vt venerabilior eſſet, inſigni lorica, enſe, & aureo baltheo, & publico ſtipendio donabatur; vt munitior, cohorte militum lectiſsimorum ſepiebatur. Cum eo verò aderant etiam ſacerdotes cum diuinæ rei cauſſa, tum vt eſſent, qui letifero vulnere laborantibus ſacra, ſi opus eſſet, ritu Chriſtiano ſubminiſtrarent. præterea ſex tubicines cum totidem militaribus equis, quibus ciuitas tentoria, & ſtipendia procurabat. Cum hoc ergo Vexillo, quò quaſi ad ſacram aram acie pulſi refugerent, atque inde ferociores in hoſtes procurrerent, Herebertus primus ad bellum eſt progreſſus. Poſtero anno 01 Conradus, cum eſſet Coloniæ, XVII Kal. Aprilis nobiliſsimo beneficio Mutinenſem eccleſiam cumulauit. diploma liber attexere, vt conſuetudo horum etiam temporum in donandis eccleſiis eluceſcat. *Conradus diuina clementia Imperator. Norint fideles omnes, quemadmodum Vido Taurinenſis epiſcopus noſtram adijt celſitudinem petens, vt pro amore Dei, & ſalute animæ noſtræ, omnia S. Mutinenſi eccleſiæ in ho-*

norem S. Geminiani Confeſſoris CHRISTI *dicatæ, cui Dei auctoritate præeſt Ingo epiſcopus, à prædeceſſoribus noſtris tam regibus, quàm Imperatoribus, atque religioſis hominibus collata noſtra Imperiali auctoritate confirmare vellemus. Cuius petitioni aſſentientes, eiuſdemq. beatiſsimi Geminiani epiſcopi, & Chriſti confeſſoris implorandam aſsiduè opem ſtatuentes, hoc præceptum fieri iuſsimus, quo ei concedimus quidquid ad noſtrum ius pertinere videtur, terras ſcilicet, atque omnem diſtrictum, domos publicas, murumq. ipſius vrbis cum fiſco, & teloneo integro, & cum omni iure ciuili intus, & foris in circuitu vſque ad fines; cortes etiam ipſius ciuitatis, ac terram propriam, caſtella, villas, manſos, ſeruos, & ancillas, erimanos, & erimanas, domos, poſſeſſiones, piſcationes, ſyluas, montes, campos, aquas, aquarumq. decurſus, & paludes habitas, & poſſeſſas à prædicto Ingone epiſcopo, vel prædeceſſoribus eius. Atque omnia aliquo inſcriptionis titulo, ſeu inueſtituræ adhuc donata, & tradita S. Mutinenſi eccleſiæ à quibuſcunque hominibus, donamus, concedimus, confirmamus. item donamus omnia, quæ vocata ſunt fiſcalia, Comitalia, aut Vicecomitalia, quæ poſita ſunt, aut conſtructa in Comitatu Mutinenſi tam intus, quàm foris in circuitu vſque ad prædictos fines, ita vt Ingo epiſcopus, & ſucceſſores eius poteſtatem illic habeant per ſe, aut per miſſos ſuos iudicandi, diſtringendi, placitum tenendi, aut, quod eorum vtilitas tulerit, faciendi ad incrementum, & honorem ipſius eccleſiæ. Neque aliquis Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdaſio, gaſtaldius, procuratorue vllus hanc S. Dei eccleſiam inquietet, aut manſionaticum faciat, teloneum, diſtrictum, placitum, aut aliam quamlibet publicam functionem exigat. Sin minus, ſciat, ſe ſoluturum auri optimi libras ducentas, centum fiſco noſtro, & centum ipſi epiſcopo. Quod vt verius credatur, & diligentius obſeruetur, manu propria roborantes, annuli noſtri impreſsione iuſsimus inſigniri. Datum X VII* Kal. Aprilis. *Anno Domini M X X X IX, Indictione VII. anno D. Conradi regis X IIII, Imperatoris X II. Actum Coloniæ.* Nec multis poſt menſibus pridie Nonas Iunij in Friſia moritur.

HENRICVS II REX, ET IMPERATOR.

IVSTIS mortuo Conrado peractis, Henricus filius in Germania regnare perrexit, vt qui iam inde à paterni regni principio rex fuerat coronatus. Ceterùm Italici de regni poſſeſsione ſolicitus legatos protinus ad Herebertum archiepiſcopum miſit, coronam in præſens, amicitiam in perpetuum poſtulatum. Quorum vtrumq. cum ſe datu-

rum archiepiſcopus, oſtendiſſet, continuò ab armis diſceſſum eſt. Bellis tamen Boemico, & Vngarico impeditus Henricus rebus Italiæ vacare per multos annos non potuit. In Campania Richerius abbas Caſsinas Guaimarium Principem ad ſe cum exercitu euocauit, eumq. ad oppugnandam S. Agathæ arcem adduxit. Eam verò per tres menſes obſeſſam cum Guaimarius reddere Teanenſibus vellet, quidam ex iis monaſterio dediti fœdus cum abbate percuſſerunt, ſi ſe in fidem reciperet, & eo ſtatu, qui fuerat ante Imperatoris aduentum, eſſe contentus vellet, arcem ſe illi tradituros. Ita arcis deditio pridie Aſſumptionis eſt facta. Maniacus Imperatoris Catapanus magno contracto exercitu cum in Siciliam aduerſus Sarracenos traieciſſet, legatos ad Guaimarium miſit, orans vt ad ſe Normanorum auxilia mitteret. Ille verò Gulielmum, Drogonem, & Hunfridum Tancredi filios, qui à popularibus ſuis inuitati nuper aduenerant, cum aliis trecentis militibus miſit. Eorum ope magna pars Siciliæ in poteſtatem redacta, & Syracuſæ receptæ ſunt, & corpus venerabile S. Luciæ virginis inde ablatum, & Conſtantinopolim tranſportatum. Sequenti verò anno, qui fuit milleſimus quadrageſimus, Græcis, Normaniſq. 1040
Sicilia profectis, Sarraceni omnia, quæ amiſerant, receperunt. Maniaco, quòd imperium affectaret, occiſo, alius in Apuliam Catapanus, nomine Duclianus, eſt miſſus. Eo anno Veneriis conuentus peractus eſt, Vrſo patriarcha Gradenſi, Dominico Oliuolenſi, Vitali Torcellano, Leone Equilino epiſcopis cum clero Venetiarum in S. Marci baſilica conuocatis. in quo iuxta ſanctorum patrum decreta ſancitum eſt, *ne epiſcopi ante annos triginta, diaconi ante viginti quinque, moniales in Epiphania, Albis, & feſto Apoſtolorum conſecrarentur. Vt chriſma, euchariſtia, vaſa, & indumenta ſacra in templo ſub claui aſſeruarentur*. Gaudentius Auſerenſis epiſcopus in Dalmatia eccleſiam vltro dimiſit. Veneti decretum fecerunt, ne poſthac Duces viuentes ſibi conſortem, & collegam cooptarent, quod in poſterum, vt reip. ſalutare, ſeruatum eſt. Poſtero anno in vlteriore parte Italiæ via tandem eſt patefacta, qua Græci diuturna poſſeſsione Italiæ pellerentur, & noua in 1041
eam Normanorum dominatio induceretur. Ardoinus, domo Lombardus, ſpectatæ virtutis, atque ingentis animi vir, à Ducliano grandi data pecunia Canditati honore affectus, & oppidis quibuſdam Apuliæ præpoſitus fuerat. Is, cum in ſuperiore expeditione Sarracenum quendam in Sicilia proſtrauiſſet, inſignem eius equum, quem ſibi pugnans pepererat, à Maniaco impetrare non potuit, verùm eo cum dedecore ſpoliatus eſt. Huius igitur vlciſcendæ iniuriæ cupidus con-

ſilium eripiendæ Græcis Apuliæ cepit. itaque ſimulato voti cauſſa Romam itinere Auerſam ad Ranulfum Comitem, genere Nortmanum, ſe contulit. atque eius animum ad Apuliam inuadendam, accendit, effeminatos appellans Græcos, terram opulentam; Nortmanos iam numero, armiſq. præſtantes, turpe eſſe exiguis parui, atque obſcuri oppidi finibus eſſe contentos. Conſilio comprobato, Ranulfus ſtrenuos ei duces duodecim cum trecentis militibus tradidit, pactus, vt quæcunque occuparentur, æqua inter omnes ſorte diuiderentur. Quibus rebus ſacramento firmatis, ineunte vere, repente omnes impetum in Apuliæ fines fecerunt; atque imparata omnia nacti, ſabbato Paſchatis XII Kal. Aprilis Melfim totius Apuliæ clauſtrum, atque inde Venuſiam, Aſculum, & Labellum haud magno certamine occuparunt. Poſt occurrentes Duchani copias grauiſsimo commiſſo prœlio ad Oliuentum ita conciderunt, vt omnes aut pugnantes deſiderauerint, aut arma ponentes in acie ceperint. His rebus in Græciam nunciatis, Michael Calaphates, qui Paphlagoni mortuo ſucceſſerat, vt qui maximè perturbatus, maiorem ad Duclianum exercitum miſit. Qua re comperta Nortmani, vt accolarum animos ſibi conciliarent, atque in ſocietatem belli promptiores haberent, Athenulfum, Beneuentani Principis fratrem, ſibi ducem aſciuerunt; atque coactis rurſus copiis aduerſus Græcos contenderunt. Pugnatum eſt ad Aufidum amnem. Ibi Græci rurſus fuſi, ac fugati, cum gradum referrent, fluuium, quem ſiccum traiecerant, ſubitis tumentem aquis repererunt. Ita, cum ſibi conſulere natatu vellent, plures gurgitibus hauſti, quàm gladiis interempti ſunt. Nortmani caſtris Græcorum potiti, ingentem prædam rettulerunt. Eodem anno Mediolani grauis altera exorta ſeditio aliquantum de communi tranquillitate detraxit. Erat Mediolanenſis ciuitas in ſex tribus diuiſa, quæ a ſex portis vrbis nomen habebant. earumq. tribuum principes nobiles quidam erant, qui portarum capitanei appellati, archiepiſcopo, vt diximus, officium vaſallorum debebant. Hi vniuerſam remp. ad ſe trahere, & ſummum in populum imperium ſibi parare cupientes omnia iura, quæ Ducis antiquitus fuerant, ſibi vindicarant, atque inter ſe accuratè partiuerant. Ex quibus cum vnum eſſet, vt ſiquis ſine herede deceſsiſſet, bona eius ad Ducem peruenirent, id nobiles à popularibus quiſque ſuis ſingulis in tribubus exigere conabantur. Ea re turbati ipſi è Credentia populares, cum ſaluti ſuæ remedium nullum aliud haberent, ad arma confugiunt, ac crebris cum nobilitate ſerendis prœliis ius ſuum tueri,

ducibus hinc populari, inde nobili lectis, nituntur. Popularibus cum ſe viribus pares nobiles non eſſe viderent, aſtutè popularium aliquot ſibi adiunxerunt. ac, iuribus cum eo ſuis communicatis, ſummo ſibi ſtudio deuinxerunt, ac vaſallos ſuos nominauerunt. atque ita eorum præſidio confirmati ius, de quo dixi, vehementius repetere contenderunt. Contra plebs eodem aduerſus nobilitatem artificio vſa ducem ſibi ex media nobilitate Lanzonem Curtium legit, eiq. ſummum in ſe imperium tradit. is vulgò Credentiæ, ſeu Populi Capitaneus appellatus. Atque hic, duobus tum primùm conſulibus è Credentia inſtitutis, plebis partes aduerſus nobilitatem ſuſceptas tanta virtute, tantaq. fide defendit, vt poſt multa commiſſa prœlia nobiles ipſos turres, domoſq. ſuas deſerere, atque vrbe cum familiis ſuis exire coegerit; cum Herebertus interea fruſtra ſæpius pugnas eorum dirimere, concordiamq. conciliare conatus, Modœtiam ſeceſsiſſet, ne manens in vrbe alterutram partem verbo, factoue offenderet. Hoc accepto incommodo nobiles recuperandæ patriæ cupiditate flagrantes Comites Seprienſes, & Marthe ſanos ad ſe traduxerunt, atque eorum auxilio fulti ad vrbem reuerterunt, eamq. ſex caſtellis validiſsimis contra ſex portas excitatis, validè obſidere inſtituerunt. obſeſſoſq. aſsiduis oppugnationibus, ac crebris prœliis faciendis fatigare perrexerunt. Proximo anno Imperator Conſtantinus Monomachus, qui Calaphatem 1042
abdicantem exceperat, tot acceptis cladibus perturbatus Exauguſtum Ducliano ſummiſit, ac magnis Græcorum, barbarorumq. ſupplementis datis ſummo cum Nortmanis confligere prœlio iuſsit. Itaque Exauguſtus, cum Nortmani ad montem Piloſum facultatem pugnæ feciſſent, in aciem ferox deſcendit. verùm virtutem fortuna deſtituit. ſiquidem, amiſſo magna ex parte exercitu, ipſe in prœlio captus, ac Beneuenti à duce Nortmanorum magno pecuniæ numero venditus eſt. Nortmani verò Argyro Meli, de quo ante dictum eſt, filio ſibi duce præfecto, bellum inde reliquæ Apuliæ intulerunt, atque oppida alia vi ceperunt, alia voluntate ſibi tributaria reddiderunt. Poſthæc, Gulielmo, Tancredi filio, ad honorem Comitatus euecto, ad Guaimarium cuncti ſe contulerunt, eumq. pariter cum Ranulfo Comite Auerſano ad diuidenda, quæ parta erant, Melfim inuitarunt. Primùm autem Ranulfo domino ſuo Sipontum cum Gargano, atque omnibus eò pertinentibus oppidis honoris cauſſa conceſſerunt: deinde cetera eorum arbitrio, iudicioq; inter ſe diuiſerunt. Gulielmo Aſculum, Drogoni Venuſia, Arnolino Labellum, Hugoni Monopolis, Petro Tranum, Valerio Ciuitas, Rodulfo Cannæ, Triſca-

mo Mons Piloſus, Herueo Trigentum, Aſclitino Acherontia, Rodulfo S. Archangelus, Ranfrido Monorbinum, Ardoino alia euenerunt. Melfis in communi omnium poſſeſsione relicta. Hoc modo à Normanis Apulia de Græcorum poteſtate, imperioq. ſubtracta eſt. Ceterùm Gulielmus, Drogo, Hunfridus, Rogerius, & Robertus, cognomento Viſcardus, fratres germani fuerunt, in hac expeditione inſignes, à quibus clara poſt Ducum, & regum Normanorum in vlteriore Italia progenies propagata eſt. Eodem anno Mediolanenſis eſt continuata obſidio. Cum autem nullus malorum finis videretur, proximo, Lanzo miſerum ciuitatis ſtatum contemplatus Henricum in Germaniam adiit, atque ab eo ruentibus popularium rebus maturum auxilium implorauit. Henricus rei Mediolanenſis potiundæ occaſionem ſibi datam per aliena pericula opinatus, haudquaquam ſe laboranti ciuitati defuturum, reſpondit, ſi ipſe ſe iureiurando obſtringeret, effecturum, vt ciuitas XIIII Germanorum militum millia intra vrbem acciperet, ac populus in auctoritate ſua foret. Iurauit id Lanzo, ac domum reuerſus renunciauit legationem. Gratulante populo, quòd breui ex arctis eſſet diutinæ obſidionis vinculis eximendus, ipſe, detrimentis, quibus ciuitas Germanorum præſidio in vrbem accepto conflictari poterat, diligenter ad rationem reuocatis, conſilium mutauit. atque inconſulto populo nobiles in caſtris conuenit. &, quo in ſtatu res ciuitatis futuræ eſſent, ſi Germani reciperentur, oſtendit. atque eos patriæ calamitatis admonuit: adiecitq., præſtare, vt ipſi pacem cum popularibus facerent, atque vrbem reperterent, quàm vt communem patriam exterorum libidini, auaritiæq. permitterent. Annuentibus nobilibus eadem cum popularibus egit. Ita ex eorum voluntate capitanei, & valuaſores vrbem ingreſsi pacem cum plebe iniuerunt, verùm in ipſum Lanzonem iracundiæ ſuæ virus effuderunt. hunc enim, quòd à nobilibus deſciuiſſet, & commodis eorum aduerſatus eſſet, tumultu facto comprehenſum in cuſtodiam condiderunt, deinde ſordibus ad ignominiam ſuperfuſum in exilium proiecerunt. Eodem anno Veneti, Dominico Flabanico Duce mortuo, Dominicum Contarenum ſubſtituerunt. Eius magiſtratus initio Poppo, patriarcha Aquileienſis, priuilegiùm à Pontifice de ſubiectione Gradenſis eccleſiæ elicuit, & Gradum furtim ingreſſus vrbem cum templis incendit, aras diſiecit, ſacros theſauros aſportauit, relliquiis Sanctorum exceptis, quas inuenire non potuit. Quibus de rebus Dux, & patriarcha miſsis nunciis cum pontifice Benedicto conqueſti ſunt. verùm antequam ille reſcriberet, Poppo ſine confeſsio-

1043 (margin, beside "deretur, proximo, Lanzo")

ne, &

ne, & viatico mortem oppetiit. Quod vbi illi audiuerunt, rurſus le-
gatis miſsis petierunt, vt priuilegium infirmaretur, bona reſtituerentur, & ſedes in priſtinum ſtatum redigeretur. idq. impetrauerunt.
Vrbs cum templis inde à Duce reparata eſt. Vrſo patriarchæ mortuo
Dominicus Belcanus S. Marci ſacerdos ſuffectus. & Popponi ſubſtitutus eſt Eberardus. Henricus rex, Giſla coniuge mortua, Agnetem,
Villelmi Pictauorum Comitis filiam, ſibi deſpondit vxorem. Sedato
inde tumultu Mediolanenſi, Herebertus poſtero anno mortem oppe- 1044
tiit. Eo ſublato, qui ſummæ auctoritatis, atque potentiæ in vrbe fuerat, Capitanei inſolentiores effecti dominatum ciuitatis occuparunt,
atque in ædibus publicis conuocati leges duas aduerſus populares ſanxerunt, vnam, ne Lanzoni Curtio, aut propinquis eius in poſterum
eſſe in vrbe liceret; alteram, vt, ſiquis nobilis popularem interfeciſſet,
ne amplius, quàm ſeptem libris tertiolorum mulctari poſſet. Quibus
iniuriis incitati populares alterum ſibi ex nobilitate ducem Landulfum
Cottam aſciuerunt, eumq. ſibi aduerſus nobilitatis opes patronum
cooptarunt. Sequenti, de archiepiſcopo in Hereberti locum ſuffi- 1045
ciendo agi eſt cœptum. de quo legendo cum inter ordines eſſet oborta contentio, victoria penes nobilitatem fuit. nam cum populares
quattuor eccleſiæ Mediolanenſis cardinales, nobiles vnum Vidonem
Valuaſorium edidiſſent, Henricus, reiectis ceteris, Vidonem, qui familiaritate ſibi erat coniunctus, vnum probauit. Hunc autem populus
tanto odio perſequutus eſt, vt cum primùm rei diuinæ, ſummo, vt fit,
rerum apparatu operaretur, ad aram ſolum, ipſo etiam abducto clero, reliquerit, multiſq. aliis detrimentis affecerit. Per eoſdem dies
Nortmani ſuperbia elati omnia circumiecta loca infeſta vſqueadeo
reddiderunt, vt ne à ditione quidem monachorum Caſsinatium temperarint. Cumq. ad cetera mala hoc anno arcem S. Andreæ firmum
ſibi receptaculum conſtruere aggreſsi eſſent, abbate identidem denun
tiante, ne pergerent, in ſententia perſtiterunt. Itaque abbas exterritus, quòd eorum in dies augeſcere opes videbat, conſilium deſtruendi
monaſterij cepit. Poſt paucos inde dies Rodulfus Comes eorum non
modica hominum manu ſtipatus ad monaſterium venit, vt pacis ſimulatione abbatem comprehenderet, atque, vt opinio fuit hominum, interimeret. Poſitis autem in veſtibulo templi armis, templum
precationis cauſſa cum omnibus ſuis inermibus iniit. Quo facto extemplò omnes monaſterij famuli accurrerunt, atque equos, & arma
eius diripuerunt, ſignoq. ex campanario edito oppidanos omnes ad
arma vocarunt. Ita Nortmani imprudentes oppreſsi breui cogitatæ

pœnas audaciæ, temeritatiſq. ſuæ luerunt. Quindecim deſiderati, Rodulfus ab interuenientibus monachis vix ſeruatus ad monaſterium in cuſtodiam miſſus eſt. Hac re Caſsinates elati vniuerſam inde circumiectam regionem hoſtiliter peruagati, omnia præter arcem S. Victoris, & S. Andreæ vno die armis receperunt. Ad extremum, firmo amicorum præſidio aduocato, ipſo etiam S. Victoris caſtro expugnato ad arcem S. Andreæ, in qua Rodulfi Comitis vxor erat, & quò Normani ſeſe ex fuga receperant, oppugnandam acceſſerunt. Ibi quindecim dies ſine effectu morati ſunt, militibus, qui intus erant, egregie ſeſe & loci munitione, & animi alacritate tuentibus. Demum monachis, qui aderant, milites ad renouandam operam adhortantibus, Deumq. ac patrem Benedictum virtuti, laborique eorum pro certo affuturos aſſerentibus, maiore rurſus impetu arcem ipſam inuadunt, ac commiſſo prœlio lapides, telaq. ingerere in hoſtes incipiunt. Faciebant idem etiam acriter in Caſsinates Normani, verùm tempeſtate repente oborta, accidit, vt pleraque eorũ tela vi venti in ſe retorta pleroſque inceſſerent. Quod vbi Normani videre, voluntati reluctari diuinæ non auſi, ſubito conſilium arcis dedendæ cepere, ac ſeſe monachorum fidei tradidere. A quibus vix defenſi tandem Auerſam incolumes rediere. Auerſanis inde ſociorum iniurias perſequi cupientibus Guaimarius obſtitit. Ita ditio S. Benedicti ab iniuriis Normanorum præſenti ip-
1046 ſius Confeſſoris ope ſeruata. Sequenti anno Henricus Vidgerum eccleſia Rauennate, quam iam biennio impotenter, ac ſuperbè nondum conſecratus tenebat, per dies Pentecoſtes ad ſe vocatum nudauit. Guaimarius Princeps cum Drogone Normanorum Comite ad monaſterium Caſsinas proceſsit, atque ab abbate, vt Drogonem in gratiam reciperet, petiit, eamq. iurante Drogone, ſe monaſterij rebus parſurum, neque abbati, aut monacho alicui nociturum, obtinuit. Drogo in gratiam reſtitutus, atque ab abbate donatus Auerſam ſe ad Ranulfum ſocerum contulit. Abbas autem fidei Normanorum diffiſus ſingula monaſterij caſtra muris in circuitu communiuit, ibique agreſtes ex agris translatos conſtituit. caſtrum etiam S. Angeli, quod ipſe conſtruxerat, muris amplioribus ſepſit, & iuxta ipſum pontem optimum ſuper Lirim fluuium fecit. Libet hoc loco in memoriam reuocare, quod ſupra in hiſtoria anni octingenteſimi octuageſimi tertii referenda prædiximus, Romanos proceres priuatæ quærendæ potentiæ cauſſa, corruptis comitiis pontificiis, Eccleſiam grauibus in ducentos propè annos ſeditionibus, ac fœdis offenſionibus impleuiſſe. Hi fuere, vt ſcripſi, Albertus marchio, & Albericus filius Conſul, Tu-

ſculani Comites, & qui ab eis aut genus traxerunt, aut potentiam acceperunt. qui populo, cleroq. aut mercede corrupto, aut quacunque alia ratione vetere comitiorum libertate diſpoliato amicos, aut propinquos ſuos pro arbitrio prouexerunt; homines ferme longè à recta ſuperiorum pontificum diſciplina, & ſanctitate remotos. ad quorum libidinem coercendam Leo VIII pontifex legem retttulit ab Hadriano primo latam, deinde à tertio abrogatam: *Ne pontifex deſignatus ſine regis auctoritate iniret.* Qua lege, ambitu in vrbe flagrante, ſublata, rurſus Eccleſia priuatis earundem factionum ſtudiis in maximum eſt dignitatis diſcrimen adducta. Huic verò malo alterum eſt adiunctum. Quippe conniuentibus ipſis pontificibus, aut certè non prohibentibus plerique Principes vſurpato iure eccleſias, epiſcopi verò minores ordines non opinione virtutis, ſed conditione mercedis conferre inſtituerant. Clerici verò, qui eccleſias, ordineſq. mercati erant, cum ſemel verecundiæ fines tranſiſſent, ſenſim longius etiam ad alia ſe prolabi flagitia paſſi erant, vſqueadeo, vt palam etiam vxores, ac concubinas haberent, atque vtrumque probrum honeſta quaſi cõſuetudine permiſſum pertinaci tueri oratione non dubitarent. ex quo in duo grauia hęreſeos crimina incidebant, vnum eorum, qui Simoniaci, alterum eorum, qui Nicolaitæ ſunt dicti. Quod verò vehementius etiam deteſtandum erat, in Francia Berengarius quidam, clericus Andegauenſis, homo audax, ſed diſertus, nouam contra auguſtiſsimum ſacramentum euchariſtiæ doctrinam tradere per hæc tempora cœpit, verum in ea corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe, ac panem, & vinum in ſacramento murari negans, ac plures in dies ſecum turpiſsimum in errorem abducens. Quin etiam Nortmani, qui paullo ante Apuliam Græcis ademerant, finibus Apuliæ non contenti Eccleſiaſticam ditionem inuaſerant, ita vt ne eccleſiis quidem, & monaſteriis Campaniæ abſtinerent. Quibus rebus vt remedium aliquod opportunum afferret, Henricus iam inde ab initio in Italiam ſibi tranſeundum putarat, verùm Vngarico bello impeditus diſtulerat: Rebus autem omnibus trans Alpes tandem aliquando ex ſententia adminiſtratis, ſtatim de expeditione Italica cogitauit. iter autem eius accendit cum Vido archiepiſcopus, qui à populo Mediolanenſi reſpuebatur, tum noui Romæ comitiorum pontificiorum cauſſa ſuſcitati tumultus. Nam Benedictum pontificem à Tuſculanis, vt dixi, Comitibus factum poſt tertium decimum annum factio aduerſa hominis indignitare accenſa eiecit. atque in eius locum Ioannem Sabinenſem epiſcopum XI Kal. Februarias ſubdidit, eumq. Syluestrum tertium appellauit.

lauit. Hanc contumeliam Tuſculani ferre non potuerunt. Itaque facto impetu Syluestrum V. Idus Maij deturbarunt, ac Benedictum ſuum reſtituerunt. Ille verò, cum ſe omnium odio, ac contemptu laborare videret, nec ſatis roboris ad tantam procellam ſuſtinendam haberet, honore vltro ſe abdicauit. & Ioannem Gratianum, Petri Leonis filium, eximiæ nobilitatis in vrbe virum, eundemq. archipresbyterum magna accepta mercede ſibi cooptauit, atque ad paternas ædes liberius vitam acturus ſeceſsit. Gratiano conſecrato Gregorij ſexti nomen eſt inditum. His de cauſsis Henricus, & vt ſolemnia Regni, atque Imperij inſignia ſumeret, neceſſariis rebus omnibus comparatis, ineunte autumno, cum exercitu, & Agnete vxore Alpes ſuperauit. Velfo, marchiæ Veronenſis marchio, cum aduentantem per triduum in Roncaliis expectaſſet, neque ab eo, vt moris erat, cunctationis nuncium accepiſſet, ex eo loco diſceſsit, eaq. prima Velfonum à Gibellinis alienatio fuit. Ille autem benignè à Lombardis acceptus continuò acceſsit Mediolanum. ac Mediolanenſium cum Vidone lite compoſita, ferream illius manu de more coronam in æde D. Ambroſij ſuburbana recepit. Papiam inde profectus VI Kal. Nouembris conuentum egit. atque exules Lombardos, quos ſuperioribus annis propter coniurationes initas Conradus in Germaniam relegarat, reſtituit. Exules inde, ciuitatibus ſuis repetitis, humilitatem, in qua in exilio fuerant, tenuerunt, neque vllam rem publicam, aut priuatam attingentes, verùm vni religioni ſtudentes, ac victum manibus ſuis quærentes vitam traduxerunt. primæ ſedes ad Comum in loco, qui Rondinetum appellatur, locatæ. Hos vulgo monachos Humiliatos dictos, atque aliis ad eos ſe applicantibus auctos ſequentibus annis diſciplina D. Benedicti Ioannes Meda Comenſis aſtrinxit. qui poſt propter ſanctiſsimæ vitæ famam poſt mortem anno milleſimo centeſimo quinquageſimo nono ab Alexandro tertio pontifice in numerum diuorum aſcriptus eſt. Placentiam inde progreſſus, Gregorium pontificem obuiam progreſſum excepit. Vido Pompoſiæ abbas, ſanctitate per ea tempora clarus, cum accitus ab Henrico obuiam illi veniſſet, in oppido S. Domnini mortem oppetiit, atque ſepultura ſua miracula plurima edidit. ex quo corpus eius Parmam delatum ſummo in honore haberi eſt cœptum. Digreſſus inde Placentia per Decembrem acceſsit Sutrium. Ibi frequenti aduocato epiſcoporum concilio, de cooptatione Gregorij, quæ vulgo iactabatur, eſt agitatum, &, cum pecuniam interceſsiſſe, ſatis certis argumentis probaretur, omnium conſenſu vitio factum pontificem eſſe, pronunciatum. Quo decreto

audito

audito Gregorius conſternatus ſtatim de ſede ſua proſiluit, ac, pontificalibus veſtimentis abiectis, humi proſtratus delicti veniam poſtulauit. Relatione inde de nouo ſubrogando pontifice facta, cum Romani, qui aderant, neminem nominarent, ipſe hominem Germanum, nomine Suidigerum, Bambergenſem epiſcopum, virum probum, ac litteris eruditum, qui in comitatu ſuo aderat, dixit. atque ab omnibus approbatum Clementem ſecundum vocauit. Gregorius Cluniacum relegatus ſecum Hildebrandum Soanenſem monachum duxit, qui poſtea ad pontificatum euectus, amore eius Gregorium VII ſe vocauit. Sutrio inde Romam pridie Natalicia eſt ventum. poſtridie in ipſo Nataliciorum feſto Clemens pontifex conſecratus Henricum Imperatorem cum Agnete coniuge conſecrauit. atque perfectis in Vaticano ſolemnibus Pontifex, Imperator, & Imperatrix maximo totius populi Romani plauſu in Lateranum, coronis quiſque ſuis redimiti, de more procedentes oculos in ſe omnium tanti maieſtate ſpectaculi conuerterunt. His actis Clemens III Nonas Ianuarias Eremum Camaldulenſem in fidem ſuam ſuſcepit. inde ipſo annitente Henrico, quod aſſiduis iandiu piorum omnium votis expoſcebatur, inſignem, ac memorandam in primis labentis Eccleſiæ reformationem aggreſſus eſt, qua nulla aut opportunior vnquam, aut maioribus difficultatibus impeditior fuit. quippe Eccleſia Dei grauiter iam prope per ducentos annos ægrotans & multa, & ea valida remedia requiſiuit. vſque adeo vt ad extremum ne ignem quidem, & ferrum, quæ vltima inſanabilium morborum ſunt medicamenta, repudiarit. cum ceteris ſanatis membris caput ipſum, nempe Imperator, ſalutaria omnia conciliorum documenta reſpueret, nec, quaſi mentis impos, egregiè conſulenti medico obtemperaret. Quibus de rebus nos deinceps quàm planiſsimè poterimus, quod nemo adhuc ne tentauit quidem, agemus. Igitur ad rem tantam inſtituendam concilium epiſcoporum Clemens in Lateranum vocauit. cui interfuerunt Vido archiepiſcopus Mediolanenſis, Eberardus Aquileienſis, & Hunfridus Rauennas, paullo ante ab Henrico ex Italiæ cancellario Vidgero ſubrogatus. Eo coacto primo die nouum de præſeſsione Italicos inter proceres certamen eſt ortum. Cum Pontifex ſediſſet, ac patriarcha Aquileienſis dextram, læuam Rauennas archiepiſcopus occupaſſet, inclinante iam ad veſperum die, Mediolanenſis aduenit, ac dexteram ſedem poſtulauit. Aquileienſi, & Rauennate reclamante, atque vtroque eam ſibi depoſcente, conuentus rem cognoſcẽdam eſſe, decreuit. Reliquis diebus cauſſa Simoniacorum agitata, omnis ſacrorum ordinum nundi-

1047

natio improbata. Cum autem quæſtio illata eſſet, num qui à Simoniaco epiſcopo initiati eſſent, ordinem retinere deberent, decretum eſt à Clemente, vt ſi ipſum tum Simoniacum, cum initiabatur, eſſe ſciuiſſent, quadraginta dierum defuncti piaculo in accepti ordinis miniſterio pergerent. His de rebus Romani veteres Henrico honores inſtaurarunt, decreto facto, vt Patricius Romanus eſſet, atque vt pro ſuo iudicio Romanam Eccleſiam ordinaret, neque poſthac ſine ipſius auctoritate Romanus pontifex crearetur. Quæ qui his temporibus aut æquales, aut vicini fuerunt, Petrus Damiani, & Leo Marſicanus,
1047 vterque Oſtienſis epiſcopus, memoriæ prodiderunt. His actis Henricus vxorem cum maxima exercitus parte remiſit domum, quæ in agro Rauennati filiam peperit. ipſe verò cum altera ad res Campaniæ inuiſendas proceſsit. caſtelliſq. nonnullis, quæ à Nortmanis occupata fuerant, in poteſtatem redactis, Caſsinum adiit, & monaſterio donato monachis ſe religioſiſsimè commendauit. Capuam inde progreſſus, Guaimario ſe Capuano Principatu, quem nouem annos tenuerat, abdicante, Pandulfo illum priori Principi, magno auri pondere accepto, reſtituit. Drogoni Apuliæ, & Ranulfo Auerſæ Comitibus, cum ad ſe adiſſent, atque equos eximios, magnamq. vim pecuniæ obtuliſſent; omnem, quam tenebant ditionem Imperiali auctoritate ſanciuit. Ibi etiam priuilegium aureo ſigillo Richerio abbati de more firmatum. Beneuentum inde profectus, cum ciues eum & patris, & ipſius iniuriis irritati non reciperent, eos per Pontificem, quem ſecum habebat, piorum ſocietate ſemouit. Clemens autem cum eſſet Salerni, Ioannem Pæſtanum epiſcopum ad Salernitanam eccleſiam à Guaimario Principe, & populo Salernitano traductum confirmauit, & palliò decorauit. In Lombardiam inde reuertens Henricus Rauennam, atque inde Mantuam venit. Mantuæ Paſcha egit. &, cum ægrotaſſet, Cadaloo Parmenſi epiſcopo *fodrum*, *&* *manſionaticum* diplomate dato remiſit. atque ab eo corpus Vidonis, Pompoſiæ abbatis, maioribus in dies miraculis ſplendens accepit. VIII Idus Maij Folerni cum eſſet, canonicis eccleſiæ Veronenſis indulſit anno, vt ſcribit, *ordinationis ſuæ octauo decimo, Imperij verò primo*. Poſt menſem inde Maium ſolemni conuentu in Roncaliis habito Mediolanum progreſſus epiſcopum Papienſibus dedit, eumq. Italia abiens archiepiſcopo commendauit. Quæ res nouum ſubitò belli concitauit incendium. Nam cum Papienſes epiſcopum accipere abnuiſſent, Mediolanenſes antiſtitem ducem ſequuti vltro arma Papienſibus intulerunt. Neque verò Papienſes de-

trectauere

trectauere certamen. verùm virtuti par fortuna non fuit. Siquidem collatis ſignis tanta ſtrage à Mediolanenſibus cæſi ſunt, vt quidam ſcribant, campum, in quo pugnatum eſt, ab ea re apud poſteros Campum mortuorum eſſe appellatum. Mediolanenſes inde vrbem adorti eos ad recipiendum epiſcopum adegerunt. & conuerſis aduerſus Paraſium armis, cuius ciues Papienſibus auxilium tulerant, oppidum euerterunt. Eodem anno Clemens pontifex VII Idus Octobris diem ſuum obiit. Qua re cognita, Benedictus opibus factionis ad pontificatum reuerſus, illum tandiu renuit, donec Henricus Poletæ de Clementis morte per dies Natalicios à Romanis commonefactus, 1048
ſuperiore priuilegio vſus, Popponem Brixinenſem epiſcopum edidit. Eo anno per Quadrageſimæ tempus Sanguis Chriſti Mantuæ, qui in nouam ciuium ignorationem inciderat, iterum cæci cuiuſdam reuelatione inuentus, ac multis miraculis comprobatus eſt. Poppo autem cum honeſtiſsimo comitatu Romam peruenit, atque ab omnibus ſummo honore acceptus XVI Kal. Auguſti in conſecratione Damaſi ſecundi nomen eſt nactus: verùm mox Idibus ipſis Auguſti Præneſte, quò ad æſtiuum Romani cæli feruorem vitandum ſeceſſerat, eſt extinctus. Eum mortuum Henricus Friſingæ, vbi Natalem 1049
Domini celebrabat, à legatis Romanorum, qui ſe illa de cauſſa adierant, audiit. Ille autem, vt petentibus Pontificem Romanis obſequeretur, Brunonem, hominem Germanum, ſed in Burgundia Tullenſis ciuitatis epiſcopum eum honorem inuitum ſuſcipere compulit, hominem, vt poſt apparuit, eximia prudentia, ac ſanctitate ornatum. ac primo quoque tempore decedere in Italiam, iuſsit. Bruno Tullo egreſſus itinere Veſontionenſi ad monaſterium Cluniacenſe profectus apud Abbatem diuertit. Tum verò Hildebrandus, Soanenſis monachus, vir commemorabili pietate, atque doctrina præditus, cum eum mitra redimitum, & chlamyde purpurea decoratum, tanquam pontificem, incedere cerneret, rei indignitate permotus, abbate adiuuante ipſum admonuit, ne ſacroſanctam dignitatem profani hominis arbitrio delatam iniret, niſi ante ſe ſuffragiis cleri, populiq. Romani antiquo inſtituto, triſti Damaſi euentu edoctus permitteret. Quod vbi vir ſanctus audiuit, raptim probato conſilio pontificia ornamenta dimiſit. & peregrini habitu ſumpto, atque ipſo ſecum Hildebrando adducto, quaſi ad viſitanda limina Apoſtolorum contenderet, ad vrbem ire perrexit. Romam autem ingreſſus, poſtridie in baſilica S. Petri clero, & populo conuocato ſic dixit: Et legationem veſtram fratres expleui, & Imperatoris voluntati morem geſsi. Ro-

mam verò nulla alia de cauſſa me conſuli, niſi vt glorioſiſsimum hoc S. Petri ſepulchrum inuiſerem. Quoniam autem pontificia ſedes per multos iam menſes vacat, hortor vos, vt ſine cunctatione bonum vobis paſtorem deligatis. Cum autem epiſcopi, & cardinales vno ore reſpondiſſent: Te, & non alium cupimus, & in epiſcopum Romanum eligimus, tum archidiaconus de more dixit: Brunonem beatus Petrus elegit. Dum autem clerus, & populus hoc ipſum verbum crebrò repeteret, arreptus in ſede S. Petri ſubitò collocatus eſt. ac pridie Idus Februarias conſecratus Leonis noni nomen accepit. Quo facto ſtatim ipſum Hildebrandum, qui ſalutare conſilium dederat, ſibi diaconum, atque Eccleſiæ œconomum depopoſcit. Verſabantur ante oculos præſentes Eccleſiæ labes, quas Leo, cùm neque Clementem, neque Damaſum, intempeſtiua morte præuentos, diluere potuiſſe videret, id ſui potiſsimum eſſe muneris arbitratus plures ad eam rem conuentus indixit. Garganum autem primum per Quadrageſimæ tempus celebrata religionis fama commotus perrexit. inde in feſto Palmarum ad Caſsinas monaſterium adiit, eoq. ibi die ſacris eſt operatus, & cum monachis in triclinio familiariter epulatus. Romam inde reuerſus abbatem nouis muneribus ad incrementum dignitatis affecit. atque inde duos in Italia conuentus habuit, vnum in Laterano poſt Albas, alterum Papiæ poſt Pentecoſten. In Lateranenſi datum eſt Gradenſi patriarchæ pallium, & ſede eius approbata, vt crucem præ ſe ferret, indultum. epiſcopiſq. Venetiæ, atque Iſtriæ imperatum, vt ei, tanquam primati ſuo, obedientiam, ac reuerentiam exhiberent. Inde Alpes emenſus per autumnum tertium conuentum coegit in Francia Rhemis, & quartum in Germania, præſente Imperatore, Moguntiæ. Decretum in omnibus eſt, *ne ſacros epiſcopi ordines venderent, quique à ſimoniacis emiſſent, per iniunctum à Clemente piaculum ordines retinerent. & ne clerici vxores, aut concubinas haberent*, quemadmodum Petrus Damiani ſcripſit in eo libro, quem Gratiſsimum nominauit. Moguntiæ Spirenſis epiſcopus, cum his de criminibus argueretur, ipſe ſe ſacro Chriſti corpore in deteſtationem animæ ſumpto purgauit. Hoc anno Henricus ius monetæ ſignandæ epiſcopo Patauino indulſit hoc, quod adhuc extat, diplomate dato: *Henricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Norint omnes Chriſti, noſtriq. fideles, quemadmodum rogatu noſtri thori, regniq. conſortis Agnetis Imperatricis Auguſtæ ius monetæ ſignandæ in vrbe Patauina concedimus Betenardo epiſcopo, & ſucceſſoribus eius ſecundùm pondus monetæ Veronenſis, ita vt in vna nummorum parte nomen, & imago noſtra, in altera verò ipſius vrbis figura*

bis figura exprimatur. Data X V I Kalen. Maij Anno Dom. Incarnatio. M X L I X, Indictione II. Anno autem D. Henrici tertij Regis, Imperatoris ſecundi, ordinationis eius vigeſimo, Regni quidem decimo, Imperij autem tertio. Actum Goslariæ. Ceterùm ordinationis annus dicitur annus, quo rex eſt Germaniæ declaratus, qui fuit milleſimus triceſimus nonus, vt nos ex vetuſtis ipſius, patriſq. diplomatis ſcripſimus, Germanis repudiatis, qui triceſimum ſextum prodiderunt. Eberardo Aquileienſi patriarchæ mortuo Gotopoldus eſt ſubſtitutus. Leo inde decedens in Italiam V I Kal. Decembris dominicam ante Aduentum Augiæ celebrauit, ac per Baioariam tranſiens Natalem Domini, ineunte anno milleſimo quinquageſimo, Veronæ peregit. ac Venetias 1050
progreſſus à Duce, & ciuitate magno honore exceptus multis eum beneficijs Duci, atque eccleſiæ datis rependit, ac demum Romam ſe contulit. Berengarius clericus Andegauenſis litteras ad Lanfrancum, Cantuarienſem epiſcopum, miſit, euchariſtiæ ſacramentum euertens, & Ioannis Scoti librum de ea re laudans. quas qui pertulit, Lanfranco non inuento, obſignatas ſociis eius reddidit. qui cum eas aperuiſſent, argumento offenſi eas per clericum quendam Rhemenſem ad Leonem pontificem tranſmiſerunt, conuentum poſt Reſurrectionem habentem. in quo cognita ex litteris Berengarij hæreſi, ipſum abſentem communione Eccleſiæ ſummouerunt, Lanfrancum verò, cum fidem ſuam exponere iuſſus omnibus cauſſam, atque innocentiam ſuam probaſſet, omni ſuſpicione criminis liberarunt. vt ipſemet de ſe ſcripſit. Quibus actis Leo, pleniore concilio Vercellas indicto, ad fines vlterioris prouinciæ explorãdos profectus, Campaniæ Principes, ac ciuitates in ſua, atque Henrici verba ad iuſiurandum adegit, eoſq. ab amicitia Normanorum in dies magis inualeſcentium auocauit. Caſsini in feſto Apoſtolorum rem diuinam pontificia cæremonia celebrauit. ac pedibus duodecim monachis lotis vnà cum eis communi in triclinio cibum cepit. & Beneuenti ciues diris, quibus à Clemente fuerant obligati, laxauit. atque inde Vercellas profectus conuentum peregit. Ei conuentui Berengarius citatus non affuit, ſed diſcipuli duo ab eo miſsi pro illo reſpondentes in primo cauſſæ limine corruerũt. Conuentus librum, & Berengarij opinionem ſumma iterum conſenſione damnauit. & Hunfridum archiepiſcopum temere cum ſede Apoſtolica litigantem ab officio epiſcopali remouit. atque inde Tullum in Franciam rediit. Muſactus rex, imprudentibus, aut certè fruſtra repugnantibus Piſanis, Sardiniæ regnum recepit, eamq. multis caſtellis conditis communiuit. Poſtero anno Henricus Goslariæ Na- 1051

talem Domini agẽs pleroſque Germaniæ Principes iuſsit apud filium
ſuum Henricum priore anno ex Agnete Auguſta natum, quanquam
nondum ſacro baptiſmate expiatum ſolemne dicere ſacramentum.
Inde Leoni pontifici ad ſe venienti apud Auguſtam in die Purificatio-
nis occurrit, atque ei Hunfridum reconciliauit. qui paullo poſt vene-
no infectus interiit. Leo inde Romam reuerſus nouum poſt Paſcha
conuentum habuit. in quo Gregorium Vercellenſem epiſcopum ab-
dicauit. adulterij, periurijq. compertum. & paucos poſt dies Ioanni
eccleſiam Salernitanam, ac vetera eius prædia confirmauit. Piſani à
Pontifice impulſi claſſem inſtructam in Sardiniam intulerunt. ac tem-
peſtate in Corſicam delati primùm partem inſulæ Genuenſibus ade-
merunt, deinde ad Sardiniam ſedata tempeſtate appulſi tantum Mu-
ſacto terroris incuſſerunt, vt bonis, quæ abſportare non poterat, in-
flammatis, exceſſerit. Ea res primas inter Genuenſes, & Piſanos ſimul-
tates exciuit, quæ poſtea in apertas, & pernicioſas bellorum conten-
tiones exarſerunt. Hunfridus Apuliæ Comes, qui Drogoni fratri ſuc
ceſſerat, vt ditionem prolatarer, Eccleſiæ fines inuaſerat, ita vt ne ipſis
1052 quidem templis, ac monaſteriis abſtineret. Sequenti verò, Ricardus
frater eius, Comes Auerſanus, Capuanum Principatum affectans, Pan-
dulfo Principe mortuo, ac Landulfo filio eius deſpecto, Capuam ag-
greſſus ciues adeo obſidione preſsit, vt ad vrbem exceptis portis, tur-
tibuſq. dedendam adduxerit. His rebus permotus Leo Capuam, ac
Beneuentum pertexit, atque vtramque ciuitatem diris deteſtationi-
bus obligauit. Henricus Hunfrido mortuo Henricum archiepiſco-
pum Rauennatem ſubſtituit, atque eum Rauennam per Nizonem
Friſingenſem epiſcopum miſit. Henricus Hunfridi veſtigia ſequutus
cum Romana Eccleſia decertauit. atque ab ea poſt in conuentu La-
teranenſi damnatus tamen in epiſcopali officio perſtitit, ac plurimum
proteruia ſua illam eccleſiam deprauauit. Bonifacius marchio per in-
ſidias ad Spinetam, agri Cremonenſis vicum, ad ripam Olij ab exule
quodam pridie Nonas Maij interficitur, ac ſummo Italiæ dolore
Mantuæ in æde S. Andreæ ſepelitur. Eius ditionem Beatrix vxor,
quæ ædem illam conſtruxerat, & filia Mathildis, & Bonifacius puer
excepit. Piſani claſſe in Siciliam delati Panormum oppidum, quod à
Sarracenis tenebatur, diripuerunt. ac domum reuerſi epiſcopium, &
baſilicam vrbis nouam ex manubiis conſtruxerunt. Noua inde obla-
ta rei bene gerendæ Leoni materia eſt: Henricus cum Andrea Vnga-
riæ rege bello inexpiabili contendebat. Id Leo, quàm alienum eſſet
Chriſtianorum rationibus, cernens continuò ad Andream ſe contu-

lit, vt eum ad pacem cum Henrico faciendam adduceret. verùm auctoritatem apoſtolicam præter opinionem ſuam repudiantem nactus indignatione exarſit, vſqueadeo vt ei piorum communione interdixerit. atque ad Henricum profectus, Natalem cum eo Vormaciæ celebrauit. Tum verò inſignis multorum prædiorum eſt inter Imperatorem, & Pontificem permutatio facta. Poſsidebat in Germania complures Pontifex, eaſq. opimas, eccleſias ſuperiorum regum beneficio, ac pietate S. Petro donatas. Has igitur liberare Henricus cupiens, petiit à Leone, vt ſibi remitteret, & pro illis Beneuentum, ac cetera in Ducatu Beneuentano iuris regij oppida nomine vicariatus ſibi haberet. Qua re audita, Leo nihil ſe eius abnuere voluntati poſſe, reſpondit. illud autem adiecit, vt Leo Oſtienſis prodit, ea loca cum omni Eccleſiaſtica ditione aſsiduis Nortmanorum incurſionibus infeſta eſſe, ſe adhuc compoſitis in capitis deteſtationem carminibus vſum, nihil profeciſſe, armis, non execrationibus diram inſolentium hominum ferociam comprimi oportere. ad rem tantam conficiendam animum ſibi ſupeteſſe, vires deeſſe. quamobrem orare illum, vt ad cumulandam beneficij gratiam firmam aliquam Germanorum manum auxilio præbeat. Henricus haud grauatè optimi Pontificis petitioni obtemperauit. Decedens inde cum valido Germanorum robore Leo ſecum duxit Gothifredum Lotharingiæ Ducem, Gozelonis filium, quem paullo ante Henrico reconciliauerat, itemq. fratrem eius Fridericum, quem mox cancellarium ſibi aſciuit. ac Quinquageſima Mantuæ acta citra Quadrageſimam Romam peruenit. ac ſtatim concilium in Laterano, vt aſſueuerat, habuit. In eo Dominico, Gradenſi patriarchæ, pallium eſt datum. & fide eius approbata, vt crucem præferret, indultum. epiſcopis Venetiæ, & Iſtriæ imperatum, vt ei tanquam primati ſuo obedientiam, ac reuerentiam exhiberent. Extant adhuc litteræ ad illos miſſæ: *Volumus vos ſcire*, inquit, *in hac præſenti indictione ſexta Dominicum patriarcham Gradenſem ad conuentum noſtrum Romæ habitum acceſsiſſe, & de ſua, & Foroiulienſi eccleſia queſtum apud nos eſſe. Itaque lectis priuilegijs eius, ab apoſtolica ſede conceſsis ex Concilij ſententia conſtituimus, vt Gradus, quæ noua eſt Aquileia, totius Venetiæ, & Iſtriæ caput, ac metropolis eſſet, Foroiulienſis verò antiſtes Lombardorum ſe finibus contineret, vt Gregorij II, & III priuilegijs continetur. & quidem iure, ſiquidem Foroiulienſis quater à nobis vocatus nec venire, neque excuſationem afferre voluit, cum Gradenſis etiam non vocatus quinquies noſtro ſe conuentui ſtiterit. Quare mandamus vobis, vt Gradenſi patriarchæ, tanquam primati veſtro, obtemperetis.* Inde relatione de Nortmanis facta, 1053

ſumma omnium conſenſione bellum decretum, ac propere aduerſus eos eſt exitum. Poſt Ioannem decimum Pontifex nemo ad bellum, quod meminiſſe homines poſſent, pródierat. Itaque Leone paratis rebus omnibus ad Nortmanicam expeditionem eunte, erecta nouę rei expectatione vniuerſa Italia eſt. Hoc vbi ſenſere Nortmani Pontificis veneratione perculſi pacem eueſtigiò petierunt ea lege, vt quæ ceperant, Eccleſiæ beneficio retinerent, atque eius feudatarij fierent. Tum Leo antiquam ſeueritatem ſpirans, Reddant antè, inquit, res S. Petro ereptas, deinde de pace loquantur. Cui Nortmanus ferox, Atqui prius millies mortem pugnando oppetiturus ſum, quàm, quæ ſemel armis peperi, redditurus. Ceterùm Leo vrbe egreſſus rurſus Caſſinum adiit, &, cum piis monachorum ſe precibus commendaſſet, ac nouis monaſterium beneficiis exornaſſet, aduerſus hoſtes proceſsit. Pro Pontifice ſtabat Rodulfus Beneuenti Princeps, paullo ante ab eo inſtitutus, & Varnerius Sueuus, Dux ab Henrico ſummiſſus, pro Nortmanis ipſe Comes Hunfridus cum Ricardo, & Roberto fratribus. Caſtris vtrinque in Apuliam promotis, XIIII Kal. Iulias fortiter ab vtraque parte in campis Teatis concurſum eſt. Primo prœlio Nortmani loco moti ceſſerunt. Inde collectis copiis pontificios ex improuiſo aggreſsi ita circumuenerunt, vt Lombardos in fugam coniecerint, Germanos ad vnum prope omnes occiderint. Haud incruenta tamen victoria fuit. Leo ex prœlio in oppidum trepidus ſe recepit, ibiq. acriter obſeſſus, tandem reddita, quam ademerat, ſacrorum communione, ſe dedidit, ac IX Kalendas incolumis ab Hunfrido Beneuentum deductus eſt. ibique in reliquum anni moratus pontificia munera exercere non deſtitit, atque in primis Vldericum Beneuentanum archiepiſcopum ordinauit. Per eoſdem dies Guaimarius Princeps Salerni Amalfitanorum, & Salernitanorum quorundam coniuratione in littore maris oppreſſus, triginta ſex vulneribus acceptis moritur. eoq. fœdè, ac per ludibrium tracto, oppidum cum arce ab ipſis cædis auctoribus occupatur. Poſt quintum inde diem Nortmanis opem ferentibus, Vido Principis frater Salernum recepit, idq. Giſulfo Guaimarij filio tradidit. Beatrix Gozeloni Lotharingiæ Duci, Henrici inimico nupſit, ac filiam Mathildem Gothifredo Gozelonis filio collocauit. qui Ducis Spoleti, & Tuſciæ titulum tulit. Ea res ſuſpicionem non leuem Henrico alienandæ à ſe Italiæ attulit. Eo anno vehementer re frumentaria laboratum. Superioribus annis Eccleſia Conſtantinopolitana rurſus à Romana defecit propter principatum, quem ipſa ſibi arroganter aſciuit, Conſtantino Imperatore Michae-

lem patriarcham temere primariis honoribus onerante. Cum autem
poſt diuturnas diſcordias vterque eorum litteras ad Leonem de pa-
ce conſtituenda miſiſſet, Leo ad eam controuerſiam finiendam le-
gatos tres Conſtantinopolim deſtinauit, Vbertum epiſcopum Syl-
uæ candidæ, Petrum archiepiſcopum Amalphitanum, & Frideri-
cum archidiaconum, cancellarium ſuum, atque menſe Ianuario,
Indictione VII litteras vtrique ſeparatim reddendas dedit. qua- 1054
rum quæ ad patriarcham ſcriptæ ſunt, hac ferme ſententia fuerunt:
*Tandem litteræ ad nos tuæ peruenerunt, quibus vltro nos ad pacem complecten-
dam hortaris, vt poſt longas, & pernicioſas contentiones filia ex matris recon-
ciliatione lætetur. qua de re plurimum te amamus, atque laudamus. Volumus
autem te ſcire, plurima de te ad nos eſſe delata, quæ nos, partim quia incredibi-
lia videbantur, partim quia nulla facultas talia inquirendi dabatur, indiſcuſſa
hucuſque reliquimus. Diceris enim neophytus ad epiſcopale faſtigium aſcendiſ-
ſe, & Antiochenum, atque Alexandrinum patriarchas contra patrum decreta
tibi ſubijcere tentare. Quin etiam temere te vniuerſalem patriarcham appel-
las, neſciens, id nomen ei ſoli conuenire, cui diuina voce dictum eſt: Tu es Pe-
trus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. & Ioannem illum præ-
deceſſorem tuum, qui primus hoc nomen ſibi vindicauit, à Pelagio, & Grego-
rio pontificibus anathemate perculſum occubuiſſe. Adde, quod poſt mille, &
viginti à paſſione Saluatoris annos Latinorum eccleſiam anathemate feriſti,
quòd ex azymis ſacramentum conficeret. de quibus rebus, quoniam latius à lega-
tis noſtris per alia ſcripta noſtra doceberis, plura non dicemus.* Quæ verò ad
Imperatorem mittebantur, in hæc ferme verba ſcriptæ erant: *Gratias
Deo ingentes ago, quòd poſt longas, & pernicioſas diſcordias tu primus pacis au-
ctor, & poſtulator fuiſti. in quo propoſito vt perſiſtas, te vehementer rogatum
ad Dei gloriam volo. Ego dolore ingenti afficior, quòd gens Nortmanorum cru-
deli, et inaudita rabie, & plus quàm pagana impietate aduerſus eccleſias Dei ſeſe
extulit, paßim Chriſtianos trucidans, ac nouis tormẽtis ad mortem excrucians, nec
ætati, aut ſexui parcens, baſilicas expilans, incendens, ac diruens. cum ſæpe eorum
peruerſitatem admonuiſſem, obſecraſſem, atque obiurgaſſem, ac nihil profeciſ-
ſem, tum demum ad tantam contumaciam comprimendam humana auxilia
vndique mihi colligenda putaui. fultus ergo comitatu, qualem breuitas temporis,
et imminens neceßitas permiſit, glorioſi ducis, et magiſtri Argyrei fideliſsimi ve-
ſtri, colloquium, & conſilium expetiui, non quòd cuiuſquam Nortmanorum
interitum exoptarem, ſed vt humano terrore excitarentur, qui diuina iudicia
minimè formidarent. Interea nobis eorum pertinaciam ſalutari admonitione fle-
ctere contendentibus, & illis omne obſequium ſimulatè ſpondentibus ex improui-
ſo comitatum noſtrum aggrediuntur. ſed adhuc de victoria magis dolent, quàm*

latantur. Nos diuinam opem affore, neque humanam defore confidentes haudquaquam ab hoc noſtro liberandi Chriſtiani nominis conſilio recedemus. quam ad rem præſidio quoque futurum Henricum Imperatorem, putamus. cuius in dies promiſſum aduentum expectamus. quemadmodum ad idem decus te quoque Deus accendit. Et quia Eccleſia Romana diu à mercenarijs, & non paſtoribus, quæ ſua, non quæ Chriſti eſſent, quærentibus obſeſſa, ac mirabilem in modum lacerata fuit, placuit Deo, vt ego huic oneri ſubirem. & licèt impares humeri mei eo deprimantur, ſpero tamen me tantis præſidijs nixum filiorum religione, opibuſq. præſtantium facilè amiſſa omnia recepturum. Quare te oratum in primis velim, vt Conſtantini Maximi exemplo, cuius nomen geris, patrimonia Eccleſiæ in Imperio tuo ſita recuperes. Hoc enim Henricus quoque in ſua ditione molitur. Michael patriarcha litteras ad me de pace conciliandа miſit, quæ mihi gratiſſimæ fuerunt. Volo tamen, vt ſcias, illum multa intoleranda patraſſe. nam anathemate perculit omnes, qui ex azymis ſacramenta conficerent. et Antiochenum, atque Alexandrinum patriarchas ſibi ſubijcere voluit. Quare ſi ille in hac pertinacia manſerit, pax conuenire non poterit. confidimus tamen, fore, vt admonitus citò reſipiſcat. Præſentes legatos ſedis apoſtolicæ tibi commendamus orantes, vt eos benignè audias, ac breui remittas. deſq. operam, ne nos aut conſilij noſtri, aut illos laboris ſui pæniteat. Cum his litteris legati Caſsinati monaſterio piè viſitato continuò iter ingreſsi ſunt. Eodem anno Henricus puerum ſuum Henricum Aquis per archiepiſcopum Colonienſem Hermanum regem Germaniæ conſecrauit, Luipoldo archiepiſcopo Moguntino, cuius id iuris erat, Henrici in eo voluntatem fouente. Interim Leo in morbum incidit. Itaque ab Hunfrido IIII Idus Martij Capuam Beneuento deducitur. Vnde poſt XII dies Romam ſub Paſcha delatus Eccleſia ad Confeſsionem S. Petri clero, ac populo, & Hildebrando œconomo commendata demum XVI Kal. Maij moritur. Inſignia inde ad eius tumulum miracula edita in eam opinionem homines adduxerunt, vt inter cæleſtium numerum receptum eſſe arbitrarentur. Inter cetera ſanctitatis viuentis eius argumenta hoc quoque numeratur, quòd, dum Romæ ageret, tertio quoque die à Laterano in Vaticanum nudis pedibus tribus tantùm clericis comitatus ſilentio noctis procedere pſallendo, atque orando ſolitus fuerit. Legati Pontificis Conſtantinopolim ad reconciliandam Eccleſiam miſsi, honorificè ab Imperatore ſuſcepti ſunt. Inde vt hæreſes eorum cognoſcerent, concilium indixerunt, atque eò Imperatorem, & patriarcham vocarunt. Cum autem illi ſe venturos, principatum Eccleſiæ ſibi vindicantes, negarent, Fridericus Leonis, à quo mittebatur, animi magnitudinem imitatus, rem

dignitati

dignitati Romanæ Eccleſiæ congruentem peregit. quippe vrbe egreſſus ſandalia ſua more Apoſtolorum ſuper eos excuſsit. quo facto tantum terroris omnibus Conſtantinopolitanis iniecit, vt Imperator, & patriarcha cum clero, & populo poſtridie ſacco, & cinere obuoluti ad eum perrexerint, & apoſtolicam auctoritatem in eo ad terram prolapſi adorarint. Inde, cum nuncium de morte Pontificis accepiſſent, hæreſibus eorum, & Michaele patriarcha, & Leone epiſcopo Acridano damnatis, in Italiam redierunt, muneribus eximiis, quæ S. Petro offerrent, ab Imperatore donati. Cum autem per Apuliam tranſirent, à Tranſmundo Comite Teatino per libidinem, auaritiamq. diſpoliati ſunt. Fridericus inde in odium Henrici propter Gothifredum fratrem cum ſe incidiſſe videret, inſidias fugiens Caſsini monachum induit. Conſtantinus Imperator extremo anno eſt mortuus. Theodora Auguſta Imperium Orientis excepit. Romani, cum comitiis habitis neminem dignum Leonis ſucceſſorem apud ſe reperirent, Hildebrandum ſubdiaconum ad Henricum miſerunt, mandantes, vt quem apud eum idoneum iudicaſſet, eum cleri, populiq. nomine poſtularet. Profectus Hildebrandus Gebehardum Eiſtatenſem epiſcopum poſtulauit, ſingularis tum religionis, atque prudentiæ virum, in primiſq. Henrico probatum, & carum. Fecit grauatè Henricus, vt tantum virum, & tam fidum amicum à ſe dimitteret, ſed tamen conceſsit. Hunc igitur Hildebrandus, licèt inuitum, anno iam poſt mortem Leonis exacto, adduxit Romam. atque ex omnium Romanorum ſententia renunciauit pontificem. Idibus Aprilis in Cœna Domini conſecrato Victoris ſecundi nomen impoſitum. 1055
Hic Leonis veſtigia ſequutus, præſentem Eccleſiæ ſtatum formare perrexit, ac propterea ſubitò Florentiam conuentum indixit, atque eò Henricum etiam inuitauit. Is ab Italis acceſſitus erat aduerſus Gozelonem, Beatricis virum, quem ad imperium Italiæ aſpirare, atque opibus quotidie creſcere iactitabant. Vbi verò venit, Gozelonem ad imperata facienda paratum, & opibus vxoris ſe fore contentum aſſerentem nactus, omni criminis ſuſpicione abſoluit, veritus, ne, ſi eum à ſe alienaret, ducem ille ſe Nortmanis adiungeret. Feſtus Reſurrectionis dies ab eo Mantuæ celebratus. Florentiam inde ad conuentum euntem Mutinenſis epiſcopus Herebertus adiuit, atque vt vrbem augere, & munire ſibi liceret, poſtulauit. Ceterùm vrbs Mutinæ primùm Gallorum Boiorum ſedes, deinde ciuium Romanorum colonia fuit, præcipuè ſæuiſsima obſidione bello ciuili Antoniano nobilitata. A Conſtantino inde Magno, cum à Maxentio tenere-

tur, euerſa, ac mox poſt victoriam reſtituta, ſacris Chriſtianis ſuſceptis, Geminianum epiſcopum, ſpectatæ ſanctitatis virum tulit. A barbaris inde deletam ciues deſeruere, ac proximos vicos, & caſtra inſedere. præcipuè autem locum quattuor millibus paſſuum ab vrbe diſtantem communiuerunt, quem Ciuitatem Geminianam, ac Ciuitatem nouam dixerunt. Vido autem Imperator, cum epiſcopo loca, in quibus vrbs vetus conſtructa fuerat, conceſſiſſet, adiunxit etiam, vt foſſas purgare, portas erigere, pontes inſtituere, aquas aperire, & claudere, molendina conſtruere, locumq. ſupra mille paſſus in circuitu munire, & antiqua vectigalia ad honorem Eccleſiæ exigere poſſet. Hoc autem tempore viſum eſt Hereberto epiſcopo, & iis, qui veterem vrbem colebant, poteſtatem eius reædificandæ, muniendæ, atque augendæ ab Henrico poſtulare. Quod ille diplomate in hæc verba conſcripto conceſſit: *Henricus Romanorum Imperator Auguſtus. Cum Herebertus epiſcopus S. Mutinenſis eccleſiæ, & ciues eius noſtra adita clementia expoſuerint, ipſorum olim nobiliſſimam, atque antiquiſſimam vrbem Mutinam propè deſertam eſſe, ex eaque re nobis, & noſtræ reip. maximum detrimentum accedere, petierintq. vt eam nos ipſis reædificare, munire, atque augere concederemus, quò noſtris, & S. Eccleſiæ hoſtibus firmioribus reſiſtere viribus poſſent, ob eam rem nos iuſtis eorum precibus obſequentes cum id eis permittimus, tum verò etiam vſum aquæ amnium Siclæ, & Scultemnæ epiſcopo, & ciuitati concedimus, poteſtatemq. aluei excauandi ad merces in Padum Venetias, & Rauennam deferendas largimur. quin etiam Eccleſiæ, & ciuibus omnes rectas conſuetudines conſeruamus, quas antiquitus habuerunt, modo ne epiſcopi mutatio, aut alio modo, niſi per noſtram manum, ſubrogatio fiat, niſi à Romano Pontifice legitimè abdicetur.* Florentiam inde, quò Pontifex præceſſerat, cum ſub feſtum Pentecoſtes veniſſet, conuentui interfuit. In eo concilio cum alia emendata, quæ ad diſciplinam Eccleſiæ pertinebant, tum in primis de fornicatione, & ſimonia clericorum eſt actum, aliquot etiam epiſcopis, qui eorum criminum erant comperti, damnatis. Eodem etiam tempore Hildebrandus ob id in Franciam à Victore legatus graues aduerſus Simoniacos, & Nicolaitas conuentibus habendis exercuit quæſtiones. cumq. ſex epiſcopos horum criminum manifeſtos damnaſſet, Ebronenſem archiepiſcopum ſimoniæ reum, & impudenter inficiantem, quem teſtibus coarguere non poterat, atte conuicit. quemadmodum eum ſibi narraſſe Petrus Damiani memoriæ prodidit. Etenim in conſpectu multorum, Agedum, inquit, quando te inſontem huius criminis iactas, ad noxiam expiandam pronun-

cia, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*. Tum epiſcopus ratus, ſe eo dicto grauioris periculi iudicium omne declinaturum, pronunciare inſtituit, ac *Gloria Patri, & Filio* dixit, *Spiritui ſancto*, quanquam ſæpe conatus, expedire non potuit. creditumq. eſt, quia in nundinatione ſacrorum læditur Spiritus ſanctus, vt eius culpæ participem dicere nequiuiſſe. Siquidem poſteaquam peccatum ſuum confeſſus eſt, ſine vlla cunctatione pronunciauit. Quo facto perterriti octodecim epiſcopi crimen ſuum confeſſi eccleſiis repente ſe abdicarunt. Beatrix ad Henricum profecta, vt crimen mariti, ſuumq. purgaret, retinetur ab Henrico, inſimulata, quòd hoſti publico Italiam per coniugium prodidiſſet. Bonifacius puer ea de cauſſa accedere veritus, poſt paucos dies moritur. Mathilda ſoror maximarum, quæ patris fuerant, in Italia opum heres relinquitur. ſiquidem à pleriſque, & quidem veteribus ſcriptoribus Lombardiæ, & Tuſciæ Dux, Canuſiiq. Comes vocatur. verum ipſa ſemet, *Mathilda Dei gratia ſi quid eſt*, Chriſtianam humilitatem æmulata ſubſcribere aſſueuit. Vrbs Parmæ fortuito incendio peruaſtatur. Henricus Duci Venetorum antiquum fœdus reſtituit, quod Conradus pater negarat, atque ex Italia per Baioariam proficiſcens Turegi Natalicia, & Pardebrunnæ Reſurrectionem peregit. 1056
Victor pontifex, cum Berengarium poſt mortem Leonis ad eandem rediiſſe inſaniam, comperiſſet, ab eoq. multos in Francia in errorem induci audiret, per legatum Hildebrandum archidiaconum conuentum in Turonibus habuit, ac tertiùm iam Berengarij opinionem deteſtabilem confutauit. qui ſuam hæreſim defendere non auſus, communem Eccleſiæ ſententiam approbare viſus eſt. inde in Saxoniam ab Henrico vocatus, atque admirabili omnium Principum concurſu exceptus Goſlariæ cum eo Natiuitatem Virginis celebrauit.

Neque ita multò pòſt Henricus ſæuo morbo implicitus III. Nonas Octobris mortem, ipſo præſente, atque inſpectante, oppetiit, cum filium ſuum Henricum Eccleſiæ commendaſſet. Eodem anno Theodora Auguſta mortua, Michael Stratioticus in Oriente excepit Imperium.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE REGNO ITALIAE

Liber Nonus.

HENRICVS III REX.

QVIETIS Italicis, atque Imperio Germanorum ſiue longa iam parendi conſuetudine, ſiue egregia eorum, qui res tenuerunt, virtute, pietateq. contentis lux tandem optata potius, quàm ſperata fortunæ melioris affulſit. Hic fuit ſeditioſus, ac turbulentus Henrici tertij dominatus. qui ſuperiorum longè diſsimilis vt ab initio Pontifici Romano, Italiſq. magna ad quietem incommoda importauit, ſic ad extremum maturam vtriſque integrioris parandæ libertatis occaſionem aperuit. Qua de re deinceps ſcribere perſequamur.

HENRICO ſecundo ex humanis rebus exempto, Henricus tertius annos quinque natus, ipſo Pontifice Victore præſente, Germaniæ regnum iam quartus occepit, vt qui rex eſſet triennio ante præcipuo patris beneficio conſecratus. Summam rerum Agnes mater Auguſta, eximiæ virtutis, ac prudentiæ fœmina, tutricis nomine tractare inſtituit. Gibertus Corrigia Parmenſis, praui, vt poſt apparuit, ingenij homo, legatus Italiæ eſt præfectus. Ceterùm Victor, rebus Eccleſiæ trans Al-
1057 pes, vt tum licuit, conſtitutis, ſolemni Natalicio cum rege puero Ratiſponæ peracto, Italiam Quadrageſima ineunte repetiit, atque Florentiæ ſubſtitit. Ibi per ieiunium Iunianum Fridericum Gothifredi Ducis Tuſciæ fratrem, Cardinalem allegit, atque eundem abbatem Caſsinatem paullo ante deſignatum conſecrauit. quin etiam abbati ipſi Caſsinati vſum confirmauit ſandaliorum, & ceterorum inſignium nuper à Leone conceſſum. & vt in conuentu epiſcoporum, ac principum ſupra omnes abbates aſsideret, & ante omnes ſententiam diceret, atque inde V. Kal. Auguſti morte occubuit. Hoc nuncio Romam allato Romani extemplò comitia ſubrogando Pontifici habuerunt. Ibi aliis Hildebrandum, qui cum Victore erat, expectandum, aliis moram nullam comitiis interponendam eſſe cenſentibus, omnes demum vno conſenſu Fridericum ipſum Cardinalem, ex Tuſcia ipſa paullo ante reuerſum, adeunt, eumq. per vim ex hoſpitio

eductum ad baſilicam S. Petri ad Vincula trahunt. atque Pontificem lectum Stephanum nonum appellant. (is enim dies erat III Nonas Auguſti, quo die memoria S. Stephani pontificis colitur,) atque inde plaudentibus omnibus ad Lateranum deducunt. poſtridie verò Cardinalibus omnibus cum clero, populoq. ad eum confluentibus, in Vaticano magna cæremonia conſecrant. Per eos etiam dies Michaele Imperio abdicante, locum Iſaacius Comnenus obtinuit. Stephanus, pontificatu inito, extemplò legatum ad Agnetem Auguſtam Hildebrandum miſit, qui de rebus actis eam doceret. atque inde ad perſequendam, quæ inſtituta erat, reformationem Eccleſiæ ſe conuertit. Reſtabat enim ingens cum ipſo Henrico rege certamen, qui à familiaribus deprauatus eccleſias non iis, qui plus litterarum, ac vitæ laude mererent; ſed qui plus mercedis, ac pecuniæ præbuiſſent, aperta ſacrorum nundinatione vendere inſtituerat. Quattuor igitur menſes Romæ moratus omnes in his cogitationibus, conſiliiſq. conſumpſit. quibus & Henricum primus Simoniacæ hæreſeos inſimulare, ac factum eius aſpero decreto notare non dubitauit,& nouis conſtitutionibus clericorum coniugia,& conſanguineorum nuptias interdixit. Alfano archidiacono Salernitano eccleſiam, & prædia confirmauit. Inde pridie Kal. Decembris Caſsinum ad monachos reuiſendos profectus, ibi, multis rebus egregiè conſtitutis, & Deſiderio abbate ſublecto, eoq. legato ad Imperatorem Conſtantinopolim miſſo, grauiter circa Natalicia Domini ægrotauit. Ceterùm cum multæ aliæ eccleſiæ noua de Simoniacorum, atque Nicolaitarum hæreſi decreta repudiarunt, tum maximè Mediolanenſis; vt quæ iampridem, Romanæ Eccleſiæ auctoritate relicta, præceptis eius haudquaquam obtemperaret, & tamen, ſi qua alia tetro huiuſmodi veneno infecta eſſet. Hanc rem cum per ſe grauem, tum Mediolanenſium clericorum nomini turpem eſſe Arialdus ex Alciata, vt fertur, familia clericus Decumanus ratus Landulfo Cottæ populi præfecto auctor fuit, vt eam palam oppugnandam aggrederetur. Id verò cum facere ſecundis populi auribus, animiſq. cœpiſſet, Vido archiepiſcopus contrariam partem ſuſcepit, fauore maximè nobilitatis innixus. Itaque res vſque eò infamiæ mutuis altercationibus, iurgiiſq. deducta fuit, vt ſacerdotes, qui vxores haberent, præ pudore ſeparatim à ceteris rem diuinam facere cogerentur in loco, qui Pataria dicitur. vnde vulgo à pueris Patarini ad contumeliam dicebantur. Huic autem malo opportunum remedium Vido cupiens adhibere conuentum epiſcoporum ſuorum apud Fontanetum in agro Nouarienſi oppidum conuocauit. atque 1058

ex eorum ſententia clericis vxores habere licere, conſtituit. Florebat eo tempore ſanctitate, doctrina, ac rerum gerendarum peritia Petrus Damiani Rauennas. qui vitam eremiticam profeſſus in eremo ad fontem Auellanum agebat. cuius operam Eccleſiæ conſtituendæ Stephanus idoneam arbitratus, initio Quadrageſimæ vrbe repetita ipſum Oſtienſi eccleſia decorauit. Eodem tempore Robertus Viſcardus Nortmanus, Baielardo Hunfridi fratris filio pulſo, Apuliæ Comitatum inuaſerat, atque ſolitis Eccleſiæ fines incurſionibus affligebat. Huius igitur conatibus Stephanus vt occurreret, ad Gothifredi fratris, & Mathildis vxoris eius auxilia ſibi confugiendum putauit. Itaque vtrumque in Tuſcia conuenturus epiſcopos, clerũ, populumq. in templum vocauit, atque ita dixit: Quoniam ego in Tuſciam ad fratrem meum cogito, peto à vobis, vt, ſi, antequam Hildebrandus ab Imperatrice legatus redeat, mihi mori contigerit, in eius vſque aduentum comitia differatis. atque ex eius demum conſilio eccleſiam ordinetis. Quod cum omnes alacriter promiſiſſent, ille diſceſſit. & quaſi breui ſe moriturum diuinaſſet, Florentiæ haud ita multò poſt, nempe IIII Kal. Aprilis, plurimis ſanctitatis miraculis clarus, occubuit. Stephani morte comperta, extemplò comitia in templum Vaticanum ſucceſſori ſubrogando indicuntur. cum clerus conueniſſet, Tuſculani Comites more ſuo, primoribus ſibi mercede conciliatis, pridie Nonas Aprilis noctu cum armatorum caterua in ædem irrumpunt, & propinquum ſuum Ioannem, epiſcopum Veliternum, pontificem, epiſcopis Cardinalibus aduerſantibus, creant, atque, eiſdem in diuerſas partes dilapſis, per presbyterum Oſtienſis eccleſiæ, hominem omnium litterarum ignarum, ad apoſtolatus culmen prouehunt, & Petrum Damiani Oſtienſem epiſcopum reclamantem, atque omnes diris grauibus deuouentem, vi ad eum colendum compellunt, deinde populum diuiſa per vicos pecunia ad adorandum inuitant. Is Benedictus decimus eſt vocatus. Inter hæc Hildebrandus in Italiam ſe recepit. Ille verò, ſimul comitia contra Stephani decretum iniuſſu ſuo habita, comperit, Florentiæ ſubſtitit. ac re per nuncios, litteraſq, acriter reprehenſa, Romanorum per eoſdem voluntatem, ac iudicium explorauit. Vbi verò comitiis pecuniam, & vim interceſſiſſe cognouit, quin iuſtum pontificem adulterino opponeret, haud ſibi dubitandũ exiſtimauit. Itaque
1059 ipſo etiam annitente Gothifredo Duce Senis Gerardum Burgundionem epiſcopum Florentinum, III Nonas Ianuarias nominauit, atque eodem menſe vnà cum ipſo, & Duce Romam pertexit. Ibi Gerardus à clero, & populo in ſede apoſtolica poſitus Nicolai II nomen aſſumpſit.

pſit, ac ſubitò ad abrogandum Benedicto pontificatum conuentum in IX Kal. Februarias indixit. Verùm vrbanam Comitum Tuſculanorum potentiam veritus, non in vrbe, ſed Surrij celebrauit, Gothifredo cum Mathilda, & Giberto regis Italiæ legato præſentibus. Quod vbi Benedictus ſenſit, extemplò tacita quaſi religione perfuſus ſe abdicauit, piorum tamen communione à Nicolao cum ſuis fautoribus omnibus exturbatus. Inde ad Marchiam Firmanam inuiſendam, quæ à Nortmanis tentabatur, profectus, ibi pridie Nonas Martij Cardinales cooptans Hildebrandum archidiaconum, & Deſiderium diaconum, abbatem Caſſinatem deſignatum, atque ex itinere legationis reuerſum, allegit. quorum vterque poſt deinceps pontificatum adeptus eſt. ac Deſiderium per totam Campaniam, Principatum, Apuliam, & Calabriam legatum ſuum à latere conſtituit. Romæ inde magno cum honore exceptus, ac paſchate ibi acto, rem operoſam repetiit, quam deceſſores eius aggreſſi, nondum tamen planè perfecerant, vt præſentem Eccleſiam emendaret. Hæc erant præter cetera comitia pontificum, caſtitas clericorum, collatio eccleſiarum, euchariſtiæ ſacramentum, quod turſus à Berengario oppugnabatur, & deprædatio Nortmanorum. Ad has res conſtituendas menſe Aprili conuentus in Lateranum vocatus, cui centum tredecim epiſcopi affuerunt. Ibi, poſtquam vetus decretum de Pontifice à rege comprobando Henrico affirmauit, de comitiis pontificiis ita tulit: *In primis Cardinales epiſcopi diligentiſſimè ſimul de Pontificis electione conſultent, mox clericos Cardinales adhibeant, ſicque reliquus clerus, & populus ad conſenſum nouæ electionis accedat, cauentes ne venalitatis morbus aliqua occaſione ſubrepat. Eligatur autem de ipſius Eccleſiæ gremio, ſi reperitur idoneus, ſin minus, ex alia ſumatur, ſaluo debito honore, & reuerentia dilecti filij noſtri Henrici, qui in præſentiarum rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente ſperatur, & iam ei conceſſimus, ſicut ſucceſſoribus illius, qui ab hac apoſtolica ſede hoc ius perſonaliter impetrauerint. Quòd ſi prauorum hominum ita peruerſitas inualuerit, vt pura, ſyncera, & gratuita fieri in vrbe non poſſit electio, Cardinales epiſcopi cum religioſis clericis, Catholiciſq. laicis, licèt paucis, ius poteſtatis obtineant eligendi apoſtolicæ ſedis pontificem, vbi congruerit. poſtquam autem electio fuerit facta, ſi bellica fuerit tempeſtas, vel qualiſcunque hominum conatus malignitatis ſtudio reſtiterit, vt is, qui electus eſt, in apoſtolica ſede iuxta conſuetudinem inthronizari non valeat; electus tamen ſicut verus Papa obtineat auctoritatem regendi Romanam Eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius, quod beatum Gregorium ante ſuam conſecrationem cognouimus feciſſe.* Ex hoc decreto, quo electio Pontificis Romani in pri-

mis Cardinalibus permittitur, ipſorum Cardinalium nomen poſt celebrari magis, atque magis Romana in Eccleſia cœptum. Vnde ſcripſit Petrus Damiani: *Romani Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam alijs prerogatiuis non modò quorumlibet epiſcoporum, ſed etiam patriarcharum, atque primatum iura tranſcendunt. ſaluo quippe vniuerſalis Eccleſiæ ſacramento, iſti ſunt oculi vnius lapidis, ipſi lucerna vnius candelabri.* De clericorum porro caſtitate ita cautum: *Quicunque ſacerdos, diaconus, ſubdiaconus, poſt proximam conſtitutionem Leonis pontificis de caſtitate clericorum concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ei à ſacris faciendis, et officio eccleſiaſtico interdictum ſit.* Iam verò effuſa Henrici impudentia exaſperatus, qui, Stephani decreto neglecto, eccleſias vendere inſiſtebat, nón modò non mercede, ſed neque gratuitò laicum quenquam impertire poſſe eccleſias voluit, quod vetere Hadriani, & Leonis decreto Carolo, atque Othoni Magnis ob eximia illorum erga Eccleſiam beneficia, temporibus Eccleſiæ ita ferentibus, fuerat condonatum: *Ne quis, inquit, à laico eccleſiam aut pretio, aut gratis accipiat, neque per Simoniacam hæreſim promoueatur ad quodlibet eccleſiaſticum officium.* Quæſtio etiam de conſecratis à Simoniacis retractata, decretumq. vt *qui à Simoniacis gratuitò conſecrati eſſent, in adeptæ dignitatis honore permanerent, nondum verò promoti ab eis in poſterum ne promouerentur.* Quin etiam, cum Berengarius adeſſet, relatio de ſacramento altaris eſt facta, ac Berengarius ſententiam ſuam exponere iuſſus. Cum autem pluribus verbis ſacrificium corporis, & ſanguinis figuram eſſe, probare inſtituiſſet, neque Albericus diaconus cardinalis à Stephano factus, vir ea tempeſtate doctrinæ ſtudio præſtans, reſiſtere voce homini in dicendo copioſiſsimo poſſet, ſpatium ſeptem dierum ad reſponſum ſcripto edendum popoſcit, atque interea librum conſcripſit, in quo tam multis veterum patrum teſtimoniis opinionem eius refellit, vt Berengarius victus hiſcere non potuerit. Itaque opinionem ſuam, vt falſam, ipſo præſente Concilio, abiurauit. ac libros abs ſe editos in ignem proiecit. petiitq. à Pontifice, vt formulam fidei ſibi præſcriberet, quam tueri oporteret. Eius rei negotio Huberto epiſcopo dato, ille hanc edidit: *Ego Berengarius indignus diaconus eccleſiæ S. Mauricij Andegauenſis, cognoſcens veram Eccleſiam, & apoſtolicam fidem anathematizo omnem hæreſim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus ſum,* & quæ ſequútur. Quod ſcriptum Berengarius non ſolùm oratione, ſed etiam ſubſcriptione firmauit. idq. Pontifex per omnes Italiæ, Franciæ, & Germaniæ ciuitates dimiſit. Cum Landulfus Arialdum Romam miſiſſet, vt veſanam eccleſiæ Mediolanen-

ſis contumaciam deferret, ſimulq. vt ad cauſſam hæreſeos cognoſcendam iudices poſtularet, Pontifex Petrum Damiani, epiſcopum Oſtienſem, ad eam rem legatum decreuit. De re Norrmanorum, quia abſentibus eis tranſigi non poterat, placuit, vt conuentus Melfim in Apuliam transferretur. Ea verò cauſſa fuit eiuſmodi. Robertus Viſcardus, qui prioribus annis Hunfrido fratre mortuo, & Baielardo fratris filio exacto, Apuliç Comitatum inuaſerat, modò Rhegio Calabriæ oppido, & Troia Apuliæ capto ſuperbus vltro ſe Ducem Apuliæ, atque Calabriæ appellabat, & ditioni pontificiæ, quaſi continua rerum ſerie tractus, imminebat. Ricardus autem frater eius, qui Capuam, Landulfo Principe eiecto, portis tantùm, & turribus vrbis in ciuium poteſtate relictis, occupauerat, Campaniæ fines vexare non deſinebat. vterque autem diris a Pontifice deuotus in eius ſe auctoritate futurum, atque omnem ditionem armis partam acceptam ei relaturum, pollicebatur, ſi ſe in gratiam recipere, ac feudatarium Eccleſiæ conſtituere vellet. Quibus rebus cognitis Nicolaus, qui parum in ſe roboris ad bellum tantum gerendum cernebat, atque proximum Leonis periculum ante oculos habebat, & populorum ſuorum quotidianas defectiones reformidabat, poſtulatis eorum aſſenſit. atque ad rem propius inſpiciendam, ac cognoſcendam Melfim, vt diximus, proceſſit. ibique conuentu habito, Ricardo Capuanum Principatum, Roberto Apuliæ, Calabriæq. Ducatum vexillo tradito confirmauit. atque ſolemni eos ſacramento adegit, ſe Eccleſiæ Romanæ fideles, ligioſq. (ſic enim loquebantur) futuros. Extat duplex ſacramentum Roberti, vnum, quo ſe annui tributi nomine duodenos in ſingula boum iuga denarios ſoluturum, promiſit, alterum quo fidelitatis formulam concipit. Vtrumque in hos annales intexam, vt principia iuris Eccleſiaſtici in regno Neapolitano aperiantur. primum eſt tale: *Ego Robertus Dei gratia, & S. Petri Dux Apuliæ, & Calabriæ, & vtroque ſubueniente futurus Siciliæ ad confirmationem traditionis, & ad recognitionem fidelitatis de terra S. Petri, promitto me quotannis pro vno quoque iugo boum penſionem duodecim denariorum Papienſium perſoluturum B. Petro, et tibi D. meo Nicolao papæ, & omnibus ſucceſſoribus tuis, aut tuis, aut tuorum ſucceſſorum nuncijs ad S. Reſurrectionem obligans me, & meos heredes ſiue ſucceſſores tibi, & ſucceſſoribus tuis. ſic me Deus adiuuet &c.* Secundum verò eſt huiuſmodi: *Ego Robertus Dei, & S. Petri gratia Dux Apuliæ, & vtroque ſubueniente futurus Siciliæ abhinc in poſterum fidelis ero S. Romanæ Eccleſiæ, et Apoſtolicæ ſedi, & D. meo Nicolao papæ. Neque ero auctor, aut adiutor, vt vitam, aut membrum amittas, aut capiaris mala captione. conſilium, quod mihi*

crediderís, & ne enunciem, imperaris, non enunciabo in tuum detrimentum ſciens S. Romanæ Eccleſiæ vbique adiutor ero ad tenenda, & acquirenda regalia. S. Petri, eiuſq. poſſeſsiones pro viribus meis contra omnes homines, et adiuuabo te, vt ſecure, & honorificè teneas pontificatum Romanum, terramq. S. Petri. Et Principatum nec inuadere, nec ſubigere tentabo, nec prædari contendam ſine tua, tuorumq. ſucceſſorum licentia. Penſionem de terra S. Petri, quam ego teneo, aut tenebo, ſicut ſtatutum eſt, rectâ fide ſtudebo, vt quotannis Eccleſiæ Romanæ perſoluam. omnes eccleſias, quæ in mea conſiſtunt ditione cum earum poſſeſsionibus in tua poteſtate dimittam, & defenſor ero earum ad fidelitatem Romanæ Eccleſiæ, & nulli iurabo fidelitatem, niſi ſalua fidelitate Romanæ Eccleſiæ. Et ſi tu, vel tui ſucceſſores ante me ex hac vita deceſſerint, prout monitus fuero à primis cardinalibus, clericis, & laicis Romanis, opem feram, vt pontifex erigatur, & ordinetur ad honorem S. Petri. Hæc omnia ſupraſcripta ſeruabo S. R. Eccleſiæ, et tibi, et ſucceſſoribus tuis ad honorem S. Petri ordinatis, qui mihi firmauerint inueſtituram à te mihi conceſſam. Sic me Deus adiuuet, &c.

Atque hæc prima feudi Apuliæ, & Calabriæ, itemq. Campaniæ Eccleſiaſtica inſtitutio fuit. Reuerſum inde Romã Nortmani ab eo iuſsi cum delectis militum copiis ſubſequuti Prænestinorum, Tuſculanorum, & Nomentanorum agros inuecti vaſtarunt. inde traiecto Tiberi, omnia loca Sutrium vſque ſunt populati: ac variis detrimentis illatis populos, qui ſuperbè Pontificis auctoritatem reliquerunt, ad eandem redire magna humilitate coegerunt. Interim Petrus Damiani, Anſelmo epiſcopo Lucenſi aſſumpto, legatus Mediolanum perrexit. Ibi pro dignitate receptus cauſſam legationis ad eos ſuæ in concione expoſuit. Ea cognita, poſtridie rumor in ciuitate à factione clericorum excitatus increbuit, Ambroſianam eccleſiam antiquis patrum inſtitutis liberam, nec Romanis legibus obnoxiam eſſe, neque Pontificem Romanum ius vllum in ſua eccleſia ordinanda, atque conſtituenda habere. Itaque ſublato clamore raptim vndique à tumultuantibus ad Epiſcopium concurritur, campanarum ſtrepitu, ac prægrandis tubæ clangore vrbs tota completur, ac mors legato ab omnibus intentatur. accenderat autem inuidiæ flammam, quòd Petrus pridie in conuentu præſidens ad dextram ſibi Anſelmum epiſcopum conſtituerat; à ſiniſtra verò Vidonem archiepiſcopum ſibi aſsidere, mandarat. Perſpecta verò populi voluntate, legatus poſtridie, conuocato in templum populo, in concionem aſcendit, atque tumultu tandem ſedato, ita diſſeruit; *Nicolaus Pont. Max. fratres cariſſimi, miſit me ad vos, non vt Eccleſiæ Romanæ honori, atque amplitudini ſeruirem, ſed vt veſtræ gloriæ, atque ſaluti conſulerem. quid enim honore tenuiſsimi hominis Romana*

eget Eccleſia, quæ laudum præconia ex ipſius ore eſt Saluatoris adepta? quæ autem prouincia in terris ab eius ditione libera reperitur, cuius arbitrio ipſum quoque cælum aperitur & clauditur? Et quidem, ſi rectè attenderitis, reliquas eccleſias ab hominibus inſtitutas eſſe reperietis, Eccleſiam verò Romanam à Deo ipſo eſſe fundatam, atque ab ea cum reliquas alias, tum maximè Mediolanenſem ortus ſui primordia, & diſciplinæ rudimenta ſumpſiſſe. Quid enim? Petrus, & Paulus, qui Romanam Eccleſiam ſuo ſanguine conſecrarunt, nonne hanc quoque per diſcipulos ſuos inſtituerunt? Nam Nazarius à Lino, Petri diſcipulo, ſacro fonte ablutus ſacrum in hac vrbe martyrium eſt perpeſſus. et Geruaſius, ac Protaſius, quorum ſancta in hac vrbe corpora coluntur, non alium quàm Paulum habuere magiſtrum. Diuus denique, quo vòs tantopere gloriamini, Ambroſius, cum Nicolaitarum hæreſim per ſe quondam coercere non poſſet, à Romana Eccleſia præſidium implorauit. atque tres viri ad huius erroris expiationem à Syricio tum pontifice miſſi præſens ciuitati auxilium attulerunt. Quamobrem, cum & primi ſalutis veſtræ auctores, & poſt labentis diſciplinæ emendatores ab Eccleſia Romana prodierint, quid eſt, quòd eius decretis obtemperare intempeſtiua nunc contumacia recuſetis? Quibus verbis proteruum populum adeo flexit, vt ſubitò ſe ad omnia eius mandata paratum eſſe, reſponderit. Quæſtione inde clericorum inſtituta, vix quiſquam vnus repertus eſt, qui non aut ordines emiſſet, aut muliebris conſuetudinis particeps eſſet. Tum legatus, cum ſe omnibus damnandis ſacra tollere è ciuitate, paucis abſoluendis, reliquis ſe iniuriam facere, cum par omnium cauſſa eſſet, animaduerteret, propterea omnibus ſe veniam daturum, oſtendit, ſi ſe ſacramento ac piaculo obſtrinxiſſent, ſe in poſterum ab eiuſmodi flagitiis temperaturos. Sacramentum autem fuit triplex: primùm archiepiſcopus ita iurauit: *Confiteor morem in Eccleſia inoleuiſſe, vt quicunque clericales ordines acciperet, ſubdiaconatus nomine nummos duodecim, diaconatus octodecim, presbyteratus vigintiquattuor penderet. Itaque præſente D. Petro, Oſtienſi epiſcopo, legato Nicolai Pont. et D. Anſelmo, Lucenſi epiſcopo, et omnibus vobis damno, ac deteſtor omnium Simoniacam hæreſim, ac me, et clericos, et ſucceſſores meos ſpondeo nihil in poſterum exacturos. Nicolaitarum quoque hæreſim eadem ratione condemno, et presbyteros, diaconos, ſubdiaconoſq. ab vxorum, & concubinarum ſocietate, quoad potero, propulſurum promitto.* Inde ante altare coram epiſcopo Lucenſi dixit: *Si his defecero, tum me Deus, & Diui piorum communione deijciant.* Poſtremò Arnulfus nepos eius clericus, cum vna manu manum archiepiſcopi teneret, altera ſacrum Euangelij codicem tangeret, ita locutus eſt: *Dominus Vido archiepiſcopus, quod promiſit de caſtitate clericorum, obſeruabit, neque conſecrabit aliquem præter monachos, quem ſuperiore ſacramento non*

obliget. Eadem clerici iurarunt. His actis archiepiſcopus ſe proiecit in terram, atque piaculum ſibi iniungi iuſsit, quia quamuis ea ipſe in Eccleſiam probra non inuexiſſet, tamen, cum poſſet, ex ea non ſuſtuliſſet. Legatus centum annorum piaculum impoſuit; idq. redimi poſſe, certa in ſingulos annos ſolura pecunia, voluit. clerici diuerſis in vita ieiuniis obligati. Archiepiſcopus inde in concionem aſcendit, ac præſente clero, & populo clericum ſuum iurare iuſsit, ſe has duas hæreſes pro viribus extirpaturum. eodemq. ſe iureiurando populus obligauit. Clericis poſtremo priſtina ornamenta, litteratis etiam, & caſtis officium redditum, reliqui Eccleſiæ tantùm aſſociati. archiepiſcopus etiam, eos ſe religionis gratia Romam, aut Turonum miſſurum, ſe verò ad S. Iacobum in Hiſpaniam iturum, promiſit. Hæc Petrus ipſe ſe Mediolani legatum egiſſe, ſcripſit. Nicolaus pontifex Florentiam reuerſus canonicos Fauentinos in fidem recepit. extat diploma Florentia datum V. Kal. Ianuarias anno pontificatus primo. Profectò inde Mediolano legato, archiepiſcopus aſperis clericorum ſuorum conuiciis laceratus, quòd Mediolanenſis libertatem Eccleſiæ prodidiſſet, in ſententia caſtitatis non perſtitit, ſed promiſcuos mulierum
1060 concubitus annuit. Itaque eo anno, qui fuit milleſimus ſexageſimus, Erlembaldus Cotta in locum Landulfi fratris mortui ſublectus, eodem Arialdo impellente, cauſſam intermortuam excitauit; atque grauibus tumultibus in vrbe miſcendis, etiam ne abbas S. Celſi ab archiepiſcopo ſacraretur, inhibuit. Itaque Petrus Damiani ad eos hanc epiſtolam miſit: *Petrus Damiani Rodulfo, Vitali, Arialdo, Erlembaldo fratribus ſalutem: Gratias agimus Deo, quòd conſtanti fama audimus, vos conſtanter aduerſus hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ certare. Nicolaitarum hæreſis, quæ vobis nobiſcum laborantibus videbatur euulſa, repullulat. Deus vult probare conſtantiam ſuorum. Ecce qui prius Nicolaitarum, & Simoniacæ hæreſeos laqueis tenebantur, nunc ad perditionis ſuæ cumulum ſunt etiam violato ſacramento periuri. quod tamen in Mediolanenſi eccleſia non eſt nouum; quæ ſemper diuerſi dogmatis homines habuit, initio ab Auxentio, atque Ambroſio inchoato.* Nicolaus verò concilio habito obſtinatos Lombardiæ antiſtites, Mediolanenſem, Taurinatem, Haſtenſem, Vercellenſem, Nouarienſem, Brixianum, & Laudenſem, diaconos, & presbyteros concubinas habentes, ab altari remouere, Simoniacos honoribus ſpoliare coegit. Hugo Blancus, quem Leo cardinalem aſciuerat, à Pontifice defecit, & poſt plurimum Eccleſiæ nocuit. Eodem anno Iſaacio Imperatoris Orientis mortuo Conſtantinus Ducas ſucceſsit. Brixia ingenti adeo terræ motu die ipſo Reſurrectionis contremuit,

vt plerique metu ruinarum perculſi aut vrbem relinquerent, aut trepidi in templa diuinæ pacis poſcendæ cauſſa confugerent. Proximo, 1061
Ricardus, Campania ferme tota ſubacta, Capuam adortus, portas, turreſq. à ciuibus repopoſcit, eiſq. dare abnuentibus, vrbem oppugnare inſtituit, ac demum XII Kal. Iunij fruſtra ab Henrico auxilium expectantem ad deditionem adduxit. ſeq. cum Iordane filio Principem declarauit. Quinto verò Nonas Iulij Nicolaus pontifex Florentiæ eſt mortuus. Clerus, populuſq. Romanus, audita Pontificis morte, de ſubrogando ſucceſſore conuenit. Cum autem orta diſſenſione nemo ex Romana Eccleſia probaretur, Cardinales tandem, Hildebrando auctore, proximum Nicolai decretum amplexi ex aliena ſumpſerunt. Hic fuit Anſelmus Badagius Mediolanenſis, Lucæ epiſcopus, homo ſingulari doctrina, & vitę diſciplina probatus, & qui paullo ante Nicolai in Germania fuerat legatus. Is pridie Kal. Octobris creatus, imminente Romanorum ſeditione, ſtatim ſine regis auctoritate conſecratur, atque Alexander ſecundus vocatur. Henricus iam inde ab initio diſcordiæ, à Romanis quibuſdam Eccleſiæ inimicis, & exulibus, vt vetere inſtituto Pontificem daret, inſtinctus epiſcopos in eam rem ex Lombardia euocarat. vbi verò Alexandrum per Cardinales iniuſſu ſuo conſecratum audiuit, ex matris, & ſuorum ſententia frequentem Baſileæ conuentum habuit, atque Placentino, & Vercellenſi epiſcopis ex Italia aſſentientibus, Cadaloum Parmenſem epiſcopum ad ſe profectum pontificem V. Kal. Nouembris renunciauit, & Honorium II vocauit. vnde peſsimi exempli diſsidium in Eccleſia emanauit. Mediolani vbi Alexandrum ad pontificatum euectum, eſt cognitum, continuò ſeditio de vxoribus clericorum, ducibus pro nobilitate Gulielmo Landriano, pro populo Erlembaldo Cotta, recrudvit. nam Erlembaldus confeſtim per nuncios de re clericorum conſuluit Alexandrum. cumq. ille ex Cardinalium ſententia aduerſus eos pronunciaſſet, ſubitò omnes clericos vrbe cum eorum familiis exturbauit, atque archiepiſcopo, & capitaneis, eorumq. vaſallis mortem, ſi contra tenderent, intentauit. Poſtero anno Cadaloum in Italiam 1062
ab Henrico per Bucconem Halberſtadenſem epiſcopum miſſum ſummo ſtudio excepit Gibertus Lombardiæ præfectus. Gibertum verò Mediolanenſes, & pleræque Lombardiæ ciuitates, epiſcopis ſuis auctoribus, ſunt ſequutæ. Alexandrum Gothifredus Dux vnà cum Mathilde coniuge recepit in clientelam. Paullo ante Hanno, Colonienſis archiepiſcopus, ſummus poſt reginam rerum omnium moderator, regnum ab Agnete parum viriliter adminiſtrari calumniatus, proce-

tibus aliquot adiuuantibus, puerum ei cum ipſis Imperij inſignibus eripuerat, Coloniamq. vel repugnantem traduxerat, & matre à filij tutela remota, ſemet vltro tutorem inſtituerat. Itaque nouo hoc excitato tumultu perturbatus Gibertũ, vt Cadaloum tueretur, admonuit. Gibertus, vbi expedita conueniſſe Lombardorum auxilia vidit, ineunte Aprili, Cadaloum Romam conſecrãdum aduerſus Alexandrum ad duxit, ac XVIII Kal. Maias, caſtris in pratis Neronis ad vrbem Leoninam locatis, vi perrũpere in eam contendit. Alexandro Lateranum tenenti Romani, & Gothifredus cũ valida Tuſcorum manu ingenti animorũ alacritate, vt in ſummo vrbis periculo, affuerunt, atque irruptionem Lombardorum, licet pleriſque ſuorum, aut in prœlio cæſis aut in Tiberi ſubmerſis, prohibuerunt. Ita Gibertus metuens, ne à Mathilde circunueniretur, ab vrbe receſsit, & Cadaloum Parmam reduxit. Eodem anno Robertus cum Rogerio fratre in Siciliam tranſgreſſus

1063 bellum cum Sarracenis inſtituit. Ineunte vere Cadalous à principibus Romanis, quos interim ſpe, præmiiſq. corruperat, reuocatus, nocturnis ad occultandum aduentum confectis itineribus, ex improuiſo ad vrbem acceſsit, atque vrbe Leonina per noctem furto occupata, baſilicam Vaticanam inuaſit. ſed fraude, illuceſcente die, detecta, repente armis à populo petitus, cum impetum eius ſuſtinere non poſſet, auxilio Cincij ciuis Romani, hominis potẽtis, in primiſq. magna ab eo vi pecuniæ comparati in arcem refugit, ibiq. ab aduerſariis acriter eſt obſeſſus. cuius obſidionis ſoluendæ cum Germani rationem idoneam

1064 nullam reperirent, ad pacem animos conuerterunt, ac ſequenti anno Hannonem archiepiſcopum cum liberis ad eam rem mandatis miſerunt. Is in conuentum progreſſus in præſentem Alexandrum inuehi cœpit, neque ordine, neque rectè feciſſe eum accuſans, quòd inconſulto, atque inſciente Henrico rege, ſedem illam iniſſet, quam multos iam annos nemo, niſi à rege probatus, auſus eſſet attingere, quamobrem aut vltro cederet, aut rationem audaciæ ſuæ redderet. Cui Hildebrandus Cardinalis, vir promptiſsimus in dicendo, reſpondit: *Ius, quod Henricus in Pontifice legendo prætenderet, imminutum non eſſe. Alexandrum enim in diſſenſione cleri ex recenti Nicolai decreto à Cardinalibus vno conſenſu ex aliena eccleſia ſumptum, eundemq. propter imminentes tumultus ſine Henrici auctoritate ſubitò conſecratum. Henrici pupilli iura multò magis Eccleſiæ Romanæ eſſe tuenda, quæ ſpiritus mater eſſet, quàm Agneti parenti, quæ ſanguinis tantùm neceſsitudinem prætendere poſſet.* Quibus rationibus victus Hanno conſilium ad rem cognoſcendam poſtulauit. Annuentibus poſtulato eius Cardinalibus, verùm de loco ad conueniendum

idoneo

idoneo diſceptantibus Mantua, quæ erat in ditione Mathildis, eſt lecta. Itaque eò & Alexander ipſe, & ſacer Cardinalium cœtus, & epiſcopi fermè Italiæ omnes venerunt. In eo cauſſa vtriuſque diligenter eſt agitata. Alexander poſtulante Hannone obiectum Simoniæ crimen concepto ſacramẽto purgauit. Itaque cauſſa ſua cunctis probata, V Kal. Nouembris ſummo omnium conſenſu, Cadaloo repudiato, atque à ſacris remoto retentus Dominico Gradenſi patriarchæ ſedis principatum firmauit. Cadalous, ne mali quidpiam pateretur, à Cincio ante furto ex arce dimiſſus cum paucis fugiens ad eccleſiam ſuam reuertit. &, quanquam à pleriſque deſpectus, inſignia pontificia retinuit, quoad vita ſuppeditauit. Extat Petri Damiani ad Cadaloum ipſum epiſtola, in qua ſcribit, cum tribus iam conuentibus eſſe damnatum, & ter, ſi non iudicio ſacerdotum, at ſaltem legum auctoritate abdicatum. & quoniam inſtet Osborienſe concilium, ſe quæ pro vtroque dici poſſint, exponere quaſi cuiuſdam præludij cauſſa velle. atque ita iura vtriuſque diligenter, atque acute perpendens Cadaloum vitio factum eſſe oſtendit. Extat etiam eiuſdem ad Gothifredum altera, quem Excellentiſsimum Ducem, & marchionem vocat, in qua ſummo ſe dolore angi ait, quòd audiuerit, ipſum Cadaloi cõſuetudine vti, quem iampridem vniuerſalis eccleſia tãquam letale virus euomuerit, & à corpore ſuo reciderit, & in barathrum deturbarit, & quocum ipſe fortiter dimicarit, & nefanda moliẽtem cum sereniſsima, & clariſsima coniuge ſua (Mathildem autem intelligit) ſæpius propulſarit. Alexander Mantua decedens Lucam acceſſit, atque ibi baſilicam D. Martini ſolemni cæremonia conſecrauit. Decedentem Erlembaldus honoris gratia proſequutus nouum aduerſus clericos edictum elicuit: *Si quis ſacerdotum, diaconorum, aut ſubdiaconorum officium contumaciter deſerens feminam ſibi potius eligit, ſicut ſponte ob fornicationem dimittit officium, ſic ob præuaricationem dimittere cogatur etiam inuitus beneficium.* quo Mediolani poſtea propoſito archiepiſcopus irritatus diem Pentecoſtes ad id oppugnandum conſtituit. Verùm vbi ea dies aduenit, tumultu 1065
ab Arialdo, & Erlembardo conflato, ſolus à populo in templo relictus propoſitum tenere non potuit. Dum hæc aguntur, Ricardus Capuæ Princeps, ſubacta magna ex parte Campania, vicina vrbi loca armis appetebat, atque vrbis Patriciatum ambibat. Ea re permotus Henricus partim vt bona Eccleſiæ è manibus Nortmanorum eriperet, partim vt coronam Imperij à Pontifice caperet, cum magnis pedeſtribus, atque equeſtribus copiis Auguſtam venit. Ibi expectans Gothifredum Tuſciæ Ducem, qui cum ſuo exercitu, iter quaſi oſten-

dens, præiret, vbi eum longè terrarum abeſſe accepit, expeditionem dimiſit. Alexander autem Romam ad hos motus compeſcendos profectus ipſum è Tuſcia acciuerat. Qua re comperta, Ricardus ſibi metuens Campania ceſsit. Iordane autem, & Gulielmo Ricardi filiis ſolis cum ſuis apud Aquinum obſtare parantibus, cæteri cum Principe apud Patenariam ſubſtitere eo animo, vt, ſi Gothifredus Lirim amnem tranſiret, omnes in Apuliam inde diffugerent. Gothifredus autem iam adulto Maio Pontifice, & Cardinalibus ſtiparus cum exercitu Aquinum proceſsit. Ibi per decem, & octo dies cum Nortmanis æquo Marte, ac vario euentu pugnauit. demum res per colloquium tranſacta. Dux ingenti pecunia accepta, domum repetiit, neque ita multò poſt ex hac vita deceſsit. cuius mortis prænuncia crinita ſtella fuiſſe putatur, quæ per viginti dies mirum ſecum fulgorem trahens apparuit. Mathildis vidua vnà cum Beatrice matre vniuerſam inde ditionem adminiſtrauit. Alexander Romam reuerſus priorum pontificum imitatus exemplum conuentum ad reformandos clericorum mores in Laterano coegit. Extat eius de Nicolaitis, & Simoniacis decretum: *Mandamus, vt nullus miſſam audiat presbyteri, quem ſcit concubinam habere indubitanter, vel ſubintroductam mulierem. Vnde etiam ſancta ſynodus ita ſtatuit. Quicunque ſacerdotum, diaconorum, ſubdiaconorum, poſt conſtitutum beatæ memoriæ prædeceſſoris noſtri S. Leonis papæ, & Nicolai de caſtitate clericorum concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, & auctoritate principum Apoſtolorum Petri, & Pauli præcipimus, vt miſſas non cantet, neque euangelium, neque epiſtolam, neque in presbyterio cum obedientibus maneat, neque partem ab Eccleſia ſuſcipiat. & de Simoniacis ſtatuimus, vt ſiquis in poſterum ab eo, quem Simoniacum eſſe non dubitat, ſe conſecrari permiſerit, & conſecrator, & conſecratus non diſparem damnationis ſententiam ſubeant, ſed vterque depoſitus pœnitentiam agat, & priuatus propria dignitate perſiſtat.* In eodem etiam conuentu Hildebrandus Capuanus archiepiſcopus priuilegium nuper ab Alexandro abbati Caſsinati conceſſum reprehendit: *Ne quis epiſcopus vllum in bonis ad Caſsinates monachos pertinentibus ſibi ius vindicaret.* verùm mox intentato anathemate territus acquieuit. Poſtero

1066 anno Rauengerius Aquileienſis patriarcha eſt factus. Alexander Lucæ per Septembrem menſem fuit, atque Octobri Romam repetiit. Deſiderius abbas Caſsini nobilem baſilicam inchoauit, eamq. peregrinis accerſitis artificibus muſiuo opere nouæ magnificentiæ genere exornauit. Mediolani verò ciuitate ſeditionis conflatæ cauſſa arma ſumente, Arialdus, cum tempeſtatis eius imminens vitare periculum

ſtudens

ſtudens præcipiti ex vrbe ſe fuga proriperet, ab aduerſariis interceptus eſt, ac mola collo appenſa in lacum Verbanum præcipitatus indignas honeſtæ actionis pœnas perſoluit III Kal. Iu.ias. corpus deinde illæſum inuentum meritos ſepulturæ honores adeptum eſt. Arialdi exemplo perterritus Erlembaldus ſibi tum quoque quieſcendum exiſtimauit. Proximo verò, abſentem antiſtitem nactus 1077
vniuerſum ſuperioris diſſenſionis renouauit incendium. Nam præſidiis maioribus comparatis, ciues apud ſe dicere ſacramentum coegit, neque tam ſacerdorum ordinem, quàm ipſum archiepiſcopum diuexauit. quippe cui etiam in vrbem ad comprimendam ſeditionem reuertenti violentas manus non dubitarit inferre. Inde Romam profectus Hildebrandi Cardinalis auxilio aliud decretum obtinuit, quo ſanciebarur, non eſſe iuſtum antiſtitem, quem clerus, aut populus, aut rex iniuſſu Pontificis declaraſſent, atque Mediolanum reuerſus iurare in eam legem clerum, populumq. coegit. Qua re perculſus Vido, quippe iam ætate confectus, at tranquillitatis cupidus, vltro ſe ſacerdotio abdicauit, atque inſignia honoris ad Henricum in Germaniam miſit. Sacerdotio à Vidone depoſito, nouæ ſtatim controuerſiæ eſt occaſio patefacta. Nam cum Henricus Gothifredo Caſtilioneo ad ſe profecto ingenti pecuniæ ſumma accepta dignitatem eam indulſiſſet, Alexander acri eum interdicto ab ineundo honore abſterruit. Qua re Gothifredus ab iis, qui pontificiam auctoritatem amplexabantur, repudiatus Variſium oppidum primùm, deinde ab Erlembaldo pulſus Caſtelionum, quod erat natura, opereq. munitum, ſe contulit. atque inde magnis contractis propinquorum, atque amicorum copiis in agros aduerſariorum incurrere, eoſque per ſequentem annùm infeſtos habere perrexit. Per eoſdem dies Robertus, quem Ducem Apuliæ, & Calabriæ Nicolaus pontifex inſtituerat, Tarento, & Barrio diuturna oppugnatione ad ius ſuum adiunctis, Eccleſiaſticæ ditioni propè imminere videbatur. Quod ſentiens Alexander, vt qui bellum abnueret, quod viribus ſuis maius eſſet, amicum illum ſibi potius confirmandum, quàm hoſtem experiundum, putauit. atque ea de cauſſa in Apuliam progreſſus conuentum Melfi per Auguſtum coegit, atque ibi Roberto Ducatum ſanxit, & Gulielmum Tancredi filium, quòd bona eccleſiæ Salernitanæ per vim teneret, communione remouit. Proximo anno Romanus Diogenes imperare in Oriente cœpit. Alexan- 1068
der Capuæ cum eſſet, Alfano, archiepiſcopo Salernitano eccle-

ſiam, & priuilegia vetera confirmauit. Henricus Sigehardum cancellarium ſuum eccleſiæ Aquileienſi præfecit. Inde malis ſuaſoribus, in primiſq. Adelberto, Bremenſi archiepiſcopo, deditus nullum erga homines, Deumq. auaritiæ, libidinis, atque inſolentiæ genus omittere. Nam & plebi contra nobiles, principeſq. ſtudere, atque omnia vi magis, quàm iure agere, & epiſcopatus, abbatiaſq. palam vendere, & opima ipſa monachorum prædia ſectatoribus ſuis turpi largitione tribuere. Quin etiam cum coniuge Berta, Othonis Marchionis filia, cuius paullo ante ſibi deſponſæ iam ſatietas ceperat, diuortium facere cupiens Moguntinum antiſtitem ad indicendum ſuper ea re Moguntiæ conuentum induxit. Quod vbi cognouit Alexander, Petrum Damiani legatum in Germaniam ad
1069 eam rem impediendam miſit. Is ſequenti anno profectus Moguntinum, intentato acrioris animaduerſionis periculo, ab habendo concilio reuocauit. Henrico verò Francfordiæ, quò ille conuentum acciuerat, mandata Pontificis in hanc ſententiam edidit. Rem peſſimam, & à nomine Chriſtiano, nedum regio alienam eſſe, quam ille moliretur. Quod ſi humanis, aut diuinis legibus non terreretur, at ſaltem famæ, & exiſtimationis ſuæ rationem haberet, ne tam tetro veneno à rege temperato totum populum Chriſtianum inficeret, & qui flagitia vlciſci deberet, iis ſe princeps obſtringeret. quòd ſi non flecteretur conſiliis, pro certo haberet, Pontificem vim Eccleſiaſticam adhibiturum, neque eum ſuis manibus Imperatorem aliquando ſacraturum. Huius orationem ſubſequutæ ſunt inde graues principum, qui aderant, voces, æqua iubere Romanum Pontificem: ne per Deum, nominis regii maieſtatem tam turpis facti labe commacularet, ne ve parentibus reginæ cauſſam defectionis, & iuſtam turbandæ reipublicæ occaſionem præberet. qui, ſi viri eſſent, cum armis, viriſque plurimum poſſent, tam inſignem filiæ ſuæ contumeliam ſine dubio inſigni aliquo facinore expiaturi, atque pro opibus accerrime vindicaturi eſſent. Quibus rationibus fractus magis, quàm inflexus Henricus ſe in Pontificis auctoritate futurum dixit. Eodem anno Alexander ad res Campaniæ inuiſendas, more inſtituto, profectus Salernum acceſſit, ac conuentum epiſcoporum, abbatumq. egit, cui Giſulfus Princeps Salernitanus, & Robertus Dux, & Rogerius Comes frater eius interfuerunt. Ibi Gulielmus Tancredi filius bona, quæ poſſidebat Eccleſiæ, reddidit. eaque Alexander Alfano archiepiſcopo ciuitatis adiudicauit. & poſt, cum Capuam conceſſiſſet, IIII Idus Octobris eadem

dem confirmauit. Eo verò, qui inſecutus eſt, anno, nempe Chriſti milleſimo ſeptuageſimo, Henricus Rauennatem eccleſiam archi- 1070
epiſcopi morte vacantem Giberto Parmenſi conceſsit, ac Gregorium Vercellenſem epiſcopum legatum Lombardiæ conſtituit. Alexander autem ab Henrico rogatus Gibertum ſacrauit, quanquam vnicum ſuperioris diſſenſionis auctorem, deinde variis ad ſe de Henrici ſimonia, atque ſuperbia criminibus delatis, perinde ac par erat, motus archiepiſcopos Moguntinum, & Colonienſem, & Babembergenſem epiſcopum euocauit Romam. Babembergenſi vitio dabatur, quòd epiſcopatum grandi pecunia coemiſſet, omnibus verò, quòd ſacros ordines mercede accepta contuliſſent. Verùm grauiſsima oratione caſtigati; ac iureiurando, ſe à talibus facinoribus temperaturos, adacti domum cum pace dimiſsi. Per eoſdem etiam Henricus ad cauſſam de ſimonia, aliiſq. grauibus criminibus Romam apud ſe dicendam ſacro anathemate indicto eſt euocatus. Cui edicto ille non paruit. Eodem anno Piſani Corſicam inuaſerunt. Cuius vlciſcendæ iniuriæ gratia Genuenſes triremes duodecim in Arni oſtia intulerunt. Eas verò adorti Piſani ſeptem in feſto S. Xyſti ceperunt, quæ mercibus onuſtę in Orientem curſum intenderant. Eum diem Piſani, quòd geminam in eo victoriam retuliſſent, feſtum eſſe in perpetuum voluerunt. ac S. Xyſto templum extruxerunt. Interim aſsiduis Gothifredi iniuriis Erlembaldus accenſus firmam ciuium manum Caſtellionum adduxit, diuq. ſtrenuè, qui in præſidio erant, locum tuentibus, ipſum obſedit. Extremo inde ſequentis Quadrageſimæ ſpatio ingens Medio- 1071
lani eſt incendium excitatum. ad id reſtinguendum cum plurimi è caſtris, quæ ad Caſtellionum erant, receſsiſſent, oppidanis locum ad erumpendum dederunt. qui magno conatu egreſsi Erlembaldum cum maximo ſui periculo inuitum obſidione decedere, compulerunt. Eo incendio magna pars vrbis ad ſolum exuſta eſt. Incendium inde Caſtellionenſe apud poſteros celebre manſit. Robertus, Dux, cum Apulia, Calabriaq. ſubacta, animum ad Siciliæ reliquum occupandum applicuiſſet, nauali confecto exercitu eò contędit, ac Caſinum primùm, deinde Panormum, tum Nazarim aggreſſus, omnia facilè in ditionem adduxit. Panormus, quòd erat rerum caput, per quinque menſes obſeſſa demum in poteſtatem peruenit. Septembri menſe pontifex Alexander Caſsinum profectus eſt, vt nouam D. Benedicti baſilicam conſecraret, modò à Deſiderio abbate, & Cardinali conſtructam. Ea res Kal. Octobris magna eſt cæremonia celebrata. Affuerunt omnes ferme vlterioris Italiæ epiſcopi, & cum frequentes vicinarum ci-

uitarum populi, tum etiam Principes Ricardus Capuanus, Giſulfus Salernitanus, Landulfus Beneuentanus, & Duces Neapolitanus, ac Surrentinus. Robertus, quòd eo tempore Panormum in Sicilia oppugnabat, intereſſe non potuit. Re diuina perfecta, omnibus, qui affuerunt, & qui per octo poſt dies locum illum piè viſitarunt, liberalis eſt peccatorum remiſsio auctoritate pontificia facta. cuius religionis fama permota Agnes etiam Imperatrix acceſsit. Inde Lucam Alexander abiit. vbi IIII Kal. Nouembris Eremum Camaldulenſem inſigni priuilegio decorauit. Eodem anno Michael Ducas Parapinaces Imperium Orientis excepit. Sequenti, Alexander Romam Luca re-

1072 uerſus, vbi IIII Idus Martij fuit, concilium aduerſus Simoniacos in Laterano coegit. Vido, qui archiepiſcopatum depoſuerat, vitæ finem fecit. Erlembaldus ea re audita locum premendo aduerſario opportunè ſibi datum exiſtimans ciuitatem adegit iureiurando, ſe Gothifredum ab Henrico editum non accepturam. atque opera Hildebrandi Cardinalis, cuius virtute, ac ſapientia tum pontificatus gubernabatur, Athonem clericum Mediolanenſem antiſtitem dedit. eoq. in Epiſcopium inducto, ſolemne, vt in eiuſmodi re, epulum init, ciuitate haud ſatis probante, quæ inſignem regi iniuriam fieri arbitrabatur, qui epiſcopum dare conſueuiſſet. Qua occaſione vſi aduerſarij impetum in triclinium fecere, atque fœdo adeo tumultu omnia miſcuere, vt Atho exterritus, cum vix incolumis euaſiſſet, honore ſe abdicarit. Quod vbi Romæ palam factum eſt, continuò Hildebrandus Gothifredum, cuius impulſu hæc omnia acta putabantur, nouo ſacrorum interdicto notauit, Athonemq. iterum decreto Pontificis confirmauit. Contra Henricus deſpecto prorſus Pontifice Gothifredum omni ope ad dignitatem retinendam adiuuit. Atque eo ille fauore ſuffultus ditionem amiſſam inuaſit, eaq. magna ex parte recuperata, in oppido Brebiæ tandem conſedit. Alexander Caſinum reuerſus hominem dæmoniacum poſt precationem diuinam verbo imperioſo ſanauit. & Aquinum prætergrediens pede captam mulierem nactus maxima cum aſtantium admiratione curauit, aqua, qua poſt ſacrificium manus abluerat, potui miniſtrata, & Tarracinæ oppido abbati Caſinati donato Romam reuerſus proximo anno Paſchate

1073 celebrato X Kal. Maij ad cæleſtia regna migrauit. Tertia poſt Alexandri ſepulturam die clerus, populuſq. ſubrogando pontifici in æde D. Petri ad Vincula eſt conuocatus, atque ſubitò, conſentientibus omnium animis, Hildebrandus archidiaconus ſedere in ſede Petri, vt digniſsimus omnium, iuſſus. Eiuſmodi verò fuit eorum de illo iudicium.

Nos

Nos ſancta Romanæ Eccleſiæ Cardinales, clerici, acolyti, ſubdiaconi, diaconi, presbyteri præſentibus venerabilibus epiſcopis, abbatibus, & monachis, conſentientibus pluribus turbis vtriuſque ordinis, eligimus nobis in ſummum Pontificem Hildebrandum archidiaconum, virum religione, doctrina, iuſtitiaq. præſtantem, in aduerſis conſtantem, in proſperis moderatum, pudicum, modeſtum, ſobrium, caſtum, hoſpitalem, domum ſuam bene regentem, in gremio huius Eccleſiæ à pueritia egregiè educatum, & eruditum, eumq. poſthac eſſe, & dici Gregorium VII pontificem volumus, & conſentimus. Eodem tempore in Germania Hanno, Colonienſis archiepiſcopus, haud minimum iis, quæ contra ius, & fas in aula regia gerebantur, commotus vacationem à rege procurationis publicæ poſtulauit, ætatem cauſſatus iam nimis ingraueſcentem, neque tantæ rerum moli ſufficientem. atque eam Henricus haud grauate conceſsit, ne, quod facere ſolitus fuerat, iuuenilibus ſuis, & prauis libidinibus obuiam iret. Eo verò ex aula profecto, Henricus, quaſi pædagogo ſeuerisſimo liberatus, refractis omnibus pudoris, atque modeſtiæ vinculis, liberius inde omnibus ſe generibus ſcelerum, ac flagitiorum obſtrinxit. Saxoniæ, ac Turingiæ colles cum caſtellis, præſidiiſq. firmaſſet, prædas paſsim ex proximis agris, villiſq. agi permiſit. archiepiſcopum Moguntinum ad decimas à Turingiæ ſacerdotibus exigendas, vt multos ante annos inſtituerat, incitauit. & cum VI Idus Martij archiepiſcopus ad eam rem conuentum Erfordiæ indixiſſet, ei affuit, ac Thuringis ſacerdotibus vetera Caroli Magni priuilegia, antiſtitum Moguntinorum inſtituta, & Pontificum Romanorum decreta aduerſus eum proferentibus, &, ſi in incœpto perſiſteret, Pontificem ſe appellaturos eſſe dicentibus, non ſolùm præſens acerrimè repugnauit, verùm etiam, ſi ad Pontificem prouocarent, extrema eis omnia intentauit. Quæ dum aguntur, nuncius eſt allatus, Hildebrandum Romæ pontificem declaratum, hominem, vt norant omnes, cum ingenij vehementis, tum præſtantis erga Eccleſiam pietatis. Inſigni eius ſeueritate, ac perpetua in emendanda Eccleſiæ diſciplina conſtantia epiſcopi Germaniæ territi acriorem ſtatim præſentis vitæ correctionem, triſtioremq. morum animaduerſionem extimuerunt. atque ob id regem adeuntes monuerunt, vt comitia eius antiquaret, alioquin totam eius pontificatus vim in ſe vnum breui redundantem expectaret; ob eam rem Henricus Eberardum Comitem Romam miſit, qui à Romanis rationem eorum comitiorum exquireret; & Gregorium, niſi verbo ſatisfeciſſet, vt vitio factum, abdicare iuberet. Ei Romam venienti, ac mandata regia edenti Gregorius, vt res erat, reſpondit, ſe à

Romanis inuitum ad eum honorem euocatum, propterea. non ſe conſecrari paſſum, neque paſſurum, donec certa legatione ad regem iampridem miſſa eius ſuper hac re voluntatem, ac iudicium perſpexiſſet. Ceterùm Gregorius, antequam conſecrationem acciperet, cum alios pleroſque, quos cõſtituendæ Eccleſiæ duxit idoneos, ſcriptis de dignitate ſua litteris, tum in primis Henricum regem, & Gibertum archiepiſcopum coluit. ita tamen vt ius ſuum ſe aduerſus vtrumque conſeruaturum eſſe, ſi officio deceſſiſſent, ſumma animi conſtantia præſetulerit. Itaque cum Gibertum audiſſet, Imolenſes ad ſacramenta ſibi dicenda compellere, Vidoni Comiti mandare, ne id in fraudem fieri Eccleſiæ pateretur, non dubitauit. cum autem Gothifredum archiepiſcopum Simoniacum comperiſſet à ſuffraganeis Eccleſiæ Mediolanenſis conſecratum, Beatrici, & Mathildi, vt ab eo, tanquam ab homine execrando, ſe abſtinerent, præcepit adiiciens, ſe in animo habere religioſiſsimos ad Henricum viros mittere, qui ipſum ad rectum obſequium Eccleſiæ reuocarent, & ad decoram ſuſcipiendi Imperij rationem incitarent, atque ita voluntate eius III Kal. Iulias conſecratus eſt, vt ex epiſtolis eius elicitur. nam Lambertus ſcriptor Germanus in Purificatione factum id prodidit. atque inde conuerſo ad Nortmanos animo, a quibus ditio Eccleſiæ premebatur, in Campaniam ad res eorum perſpiciendas egreſſus eſt. Itaque pridie Idus Augusti, Beneuenti cum eſſet, Landulfum Principem iureiurando adegit, ſe fidem Eccleſiæ præſtiturum, neque rem Beneuentanam vlla ratione diminuturum, neque iniuſſu Pontificis inueſtituram aliquam initurum. & Capuam progreſſus eadem iurare Ricardum Principem iuſsit. atque inde V. Kal. ad Erlembaldum Mediolanenſem ita ſcripſit: *Nos ſcito incolumes Capuæ agere. Nortmani pacem libenter ſe facturos oſtendunt, & ſi id nos expedire Eccleſiæ putaſſemus, iam ipſi ſe nobis omni reuerentia ſubieciſſent. Henricus rex litteras ad nos dedit omnis ſuauitatis, atque obſequij plenas, quales non meminimus ab vllo ante rege ad pontificem aliquem ſcriptas. ſunt etiam, qui nomine eius ſpondeant, ipſum in cauſſa Eccleſiæ Mediolanenſis auctoritati noſtræ ceſſurum. De Comitiſſa Beatrice, & Mathilde filia eius nequaquam dubitandum eſſe cenſemus, quin omnibus in rebus, quæ diuinam cauſſam attingunt, fidem nobis, atque officium præſtent. Tu confiſus in Domino fortem animum gerito.* Octobri inde menſe Henricus litteras ad eum dedit, agnoſcere ſe peccata ſua, inquiens, quæ ſiue ætatis petulantia, ſiue regiæ poteſtatis licentia, ſiue conſultorum iniquitate commiſit. non poſſe negare, quin eccleſias inuaſerit, eaſq. mercede indulſerit, ſe tamen ad ea corrigenda paratum eſſe. Quamobrem conſi-

lium poſcere, in primiſq. Eccleſiæ Mediolanenſi, quæ ſua culpa tanto ſe crimini obſtrinxiſſet, cupere ſubuenire. Gregorius inde, repetita in exitu anni Roma conſiliis de formanda eccleſia explicatis conuentum in proximam Quadrageſimam indixit, atque eò ſuffraganeos præcipuè Eccleſiæ Mediolanenſis acciuit. Extat epiſtola VIII Kal. 1074
Februarias data: *Non latere vos opinamur, inſtitutum illud in Eccleſiam Romanam iampridem inuectum eſſe, vt ad decus, & vtilitatem eius concilium quotannis apud ſedem apoſtolicam habeatur. cuius cauſſam, cum nos, ſiquando aliàs, hoc maximè tempore neceſſariam cenſeamus, illud in prima Quadrageſimæ hebdomada celebrare decreuimus. Quare vos omnes apoſtolica auctoritate huc adeſſe, vnaque vobiſcum omnes abbates Lombardiæ, iubemius.* Erant autem grauia illa flagitia coercenda, ne ſacerdotia venderentur, ne vxores à clericis haberentur, ne Eccleſiaſtica ditio à Nortmanis, in primiſq. à Roberto Duce, qui partem Marchiæ Firmanæ occupauerat, impunè diuexaretur. Itaque proximo menſe Martio cum & Mathildis, & Giſulfus Dux Salernitatus adeſſent, conuentu frequenti Lateranenſi in baſilica conuocato, de ſingulis, quas cõmemorauimus, rebus ordine rettulit. Ac de ſacerdotiis quidem ita ſtatuit, *vt qui à laico eccleſiæ inueſtituram acciperet, & qui daret, & qui acciperet, anathemate plecteretur.* Inde Othonem Ratiſponenſem, Othonem Conſtantienſem, Bernardum Loſannenſem epiſcopos, & Eberardum, atque Vldaricum Comites, quorum conſiliis eccleſias Henricus vendidiſſe arguebatur, piorum ſocietate remouit, atque in Germaniam, qui rem illam cognoſcerent, epiſcopos Oſtienſem, Præneſtinum, Curienſem, & Comenſem legauit. De clericis autem ſanxit; *ne vxores ducerent, qui verò haberent, aut eas, aut ſacerdotium dimitterent, nec quiſquam ad ſacerdotium vocaretur, qui non perpetuum cœlibatum profiteretur.* atque eo decreto facto litteras ad omnes epiſcopos miſit, præcipiens, vt feminas ab ipſorum contubernio remouerent. De Nortmanis porrò ſanctum, vt Roberto, & ceteris, qui Marchiæ Firmanæ oppida pontificia inuaſiſſent, piorum communione interdictum eſſet. Ceterùm legati in Germaniam miſſi Agnete Auguſta aſſumpta, cum Norimbergæ poſt Paſcha regem obuium habuiſſent, colloquium eius repudiarunt, quòd anathemate ab Alexandro pontifice obligatus nunquam ſatisfeciſſet. poſtularunt autem, vt conuentum ſibi in Germania habere liceret, in quo epiſcoporum, & abbatum, qui dignitates emiſſent, cauſſam cognoſcerent. Quod vbi epiſcopi audiuerunt, vt rem nouam, & rationibus ſuis alieniſſimam reſpuerunt. neque eam facultatem ſe cuiquam, niſi ipſi Pontifici, conceſſuros dixerunt. ob id legati Babem-

bergenſem epiſcopum, ac nonnullos alios præter ceteros turpis infamia largitionis flagrantes ab officio remouerunt, donec ad ſe adeuntes coram crimen obiectum diluiſſent. totius verò rei iudicium, quia per ſe confici non poterat, ad Pontificem integrum reiecerunt. Decreto verò de cœlibatu per Germaniam diuulgato, vniuerſa clericorum factio conſternata ſubitò Gregorium turpibus figere maledictis cœpit, qui apoſtolo Paulo repugnaret, apud quem diſertè ſcriptum eſſet: *Qui non poteſt continere, nubat. melius eſt nubere, quàm vri*, & cœlibatum inducendo viam fornicationi, aliiſq. flagitiis turpiſsmis aperiret. nimirum ſe ſacerdotia potius, quàm coniuges, dimiſſuros. Nihilo ſecius Gregorius inſtabat, & in epiſcopos, niſi decreta ſua exequerentur, ſe notione apoſtolica animaduerſurum, minabatur. Ob eam rem Sigifridus archiepiſcopus Moguntinus, qui ſacrorum in Germania principatum tenebat, tantam rem agere ingreſſus, cum precibus ſingulos ſolicitaſſet, vt ad quod faciendum cogi poterant, id vltro ſuſcepiſſe videri vellent, neque æqui aliquid impetraſſet, tandem menſe Octobri Erfordiæ conuentu acto eos vrgere acrius inſtitit, vt ſe aut ſacerdotio, aut coniugio abdicarent. Quod ægrè adeo paſsi epiſcopi ſunt, vt ſeceſsione facta conſilium archiepiſcopi interficiendi habuerunt. Quo cognito, archiepiſcopus ſubitò conuentum dimiſit, ac ſe cum Pontifice, vt aliquid de ſententia remitteret, acturum oſtendit. Eadem ratione Mediolani Erlembaldus hoc decreto accepto eò vehementius furere, atque in clericos ſæuire, liberiuſque Henrici edicta deſpicere. Itaque in Cœna Domini oleum conſecrari per Gothifredum prohibuit, atque aliud ipſe ſuppeditauit. Gregorius XVII Kal. Iulij, cum in caſtris apud S. Fabianum eſſet, ad Agnetem Auguſtam ita ſcripſit: *Gratias agimus, quòd concordiæ Eccleſiæ conſulitis, & quòd filium veſtrum Henricum regem communioni Eccleſiæ reſtituendum, & regnum eius à communi periculo liberandum curaſtis. quoniam cum illo extra communionem poſito ne nos conſentiremus, diuinus timor deterruit. Nos cauſſa beati Petri vobiſcum delaboramus. Beatrix, & Mathildis dies, nocteſq. in nobis adiuuandis deſudant, vos tanquam dominam, & magiſtram imitantes.* XVIII autem Kal. Nouembris ad Beatricem, & Mathildem has litteras dedit: *Nos ex graui, et periculoſo morbo Deo iuuante emerſimus. Robertus Dux ſæpe per legatos nobis ſignificauit, ſe cupere nobis fidelitatis ſacramentum dicere, adeo ſanctum, vt nemo vnquam ſanctiore ſe obligaeit, quod certis de cauſsis adhuc differendum putauimus. nos magnam ſpem in præſidio veſtro habemus, & pro veſtra ſalute preces ad Deum fundere non ceſſamus.* VII inde Idus Decembris ad Henricum ita ſcripſit, vt ſe dolere diceret, quòd cauſſam eccle-

ſiæ Mediolanenſis non ex promiſſo compoſuiſſet. gaudere verò, quòd audiret, illum operam dare, vt in Regno Simoniaca hæreſis, & fornicatio clericorum extirparetur. rogare porro, vt legatum Romam ad conuentum in cauſſa eccleſię Mediolanenſis mitteret, ac ſuos huc venire epiſcopos cogeret. Quin etiam ad eundem conuentum Lietmarum epiſcopum Bremenſem ad cauſſam de contumacia dicendam inuitauit. XVII autem Kal. Ianuarias Mathildem per litteras monuit, vt ab Azone marchione, cui paullo ante ſeſe matrimonio copulauerat, repente recederet, vt qui ipſam, & Gothifredum virum ſuum vita functum conſanguinitate attingeret: qua in re ſi ius ſuum lædi exiſtimaret, ſe cauſſam eius proximo in conuentu ſummo ſtudio cogniturum. Sequenti verò ineunte anno Gibertum archiepiſcopum ad conuentum in proximam Quadrageſimam inuitauit. Vrbs Mediolanenſis nouo incendio conflictata eſt: cuius cladis detrimento deſpecto Erlembaldus, ardentis homo ingenij, nouos miſcere tumultus non deſtitit. Itaque paſchalibus cæremoniis oleum ipſe ſubminiſtrauit, quod ceteris ſacerdotibus accipere abnuentibus, ſolus Luitprandus S. Pauli ſacerdos ipſi gratificatus accepit. Quare plebs indignata vrbe ſeceſſit, ſeq. nemini antiſtiti parituram, niſi ab Henrico dato, aſſeruit. Neque ita multò poſt in vrbem reuerſa Erlembaldum inuaſit, ipſumq. cum Luitprando, tumultu excitato, necauit. Quibus de rebus Henricus indignatione accenſus, quando Gothifredus non accipiebatur, Theobaldum Caſtilioneum edidit. isq. benignè ſuſceptus eſt. Atque ita tres eodem tempore pro archiepiſcopis ſe geſſere, Theobaldus Mediolani, Gothifredus in finibus, Attho Romæ. Gregorius inde per totum menſem Martium conuentum in Laterano habuit. in quo hæc acta ſunt. Primùm familiares Henrici regis, quorum conſilio ille eccleſias vendidiſſet, à liminibus Eccleſiæ ſeparauit, vt ſi ad Kal. Iunias ſibi Romæ non ſatisfeciſſent, communione ſecreti eſſent. Hi fuere Lietmarus Bremenſis, Henricus Spirenſis, Herimanus Bambergenſis & Guarnerius Straſburgenſis epiſcopi. Ex Italicis autem Gibertus, & Theobaldus archiepiſcopi, quòd ad conuentum vocati non acceſſiſſent, & Hugo Cardinalis Blancus, quòd olim cum Cadaloo conſpiraſſet, exauctorati, atque à piorum communione remoti ſunt. Gulielmus Papienſis epiſcopus, & Cumbertus Taurinas ab officio ſuſpenſi, Dionyſius Placentinus abdicatus. Robertus Dux Apuliæ, & Robertus de Loreello, quòd bona Eccleſiæ inuaſiſſent, communione priuati. Decretum eſt etiam, vt ſi quis presbyter, diaconus, ſubdiaconus vxorem, aut concubinam haberet, niſi dimiſsis illis pœnitentiam age-

1075

ret, ſacris altaribus abſtineret, neque aliquo Eccleſiæ beneficio frueretur. & ne quis clerici, qui vxorem non haberet, rem diuinam audiret, inhibuit. præcipuè autem Babembergenſi epiſcopo, quem antea à miniſterio diuino remouerat, cōgreſſu piorum interdixit, quòd ad cauſſam grauiſsimo de ſimoniæ crimine dicendam Romæ adeſſe iuſſus per biennium nōn veniſſet. is litteris ſuper hac re à legatis Pontificis redditis, inops conſilij ad Moguntinum ſe cōtulit. Moguntinus ſuſcepta cauſſa Romam properauit, ac vix vt in cōmunionem reciperetur, obtinuit. Inde domum reuerſus menſe Octobri alterum conuentum Moguntiæ habuit, ac Curienſis epiſcopi legati pontificij iuſſu de cœlibatu clericorum iterum rettulit. verùm nouo imminente ſibi ab epiſcopis ſalutis periculo territus ſtatim incœptum omiſit, atque ad Pontificem, vt pro ſuo arbitrio hoc negocium tranſigeret, ſcripſit, neque enim ad id conficiendum in ſe ſatis aut præſidij eſſe, aut roboris. Dum hæc aguntur, graui Gregorius calamitate, vnde minimè verebatur, oppreſſus eſt. Cincius vrbis præfectus vir, & generis ſplendore, & diuitiarum magnitudine in tota Italia clarus, vt qui, iam inde à Cadaloi tempore infeſtus eſſe pontificibus cœperat, impetu in Eccleſiaſtica prædia facto multis Pontificem damnis affecerat. Quibus de rebus Pontifex cum ſæpe comiter obiurgarat, atque ad officium reuocare paterna caritate contenderat. Quod vbi non profecit, tum demum eum à piorum communione ſecreuit, ratus nulla alia ratione audaciam comprimi eius poſſe. Ea verò re ille ira adeo exarſit, vt à poſſeſsionibus Pontificis furorem in Pontificem ipſum conuerterit. Itaque captata
1076 proximi Natalis Domini nocte, qua Gregorius de more rem diuinam ad Præſepe conficeret, repente in templum cum valida armatorum hominum caterua irrupit, atque ad altare prouectus ipſum Pontificem ſacris veſtibus indutum, ac ſacris religione eximia operantem, iniecta in capillos manu, comprehendit, atque indignè habitum, & de templo abreptum in turrim ſuam munitiſsimam contulit. Eius atrocitatis fama repente per vrbem vulgata, populus Romanus rei indignitatem iniquo animo patiens propere armatus accurrit, atque ante ortum ſolis turrim oppugnare adortus Pontificem è cuſtodia exemit. Qui, ſedato tumultu, eadem nocte ad Præſepe reuerſus rei diuinæ, quam inchoauerat, finem ſecundis omnium votis impoſuit. Prædia inde omnia Cincij, & vrbana, & ruſtica populus iracundia elatus euertit, nec ſecius ille in omnia, quæ erant Eccleſiæ, cum eſſet vrbe elapſus, impotenter deſæuiit. Interim Henricum Goslariæ Natalem Domini, ac principum conuentum agentem legati Pontificis adie-

runt, eiq. verbis ipſius Pontificis edixerunt, vt ſecunda Quadrageſimæ hebdomada concilium Romæ indictum de criminibus, quorum argueretur, cauſſam dicturus adeſſet. Quod ſi facere neglexiſſet, ſe rurſus à communione Eccleſię ſeiunctum iri, pro certo haberet. Hæc verò crimina, quæ eſſent, apparet ex epiſtola, quam ad Henricum VI. Kal. Ianuarij ſcripſit, in hæc verba: *Cum intelligamus, nos traditi nobis à Deo miniſterij rationem apud iudicem ſeueriſſimum reddituros, cum aliqua dubitatione benedictionem tibi apoſtolicam mittimus. quòd fama eſt, te cum eis ſcientem communicare, qui apoſtolicæ ſedis, conciliiq. ſententia communione ſecreti ſunt. cui culpæ ſi te obnoxium ſentis, tibi auctores ſumus, vt quamprimum religioſum aliquem epiſcopum, confeſſionis cauſſa conuenias, qui permiſſu noſtro iuſto tibi iniuncto piaculo te abſoluat. Ceterùm valde mirum illud nobis accidit, quòd cum tu per legatos tuos tantum obſequij erga nos ſtudium pollicearis, filium te ſanctæ matris Eccleſiæ, ac noſtrum appellans, re tamen & factis, in ijs, quæ Dei religio maximè poſcit, contrarium te oſtendis. nam, vt cetera mittamus, quid nobis per matrem tuam, perq. epiſcopos tuos de cauſſa Mediolanenſis eccleſiæ promiſeris, quidq. præſtiteris, ipſa res loquitur. vt autem vulnus vulneri infligeres, eccleſiam etiam Firmanam, ac Spoletanam quibuſdam hominibus non ſolùm nobis non probatis, ſed neque etiam prorſus cognitis contra omnia Eccleſiæ decreta donaſti. Quamobrem te paterna caritate monemus, vt Chriſti in te imperium agnoſcens ne honorem tuum honori eius præponere velis, & libertatem Eccleſiæ, quam ſponſam tibi cæleſti coniugio concedere dignatus eſt, haudquaquam tua occupatione impedias.* His igitur ſiue legatorum, ſiue epiſtolæ verbis Henricus præter modum offenſus continuò omnium, qui in ſuo regno eſſent epiſcoporum, atque abbatum Vormaciam in Septuageſima concilium aduocauit, eo conſilio, vt, ſi qua ratione poſſet, pontificatum Gregorio abrogaret. neque enim eo pontificatum tenente, ipſe ſe regnum tenere poſſe, putabat. Die conſtituto XXIIII epiſcopi cum Gregorio ob cauſſam cœlibatus infenſi, tum ab Henrico non mediocribus pollicitationibus incitati venerunt. acceſſit etiam Hugo Cardinalis Blancus à Gregorij rationibus ob cauſſam, quam diximus, alienus. Ibi relatione de Gregorio facta, ſurrexit Hugo, atque initio accuſationis à Gregorii natalibus repetito, vitam eius omnem variis flagitiorum, probrorumq. maledictis concidit, hæreticum, adulterum, & ſanguinarium vocans, ac propterea pontificem per leges fieri non potuiſſe, contendens. Quibus rebus auditis, omnes epiſcopi auctoritatem eius ſequuti facilè Gregorium vitio factum eſſe pontificem, ac propterea obedientia indignum conſtituerunt: cui decreto ſubſcribentibus ceteris

duo inuenti ſunt Adelbertus Vireburgenſis, & Herimanus Metenſis, qui vehementius refragati ſunt; enimuero rem indignam, & à ſacris legum ſcitis alienam eſſe, vt epiſcopus aliquis nullo generali concilio, nullis iuſtis accuſatoribus, nullis idoneis teſtibus, nullis probatis criminibus damnaretur, nedum ipſe Pontifex maximus, aduerſus quem neque epiſcopi, neque archiepiſcopi eſſet recipienda delatio. Verùm inſtante Villelmo, Traiectenſi epiſcopo, qui cauſſam regis pertinacius tuebatur, vt aut cum ceteris conſentirent, aut ſe ſacramento regi præſtito abdicarent, & ipſi tandem ſubſcripſerunt, atque omnes epiſtolam ad eum exararunt, quam poſt varias criminationes vitę eius illatas ita concluſerunt: *Quia ergo & introitus tuus tantis periurijs eſt initiatus, & Eccleſia Dei tam graui tempeſtate per abuſionem nouitatum tuarum periclitatur, & vitam per conſeruationem tuam tam multiplici infamia dehoneſtaſti, obedientiam, quam tibi nullam promiſimus, poſthac nullam ſeruaturos eſſe, denunciamus.* Ea epiſtola Rolando cuidam clerico Parmenſi ad Gregorium deferenda eſt data. Is maturato itinere Romam, antequam conuentus inſtitueretur, acceſsit. ac reddita Gregorio epiſtola, eidem Henrici nomine nunciauit, ne ipſe aut ſe poſthac pontificem appellaret, aut aliquid pro pontifice gereret; Cardinalibus verò, vt ad nouum à rege creandum pontificem in Germaniam maturarent. Res erat grauis, neque vllo pacto Chriſtiano homini, nedum Pontifici maximo, toleranda, pontificiam auctoritatem in ordinem cogi ab eo, quem tutorem ipſa ſibi Eccleſia delegiſſet. Extabant etiam præclara Gregorii ſecundi, & tertii pontificum Romanorum exempla. qui minoribus opibus præditi Leoni Iſauro potentiori Imperatori ſacris interdicere, & iurata Italiæ obedientia ſpoliare non dubitarant, vno eo crimine quòd ſe ſacris imaginibus inimicum aduerſus vetera patrum decreta præbuiſſet. His de rebus Gregorius haud ſibi dubitandum putauit, quin vnà & ſuas, & ipſius Eccleſię iniurias pro magnitudine poteſtatis perſequeretur. Itaque poſtridie litteras in conuentu recitauit, ac, commotis rei indignitate ad vltionem omnium animis, decretum in epiſcoporum ſententiam fecit, & Henricum regio Germaniæ, atque Italiæ titulo, & iurato Principum, populorumq. obſequio abdicauit, atque vnàcum Sigifrido, archiepiſcopo Moguntino, Villelmo Traiectenſi, & Ruperto Babembergenſi, & Lombardis aliquot, ac Francis epiſcopis, qui abſtentorum conſuetudine vſi eſſent, ſacro anathemate obligauit, niſi Romam profecti ipſa coram ſe crimina diluiſſent. Decretum autem in Henricum fuit eiuſmodi: *Audi me princeps Apoſtolorum Petre. tu mihi, beatuſq. Paulus frater tuus*

optimi præter ceteros teſtes eſſe poteſtis, me inuitum ad ſanctæ tuæ Eccleſiæ gubernacula eſſe protractum. ob eam rem mihi perſuadeo, tibi placere, vt ego populo Chriſtiano tibi præcipuè à Deo commiſſo præſim, ac ſummam ligandi, atque ſoluendi in cælo, atque in terra poteſtatem obtineam, tibi præcipuè à Chriſto domino noſtro delatam. Hac igitur fiducia nixus pro Eccleſiæ tuæ honore ex parte omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti iure auctoritatis tuæ Henrico regi Henrici Imperatoris filio, qui aduerſus tuam Eccleſiam inaudita ſuperbia inſurrexit, toto regno Germaniæ, atque Italiæ interdico, & omnes Chriſtianos vinculo ſacramenti, quo ſe illi obſtrinxerunt, exoluo. & ne quiſquam ei, vt regi, obtemperet, veto. Aequum eſt enim, vt qui ſtudet honorem Eccleſiæ tuæ minuere, ipſe honore diſpolietur, quem videtur habere. Et quoniam, vt Chriſtianum decet, auctoritati meæ non paruit, neque ad Deum reuertit, quem reliquit, abſtentorum conſuetudine vtens, & ſalutaria mea præcepta deſpiciens, atque Eccleſiam tuam tentans ſcindere, omnino ſe ab eius corpore ſeparauit: ob eam rem tuo nomine vinculo anáthematis ipſum alligo, vt gentes ſentiant, Quòd tu es Petrus, & ſuper tuam petram Filius Dei ædificauit Eccleſiam ſuam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. His pronunciatis, rogauerunt eum quidam, vt gratiam Henrico ſuam reſtitueret vellet. Quibus ille, *Summo ſtudio faciam*, inquit, *ſi ille in gratiam cum Deo redire ſtuduerit. neque enim vos fallit, quandiu ſancta Eccleſia nefanda eius flagitia tulerit, & quantas calamitates ipſo auctore ſubierit, & vt nos patris, & matris eius ſtudio incitati, & cum diaconatum gereremus, & poſtquam vocati ad ſacerdotium ſumus, per religioſos homines admonere, atque à prauis conſilijs reuocare, ſed fruſtra, contendimus.* Aliis autem regem anathemate obſtringi non poſſe dicentibus, *An verò cum Deus*, inquit, *Eccleſiam ſuam ter beato Petro commiſit, dicens, Paſce oues meas, ipſos reges excepit? aut cum eidem ligandi, ſoluendiq. in cælo, & in terra poteſtatem conceſſit, quenquam ab eius poteſtate ſubtraxit?* Atque ita conuentum dimiſit. Per eoſdem etiam dies, nempe pridie Idus Martias ad Arnoldum epiſcopum Acerentinum de Normannis ſic ſcripſit: *Volumus, te ſcire, Rogerium Comitem, Roberti Ducis fratrem ſedis apoſtolicæ abſolutionem, & expiationem expoſcere. Quare facito, vt illum adeas, & ſi dicto audientem inueneris, & pænitentiam, vt decet, egerit, auctoritate noſtra omni peccatorum ſuorum vinculo, & ipſum, & milites eius exoluas. Quod ſi de Roberto fratre ſuo ſermonem intulerit, reſpondeto, me paratum eſſe, illum paterna caritate ſuſcipere, & ab omni anathemate liberare.* Ceterùm decreto Concilij aduerſus Henricum in Germaniam perlato plerique Principum illum auerſari, vt ab Eccleſia damnatum, cœperunt. Itaque, cum ille in dies Pentecoſtes conuentum Vormaciam indixiſſet, nulli occurrerunt, & cum al-

terum Moguntiæ in feſtum S. Petri aduocaſſet, pauci admodum acceſſerunt, ſine dubio ne abſtentorum colloquio intereſſent. His rebus cognitis Gregorius tamen III Nonas Septembris ad eos ita ſcripſit: *Qua de cauſſa Henricum anathematis vinculo alligauerim, & regia dignitate diſpoliarim, et populos ſacramento et dicto abſoluerim, vos arbitror non latere. illud nunc vos moneo, atque rogo, vt ſi ipſum ex animi ſententia ad Deum conuerſum videritis, benigno animo excipiatis propter memoriam patris, & matris eius, quibus ad Imperij gubernacula tractanda nulli ætate noſtra pares fuerunt. praui ab eo remoueantur conſultores, qui Simoniaca hæreſi polluti ipſum corruperunt, nemoq. eum iniuſſu meo ab hoc anathemate audeat liberare. De ſacramento dato Agneti Auguſtæ matri eius, ſi filius ex hac vita ante ipſam migraret, ita cenſeo; poſtquam inter vos ſtatutum, ac ratum erit, ipſum eſſe à regno deijciendum, conſilium ab ea, & nobis de nouo ſubrogando rege poſcatis.* His litteris adducti principes priuatis inter ſe conſiliis initis ad extremum vltro circa Kal. Octobris apud Oppenehim conuenerunt, ibiq. libertatem loquendi nacti palam ſe ſubiectos eſſe Henrico negarunt, quòd à duobus pontificibus communione piorum expulſus non ſatisfeciſſet, ac demum eo nomine in conuentu Romano regia poteſtate priuatus eſſet, atque in ante diem XVII Kal. Nouembris conuentum alterum ad regem ſubrogandum Tributias indixerunt. Die dicta frequens Principum conuentus affuit, multòq. etiam, quàm ſpes fuerat, celebrior, quòd Sigehardus patriarcha Aquileienſis, & Alemanus epiſcopus Patauienſis interfuere. quos legatos Pontifex miſerat, vt Henricum iuſtis de cauſis abdicatum populis indicarent, & ad ſublegendum alium pontificiam auctoritatem afferrent. Hi, cum in conuentum veniſſent, omnium congreſſum vitarunt, qui aut Henrico ſacerdotiorum venditore, aut epiſcopis mercatoribus, aut clericis matrimonio iunctis familiariter vſi eſſent. Cum autem omnes ex ordine conſediſſent, & de Henrico facta relatio eſſet, tum pro ſe quiſque varia in eum probra, ac flagitia protulit, atque alium in eius locum regem ſublegendum eſſe cenſuit. ita in eorum ſententiam decretum eſt factum. His de rebus Henricus certior factus ad Oppenehin venerat, atque animi anxius legatis miſsis principes ſolicitare non deſinebat, omnibus precibus obſecrans, ne tantam ſibi iniuriam facerent: ſe vetera flagitia nouis moribus deleturum, nihil poſthac rerum publicatum ſine communi conſilio tractaturum, denique ſe ſuo iure deceſſurum, eiſq. regni pro ſua voluntate gerendi poteſtatem facturum, ac ſola ſibi regia inſignia retenturum, quæ ſemel iuſtè ſumpta ſine inſigni omnium eorum ignominia non poſſe deponere, & ſi ſibi fidem

habere

habere nollent, in ea obſides ſe dare eſſe paratum. Multis vltro citroq. verbis de perfidia, & flagitiis eius factis, ad extremum principes Sueuiæ, & Saxoniæ ſuſceperunt, quanquam res manifeſtis indiciis teneretur, ſe tamen integram cauſſę cognitionem Pontifici Romano reſeruaturos, acturoſq. cum eo, vt in feſto Purificationis Auguſtam vſque accurreret. ibi celebri conuentu habito, graue ipſum Pontificis iudicium ſubiturum. quòd ſi ille ante annum anathemate non eſſet ſolutus, ne amplius repetere regnum poſſet, interim abſtentos omnes à ſe abire iuberet, ac Spiram exercitu dimiſſo ſecederet, ibiq. vno Virdunenſi epiſcopo, & paucis miniſtris, quos principes ipſi probaſſent, contentus vitam priuatam traduceret. Henricus in ſummum diſcrimen amittendi regni adductus facilè omnes conditiones accepit. Principes legatis miſsis mox Pontificem de his omnibus docuerunt, ſummis precibus orantes, vt ad tantam ſeditionem ſedandam, tantamq. Eccleſiæ labem tollendam Auguſtam ad Purificationem accedere vellet. Dum autem hæc aguntur, Robertus Dux Apuliæ rebus in Sicilia proſperè geſtis elatus exercitum Salernum adduxit, idq. Ricardo fratre Capuæ Principe auxilio aduocato, acriter oppugnare incœpit. Qua re cognita Gregorius Deſiderium abbatem Caſsinatem ad rem inter Giſulfum Salerni Principem, & Robertum componendam miſit. quæ intempeſtiua Giſulfi pertinacia conuenire non potuit. ſuborta eſt inde in vrbe tanta rerum omnium ad victum neceſſariarū inopia, vt veſcendi cauſſa ad equos, aſinos, caneſq. deſcenſum ſit. Qua re comperta Robertus cum maxima militum manu ad muros ſucceſsit, parteq. eorum vi machinarum deiecta, aditum ſibi in vrbem muniuit. atque Idibus Decembris, fruſtra repugnante Principe, in ditionem adduxit. Per eoſdem dies Gregorius Germanis Principibus obſequutus, vrbe exiit, atque vnius Mathildis nunquam præ pietate ſenis à latere diſcedentis præſidio fultus magnis itineribus adulta hieme Auguſtam ire contendit. Henricus omnem ſuam ſalutem in eo poſitam arbitratus, vt ante annum anathemate ſolueretur, ſimulq. metuendum eſſe ratus, ne, ſi ſe Auguſtæ infenſis iudicibus, ac multo infeſtioribus accuſatoribus traderet, annus ipſe ante abſolutionem efflueret, omnibus conſiliis anteueniendum exiſtimauit, vt Pontifici in Italiam occurreret, atque ab eo anathematis abſolutionem quoquomodo impetraret. Nam ea impetrata, faciliora cetera fore, cum amicorum colloquio vti, & cum iis opportuna conſilia, capere nulla religio prohiberet. Paucis igitur ante Natalem Domini diebus Spira profectus à nemine ex Germanicis ingenuo comitatus, & à nemine pecunia, qua plurimum egebat, ſuble-

uatus in Burgundiam venit, ac Viſontione ſolemne Natalicium egit.
1077 deinde aſperrima hieme montem Ciniſium ſuperare contendit. In campos inde degreſſum Theobaldus, & Gibertus archiepiſcopi Mediolanenſis, & Rauennas, ac reliqui Lombardiæ epiſcopi, qui Gregorio infenſi aduentum eius diu ſuſpenſis animis expectauerant, vnà cum pleriſque principibus exceperunt, eiq. omni officio vt regem proſequuti, iuſtum comitatum, atque exercitum confecerunt. Gregorius, vbi ad anguſtias Alpium Tridentinarum progreſſus duces itineris præmiſſos non inuenit, atque Henricum in Italiam traieciſſe, ac magno conflato exercitu aduerſus ſe properare cognouit, inſidias aliquot ſuſpicatus conuerſo itinere Canuſij apud Mathildem ſibi ſubſiſtendum exiſtimauit. Interim epiſcopi, & principes, quos, vt abſtentos, Henricus à ſe dimittere fuerat iuſſus, ad Gregorium Canuſium anteuerſo itinere properarunt, ac ſe paratos eſſe quocunque modo Pontifici ſatisfacere ad redimendam eius gratiam, oſtenderunt, calceiſq. poſitis ab eo veniam petierunt. Quibus ille reſpondit, ſe pœnitentibus quidem miſericordiam tributurum, verùm longam, & grauem eorum contumaciam animaduerſione aliqua expiaturum. Illis ſe omnia, quæ imperarentur, ſummo ſtudio & facturos, & paſſuros dicentibus, ſingulos in ſingulas cellas iuſsit diſtribui, ita vt cum nemine colloquij copiam haberent, & tenui cibo, potuq. ſuſtentarentur. Poſt aliquot inde dies examinatos ad ſe vocauit, ac de commiſsis grauiter caſtigatos anathemate liberauit, præcipiens, ne cum Henrico, antequam ſibi ſatisfeciſſet, de re vlla colloquerentur, niſi vt eum de ſua pertinacia deturbarent. Interea Henricus propè Canuſium venit, ac Mathildem, Azonem marchionem Ateſtinum, abbatem Cluniacenſem, & alios nonnullos euocauit, quos auctoritate, & gratia plurimum apud Gregorium valere exiſtimauit. Hos Gregorii voluntate profectos precibus omnibus obteſtatus eſt, darent operam, vt primo quoque tempore anathemate ſolueretur, neque principibus Teutonicis inuidia aduerſus ſe flagrantibus traderetur. Quod vt accepit Gregorius, Haudquaquam legibus eccleſiaſticis, inquit, conuenit, vt rei alicuius cauſſa abſentibus accuſatoribus peragatur. ſi confidit, ſe innoxium argui, die conſtituta Auguſtæ adſit, quò principes omnes occurrent. ibi ex legibus cauſſa vtrinque perorata ſine odio, aut gratia iudicabitur. ad hęc illi, vt erant ab Henrico inſtructi, Henricum haudquaquam recuſare iudicium, cuius ſciat ipſum prudentem, integerrimumq. iudicem fore, verùm ea de re laborare, ne annus ante circumagatur, quàm ipſe religione ſoluatur. quo facto ipſe Palatinis legibus regni titulo ſpolietur, neque cauſſæ dictioné

amplius

amplius nanciſcatur. proinde illum orare, atque hoc omni, quo ille voluerit, genere ſatisfactionis redimere paratum eſſe, vt ſolo nunc anathemate liberetur, atque in gratiam Eccleſiæ redigatur, deintegrò iudicium quocunque in loco, & quacunque die voluerit, ſubiturus, atque eius ſententia, & victor, & victus æquo animo diſceſſurus. Negauit hoc Gregorius iuuenilis in eo animi inconſtantiam, & procliue, quocunque aſſentatores impuliſſent, ingenium veritus. Demum auctoritate, & precibus Mathildis, & ceterorum, qui aderant, victus, Si ex animi, inquit, ſententia pœnitet, coronam, & reliqua regni inſignia in argumentum veræ pœnitentiæ tradat, & ſe poſt tantam contumaciam regio nomine, & honore poſthac indignum profiteatur. &, cum hanc etiam ſententiam, tanquam nimis duram, vt temperaret, Mathildis, ceteriq. petiſſent, tandem exoratus, Prope, inquit, accedat, & culpam, quam imperium detrectando aduerſus apoſtolicam ſedem contraxit, decretis eius obtemperando expurget. Acceſſit ergo propius, vt iuſſus erat, Henricus, atque intra ſecundum murorum ambitum, nam triplici oppidum cingebatur, receptus, extra omni comitatu relicto, regium cultum abiecit, ac ſine calceis ſæuiente hieme ieiunus vſque ad veſperam reſponſum Pontificis expectauit. Quo non reddito, idem ſecundo, & tertio die fecit. Quarto demum Gregorius conſtantiam hominis admiratus, ac verè eum pœnitere ratus, ſimulq. aſpera hominum aduerſus ſe conuicia veritus, in conſpectum admiſit. Is dies V Kal. Februarias fuit. Tum res ita conuenit, vt Henricus anathemate ſolueretur, ac ſe die, & loco, quem Gregorius conſtituiſſet, in communi Germanorum principum conuentu in iudicio ſiſteret, & criminibus, quæ obiiciebantur, ipſo, ſi ita è republica fore videretur, quæſtionem exercente pontifice, reſponderet, atque extremo illius iudicio ſtaret, nullam in perpetuum à quoquam huius vindictam iniuriæ exacturus, interim omnia regię dignitatis ornamenta deponeret, ac de rebus publicis nihil pro ſuo iure ſtatueret. Babembergenſem epiſcopum, & Vldaricum de Coshein, & ceteros, quorum conſiliis, ſe, remq. publicam perdidiſſet, à ſua in perpetuum familiaritate depelleret; qui ſacramẽtum ei dixiſſent, religione omnes exolueret. quòd ſi regnum tenuiſſet, ſemper Pontifici ſe obſequentem ad contractas in Eccleſia labes delendas præberet. ſi quid horum feſelliſſet, irrita hæc noxæ abſolutio eſſet, neque vltra pro aſſerenda innocentia ſua iudicium impetraret. principeſq. Germanici religione iuriſiurandi ſoluti alium ſubſtituere regem poſſent. Has læto animo conditiones Henricus accepit, atque ita iurauit: *Ego Henricus rex de criminibus, quibus me onerant archiepiſcopi,*

epiſcopi, Duces, Comites, ceteriq. regni Germaniæ principes, & alij, qui eos in hac diſſenſione ſequuntur, intra diem, quam mihi D. Gregorius pontifex præ ſcripſerit, aut ex iudicio eius rationem reddam, aut ex eiuſdem conſilio pacem componam, niſi quid mihi iuſti impedimenti obſliterit. Item, ſi D. Gregorius pontifex trans alpes, ſeu ad alias terrarum partes contenderit, tutum iter præſtabo ipſi, ducibus, comitibus, & legatis eius, & ijs, qui ad eum de quibuſcunque partibus ſe contulerint, ita vt ire, morari, ac redire ſine periculo poſſint, neque auctor ero, vt vllum honoris detrimentum accipiant, & ſi acceperint, bona fide pro meis viribus adiuuabo. Inde epiſcopus Cıricenſis, & Vercellenſis, & Azo allatis Sanctorum relliquiis ſacramento confirmarunt, (nam abbas Cluniacenſis, quia per leges iurare non poterat, fidem ſuam tantùm obſtrinxit,) Henricum præſtiturum, quæ iureiurando ſanctiſsimo promiſiſſet. Atque his confectis, Gregorius Henricum ad pedes proiectum, ac miſericordiam pontificiam implorantem anathemate liberauit. ac protinus ad rem diuinam faciendam ſe contulit. Inde, vbi ſacram oblationem confecit, Henricum cum omnibus, qui ſacro aſtabant, ad aram accedere iuſsit, præferenſq. manu auguſtiſsimum corpus Domini, Ego Henrice, inquit, iampridem à te, tuiſq. fautoribus per litteras accuſatus, me ſedem apoſtolicam per Simoniacam hæreſim inuaſiſſe, atque aliis multis tam ante, quàm poſt pontificatum acceptum grauiſsimis vitam meam flagitiis polluiſſe, quæ mihi per leges aditum ad ſacros ordines interſeplerint, licèt multorum idoneorum hominum teſtimonio hæc refellere crimina queam, tamen ne humano potius, quàm diuino niti videar auxilio, atque vt ſatisfactionis compendio omnem omnibus ſcandali ſcrupulum adimam, paratus ſum corpus dominicum in experimentum meæ innocentiæ ſumere. Deum igitur omnipotentem oro, vt, ſi expers culpæ ſum, ſuo me hodie iudicio oblati criminis ſuſpicione liberet, ſi crimini obnoxius, hic repentina me morte conficiat. atque hæc, & eiuſmodi alia, vt ſolemne eſt, dira in hanc ſententiam verba præfatus, partem dominici corporis de more comedit. Quo facto, cum populus, qui aderat, laudans Deum innocentiæ eius ſæpe ingeminatis eſſet vocibus gratulatus, tandem impetrato ſilentio conuerſus ad regem dixit: Nunc verò tempus eſt fili, vt quod ego feci, & tu facere ne recuſes. Principes regni tui Germanici te apud me iampridem iis de criminibus accuſant, quibus te non modò ab omni rerum publicarum procuratione, ſed etiam ab Eccleſiæ communione, & ab omni vitæ ſæcularis conſuetudine remotum eſſe oportet, poſtulantq. iudicium conſtitui, quo hæc, quæ tibi obiiciuntur, crimina diluantur.

Non

Non puto te ignorare, quàm humana plerunque infirma iudicia ſint, & in publicis diſceptationibus quàm ſæpe falſa veris anteponantur, dum falſum diſertorum oratione ornatum cum voluptate auditur, verùm autem incultum ſæpe contemnitur. Cum igitur ego rationibus tuis bene conſultum cupiam, pro eo quòd in calamitatibus tuis ſupplex ſedis apoſtolicæ auxilium implorasti, moneo te, vt ſi te exortem culpæ eſſe, atque iniuſtis ab æmulis tuis criminibus oneratum intelligis, liberes Eccleſiam Dei ſcandalo, & te ipſum longæ & ambiguæ diſceptationis periculo. Sume hanc reſiduam dominici corporis partem, vt comprobata Deo teſte innocentia tua, linguas retundas obtrectatorum tuorum, &, me aduocato, principes tibi reconcilientur, regnoq. recepto, omnes, quibus miſerè iandiu reſpublica conflictatur, bellorum ciuilium tempeſtates in perpetuum comprimantur. Ad hęc ille nec opinata re perturbatus æſtuare, tergiuerſari, & cum ſuis familiaribus à multitudine ſegregatus, quemadmodum tam horrendi examinis neceſsitatem euaderet, rationem inire. collecto inde animo dixit, ſe, vt hoc faceret, haudquaquam in animum inducere poſſe, quòd amicis ſuis inconſultis, & abſentibus accuſatoribus inanis, atque exiguæ fidei futura eſſet, quæcunque pro probanda innocentia ſua à ſe ſuſcepta ſatisfactio eſſet, proinde enixè illum orare, vt rem integram ad conuentum futurum reiiceret, atque ibi citatis accuſatoribus, & cognitis ex lege criminibus, huic controuerſiæ modum imponi permitteret. Huic reſponſo haud grauatè acquieuit Gregorius, & ſacrificio expleto regem conuiuio excepit, ac diligenter de omnibus rebus, quas eum agere oportebat, edoctum cum pace dimiſit, Eppone Citicenſi epiſcopo ad comites eius, qui non longè à caſtello ſubſiſterant, præmiſſo, vt eos, qui propter Henrici conſuetudinem ſecreti ab Eccleſiæ corpore fuerant, deintegrò ſociaret. His de rebus extant Gregorij litteræ ad epiſcopos, & principes Germaniæ ſcriptæ. Quibus cognitis, Theobaldus, & Gibertus archiepiſcopi, ac reliqui eius factionis Italici verbis eum contumelioſiſsimis exceperunt, ac ſe Gregorij anathema pro nihilo habere dixerunt, quem conſtaret ab epiſcopis iuſto iampridem eſſe anathemate obligatum, quòd ſedem apoſtolicam per Simoniacam hæreſim inuaſiſſet, ac cædibus, adulteriis, aliiſq. nefariis ſceleribus inquinaſſet. Henricum indignè feciſſe, & nomini ſuo maculam fœdiſsimam aſperſiſſe, quòd eiuſmodi homini faſces regiæ maieſtatis ſummiſerit, perfidè verò, atque doloſè, quòd ſibi vni conſulens in gratiam cum eo redire ſtuduerit, ſe ipſos verò, qui illius cauſſa omnibus Gregorium iniuriis laceſsiuerint, in mediis turbarum fluctibus

bus deſeruerit. enimuero tantas iniurias æquo haudquaquam animo eſſe ferendas, patrem, qui ſe vltro regni titulo indignum præbuerit, abdicandum, filium, licet nondum ſatis propter ætatem regno maturum, dominum aſciſcendum, nouoq. pontifice declarato per eum Romæ corona imperatoria exornandum. His vocibus perculſus Henricus, atque Italici regni amittendi in diſcrimen adductus, quicquid apud ſe principum erat, ad eos miſit, mandatis datis, vt percontarentur, quæ cauſſa iræ, ac conſternationis ſubitæ foret, & quacunque ratione poſſent, animos eorum exaſperatos lenirent; ſe quod fecerit, extrema neceſsitate compulſum communis commodi cauſſa feciſſe; nec Germaniæ principibus, qui ſibi regnum per calumniam eripere conarentur, nec Gregorio, qui apoſtolicum gladium ita furens intentaret, aliter ſatisfieri potuiſſe, quàm vt ante annum anathemate ſolueretur, nunc ſe omnibus ſalebris, in quas ab inimicis fuerat impulſus, elapſum omne ſtudium, omnemq. operam ad perſequendas ſuas, atque illorum iniurias collaturum. His verbis compreſſa potius, quam extincta ſeditionis eſt flamma. Siquidem pleriqne procerum è caſtris ſe per iram proripientes iniuſſu eius domum reuertere. ceteri diſsimulata iracundia redeuntem pacato quidem vultu exceperunt, verùm neque ſolitum cultum, neque ſolemnia officia præſtiterunt, ſed per omnes circulos probris, & iurgijs lacerarunt, quod tandiu, ac tanto ſtudio expectatus, nihil tamen auxilij periclitantis Italiæ rebus attuliſſet. Itaque, cum Italiam perluſtrare cœpiſſet, vt eos, qui oppreſsi erant, iure de more dicundo leuaret, neque cum faculis, & fauſtis, vt aſſolebat, acclamationibus occurrerunt, neque in vrbes receperunt, ſed in ſuburbiis manere iuſſerunt, neque eò annonam ad ſuſtentandum exercitum, vt debebant, opportunam, & vberem detulerunt, ac diſpoſitis ſingulis in locis armatis prædas ex agris, villiſq. agi ad explendas neceſsitates prohibuerunt. Quibus rebus commotus Henricus, cum ſe Germaniæ finibus excedendo non hoſtem euaſiſſe, ſed mutaſſe, videret, grauiter intimis ſenſibus angebatur, atque eorum animos quoquo pacto ſibi reſtituere conabatur. Cuius rei vt rationem iniret, Vldericum de Coshein, & ceteros, quos iuratus à ſua familiaritate repulerat, aduocauit, & cum iis, vt ante, de priuatis, publiciſq. negotiis communicare conſilia cœpit, atque ex eorum auctoritate diſſolutis omnibus humanis, ac diuinis, quibus ſe Pontifici obſtrinxerat, legibus efferata in eum libertate ſe intulit, atque acerbiſsimis, vt tantarum turbarum concitorem, vocibus inſectari, eoſq. ad tantas ſuo ductu vindicandas iniurias incitare inſtituit. Quibus rebus

bus placati paullatim Italici animis erga eum ſtudiisq. accenſi ſunt, vſqueadeo, vt frequentiore eum in dies multitudine ſtiparent, ſumptibus exercitum vberioribus ſuſtinerent, & ſe ad omnia, quæ imperaret, exequenda paratos eſſe, oſtenderent. Quo cognito epiſcopi Liemarus Bremenſis, Eppo Citicenſis, Benno Oſſemburgenſis, Burchardus Loſannenſis, & Burchardus Baſileenſis, & ex laicis Vldericus, Eberardus, Bertoldus, & alij pene omnes, quos apud Oppenehin legati pontificij à contubernio eius arcuerant, eum adierunt, atque omnium ſe participes conſiliorum, & ſeditionum ſocios præbuerunt. Hæc cum in Germaniam nunciata eſſent, Moguntinus, Virciburgenſis, & Metenſis epiſcopi, Rodulfus, Velfo, & Bertoldus Duces, aliiq. de reipublicæ commodis conuocati ſtatuerunt, vt principes Saxoniæ, & ceteri omnes, quibus reſpublica curæ foret, III Idus Martij ad Forchein conuenirent, & communi conſilio, quid opus eſſet facto, decernerent. litteras quoque ad Pontificem dederunt, vt quoniam in Purificatione Auguſtam ad conuentum dolo regis occurrere non potuerat, ſaltem ad Forchein die conſtituta adeſſet. Velfo autem Dux Bauariæ fuit, ſuperioris Velfonis, quem ab Henrico ſecundo diſceſsiſſe ſupra declarauimus, filius. qui cũ Eccleſiã tuendam aduerſus veſanam Henrici Gibellini contumaciam ſuſcepiſſet, tradita poſteris vtriuſque diſcordia, teterrimis, quæ poſtin Italia exarſerunt, Velfonum factionibus nomẽ dedit. Gregorius Canuſio Carpinetam, & Bibianellum caſtra Mathildis in Apennino ſita ſe contulit, atque ibi, vt in locis tutiſsimis, hoſtium inſidias euitauit, ſecum conſtitutum habens non ante Romam redire, quàm, quemadmodum ad principes Germaniæ ſcripſerat, inſtituto perfecto itinere optatam Eccleſiæ concordiam peperiſſet. Itaque litteris principum lectis, etſi frequenti fama acceperat, Henricum mutata voluntate hoſtilem aduerſus ſe, atque Eccleſiam animum induiſſe, miſit tamen ad eum vnum ex Cardinalibus epiſcopis Gregorium, qui nunciaret, veniſſe tempus, quo promiſſa præſtaret. conuenturos in Forchein III Idus Martij ad componendum reipublicæ ſtatum regni Teutonici principes. accederet ergo, ac præſens oblata crimina, ſe iudicium exercente, purgaret, & Eccleſiam ſcandalo, rempublicam bellis ciuilibus, ſe ipſum fœdiſsima exiſtimationis macula liberaret. Ad hæc diſsimulato animi conſilio, reſpondit Henricus, ſe poſt acceptum regnum nunc primùm in Italiam traieciſſe, nec poſſe multis, magniſq negotiis impeditum tam citò decedere, niſi Italos, quos longa ſui aduentus expectatione ſuſpendit, ſine cauſſa grauiſsime velit offendere, nec,

ſi id bona ipſorum venia facere liceat; cùm dies obeundo conuentui immineat, ne tam breui ſpatio tanta terrarum interualla vlla equorum pernicitate ad tempus poſſe percurrere. His acceptis Pontifex Bernardum abbatem Maſsilienſem, & Bernardum Cardinalem diaconum ad principes in Forchein conuenturos miſit, eoſq. docuit, ſe omni ope niſum, vt die, & loco ſtatuto communibus de Eccleſia conſiliis habendis intereſſet, ſed Henrici diligentia factum, vt neque tutò in Germaniam progredi, neque Romam ſine periculo regredi poſsit, omnibus ab eo, quà tranſire poſsit, itineribus occupatis. proinde monere eos, vt interim regni rationibus, quoquomodo poſsint, proſpiciant, quoad patefactis itineribus ipſe tutò accedere, & communicatis conſiliis, regni, & Eccleſiæ vtilitatibus, quæ opportuna ſint, decernere poſsit. Conſtituto inde loco, & die principes conuenere, ac legatis Pontificis præſentibus, de Henrico, & regni rationibus rettulere. Cum ſententiæ dicerentur, nemo extitit, qui non grauiſsimè ſenſerit, & pari ſeueritate cenſuerit. Ita communi conſilio, approbantibus legatis, cum citatus ad cauſſam dicendam Henricus non affuiſſet, regni titulo iuſtiſsimis de cauſsis eſt ſpoliarus. Hoc conſilio explicato, cum deinceps de ſucceſſore ſufficiendo conſultaretur, omnes in vnum Rodulfum, Sueuiæ Ducem, ſententiæ conſenſerunt, hominem cum armis, & opibus, tum virtute, ac pietate præſtantem. dimiſſoq. conuentu Moguntiam profecti, ipſum per archiepiſcopum XII Kal. Aprilis de more conſecrauere.

RODVLFVS REX ADVERSVS HENRICVM.

HIs rebus actis, Rodulfus legatos eueſtigiò ad Pontificem miſit, ac ſe, quando inuitus ad regni adminiſtrationem eſſet attractus, paratum eſſe pontificiæ auctoritati obtemperare, vel obſide filio dando oſtendit. Quin etiam Henricus hoc nuncio accepto perculſus legatos ad eundem miſit, atque ſupplex aduerſus Rodulfum auxilium implorauit. verùm, cum reſponſum à Pontifice tuliſſet, ſe non defuturum, vbi cauſſam vtriuſque nouiſſet, ira inflammatus eum reliquit, atque ab armis ſolis auxilium ſibi petendum exiſtimauit. ac deſertis, quos concitarat, Italicis, Papia profectus in Germaniam abiit. Gregorius pridie Kal. Iulij Carpinetæ cum eſſet, literas ad legatos ſuos in Germaniam Bernardum diaconum, & Bernardum abbatem Maſsilienſem miſit, quibus

docuit,

docuit, quemadmodum conſilio ſuo componendæ pacis impedito ipſe inter hoſtes in Lombardia remanſiſſet, mandauitq. eis, vt Henricum, & Rodulfum reges moneant, vt ſibi tutum iter in Germaniam præſtarent, quò venire ad cauſſam regni cum conſilio clericorum, & principum cognoſcendam poſſet. & quem huic officio deeſſe inueniſſent, eum ab Eccleſia,& communicatione corporis,& ſanguinis Chriſti arcerent. qui ſe obſequentem præbuiſſet, eum conuocato conſilio in regno confirmarent, atque ad clericos etiam, & principes litteras eodem die dedit, præcipiens, vt legatis auxilio eſſent, aduerſus eum, qui præceptis obtemperare ſuis neglexiſſet. Ex eodem etiam loco IIII Kal. Iulij litteras ad Dominicum Venetorum Ducem dedit, monens, vt eccleſiam Gradenſem ad tantam in opiam redactam, vt decus tueri ſuum non poſſet, poſſeſsionibus locupletare pro dignitate tanti faſtigii vellet. atque inde Auguſto menſe Mathildis præſidio fultus Romam deceſsit, ita vt Kal. Septembris Senis egerit. Romam verò poſtquam peruenit, has litteras ad Hugonem archiepiſcopum Treuirenſem, & ſuffraganeos eius miſit: *De tumultu regni Germaniæ quantam curam, ac ſolicitudinem ſuſceperimus, Deus ipſe optimus teſtis eſt, quem aſsiduis precibus pro quiete eius orare non deſiſtimus. litteras autem ante tres menſes, & eò amplius ad legatos noſtros Bernardum diaconum noſtrum, & Bernardum Maſsiliæ abbatem, nec non, & vniuerſis principibus dedimus, quibus quod nobis optimum videretur, ad bellica detrimenta vitanda eis præſcripſimus. verùm quia incerti ſumus, num illæ ad eos litteræ ſint perlatæ, eodem exemplo alteras ad vos miſimus, monentes vos vt operam detis, vt hæc lis finiatur. miſimus etiam ſacramentum, quo te Henricus per fideles ſuos nobis obſtrinxit, vt eo lecto videatis, quàm honeſte erga nos ſe geſſerit. qui poſtea per fideles ſuos legatos noſtros ceperit Bernardum Oſtienſem epiſcopum in Lombardia, & Bernardum abbatem Maſsilienſem in Germania. nos tamen nihil aduerſus eum, niſi quod rectum, & iuſtum iudicamus, geſturi ſumus. ſicut neque precibus eius niſi quod iuſtum viſum fuit, exegimus. Romæ XI Kal. Octobris.* Inde Robertum,& Ricardum, propter captum Salernum iratus, furiis inferorum deuouit, atque aduerſus eos exercitum comparauit. Ea re accepta Robertus Beneuento, Ricardus Neapoli bellum intulerunt, atque exercitu admoto vtrumq. obſidere cœperunt. Henrico Italia profecto, Lombardiæ ciuitates deluſas ſe ab Henrico querentes paullatim ab eius auctoritate receſſerunt, atque auctore Mathilde ſe ſe Pontifici tradiderunt, per quem regio fuerant ſacramento ſolutæ, & nouo altero ſyncerioris, atque integrioris libertatis initio facto, cum eximia alia dignitatis deinceps ornamenta aſciuerunt, tum mi-

litaria multa vexilla, vulgò carrocia dicta, inſtituerunt, quod genus à Mediolanenſibus ſuperiore Italica ſub Conrado defectione inuentum haudquaquam pacatis poſt Italiæ rebus fuerat vſurpatum. ac deſcriptis in partes ciuitatibus rem militarem in eum vſque diem rudem, & inchoatam conſtituerunt. Eodem anno Hannone archiepiſcopo Colonienſi mortuo Hidolfus locum tenuit. Agnes Henrici mater ob mœrorem Romæ mortua, atque in æde S. Petronellæ ſepulta eſt. Et Henricus eccleſiam Aquileienſem eſt nactus. Poſtero,
1078 Nicephorus Botoniates Michaelem Imperio Conſtantinopolitano deiecit. Michael autem auxilij inops ad Robertum virtute, opibuſq. ea tempeſtate præſtantem confugit, atque, vt ſibi ad rem ſuam recuperandam adeſſet, orauit. Interim Ricardo Capuæ mortuo Iordanes filius Neapolis obſidionem ſoluit, & Gregorio gratificatus caſtra Roberti ad Beneuentum diſiecit, & cum omnibus Apuliæ Comitibus aduerſus eum conſpirauit. Quod vbi Robertus, qui tum erat in Calabria, comperit, exercitum in Apuliam reduxit, eaq. recepta, aduerſus Iordanem ire contendit. Verùm Deſiderius auctoritate ſua interpoſita, & Robertum Ricardo, & Gregorium Roberto reconciliauit; Romaq. cum cardinalibus ad Robertum profectus ipſum pœna Eccleſiaſticæ deteſtationis exemit. Interim Gregorius in graueſcenti in dies ſeditioni remedium aliquod afferre pro viribus cupiens nouum menſe Martio in Laterano concilium aduocauit, quo epiſcopi ad centum, abbateſq. plurimi affuerunt. In eo vetera in Gibertum Rauennatem, & Theobaldum Mediolanenſem archiepiſcopos redintegrata anathemata ſunt, tum Arnulfus Cremonenſis, Rolandus Taruiſinus epiſcopi, ab officio epiſcopali ſummoti, Hugo cardinalis ob cauſſas, quæ commemoratæ ſunt, noua execratione damnatus. Inde de cauſſa regum ita ſubiecit: *Et quoniam controuerſiam regum maximum S. Romanæ Eccleſiæ periculum conflare videmus, placet elaborare, vt viri doctrina, & ſanctitate probati à nobis eò mittantur, qui omnes religioſis vtriuſq. ordinis regni proceres conuocent, ac de præſenti diſſidio iudicent, & pacem inter reges concilient. Et quia multos turpis largitionis ſpe impulſos huic paci aduerſaturos, non ignoramus, ſtatuimus, vt nemo rex, archiepiſcopus, Dux, marchio, Comes, miles ue audeat legatis impediendæ gratia pacis obſtare. Qui ſecus faxit, eum anathematis vinculo alligamus. Nortmanos etiam, qui Marchiam Firmanam, & Ducatum Spoletanum inuaſere, & eos, qui Beneuentum obſident, & populantur Campaniam maritimam, & Sabinos, & qui tentant vrbem Romam confundere, communione ſecernimus. epiſcopos verò, qui vocati ad conuentum non venerunt, ab epiſcopali officio ſuſpendimus.*

dimus. Hæc V. Nonas Martias acta. VII inde Idus ſcripſit ad principes Germaniæ, ſe in concilio decreuiſſe, vt conuentus in Germania de compoſitione rerum haberetur, & vt legati eò mitterentur. Per menſem inde Iunium cum in Campaniam prodiiſſet, Kal. Iulij Capua alteras ad eoſdem litteras dedit, ſe in conuentu Romano decreuiſſe, vt concilium in Germania aduocaretur, & cauſſa regia tractaretur. proinde cauerent, ne eos aut auxilio, aut alloquio afficerent, qui huic rei moram attuliſſent, quòd in conuentu communione priuati fuiſſent. Inde cum ſe Romam recepiſſet, nouum XIII Kal. Decembris in Laterano conuentum habuit. in eo verò Nicephorus, quòd Michaelem Imperio deieciſſet, communione ſecretus, legati Henrici, & Rodulfi iurare iuſsi, neutrum regum ſuorum conuentum de pace impediturum. Landulfo epiſcopo Piſano eccleſia, & bona omnia confirmata, in primiſq. ea, quæ Mathildis pro ſalute animæ matris ſuæ ibi ſepultæ contulerat. permiſſumq. vt populos, & epiſcopos Corſicæ doceret, inſulamq. occupatam ad ius vetus Eccleſiæ Romanæ redigeret. VI inde Kal. Ianuarias, Rauennates de anathemate Giberti edoctos ab illius obſequio auocauit. 1079
Iampridem Berengarius, qui ſacramentum altaris nefariè oppugnabat, licèt à Nicolao pontifice in concilio victus abiuraſſet, ad errorem ſuum ſe receperat, negans eo ſacramento ſe teneri, perinde atque ab Huberto recitatum, non à ſe ſubſcriptum fuiſſet, atque aduerſus eum apologiam ediderat, ac multos ſectatores nactus de vetere Eccleſiæ dignitate non minimum detrahebat. Quod vbi Gregorius ſenſit, continuò conuentum in proximam Quadrageſimam indixit, atque eò quoque ipſum adeſſe Berengarium iuſsit. Itaque, vbi ea aduenit, cum epiſcopi in Laterano frequentes adeſſent, de euchariſtiæ ſacramento relatum, ac dici ſententiæ cœptæ ſunt. Berengarius autem poſt diem tertium contrariis patrum auctoritatibus perturbatus de ſua ſe decedere ſententia dixit. atque errore ſuo abdicato Catholicam veritatem eodem, vt ante, concepto iureiurando, aſſeruit. prohibituſq. à Gregorio eſt, ne poſthac verbum vllum de corpore, & ſanguine Chriſti faceret, niſi ſecus ſentientes ad rectam redigere fidem vellet. His actis legati Rodulfi expoſtularunt, quòd Henricus nemini parcens vexandis clericis totam tumultu Germaniam permiſceret, & conuentui habendo moram afferret. Quibus auditis, plerique cenſuerunt, eum iterum eſſe gladio apoſtolico feriendum. ſed Gregorio diſſentiente, in alia omnia eſt diſceſſum. Quare legati Henrici iuſtam iram Gregorij veriti Henricum poſthac paratum fore, reſponderunt,

atque in eam rem tale ſacramentum conceperunt: *Iuramus nos legati Henrici regis ex præcepto eius, Henricum citra Aſcenſionem Domini legatos, ni quid obſtiterit, Romam miſſurum, qui legatos Pontificis tutò ſecum deducant, atque reducant, atque eorum iudicio, ſententiaq. ſtaturum.* Quo iureiurando audito, legati Rodulfi & ipſi deinceps in hæc verba iurarunt: *Si colloquium in Germania ex decreto veſtro loco, & tempore à vobis conſtituto legatis veſtris præſentibus fuerit, Rodulfus rex princeps noſter, aut ipſe accurret, aut legatos ſuos mittet, paratuſq. erit, iudicio ſtare, quod ſancta Eccleſia de regno Germaniæ fecerit, nulloq. dolo malo conuentum à vobis, aut à legatis veſtris indictum impediet, & poſtquam certos veſtros nuncios viderit, dabit operam, vt pacem componant, & hæc omnia niſi legitimo intercedente impedimento ſeruabit.* Henricus etiam patriarcha Aquileienſis, & Gandulfus epiſcopus Regienſis iurarunt, ſe dicto Eccleſiæ audientes futuros. Theobaldus verò Mediolanenſis, Sigifridus Bononienſis, & Rolandus Taruiſinus communione depulſi ſunt. Robertus in Græciam Michaelis reſtituendi cauſſa profectus, rem proſperè geſſit. Henricus Ratiſponæ eccleſiæ Patauinæ priorum regum priuilegia confirmauit anno MLXXIX. Indictione II. Henrici IIII XXIII. Eo ve-
1080 rò, qui inſequutus eſt, nempe milleſimo octuageſimo, Henrico Germaniam bello, armiſq. vexante, neque toties repetita ſacramenta ſeruante, Gregorius iuſta ira incenſus proxima Quadrageſima conuentum à ſe iampridem indictum omnium, quos habuerat, frequentiſſimum in Laterano celebrauit. atque omnibus rebus correctis, & confirmatis, quæ neceſſaria in Eccleſia videbantur, demum de collatione ſacerdotiorum Nonis Martii ita ſanxit: *Sanctorum patrum decreta ſequentes, vt ſuperioribus conuentibus de eccleſiaſticis dignitatibus ordinandis ſtatuimus, ita & nunc apoſtolica auctoritate decernimus, vt ſi quis poſthac epiſcopatum, aut abbatiam, aut aliam Eccleſiaſticam dignitatem ab aliquo laico acceperit, nequaquam inter epiſcopos, aut abbates numeretur, nec alia ei, vt epiſcopo, aut abbati obedientia præbeatur, eiq. gratia ſancti Petri, atque ædis eius introitu interdicatur. Eadem ratione ſi quis Imperator, Rex, Dux, Marchio, Comes, aut quælibet alia ſæcularis poteſtas, aut perſona epiſcopatum, aut aliam Eccleſiaſticam dignitatem detulerit, eiuſdem ſententiæ vinculo teneatur.* De Nortmanis inde ita cauit: *Si quis Nortmanorum oppida ſancti Petri, vt partem Marchiæ Firmanæ, quæ à bello adhuc integra eſt, & Ducatum Spoletanum, & Campaniam, & maritimam oram, & Sabinum, & Tiburtinum Comitatum, & monaſterium ſancti Benedicti Caſſinas, & Beneuentum inuadere, ac deprædari auſus fuerit, gratiam ſancti Petri eis interdicimus. Quod ſi quis eorum ab incolis ho-*

rum

rum locorum ius repetere ſuum voluerit, eis noſtros ibi ius dicentes adire magiſtratus permittimus, & ſi ius ſuum obtinere nequiuerint, vt partem eius agri ſibi vindicet, concedimus, dummodo non more prædonum agat, ſed vt Chriſtianum decet, & eum, qui ſua magis ſtudet recipere, quàm alteri eripere. & qui veretur gratiam Dei amittere, atque execrationem beati Petri ſubire. Poſtremò in hunc modum Henricum ipſum regem abdicauit, ac dirarum religionibus obligauit, & Rodulfum confirmauit. Quippe beatos apoſtolos, Petrum, & Paulum, vt ante, conteſtatus iniurias omnes ab Henrico ſibi, atque Eccleſiæ factas commemorauit; & quàm ſæpe admonitus præcepta ſua ſpreuiſſet, & ſe ipſum in ordinem coegiſſet, demonſtrauit: *Quas ob cauſſas*, inquit, *ego auctoritate apoſtolica mihi à Deo delata Henricum, Henrici Imperatoris filium, regio Germaniæ titulo iterum ſpolio, & Chriſtianorum obedientia priuo, atque omnes religione iuriſiurandi, quo ſe illi obſtrinxerunt, abſoluo. Contra verò, vt Rodulfus à proceribus Germaniæ in Henrici locum declaratus regnum adminiſtret, ac tueatur, nomine veſtro omnibus, qui fidem ei præſtiterunt, omnium peccatorum remiſsionem, veniamq. in hac, & in futura vita concedo. Et vt Henricum ob ſuam ſuperbiam regia dignitate depello, ſic Rodulfum propter ſuam humilitatem, atque obedientiam in poteſtate repono.* Inde conuentu dimiſſo regiam ad Rodulfum coronam tranſmiſit, eumq. ad vindicandam acriter aduerſus Henricum Eccleſiam incitauit. & cum Gibertum archiepiſcopum Rauenna profectum audiſſet, Petrum Damiani, licèt ætate confectum, Rauennam legatum miſit. Ille profectus, ac comiter à ciuitate acceptus populum damnati archiepiſcopi contagione corruptum, eumq. damnatum in gratiam Eccleſiæ recepit, ac contracto piaculo auctoritate pontificia liberauit. mox Rauenna digreſſus cum Fauentiam perueniſſet, febri oppreſſus interiit, vir & ſanctitate, & ſapientia per hæc tempora clarus. Poſt mortem miraculis inclytum pro Diuo homines habuerunt. Quibus rebus exaſperatus demum Henricus, vt Gregorium vlciſceretur, alterum & ipſe conuentum in ante diem VII Kal. Iulii Brixinam Bauarorum induxit, atque eò triginta epiſcopos euocauit. conuentuq. coacto de Gregorio, & pontificatu eius rettulit. Epiſcopi Henrico præſidenti gratificati varia pro ſe quiſque in eum, vt ante, probra, & crimina ingeſſerunt, atque indignum eſſe ſede pontificia ſtatuerunt. inq. eius locum Gibertum Rauennatem archiepiſcopum, id ipſum iampridem omni induſtria molientem ſublegerunt, ac Clementem III appellarunt. Extat adhuc etiam ſpurciſsimi eorum decreti clauſula: *Quia conſtat*, inquiunt, *Hildebrandum non à Deo lectum, ſed à ſe ipſo frau-*

de, ac pecunia impudentiſſimè intruſum, qui Eccleſiaſticum ordinem ſubuertit, qui Chriſtiani Imperij regnum perturbauit, qui regi Catholico, & pacifico corporis & animæ mortem intentat, qui periurum regem defendit, qui inter concordes diſcordiam ſeminauit, inter pacificos lites, inter fratres ſcandala, inter coniuges diuortia, & quidquid quiete inter piè viuentes ſtare videbatur, concuſſit, ob eas res nos auctore Deo congregati in vnum, legatis, ac litteris freti decem ac nouem epiſcoporum die ſancto præteritæ Pentecoſtes Moguntiæ conuocatorum contra eundem Hildebrandum procaciſſimum, ſacrilegia, atque incendia prædicantem, iniurias, & homicidia defendentem, catholicam, & apoſtolicam fidem de corpore, & ſanguine Domini in quæſtionem reuocantem, veterem hæretici Berengarij diſcipulum, diuinationum, ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, Pythonico ſpiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem, iudicamus canonice deponendum, & expellendum, & niſi ab ipſa ſede his auditis deſcenderit, in perpetuum condemnandum. His actis Henricus conuentum dimiſit, atque erectior ad perſequendas Germanici belli relliquias factus maiore in Rodulfum conatu ſe incitauit. atque eum Idibus Octobris ſummo congreſſus prœlio interfecit. & reliquum inde anni in rebus Germaniæ componendis conſumpſit. His rebus Romæ celerrimè nunciatis, Gregorius ſibi, ſuiſq. timere inſtituit, & quod adhuc facere diſtulerat, præſidium quærens Robertum Apuliæ Ducem, ſibi adiungendum Apuliæ Ducatu confirmando putauit. Itaque cum ambo Ceperanum ſe contuliſſent, III. Idus Iulij res ita tranſacta eſt. Primùm Robertus ita loquutus eſt: *Ego Robertus Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ Dux poſthac ero fidelis tibi domino meo Gregorio pontifici, neque auctor ero, aut operam dabo, vt vitam, aut membrum amittas, aut dolo malo capiaris. conſilium, quod mihi communicaueris, in tui damnum ſciens non enunciabo. S. Romanam Eccleſiam, & te adiuuabo, vt teneas, acquiras, & defendas regalia S. Petri, eiuſq. poſſeſſiones pro meis viribus contra omnes homines præter partem Firmanæ marchiæ, & Salernum, & Amalfim. de quibus adhuc non eſt decretum. & adiuuabo te, vt tutò, & honorificè teneas pontificatum. Terram S. Petri, quam nunc tenes, vel habiturus es, poſtquam ſciero tuæ eſſe poteſtatis, nec inuadere, nec acquirere conabor, nec prædari audebo, ſine tuo, tuorumq. ſucceſſorum permiſſu. penſionem de terra S. Petri, quam ego teneo, aut tenebo, quotannis bona fide perſoluam S. Romanæ Eccleſiæ. omnes eccleſias, quæ in eius ſunt ditione, tuæ poteſtati dimittam, eaſq. defendam. Si tu, aut ſucceſſores tui ante me ex vita migrauerint, prout monitus fuero, auxilio ero, vt Pontifex eligatur, & ordinetur.* Quibus dictis Gregorius ſubiecit: *Ego verò Gregorius pont. inueſtio te Roberte de terrra S. Petri, quam tibi conceſſerunt anteceſſores mei Nicolaus, & Alexander. De illa autem terra,*

quam iniuſtè tenes, Salernum dico, & Amalfim, & partem marchiæ Firmanæ, nunc te patienter ſuſtineo in confidentia Dei omnipotentis, et tuæ bonitatis, vt tu poſtea ad honorem S. Petri ita te geras, ſicut & te gerere, & me ſuſcipere decet ſine periculo animæ tuæ, & meæ. Tum Robertus ſic ſubſequutus eſt: *Ego Robertus Dux ad confirmationem traditionis, & recognitionem fidelitatis de omni terra, quam ego teneo propriè ſub dominio meo, promitto, me quotannis pro vnoquoque iugo boum penſionem XII denariorum Papienſium ſoluturum B. Petro, & tibi D. meo Gregorio pontifici, & omnibus ſucceſſoribus tuis, aut tuis, aut ſucceſſorum tuorum nuncijs, vbi dies ſanctæ Domini Reſurrectionis aduenerit.* Interim Michael, qui fuerat Imperio Orientis deiectus auxilij inops ad Robertum virtute, opibusq. ea tempeſtate præſtantem confugit, atque vt ſibi ad rem ſuam recuperandam adeſſet, orauit. Quod cum ſe ſummo ſtudio facturũ Robertus pollicitus eſſet, ſimul etiam ſacrum Gregorij auxilium inuocatum eſt. Quamobrem Gregorius precibus eorum obſequutus VIII Kal. Auguſti ad epiſcopos Apuliæ, & Calabriæ ſic ſcripſit: *Non ignorare vos arbitramur, Michaelem Conſtantinopolitanum Imperatorem Imperio fuiſſe depulſum, eumq. ad auxilium beati Petri, & Roberti Ducis filij noſtri implorandum in Italiam aduenisse. Quæ cauſſa fait, vt eum quoquomodo poſſumus, nobis ſubleuandum putemus. Quare quod ipſi valiturum plurimum putant, milites ad eius opem bona contendere fide præcipimus. vos autem eos, qui cum ipſo Imperatore, & Duce traijcient, monete, vt dignam ante pœnitentiam agant, & ritè expiatos à peccatis ſuis abſoluite.* Interim Henrico abſente vrbem, eccleſiamq. Rauennatem ſibi ope principum Italicorum recuperandam cenſuit, eorumq. auxilio impetrato, XIII Kal. Octobris ad omnes epiſcopos Romanæ Eccleſiæ fideles in hunc modum ſcripſit: *Volo, vt ſciatis, nos cum Duce Roberto, & Principe Iordane loquutos. eoſq. nobis promiſiſſe, ſe ſummo ſtudio, prout iureiurando tenentur, aduerſus omnes homines honorem Romanæ Eccleſiæ defenſuros. Idem quoque pollicentur, qui circa vrbem ſunt, et in Tuſcia, ceteriſq. regionibus. Quare poſt Kal. Septembris, vbi æſtus remiſerit, partes illas armata manu petemus, atque Dei auxilio eas liberare conabimur. Quamobrem bono vos animo eſſe iubemus.* Idibus inde Octobris Alfano archiepiſcopo Salernitano gratulatus eſt, quòd oſſa S. Matthæi apoſtoli, quæ ignorabantur, inueniſſet, monuitq. vt hortaretur Robertum Ducem, & coniugem eius ad ea ſumma reuerentia complectenda. Redacta inde in poteſtatem Rauenna, de nouo archiepiſcopo, qui fidelis Eccleſiæ Romanæ eſſet, cogitare inſtituit. Quamobrem litteras ad epiſcopos, & abbates marchiæ Tuſcanæ, Firmanæ, & Exarchatus Rauennatis miſit, eodemq. exemplo ad clericos, & populum Rauenna-

tem ſcripſit, rogans, vt ſecum virum idoneum conquirerent, qui eccleſiæ Rauennati à Giberto afflictæ præficeretur. cumq. ipſe R. quendam legiſſet, atque Rauennam miſiſſet, III Idus Decembris ad abbates, Comites, & milites in parochia Rauennate, Pentapoli, Marchia Firmana, & Ducatu Spoletano agentes, ſic ſcripſit; *Rogo vos, vt R. Rauennatem archiepiſcopum, quem poſt diuturnas inuaſorum occupationes nuperrimè Rauennas eccleſia à Romana accepit, complecti, & defendere contra*
1081 *Gibertum velitis*. Nouo inde ineunte anno, Gregorius cōuentu nouo in Laterano coacto, præter cetera Henricum, & fautores eius, qui in pertinacia permanebant, nouo anathemate feriit. & epiſcopos quoſdam, quòd ad conuentum vocati non affuiſſent, officio abdicauit. inde de rebus, quæ ab Henrico pararentur, ab epiſcopo Patauienſi edoctus, reſpondit: *Non deſunt, qui audita morte Rodulfi regis me hortentur, vt Henricum, cui plerique Italicorum fauent, omnia ſe mea cauſſa facturum pollicentem, in gratiam recipiam, adijcientes, ſi Henricus in Italiam contra Eccleſiam venerit, fore, vt fruſtra auxilium à vobis expectetur. & ſi vos Mathildi filiæ noſtræ opem non feretis, euenturum, vt ipſa, quæ vulgò inſanire exiſtimatur, aut pacem neceſſariò accipiat, aut omnia ſua amittat. Quare veſtræ erunt partes, vt eam de veſtro, ſi Henricus Lombardiam intrarit, auxilio certiorem faciatis. præterea admonendi ſunt omnes, ne in rege in Rodulfi locum ſufficiendo properanter, ſed maturè ſe gerant, ac longa conſultatione virum tanto faſtigio dignum, atque Eccleſiæ Romanæ fidelem exquirant*. Per eoſdem etiam dies ſcripſit ad Deſiderium abbatem Caſsinatem in hunc modum: *Non veremur, quin ſcias, quantum commodi Eccleſia Romana ex pace cum Roberto Duce facta perceperit. Quare volumus, vt animum eius explores, ſi neceſſaria nobis poſt Paſcha expeditio fuerit, num per ſe, aut per filium ſuum nobis ſe præſidio futurum polliceatur. itemq. num per Quadrageſimam, qua Nortmani bellica intermittere ſtudia ſolent, ipſe nobiſcum, aut cum legato noſtro ad aliquot oppida S. Petri recuperanda proditurus ſit. Volumus etiam, vt eum admoneas, ne contra pacta permittat nepotem ſuum Robertum de Loretello oppida S. Petri bellico apparatu tentare. De rebus transalpinis nihil certi habemus. Henricum tamen malè rem gerere, pene omnium, qui illinc veniunt, ſermonibus nunciatur*. Ceterùm Henricus iureiurando à Clemente ſolutus omnes ad Gregorium curas intenderat, ſcilicet cupiens eo pulſo Clementem pontificem conſecrare, atque illius manu diadema imperatorium ſumere. Itaque delectibus, vt potuit, habitis, primo vere ex Germania mouit, atque in Italiam transgreſſus recto itinere Rauennam acceſsit, eamq. primo aduentu recepit. Qua re cognita Gregorius ad Deſiderium ita ſcripſit: *Volumus, te ſcire, Henricum, qui dicitur rex, in ſuburbanis*

Rauennæ verſari, eo animo, vt ad Pentecoſten ad vrbem accedat. Habet ex transalpinis, & Lombardis manum exiguam. verùm ſunt, qui dicant, eum ex Rauennatibus, & Marchianis ſupplementum eſſe ſcripturum, quod parum credibile videtur, cum ne ſocium quidem ab ijs, per quos tranſit, accipere poßit. Noſti nimirum chariſsime frater, niſi nos ſtudium iuſtitiæ, & honoris S. Romanæ Eccleſiæ teneret, & ſi prauæ regis, ſuorumq. voluntati ſeruire voluiſſemus, neminem prædeceſſorum noſtrorum ab anteceſſoribus regibus, & archiepiſcopis tam amplum, & deuotum obſequium ſicut nos, ab hoc rege, atque archiepiſcopo obtinere potuiſſe. verùm quia illius minas, & obſequia pro nihilo ducimus, alacrius mortem, ſi neceſſe erit, oppetemus, quàm vt eorum impietatibus aſſentiamus, aut à iuſtitia deſciſcamus. Comitiſſa Mathildis ad me ſcripſit, ſe comperiſſe, Henricum cum Roberto Duce pepigiſſe, vt filius regis filiam Ducis ſibi deſpondeat, & rex Duci Marchiam tribuat. Quod Romani facile credent, ſi Robertum auxilium nobis ſuum, quod fidelitatis iureiurando promiſit, viderint denegare, cuius rei veritatem explores, velim. Romani fidem nobis, atque officium egregiè præſtant. tu da operam, vt ad nos quamprimum accedas.

Per eoſdem dies Robertus mare transgreſſus ad Dyrrachium cum Alexio Comneno, Imperatore nouo, bene pugnauit, atque eum in fugam egit, &, irruptione in Theſſaliam facta, oppida quædam cepit. Qua de re litteras ad Gregorium, & Romanos propere miſit, quibus Gregorius ſic reſpondit: *Rectè, atque ordine feciſti, quòd geſti belli victoriam nobis, & Romanis ſignificaſti. Eſt igitur, quòd gratias agas S. Petro, cuius auxilio rem tam proſperè geſſeris. Fac præterea, vt tibi in memoriam Eccleſiam redigas, quæ omnem ſuam ſpem in te præcipuè poſuit, teque ipſum præcipuè diligit, ſimulq. animo promiſſa repetas, quibus te illis iuratus obſtrinxeris, neque enim te latere oportet, quanta per Henricum perturbatione vexetur, & quantum præſenti tuo auxilio egeat. Quamobrem te, vt ei quam primùm ſubuenias, te hortamur.* Henricus præter ceteros, Patauiuos ſui maximè ſtudioſos nactus, Milonis epiſcopi propinqui ſui, & reginæ Bertæ rogatu libertate, & carrocij vſu eos donauit. Quos eoſdem Cremonenſes quoque ſequuti eodem, vt puto, beneficio affecti ſuum & ipſi Bertam, ac Bertacciolam vocarunt. Rauenna inde Romam verſus profectus per Etruriam iter ſuſcepit, ac Florentiam, quæ imperium detrectabat, per Aprilem menſem inſigni obſidione oppugnauit. Eius aduentu cognito Gregorius animum non demiſit, ſed Romanorum, atque Mathildis præſidiis nixus, vrbem ſibi ex epiſcoporum ſententia defendendam ſuſcepit. Henricus cum Clemente pridie Pentecoſtes Romã acceſsit, & caſtris Neronianis in pratis de more locatis, vrbem Leoninam obſidere inſtituit. verùm ſagittis, lapidibuſq. à Romanis

repulſus nihil profecit. Itaque ad ſuburbana loca ſuccendenda conuerſus æde S. Pauli violata, cum ne ita quidem conarus deditionis eliciendæ ſuccederet, re infecta Rauennam in hiberna ſe rettulit. Ineun
1082 te inde vere, exercitu ex hibernis educto, Romam reuerſus vrbem Leoninam acri iterum obſidione toto Quadrageſimæ tempore preſsit, ac poſt Paſcha etiam in poteſtatem adduxit. temploq. auguſtiſsimo S. Petri direpto, porticus duas labefactauit. inde veteris vrbis oppugnationem aggreſſus multa per æſtatem Romanis incommoda intulit. demum ſæuientium æſtuum magnitudine conflictatus, atque inſigni Romanorum in tuenda patria virtute deterritus ab oppugnatione receſsit, exercitu per vicina loca diuiſo, ac Clemente rei bellicæ vniuerſæ præfecto. Ab eo pleraque ædificia, quibus Henricus pepercerat,
1083 aut ferro ſunt, aut igne dilacerata. Poſtero anno Henricus, cum apud Farfam eſſet, litteras ad Deſiderium abbatem Caſsinatem, vt ad ſe accederet, miſit. Cui cum ille nihil reſpondiſſet, alteras ſubiecit terroris, ac minarum omnium plenas. Cunctante verò Deſiderio, tertias ſcripſit, quibus, vt ad celebrandum ſecum Paſcha veniret, orauit. Deſiderius animo fluctuans conſilium expedire non poterat. nam, ſi proficiſceretur, ne ſacro anathemati ſubiiceretur, metuebat, ſi maneret, ne aut ſe vinculis, ſupplicio ve afficeret, aut monaſterium, quod cum toto Principatu in tutela eius eſſet, Iordani Principi, qui ad eum tranſiuerat, condonaret. Profectus inde, ſed certiore Gregorio facto, monaſterium iuſſus eſt ex manu ſua ſuſcipere, & ſibi fidem iurare. Quod ille ſe facturum, dixit, cum eum Imperatorem legitimè coronatum videret, tum rogatus, vt ad coronam impetrandam ſibi adeſſet, promptè promiſit. variæ inde de auctoritate Pontificis cum epiſcopis eius contentiones ſuſceptæ. Henricus Iordani præſenti Capuanum Principatum confirmauit, & Paſchate acto, inde ad exercitum ſe recepit, ac nouo, eoq. multo, quàm ante, grauiore vrbem conatu oppugnare inſtituit. Quo terrore perculſus Gregorius Lateranum reliquit, ac Ruſtico nepote ad Septemſolia dimiſſo ipſe cum Cardinalibus in arcem aſcendit, ac Robertum, qui Alexio Imperatori bellum in Græcia faciebat, ad ſui auxilium aduocauit. quo nuncio accepto Robertus, Boemundo filio in expeditione relicto, extemplò ſe cũ parte exercitus in Italiam rettulit. Cum irrita oppugnatione vrbs deintegrò acri diligentia obſideretur, tandem III Nonas Iunias eius expugnandæ fortuna oblata. Miles quidam muros ſupergreſſus, cum omnia Romanorum negligentia cuſtodiis vacua animaduerteret, ne clamore ſe ipſum proderet, manu contubernales acciuit. ab iiſq.

cum

cum & ipſi ſocios accerſiſſent ſuos, mœnia capta, atque Henrico, & cuncto exercitui introitus in vrbem eſt patefactus. Henricus ingreſſus Capitolium occupauit, atque ibi ſe præſidiis, & munitionibus confirmauit. Inde Ruſtico ad deditionem compulſo, ad Pontificem oppugnandum ſe contulit, atque omnibus obſtructis exitibus acrem arci obſidionem admouit. Inde oborta in exercitu peſtilentia, relictis ad obſidionem militibus, cœli ſalubritatem quærens ineunte Iulio ad colles ſeceſsit. XII inde Kal. Decembris Gregorius archiepiſcopis, abbatibuſq. Campanis, Apulis, & Francis nonnullis aduenientibus, (nam plurimi ab Henrico prohibiti accedere nequiuerunt, & epiſcopus Oſtienſis ex legatione rediens captus eſt,) ad eos de rep. rettulit, atque ex eorum ſententia Clementem & Henricum cum omnibus eorum fautoribus nouis execrationũ laqueis irretiuit, atque poſt tertium diem deplorato Eccleſiæ ſtatu conuentum dimiſit. Interim Romani omnibus malis defeſsi ab Henrico petierunt, vt viginti obſidibus acceptis diem conſtitueret, quo Pontifex, & primores ad eum venire, & de compoſitione agere poſſent. Ei rei cum Kal. Nouembris deſtinaſſet, ipſe condicto tempore affuit. Verùm Gregorius præſentiæ ſe eius; qui tot religionibus obſtrictus, atque regno abdicatus eſſet, committere, neque ſuæ, neque apoſtolicæ dignitatis eſſe exiſtimans, ac ſimul à Roberto, quem tacitis Deſiderij nunciis ad ſui auxilium aduentare audiuerat, maturam opem expectans colloquium recuſauit. Quod vbi Romani cognouerunt, continuò à Gregorio defecerunt. Henricus, vbi Robertum cum exercitu firmiſsimo Ceperanum acceſsiſſe, ſibiq. ni obſidionem ſolueret, exitium intentare animaduertit, collecto exercitu, cum Clemente vrbe exceſsit, atque circa Kal. Februarias in Etruriam properauit. ita vt eodem die Senas, quo Robertus ad Portam Latinam, acceſſerit. Reſiſtentibus Romanis, Robertus vrbem oppugnare parans ab amicis Gregorij porta Flaminia eſt introductus. ingreſſus autem, cum non reciperetur, regiones vrbis proximas illato ædificiis ad terrorem incendio deuaſtauit, ac multis, vt res tulit, prœliis cum Romanis editis, tandem peruenit in Capitolium. Inde compulſis ad deditionem Romanis, ad arcem progreſſus munitionum repagula, quæ exitus intercludendi cauſſa ab Henrico fuerant obiecta, refregit. ac Gregorium arce eductum incolumem Laterano reſtituit. Ibi Gregorius, vt tot reipublicæ vulneribus medicinam opportunam afferret, conuentum in Quadrageſimam indixit. verùm, vt neque duos ſuperiores, propter infrequentiam epiſcoporum habere non potuit, quòd itineribus ab Henrico inſeſsis accedere nequiuerunt. Ro-

1084

bertus

bertus inde vrbe ſibi cedendum arbitratus, ſaluti Gregorij timens, quòd Henricum non longè cum exercitu conſediſſe, Romanorum animos prorſus à Gregorio alienatos eſſe videret, ipſum ex vrbe eduxit. & Caſsinum ad Deſiderium primùm, deinde Caſsino Salernum perduxit. Eo profecto, Romani collectis ex magno pauore animis Henricum Senis reuocarunt, atque vltro cum Clemente aduenienti portas vrbis aperuerunt. XI Kal. Aprilis vrbem porta Lateranenſi ingenti cum gloria biduo ante diem Palmarum ingreſſus in Lateranum diuertit. poſtridie concione aduocata, crimina ad ſe de Gregorio delata, & aduentus ſui rationem expoſuit, ac triginta è factione ſua epiſcopis ad conciliũ adhibitis, Gregorio rurſus abſente damnato, Clementem ex eorum auctoritate ſuffecit, ac poſtridie in die ipſo Palmarum per Mutinenſem, Bononienſem, & Cremonenſem epiſcopos conſecrauit. Octauo inde die, qui Reſurrectionis illuxit, ſe Imperatorem ab eo iuſsit inungi, & cum coniuge ſua Berta in Vaticano de more coronari. Quibus rebus perfectis, quòd ſatis iræ, honoriq. ſuo factum exiſtimaret, relicto in vrbe cum præſidio Clemente, in Germaniam, quò grauioribus obortis defectionibus vocabatur, iter inſtituit. In Marchiam verò cum veniſſet, Taruiſij fœdus cum Vitali Faletro, Duce Venetorum, renouauit, & filiam eius è ſacro fonte ſuſcepit. & cum corpus S. Marci noua condita æde inuentum variis miraculis vicinorum in ſe populorum oculos conuertiſſet, & ipſe Venetias adiit, atque vrbem luſtrauit, & reip. deſcriptionem laudauit, & monaſteriis priuilegia multa indulſit. Inde Veronam eſt tranſitum. Ibi XV. Kal. Iulias anno, vt ipſe notat, Imperii ſui primo, monachis S. Zenonis reſcriptum dedit. Traiectis inde Alpibus, Auguſtam, quam Alemani occuparant, recepit. Romam interea peſtilentia adeo atrox per æſtatem inuaſit, vt præſidium omne Germanorum abſumpſerit. Quod vbi Romani animaduerterunt, vt ſunt libertatis præter ceteros auidi, Clementem vrbe deiecerunt, atque ad Marſos recedere compulerunt. Eo etiam anno grauis adeo in Italia annona fuit, vt, quod dictu nefas videatur, præ victus inopia multæ matres in liberos fame ſollicitatæ ſæuierint. Vldaricus Friderico, patriarchæ Aquileienſi, qui priore anno inierat, mortuo eſt ſubſtitutus. Theobaldus Mediolanenſis archiepiſcopus circa Verbanum lacum oberrans propè exul eſt mortuus. Ei per Henricum Anſelmus à Raude ſuffectus pariter à
1085 Gregorio eſt improbatus. Poſtero, Moguntiæ præſente Henrico frequenti in epiſcoporum conuentu diuerſis inter ſe ſententiis Vecilo Moguntinus, & Geberardus Saltzburgenſis archiepiſcopi concertarunt,

runt, vtrùm Henricus regio titulo à Gregorio ſpoliari potuiſſet. ac plerique Geberardo pontificis iura tuenti aſſenſerunt. Itaque haud ita multò poſt alio conuentu in Quintiliburg habito, cui Otho epiſcopus Oſtienſis pontificis legatus interfuit, Vecilo, qui contra ſentiebat, hæreſeos eſt notatus. Menſe inde Maio Gregorius poſt diuturnas contentiones, quas propter conſtituendam Eccleſiam paſſus erat, graui morbo implicitus eſt. Triduo verò antequam moreretur, rogatus ab epiſcopis, & Cardinalibus, qui tunc fortè vnà cum Deſiderio aderant, vt, quid de Romanæ ſedis poſt exceſſum ſuũ ordinatione fieri iuberet, expromeret, Legite, inquit, Deſiderium, aut, ſi ille recuſet, Hugonem Lugdunenſem, aut Othonem Oſtienſem epiſcopos, atque ita VIII Kal. Iunias expirauit. Eo ritè ſepulto, epiſcopi, & Cardinales, ceterique, qui Catholicam partem tuebantur, vna mente ad eam fulciendam pro viribus incumbentes, quàm plurimos potuerũt, ad comitia pontificia ex omnibus partibus euocarunt. Vbi plerique venerunt, Deſiderius die ipſo Pentecoſtes omnes, quid Gregorius de ordinanda Eccleſia præcepiſſet, edocuit. pariterq; cum eis Iordanem Principem Capuanum, & Rainulfum Comitem adiit. atque ad opem Eccleſiæ neceſſario maximè tempore afferendam hortatus eſt. Ea re cognita Cardinales, atque epiſcopi omnes in vnum Deſiderium conſenſerunt. Quorum ille repudiato iudicio, ad monaſterium ſe retulit, & Romanos, ac Lombardos, quoſcunque potuit, litteris, ac nunciis ad complectendam Eccleſiam incitauit. Vbi verò calores æſtatis deferbuerunt, Iordanes Deſiderium Romam perducere conatus eo animo, vt ipſum etiam reluctantem pontificem declararet, perſuadere non potuit. atque ita res pontificia prorſus illo anno refrixit. Eodem anno Robertus Viſcardus, Apuliæ, & Calabriæ Dux, diem ſuum in Græcia obiit. Rogerius filius eius ſucceſsit. Sequenti, epiſcopi, & 1086
Cardinales multi ex diuerſis partibus Romam ſub Paſcha profecti Deſiderio renunciarunt, vt Romam accederet, ac ſecum omnes epiſcopos, & Cardinales, qui Caſini erant, vnáq. Giſulfum Salernitanum Principem duceret, vt primo quoque tempore de conſtituenda Eccleſia conſultarent. Quorum mandato ille, omni prorſus de ſe ſuſpicione poſt tot menſes abiecta, obediuit. Pridie autem Pentecoſtes comitiis aduocatis omnes & clerici, & laici Catholicæ partis fautores ipſum orarunt, vt Romanum pontificatum ſuſciperet vellet, neque Eccleſiam Dei ab adulterino teneri pontifice pateretur. Ille verò eadem, qua ante, conſtantia preces eorum repudiare, ſeq. omnia paſſurum potius, quàm vt tantum onus acciperet, reſpondere. Qua vo-

ce audita, quia ſerum erat diei, omnes domos ſuas abierunt. Poſtridie verò obſecratus, vt quem idoneum maximè iudicaret, exprimeret, ille, re cum Cincio Conſule Romano communicata, Oſtienſem epiſcopum nominauit, ſeq., quem ipſi legiſſent, in Caſsinati cœnobio contra Clementis potentiam cuſtoditurum, (id enim etiam rogabatur,) ſubiecit. Pleriſque inde in Oſtienſem inclinantibus, tum verò Cardinalis quidam, Ne Deus ſiuerit, inquit, quin Deſiderium pontificem habeamus. Qua voce erecti ceteri Deſiderium vno conſenſu prehenderunt, & ad ædem ſanctæ Luciæ perduxerunt, & ritè electum, ac Victoris tertij nomine affectum chlamyde coccinea exornarunt, albam enim renitenti non potuerunt imponere. Poſt quattriduum Victor Roma egreſſus Ardeam, & Tarracinam adiit. ibiq. pontificem ſe eſſe nolle profeſſus crucem, chlamydem, & cetera pontificia ornamenta depoſuit. & Caſsinum reuerſus neque à Iordane, neque ab epiſcopis, aut Cardinalibus vlla ratione Romam reduci potuit. Eodem anno Piſani proſperè cum Sarracenis in Africa depugnarunt.
1087 Sequenti, per Quadrageſimæ tempus conuentus Capuæ actus eſt, cui Victor cum epiſcopis, & Cardinalibus præfuit, ac Cincius conſul, Iordanes Princeps, & Rogerius, Roberti filius, Dux Apuliæ affuit. Eo peracto, repente clerici, & laici omnes nouis illum ſolicitare precibus inſtiterunt, vt pontificiam dignitatem reſumeret. quas cum biduum ſpreuiſſet, demum Duce, Principe, epiſcopis, & Cardinalibus ad pedes obſecrandi cauſſa procumbentibus, ceſsit, ac XII Kal. Aprilis in feſto Palmarum ſuperiora comitia cruce, & chlamyde reſumpta, confirmauit. Paſchate inde Caſsini celebrato, cum Capuano, & Salernitano Principibus ad vrbem progreſſus extra Porticum ſancti Petri conſedit, atque ædem, quam Clemens tenebat, egregia ſuorum opera vſus recepit. VII verò Idus Maij, ideſt ipſa poſt Aſcenſionem Dominica, Romanis in Vaticanum egreſsis ab Oſtienſe, Tuſculano, Portuenſi, & Albanenſi epiſcopis ritè conſecratus, atque ſacra in ſede locatus eſt. Poſt octo inde dies Caſsinum reuerſum Mathildis Comes de ſuo Romam aduentu monuit, ſeq. cum eo colloqui velle dixit. Itaque ea de cauſſa vrbem repetiit, & ab ipſa, atque exercitu eius officioſiſsimè exceptus per octo dies in Vaticano manſit. atque in feſto S. Barnabæ rem diuinam in æde ſancti Petri fecit. atque eodem die auxilio Mathildæ vrbem iniuit, cum tantum regionem Tranſtyberinam, arcem ſancti Angeli, baſilicam ſancti Petri, Oſtiam, Portumq. teneret. atque apud Inſulam, quæ iuris ſui erat, conſedit. Pridie verò Natalicia Apoſtolorum Clemens cupiens in æde ſancti Petri ſacra ex

more

more conficere, Romanos quoſdam induxit, vt Tiberim armati traiicerent, templumq. occuparent. Qui, cum cetera loca cepiſſent, templum tamen, quod à Victorianis tenebatur, ingredi nequiuerunt. Ita Clemens meridie in æde S. Mariæ in Turribus celebrauit. His rebus actis, Victor, vt Sarracenorum, qui in Africa erant, inſolentiam frangeret, conſilio cum epiſcopis, & Cardinalibus habito, ingentem ex omnibus Italiæ partibus exercitum conuocauit. ac vexillo beati Petri tradito, & noxis omnibus relaxatis, in Africam miſit, ac per eos centum millia hoſtium cæcidit, & vrbem eorum maximam cepit. Neque victoria vlla per hæc tempora fuit inſignior, quippe eodem die in Italia nunciata, quo eſt in Africa comparata. Inde aduerſus Clementem, & factionem eius conuerſus Auguſto menſe conuentum Beneuentum indixit. atque omnibus Apuliæ, & Calabriæ epiſcopis aduocatis, ex eorum ſententia ita decreuit: *Cum Gibertus Simonis Magi perfidia imbutus nequitiæ ſuæ ſocijs adhibitis, et aduocato Henrici exercitu apoſtolicam ſedem inuaſerit, nullo Cardinalium, epiſcoporumve præcedente iudicio, nullo Romani cleri approbante ſuffragio, nullo pij populi requiſito conſenſu, cumq. Romana Eccleſia occupata oues Chriſti diſpergere, laniare, et mactare non deſtiterit, contra Gregorium pontificem coniurationem conflauerit, ipſum vrbe fugarit, &, quantum in ſe fuit, ſacerdotio ſpoliarit, Henricum Cæſarem aduerſus eum commouerit, gentes, & regna concitauerit, & communione piorum expulſus ipſe ſanctum Pontificem eadem expellere non dubitarit, Romam cædibus, ſacrilegijs, periurijs, flagitijſq: omnibus profanauerit, & cum Gregorio mortuo idem me ſumma concordia ab epiſcopis, et Cardinalibus, & prouincialibus antiſtitibus vnà cum Romano clero, ac populo licèt inuitum, ac reluctantem in ſancta ſede locatum perſequendi finem non faciat: ob has res auctoritate Dei, et beatorum Apoſtolorum, Petri, et Pauli, omniumq. Sanctorum omni illum ſacerdotali officio, atque honore priuamus, & à liminibus Eccleſiæ arcentes diro anathematis vinculo obligamus. Præterea verò cum Hugo archiepiſcopus Lugdunenſis, & Ricardus abbas Maſſilienſis, poſtquam ſedem apoſtolicam, cui auidi inhiabant, aſcendere non potuerunt, ſeditiones in Eccleſia concitarint, noſq., dum honorem hunc reſpuentes viderunt, omnibus officijs coluerint, vbi auctoritati conſentientis Eccleſiæ cedere conſpexerunt, omnino ſe à noſtra communione ſeiunxerint: ob id vobis apoſtolica auctoritate præcipimus, vt ab eis abſtineatis, neque eorum congreſſione vtamini, quia ipſi communione Eccleſiæ vltro ſe abdicarunt. Siquidem, vt ſcribit beatus Ambroſius, Qui ſe à Romana Eccleſia ſegregat, is verè hæreticus eſt habendus. Conſtituimus etiam, vt ſi poſthac epiſcopatum, aut abbatiam de manu alicuius laici ſuſceperit, nequaquam epiſcopus, aut abbas habeatur, neque vlla ei vt epiſcopo, aut abbati reuerentia tribuatur. Præ-*

terea eidem beati Petri gremio, atque ingreſſu templi interdicimus, quouſq. ad pœnitentiam ſe receperit. idemq. de inferioribus Eccleſiæ gradibus ſancimus. Si quis item Imperator, Rex, Dux, Princeps, Comes, vel cuiuſuis poteſtatis ſæcularis epiſcopatum, aut quamuis aliam Eccleſiaſticam dignitatem dare auſus fuerit, eiuſdem ſententiæ vinculo ſe obſtrictum intelligat. His decretis poſt triduum aduerſa valetudine tentatus Caſsinum reuertit, atque Oderiſium abbatem ſibi ſubrogauit. Ibi ſæuiente morbo epiſcopos, & Cardinales ad ſe accitos monuit, vt ſiquid ſibi humanitus accidiſſet, ex Gregorij præcepto Othonem, epiſcopum Oſtienſem, ſufficerent. atque his dictis poſt triduum XVI Kal. Octobris ex hac vita migrauit. Eo mortuo epiſcopi congregati Romanos clericos, laicoſq., itemq. Apulos, & Campanos antiſtites admonent, vt prima Quadrageſimæ hebdomade Tarracinam ad pontificia comitia veniant; qui non poſ-
1088 ſint, litteris, aut nunciis, quid ſui ſit iudicij, exponant. Ante diem igitur ſextũ Idus Martij Cardinales, epiſcopi, atque abbates ex diuerſis regionibus præſto Tarracinæ fuerunt. Ex vrbe verò Romana Ioannes Portuenſis epiſcopus omnium clericorum, Benedictus præfectus vrbis omnium laicorum ſententiam per litteras attulerunt. Poſtero verò die omnibus in epiſcopio conuocatis Tuſculanus epiſcopus, quid Gregorius primùm, quid deinde Victor de conſtituenda Eccleſia cenſuiſſet, expoſuit. deinde Ioannes, & Benedictus ſubſequuti cleri, populiq. Romani ſententiã ediderunt. ea verò erat, quem omnes vno conſenſu legitimè delegiſſent, eum ſe pro vero pontifice habituros. Quibus auditis, ieiuniis, ac precibus per triduum factis, petitum à Deo eſt, vt perſona tantæ dignitati idonea oſtenderetur. Dominica verò die, quæ fuit IIII Idus, ſummo mane in eadem omnes baſilica conuenerunt. ac tres epiſcopi Portuenſis, Tuſculanus, & Albanenſis, qui comitiis prçerant, conſcenderunt ambonem, & facto ſilentio Othonem, Oſtienſem epiſcopum, renunciauere pontificem. Quem cum vna omnes voce probaſſent, atque Albanenſis Vrbanum II pontificem appellaſſet, tum raptus ab omnibus, & purpurea chlamyde indutus ad aram S. Petri deductus eſt, ibique pontificio in ſolio collocatus. Progreſſus inde Romam, cum à Clementis factione, cuius dux erat Ioannes Paganus, repelleretur, in inſulam Tiberis nomine Lycaoniam confugit, ibique menſes aliquot pia Romanarum matronarum benignitate ſubleuatus ſe ſuſtentauit, comite Petro Leonis, & Ioanne Caietano monacho, qui poſt ad pontificatum euectus Gelaſius II eſt appellatus. Eodem anno Berta regina mortua. Mathildis, vt Gregorium, & Victorem opibus ſuis acerrimè fouerat, ſic Vrbanum ſe de-

ſenſuram

fenſuram profeſſa auctoritate eius Velſoni, Bauariæ Duci, matrimonio copulata eſt. Bononienſes rei militaris conſtituendę cauſſa vrbem in quattuor tribus diuiſerunt, ſingulisq. earum tribunis ſingula vexilla attribuerunt. vnde Vexilliferi populi nominati. Quod inſtitutum reliquæ etiam Lombardiæ ciuitates per hæc tempora tenuerunt. Berengarius in Catholica confeſsione demum apud Turones eſt mortuus. Rogerius Dux Apuliæ Capuam occupauit, atque omnes ciuitates Eccleſiæ Tibur vſque, ac Velitras ſe dedentes accepit in fidem. Poſtero 1089
anno Vrbanus, cum ſe Romę manentem exiguum Eccleſię afferre ſubſidium poſſe videret, cauſſæ haudquaquam indormiendum ratus vrbe exiit, atque in Apuliam ad conuentus agẽdos cum Cardinalibus adiit. ac primum Melfi concilium conuocauit. Ibi Clementem primum, atque Henricum, ceteroſq. fautores eius, confirmatis Gregorij, Victoriſq. decretis, eſt deteſtatus, deinde Rogerium ad ſe profectum, ac fidelem ſe fore Eccleſiæ promittentem, Ducem Apuliæ, & Calabriæ confirmauit. Extat epiſtola ad Gebehardum Conſtantienſem epiſcopum ſcripta. in qua ait, ſe primum Rauennatem antiſtitem ſedis apoſtolicæ inuaſorem diris deuouiſſe, deinde eos, qui armis, pecunia, conſilio, aut obedientia Eccleſiaſticos ordines, aut honores ab eis accipiẽdo ſocios ſe ſceleris adiunxerunt, tum eos, qui eorum congreſſu vtantur, ſine pœnitentia in ſocietatem non recipiendos cenſuiſſe. Quæ res ad Henricum iampridem quieſcentem perlata noua indignatione hominem inflãmauit. Itaque cum hoc anno Colonię nuptias Ruſcorum regis filiæ Adeleidæ celebraſſet, poſtero, qui fuit ſalutis noſtræ milleſimus 1090
nonageſimus, in Italiam ſibi redeundum putauit. Eo anno Vrbanus ad Campaniam in fide retinendam progreſſus Caſsinum per Quadrageſimã adiit. cumq. in vigiliis S. Benedicti ſæuiſsimo calculi dolore cruciaretur, ac de præſentia corporis eius dubitaret, viſus eſt ſibi per quietem S. Benedictum aſsiſtentem audire, atque illum calculum ſibi euellere, ac proximam ſanitatem prædicere. Experrectus autem calculũ edidit, ac gratiis Deo actis, rem monachis aduocatis expoſuit. Henricus autem in Italiam aduerſus Vrbanum tranſgreſſus, cum in Lombardiã venisſet, primo aduentu Mathildẽ habuit aduerſariã. Quam ob cauſſam bellũ ab ea parte ordiri neceſſe habuit. Ei verò trans Padum omnia populãti Mathildis Bononienſib. adiunctis audacter occurrit, ac ſummo prœlio in campo Sorbariæ inito ſuperior abiit, Parmenſe, & Regienſe epiſcopis Clementis fautoribus captis. Itaque accenſo contentionis ſtudio Henricus omnibus trans Padum caſtris, fruſtra repugnante Mathilde, potitus Mantuam oppugnatum acceſsit, ac maiore mole obſeſ-

ſam poſt XI menſes, Mathilde Canuſsij ſe continente, adduxit in poteſtatem, cum iam eſſet annus milleſimus nonageſimus primus. Extant
1091 adhuc priuilegia immunitatum à Mathilde de Mantuanis anno MXC data. atque eadem ab Henrico anno MXCI poſt receptam Mantuam confirmata in hæc verba: *Velfo Dei gratia, Dux, et Marchio, et Mathilda Dei gratia ſi quid eſt. Cum Mantuani à nobis petierint, vt oneribus aliquot leuarentur, & vt beneficijs afficerentur, quibus à maioribus noſtris fuerant ſpoliati, ob eam rem nos ciuitatis fide perſpecta, omnia tributa eis remittimus, hoſpitia condonamus, vtranque ripam Mincij, Olij, & Tartari damus, per ditionem noſtram tutos ire, vectigalium, & ripatici immunes iubemus. Mantua, V Kal. Iulias, Indictione XII, anno MXC.* Item. *Henricus III diuina Clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Cum fidem Mantuanorum erga nos perſpexerimus, ob eam rem omnia tributa eis remittimus, quæque à Mathilde acceperant, confirmamus.* Mantua in ditionem adducta, Ferrarienſes bello non expectato Henrici poteſtati vltro ſe permiſerunt. Mathilda ditione Tranſpadana amiſſa de Ciſpadana ſolicita caſtra, quæ in agro Regienſi, ac Mutinenſi vallis, præſidiiſq. tenebat, eandem tempeſtatem amnorum verita confirmauit, atque Hugonem Eſtenſem ei obiecit. Interim Vrbanus, Caſsino iterum viſitato, alterum conuentum Troiæ in Apulia ob res Eccleſiæ conſtituendas habuit. Atheſis fluuius ad tantam altitudinem creuit, vt pontem lapideum S. Stephani Veronæ diſiecerit, epiſcopium ſubruerit, & baſilicam S. Zeno-
1092 nis intrarit. Tranſacta inde hieme, Henricus, Hugone repulſo, traiecit Padum, atque exercitum in agrum Mutinenſem induxit, ac Monte Maurello, & Monte Alfredi ex Mathildis ditione receptis Montembellum circumuallauit, ac per totam æſtatem obſedit. Interim Epiſcopus Regij Herebertus à Clemente impulſus, aliis adhibitis epiſcopis, pacem in Carpineto tractauit. reſq. facilè conueniſſet, niſi Ioannes quidam eremita, Mathilde ſpem vnam in Deo habere iuſſa, auctoritate ſua omnia diſturbaſſet. Ea re irritatus magis Henricus confeſtim filium (nomen eius, quod nolim, in chronicis reticetur) ad Carpinetum oppugnandum miſit, atque eo in prœlio deſiderato doloris acerbitate Regium, atque inde Veronam receſsit, & caſtellorum Mutinenſium oppugnationem omiſit. Vbi verò confectis exequiis paulliſper luctus, mœrorq. reſedit, cum ſe Parmam contendere ſimularet, Cabillianum repetiit, vt inopinato aduentu Canuſsium, vbi erat Mathildis, inuaderet, haud ſanè iucunda illius temporis repetita memoria, quo iniquiſsima hieme ante portam arcis Gregorij reſponſum per triduum expectarat. Quod vbi Mathildis ſenſit, præſi-

dio

dio Canuſsij relicto, cum altera copiarum parte Bibianellum ſe contulit. Henricus interea Canuſsio exercitum admouit, ac prœlio cum præſidio edito multos ex ſuis, in primiſq. vexillum ipſum amiſit. Quare mirificè perturbatus Monticulum ſe, ac poſtridie Bibianum recepit, & collectis ſub lucem vaſis trans Padum exercitum omnem reduxit. Ea re animaduerſa Mathildis ſtatim omnia ſua caſtra cis Padum negocio nullo recuperauit. Eodem anno Anſelmo archiepiſcopo Mediolanenſi vita functo populus Arnulfum ſubſtituit ex porta orientali capitaneum, quem Henricus, vt conſueuerat, per annulum,& virgam inſtituit. is inde,cum ab vno tantùm Catholico epiſcopo eſſet conſecratus, ceteris, quòd abſtenti eſſent, aſſentientibus, verùm manum non imponentibus, eo nomine à legato Apoſtolicæ ſedis eſt abdicatus, itaque mutato habitu in cœnobium ſe incluſit, ibiq. honeſtiſsimam vitam inſtituit. Proximo anno Iordanes, cum omnem fermè Campaniam Eccleſiæ eripuiſſet, Priuerni eſt mortuus. Ricardus filius eius, qui Principatum exceperat, à Capuanis vrbe excluſus Rogerii Ducis Apuliæ auxilium implorauit. cuius ille precibus obſequutus maximo,ac firmiſsimo exercitu Capuam adducto, Rogerio Siciliæ Comite adiuuante, arcta vrbem obſidione circumdedit. 1093
Sub eoſdem dies Anſelmus Cantuarienſis archiepiſcopus Romam magnis de rebus venerat, & vitandi æſtus Romani cauſſa, qui Transalpinis hominibus ſolet eſſe pernicioſiſsimus, in Campaniam ſe contulerat. quod vbi Rogerius accepit, celebrata hominis ſanctitate permotus, ipſum ad ſe vocauit. atque aduenienti ei tabernaculum prope ſe in caſtris conſtituit. Neque ita multò poſt Vrbanus quoque vrbe ad concilium Barij habendum egreſſus acceſsit, atque honorifico occurſu ab Anſelmo, Rogerioq. exceptus tabernaculum propter Anſelmum,Rogeriumq. locauit. Vtroque præſente,atque orante Rogerius obſidionem Capuanis Ricardum recipientibus ſoluit. Vrbanus Salernum progreſſus, querente Alfano archiepiſcopo, Robertum bona ſuæ ſibi eccleſiæ vindicaſſe, Rogerium ſe Longobardorum exemplo tuentem ea reſtituere iuſsit. conuentu inde Barij Kal. Octobris inſtituto,de Spiritu ſancto in primis eſt actum aduerſus Græcos,qui ipſum ex patre ſolo manare cenſebant. quorum confutata opinione, Anſelmus ingentem ſibi doctrinæ conciliauit opinionem. is Romam cum Vrbano reuerſus ab eo retentus eſt, vt concilio à ſe in Lateranum indicto adeſſet. quo tempore ab inimicis Vrbani à Laterano in Vaticanum procedens crebris inſidiis appetitus, omnes non ſolùm vultus ſui maieſtate reuerenda deterruit, ſed ad expiationem etiam poſtulandam

adegit, vt Edinerus Anglus tradidit, qui vitam eius deſcripſit. Germanicis furentis Henrici tumultibus Italia demum, Eccleſiaq. perfuncta lucem aliquam aſpicere quietis, ac libertatis inſtituit. Hanc defectio Conradi non tam pia, quàm neceſſaria, ab Henrico patre adduxit, quem ipſe tanquam maiorem natu filium regem Germaniæ deſtinarat. Eius defectionis cauſſam Dodechinus, atque Helmoldus, ſcriptores iis temporibus proximi, & quidem natione Germani, hanc prodiderunt. Henricus, cum acerbum in Adeleidem coniugem odium concepiſſet, in carcerem conditam omni contumeliarum genere afficiendam, ac propè lacerandam ſuſceperat. Itaque ad cetera illata probra cum Nicolaitarum more multis eam ſtuprandam proſtrauiſſet, idem Conrado etiam filio vt faceret, imperauit. Addidit inde flagitio contumeliam. Conradum ſcelere ſe tanto obſtringere recuſantem ira, odioq. accenſus filium ſuum eſſe negauit. His de rebus Adelois, cum fortè pauens è carcere euaſiſſet, ad Mathildem in Italiam ſe recepit, ac ſupplex miſeriæ ſuæ ſubſidium implorauit. Mathildis benignè exceptam Vrbano commendauit pontifici. Vrbanus verbis mulierem conſolatus, atque, vt in monaſterium iniret, hortatus, remiſit domum, atque eo etiam nomine Henricum è numero amouit piorum.

CONRADVS REX ADVERSVS HENRICVM PATREM.

EADEM ratione Conradus patre relicto ad Mathildem, Vrbanumq. ſe contulit, & noxa paterna ſolutus ex ipſius Vrbani auctoritate regnum aduerſus patrem in Lombardia ſuſcepit, idq. ſumma cum omnium gratia per nouem deinde annos adminiſtrauit. ac Rogerij, Siciliæ Ducis, filiam ſibi matrimonio iunxit. Ad animi virtutes ingentes decora etiam corporis forma acceſſerat, quæ ipſum impenſius quoque populis commendauit, ita verò aduerſus patrem regnauit, vt tamen eum ſemper regem, ac dominum ſuum vocarit. Hoc præter ceteros Iuo quoque Carnotenſis epiſcopus Vrbano pontifici gratulatur: *Quoniam Eccleſia Romana*, inquit, *poſt multa naufragia ſub veſtro regimine ad portum pene iam peruenit, & Italiæ regnum iamdiu rebelle in conſpectu veſtro totum pene conticuit, ita vt nouus rex ad voluntatem Dei, & veſtram, ſe dederit, gau-*
1094 *deo in Domino*. Hac de re, vt Sigebertus ſcribit, Henricus ſequenti anno animi anxius ex Italia ceſſit. Quo facto omnes ſubitò amici eius

ad

ad Conradum, & Pontificem tranſierunt, & caſtra ab Henrico capta receperunt, atque aduerſus eum validis munitionibus, & præſidiis confirmarunt. Quibus ex rebus recreatus Vrbanus animum inde ad inchoatam Eccleſiæ reformationem perficiendam, multò magis intendit. ac poſt Paſcha conuentu in Laterano coacto deteſtationes aduerſus laicos renouauit, qui eccleſias aut conferrent, aut ab eis collatas acciperent, itemq. aduerſus epiſcopos, qui eiuſmodi beneficio affectos ſacraſſent. deinde verò, quod non tam ad pietatem inſigne, quàm ad gloriam futuri temporis illuſtre, ſplendidumq. futurum erat, animum ad Hieroſolyma, quæ à Sarracenis longo iam tempore tenebantur, recuperanda traduxit. Huius autem rei hæc eſt occaſio præbita. Petrus quidam eremita, genere Ambianus, paullo ante à ſepulchro reuerſus litteras Simonis patriarchæ Hieroſolymitani attulerat, quibus ille damna, contumelias, ſuppliciaq. grauiſsima, quæ Chriſtiani ſepulchrum Domini viſitantes à Sarracenis quotidie patiebantur, narrabat, atque ab eo auxilium perditis Chriſtianorum rebus poſcebat. Quibus litteris lectis, ſimulq. eremitæ ſermone eadem in maius ornante commotus ſtatuit, pro viribus bellum Sarracenis inferre, atque Hieroſolymorum vrbem impiorum è manibus extorquere. Italia verò, & Germania, quæ regis culpa ſæuis ſeditionum fluctibus iactabantur, relictis, Francos potiſsimum, à quibus ipſe trahebat originem, ſibi incitandos putauit ad eam gratiam veteribus ſuis erga Chriſtianam remp. meritis adiungendam. Itaque propoſito diplomate concilium toti Occidenti Claromontem in Aruernis magnis reipublicæ de rebus indixit. Iter autem ingreſſus cum frequenti Cardinalium, epiſcoporum, principum Italicorum comitatu ad Padum veniſſet, Vardaſtalli conuentum habuit, in quo de labibus præſentis Eccleſiæ acriter, vt ante, conſtituit. inde à Mathilde magnifico Canuſij apparatu exceptus Placentiam poſtero anno proceſsit, atque ibi frequentiore conuentu 1095
Gregorij, Victoriſq. aduerſus Henricum, & Clementem ſcita, atque anathemata renouauit, in primiſq. cõſtitutionem hanc de clericorum ordinatione ſanciuit: *Sanctarum legum inſtitutis conuenienter decernimus vt ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur, et qua quis in eccleſia titulo affectus eſt, in ea perpetuò perſeueret, neminiq. in duabus titulum accipere liceat.* Sanxit etiam alia Eccleſiæ ſalutaria, quæ referre non eſt operæ pretium. In primis autem addidit nouem præfationibus decimam: *Et te in veneratione beatæ Mariæ virginis collaudare.* Inde Mediolanum progreſſus Arnulfum archiepiſcopum è cœnobio euocauit, ac præſidere eccleſiæ iuſſum inſuper etiam pallio decorauit, atque ita eccleſiam Me-

diolanenſem Romanæ poſt tot annos reſtituit. Quo facto inde ipſos etiam ciues iandiu acriter ſuperioris contumaciæ cauſſa inter ſe decertantes ad concordiam, pacemq. redegit. Ceterùm Mediolanenſes Vrbani auctoritate victi, veteribus poſitis ſimultatibus, in gratiam tanta animorum facta mutatione redierunt, vt nobiles, ac populares oſcula inter ſeper fora, ac vias, manantibus præ gaudio lacrymis, darent. Mediolano inde Comum eſt ventum. Ibi ædes D. Abundii, quem præcipua religione illa ciuitas colit, magna cæremonia dedicata. Poſtremò Alpes emenſus ad Aruernos peruenit. & concilium Claromonte epiſcoporum, procerumq. Franciæ omnium habuit. Ibi frugiferis decretis Franciæ eccleſiæ lapſam, quoad potuit, diſciplinam erexit. & Clementem, atque Henricum ob commemoratas cauſſas, Philippum verò regem Franciæ propter ſecundas contractas, priore viuente vxore, nuptias piorum communione ſummouit, ac Philippum ipſum ad piaculum accipiendum adduxit. Reliquis rebus ex ſententia adminiſtratis, inde comitantibus patribus è templo proceſſit in forum. in quo totius propè Occidentis principes, ac populi ſtabant, incerta rei, quæ agenda eſſet, expectatione ſuſpenſi. atque in concionem progreſſus ſilentio indicto cauſſam aduentus ad eos ſui exponere inſtitit. ac primùm quidem ſæuiſſimas, quibus Chriſtiani in Syria afficerentur, iniurias, indignaſq. libero homine contumelias memorauit, deinde grauiſſimam animis omnium religionem iniecit; quòd ignauia ſua nefariis immundiſſimæ gentis ſacrilegiis profanari, & ac pollui Hieroſolyma paterentur, vrbem eam, in qua inuocatum eſſet nomen Domini à primis diebus, in qua Prophetæ floruiſſent, in qua redemptionis humanæ veſtigia nituiſſent, ex qua ſalutis in omnem terrarum latitudinem ſacramenta manaſſent; terram Sanctorum, qui à ſæculo fuiſſent Prophetarum, terram Apoſtolorum, terram Domini, & Saluatoris noſtri, quam ille incarnationis, & natiuitatis ſuæ myſterio initiaſſet, vita, prædicatione, & miraculis illuſtraſſet, morte, ſepultura, & reſurrectione ſacraſſet, aſcenſionis ſuæ triumpho, & paracleti Spiritus aduentu illuminaſſet. atque ad extremum ſacram Hieroſolymorum expeditionem incredibili ſententiarum grauitate, verborum copia, atque animi ardore ſuaſit. Poſtquam autem perorauit, tum vniuerſi, qui aderant, diuino quaſi ſpiritu concitati bellum pro ſepulchro Chriſti recuperando ingentibus ſtudiis animorum iuſſerunt. atque in eo apertam ſe Dei voluntatem ſequi velle altiſſimis clamoribus reſponderunt. Quibus ſedatis, tum Pontifex: *Gratias ago Deo maximas*, inquit, *quòd vos tanta*

animorum

animorum conſenſione, atque alacritate arma pro Chriſto redemptore veſtro ſuſcepturos eſſe oſtenditis. neque enim tam repentina in tam diuerſis gentibus conſpiratio ſine grauiſſimo ipſius eſſe impulſu poteſt. nos autem, vt ſtudia veſtra, quoad poſſumus, adiuuemus, miſericordia Dei, & beatorum Petri, ac Pauli auctoritate confiſi omnibus, qui ad hoc bellum prodierint, omnia pro delictis ſuis piacula relaxamus, eoſq. ſub Eccleſiæ tutelam, & beatorum Petri, & Pauli clientelam, tanquam veræ obedientiæ filios, ſuſcipimus, & ab omnibus vexationibus corporum, fortunarumq. tutos eſſe ſtatuimus. His vocibus mirificè omnium, qui aderant, accenſi ad bellum animi ſunt. qui verò abſentes erant, poſt ab epiſcopis mandato Pontificis excitati certatim & ipſi eandem ſibi laudem parere contenderunt. clerici verò, & monachi vltro, quibus ſe in perpetuum abdicarant, arma iactarunt, atque omnes non glorioſæ ſolùm, ſed etiam ſalutiferæ ſe militiæ deuouerunt. Signum autem eius fuit Crux è purpuero panno confecta, quam primus è pontificibus Vrbanus ſalutaris in ſignum expiationis indulſit, veſtibus ſuper dextram ſcapulam affigendam. Vnde qui profecti ſunt in eam expeditionem Cruce ſignati, & ipſa expeditio Cruciata vocata eſt. Eodem anno Clemens Romam reuerſus eam cum arce, Vrbano præſertim abſente, obtinuit. Adelbertus Bergomas, vir ſanctus, monaſterii Puntidenſis in diœceſi Mediolanenſi conditor, idemq. abbas, Kalendis Septembris eſt mortuus, eiq. beatus Henricus Cremonenſis ſuffectus. Proximo, Arnulfus Mediolanenſis archiepiſcopus vita deceſsit. Locum eius Anſelmus Valuaſorius tenuit. Vrbanus è Francia reuertens à Mathilde, ceteriſq. in Lombardia, celebrata ad immortalitatem nominis eius gloria, omnibus honorum generibus eſt excultus. Vbi verò Romam veniens Clementem occupata vrbe potiri, ſe verò per arma excludi vidit, haudquaquam animo defecit, verùm eo ardore, quo bellum contra Sarracenos ſuaſerat, arma parauit, ac propriis multorum, quos ad ſacram expeditionem accenderat, auxiliis vſus vrbem oppugnauit, ac Clemente in arcem compulſo, Lateranum recuperauit, atque eò ſtatim generale concilium aduocauit. In eodem præter alia Chriſtianæ reip. ſalutaria Hieroſolymitana expeditio ingenti omnium conſenſu, eximia Pontificis adhortatione, decreta eſt. legatuſq. ad eam deſtinatus eſt Ademarus Podienſis epiſcopus. Itaque totus hic annus ab Italis in apparatu armorum expediendo conſumptus eſt. Ceterùm ex toto Occidente principes, populiq. adeo frequentes ierunt, vt crederes, vulgo vrbes ab incolis deſeri, agroſq. incultos, ſoloſq. relinqui. Præcipui ex Italia nomen dedere Anſelmus Mediolanenſis archiepiſcopus, quem quinqua-

1096 (margin, beside "Cremonenſis ſuffectus. Proximo")

gınta Lombardorum millia ſunt ſequuta, ex quibus Mediolanenſes ſeptem millium numerum confecerunt, Boemundus, Rogerii Ducis Calabriæ frater, Princeps Tarentinus, & Tancredus, Rogerii ſororis filius, quorum auctoritate tota Apulia, Calabriaq. armata eſt, cum Boemundus veſte ſua ſerica in minutas partes diſſecta purpureis omnes crucibus exornaſſet. Reliquos legatus Pontificis, & Petrus eremita belli concitor è regionibus tranſalpinis duxerunt. Veneti autem, Piſani, & Genuenſes inſtructis claſsibus mari affuerunt. vnaquæque ciuitas certatim cohortes cum ducibus pleniſsimas, ac vexilla Crucem verſicolorem inſcripta miſit. Has copias locuſtarum repente nata vis
1097 tanta præceſsit, vt nubium inſtar Solis lucem adimeret. Proximo anno Vrbanus Calabriam, Apuliam, & Siciliam, quas Nortmani amici tum Eccleſiæ obtinebant, luſtrauit, atque ingentem pecuniæ ſummam in commoda Eccleſiæ profundendam, confecit. Cruce ſignati diuerſis itineribus terra, mariq., ita vt omnes oras, portuſq. complerent, in Aſiam traiecerunt, ac per menſem Iulium oppidum Bithyniç Nicæam ceperunt, & Octobri Antiochiam in Syria obſidione cinxe-
1098 runt. Sequenti, Vrbanus arcem, atque in ea Clementem alacriter oppugnauit. cumq. alia ratione propoſitum tenere non poſſet, cuſtodibus pecunia corruptis, demum arcem in ditionem adduxit. Clemens verò clam elapſus Albam ſe Marſorum iterum rettulit, ac firmo ibi ſe pręſidio communiuit. Interim in Syria Antiochia à Chriſtianis vi menſe Iunio capta, eaq. Boemundo Principi data eſt. Genuenſes ex Myra vrbe Lyciæ ſacratos S. Io. Baptiſtæ cineres extulerunt. quos Genuam demum delatos in hunc vſque diem religione eximia colunt. Veneti oſſa S. Nicolai Myrenſis epiſcopi rettulerunt. Poſtero,
1099 Henricus in die Epiphaniæ Conrado filio iratus regnum Germaniæ, cuius cum corona donarat, eripuit, atque illud Henrico minori filio deſtinauit. Mutinenſes, cum vrbem ſuam operibus, valliſq. ſatis, vt iis temporibus, communiſſent, atque aduocatis ex proximis caſtris incolis oppidum ciuium frequentia repleuiſſent, antiquam D. Geminiani baſilicam præſenti ciuitatis fortunæ parum conuenire ob paruitatem ſuam arbitrati alteram in foro è marmore ædificare inſtituerunt. quod ex antiquis florentis quondam vrbis ruinis altè terra obrutis extraxerunt. VII Kal. Iunias Hieroſolyma obſideri à Chriſtianis magna diligentia cœpta. In eorum obſidione Otho Vicecomes Mediolanenſis, Eliprandi filius, inſigne fortitudinis ſuæ monumentum reliquit. Nam ducem Sarracenorum Volucem ſingulari prœlio congreſſus occidit, ac galeam nobile hoſtis ſpolium induit. è cuius cono tor-

tuoſæ

tuoſæ viperæ, ac puerum expanſis manibus euomentis ſimulachrum extabat, idq. ipſum & ſibi, dum vixit, geſtamen aſciuit, & poſteris inſigne laudis gentiliciæ prodidit. Ea re poſt domi comperta Mediolanenſes publico decreto ſanxerunt, vt ad perennem clariſſimi viri memoriam ne poſthac caſtra Mediolanenſis exercitus locarentur, niſi ſigno vipereo antè in aliqua arbore conſtituto. Tracta inde per aliquot dies variis vtrinque conatibus oppugnatione, tandem admota mœnibus vrbis turri, inſigni Genuenſium induſtria, operaq. perfecta, Chriſtiani in mœnia, atque inde in vrbem tráſilierunt. proximaq. porta refracta, atque vniuerſo exercitu introducto IIII Nonas Iulias ditionis ſuæ fecerunt. Hac victoria parta Gothifredus Bononienſis, Dux Lotharingiæ, qui ſtupentibus omnibus primus in muros euaſerat, communi omnium conſenſu Rex eſt Hieruſalem appellatus. verùm ille neque titulo, neque inſigni regio vti voluit. Debitum huius tam proſperæ rei fructum ferre Vrbanus, auctor eius, non potuit. Siquidem, cum XIII Kal. Auguſti Salerni agens Alfanum archiepiſcopum priuilegio decoraſſet, & poſt VIII Idus Auguſti in feſto S. Xyſti eccleſiam aliam reddi iuſſiſſet, mortem oppetiit in ædibus Petrileonis, vnde occultè per Tranſtiberinam regionem in Vaticanum propter inſidias inimicorum translatus eſt. Idibus inde Auguſti comitiis habitis ab Cardinalibus epiſcopis, presbyteris, diaconis, primoribusq. vrbis Raynerius Bledenſis, monachus, presbyter cardinalis, pontifex vel inuitus eſt lectus, ac Paſchalis ſecundus vocatus. inde in Lateranum deductus per omnia Palatij loca & ſedens, & incedens iudicium de ſe factum firmauit. poſtridieq. eius diei ab epiſcopis, & populo ad baſilicam Vaticanam reductus per epiſcopos, quorum id erat muneris, conſecrationem accepit. Principibus, populiſq. è Syria ad ſuas quibuſq. regiones, domoſq. reuerſis ingens vbique gratulatio facta, ſummuſq. Deo honos eſt habitus. neque enim res accidere Chriſtianis potuit aut ad animi voluptatem iucundior, aut ad gloriam poſteritatis inſignior. Ciuitates victricia vexilla relata poſt perpetuo rei monumento, & auſpicato reip. gerendæ documento pro publicis inſignibus vſurparunt. mirificeq. cum omnes ad arma adminiſtranda, tum maximè Piſani, & Genuenſes eximio quodam gloriæ ſtudio exarſerunt. Sequens annus, quippe milleſimus à Chriſto nato centeſimus, duabus memorabilibus rebus fuit inſignis, Balduini regno Hieroſolymitano, qui primus ex Chriſtianis eum titulum tulit, & morte Clementis adulterini pontificis, qui per annos vnum & viginti Eccleſiæ concordiam, pacemq. turbarat. Gothifredus poſt aliquot Syriæ 1100

vrbes

vrbes regno per arma adiunctas menſe Iunio peſtilentia periit. eiq. Balduinus frater eſt ſubſtitutus; qui poſt eum primus muros Hieroſolymorum aſcenderat, ac res maximas pro Chriſtiana rep. geſſerat. Is à patriarcha, conſentiente legato pontificio, coronatus regnum iniit, ac nouo Genuenſium claſsis aduentu erectus animum ad reliquam Syriam occupandam adiecit. Romæ autem Paſchalis in tanta gratulatione nihil ſibi antiquius eſſe debere ratus, quàm, vt præſentis ſeditionis relliquias tolleret, Eccleſiamq. pacaret, primum Clementem, deinde Henricum ſibi aggrediendum conſtituit. Ita pecunia opportunè, qua initio pontificatus egebat, à Rogerio Duce adiutus copias, quæ neceſſariæ videbantur, contraxit, ac bello Albam translato, oppidoq. expugnato, Clementem inde deiecit. is primùm in caſtellum Furconenſium abiit, deinde, cum inde quoque pulſus longinquiora loca ad ſalutem appeteret, repentina morte correptus expirauit. In eius locum Albertus quidam ab aduerſaria factione intruſus haud quattuor amplius menſibus vixit. Anſelmus archiepiſcopus Mediolanenſis Conſtantinopoli mortuus eſt. Quo nuncio accepto diſsidium in Eccleſia concitatum eſt. Nam Henricus Chryſolaum, pars pontificia Iordanem Cliuium ſubrogauit. vnde inter eos magna de iure dignitatis
1101 eſt ſuborta contentio. Poſtero anno Balduinus in Syria Cæſaream, Genuenſibus adiuuantibus, cepit. Ex eius vrbis præda vas ſmaragdinum Genuenſibus obtigit, quo Chriſtus in Cœna vltima dicitur eſſe vſus: itaque hodie quoque Genuæ eo nomine illud religioſiſsimè aſſeruatur. In Italia Theodoricus in locum Alberti mortui pontifex ſubſtitutus paucos menſes ſedit. Paſchalis eò liberius Cauas oppidum, quod Petrus à Columna Eccleſiæ eripuerat, recuperauit, atque ipſi Petro caſtra duo Columnam, & Sagarolum ademit. Conradus Italiæ rex, cum præclarè in omni officio ſe geſsiſſet, neque à Mathildis vnquam, pontificiſq. conſiliis diſceſsiſſet, alieniſsimo Eccleſiæ, atque Italiæ tempore morbo conſumptus, ſiue, vt alij tradunt, veneno extinctus eſt.

IDEM HENRICVS REX.

101 CONRADO mortuo, Paſchalis inde ſe totum in Henricum conuertit, ad cætera probra vel hac noua infamia laborantem, quòd propè ſolus ex Chriſtianis Principibus neque ipſe ad ſacram expeditionem perrexiſſet, neque vllum auxilium ſummiſiſſet, is, qui, quòd Imperatorem ſe appellaret,

auctor itineris, duxq. belli totius eſſe deberet. atque ob id generale concilium in ſequentis anni Quadrageſimam in Lateranum indixit. & diutini tollendi diſsidij gratia ipſum eò Henricum etiam inuitauit. Henricus conſilio cum principibus ſuis communicato, ad concilium ſe Kal. Februariis affuturum, ac cauſſa, quæ Eccleſiam diſtraxiſſet, cognita optatam populis concordiam redditurum, oſtendit. Hoc nuncio accepto, Mathildis tranſpadanas vrbes ſuas ab Henrico ereptas recuperare ante aduentum eius cupiens firma Venetorum, Lombardorumq. auxilia acciuit, atque exercitum Ferrariam duxit. Ferraria diu obſidione preſſa, atque ad extremum etiam vali ſè oppugnata, neque iiſdem opibus, animiſq. defenſa ſequenti tandem anno in poteſtatem Malthildis reuertit. Quo facto Mathildis caſtra, & loca quædam abbati Nonantulano donauit pro theſauro eius, quem ipſa ſe pro ſalute Eccleſiæ conſumpſiſſe in diplomate confitetur. Theodoricus abbatem Bobienſem inſignium pontificalium honore hoc anno affecit. Eo verò mortuo Maginulſus quidam Romanus ad pontificatum euectus Rauennæ temere inſignia dignitatis arripuit. verùm mox hunc & Romani exilio affecerunt, & Rauennates omni ope deſtitutum vrbe ſua exire coegerunt. 1102
Vbi verò Quadrageſima aduenit, epiſcopi frequentes Romam ex tota Italia conuenerunt, ac tranſalpini ferme omnes nuncios ſuos miſerunt. vnus Henricus neque ad conſtitutam diem acceſsit, neque legatos, qui partes ſuas implerent, vllos miſit. Concilio conuocato Pontifex antiqua patrum inſtituta ex epiſcoporum ſententia con firmauit, præſens diſsidium diris execrationibus condemnauit, & Henricum rurſus ſacra deteſtatione corripuit. Ceterùm ſinguli diſſidium his verbis improbauerunt: *Deteſtor omnem hæreſim, & præcipuè eam, quæ ſtatum præſentis Eccleſiæ perturbat, quæ docet & aſſerit, anathema contemnendum, & Eccleſiæ ligamenta ſpernenda eſſe. Promitto autem obedientiam apoſtolicæ ſedis pontifici D. Paſchali, eiuſq. ſucceſſoribus ſub teſtimonio Chriſti, & Eccleſiæ, affirmans, quod affirmat, & damnans, quod damnat ſancta, & vniuerſalis Eccleſia.* Dimiſſo inde concilio Pontifex in Cœna Domini execrationem in Henricum diuulgauit his verbis: *Quia tunicam Chriſti ſcindere, id eſt Eccleſiam rapinis, & incendijs lacerare, luxurijs, periurijs, atque homicidijs commaculare Henricus non deſtitit, ob eam rem primùm à beatæ memoriæ Gregorio papa, deinde à ſanctiſſimo viro Vrbano prædeceſſore noſtro, poſtremò à nobis in proximo conuentu noſtro iudicio totius Eccleſiæ perpetuo anathemate obligatus eſt. Quamobrem id notum eſſe omnibus volumus, & maximè tranſalpinis, vt ab ipſius ſe inqui-*

annos Dei Eccleſiam laceraſti, quia epiſcopatus, abbatias, omneſq. dignitates eccleſiaſticas venales habuiſti, quia nihil legitimi in legendis epiſcopis obſeruaſti: ob has res Pontifici, principibuſq. Germaniæ placuit, te non piorum communione ſolùm, ſed regni poſſeſsione etiam deturbare. Tum rex, Quoniam me Eccleſiæ dignitates vendidiſſe arguitis, inquit, quæro de vobis Moguntine, & Colonienſis, quam à vobis mercedem exegi, cum vos veſtris eccleſiis præpoſui, quas omnium ampliſsimas eſſe, ac fructuoſiſsimas conſtat? Negantibus illis, eum aliquid exegiſſe, Cur igitur, inquit, ſi officium erga vos retinui, aut me huius criminis incuſatis, aut vos duces, ſocios ve eorum præbetis, qui fidem, ac iuſiurandum regi datum fefellerunt? Suſtinete parumper, & naturalem ætatis meæ iam exactæ terminum, qui longe abeſſe non poteſt, expectate. aut ſi me regno ſpoliare conſtituiſtis, præſtituite mihi diem, in quo manibus meis inſignia mihi detraham, eaq; filio meo vltrò imponam. Repugnantibus illis, & ſe negocium, de quo miſsi fuerant, acriter, ſi reſiſteret, confecturos minantibus, Henricus paullulum ab eis ſeceſsit, & cum paucis, qui aderant, amicis conſilium contulit. atque ex eorum ſententia, quod ſe ab armatis circunuentum ſecus facere non poſſe cerneret, afferri ad ſe inſignia, ac veſtem regiam iuſsit. atque ijs ornatus in ſellam aſcendit, atque ita verba fecit: Hæc regię maieſtatis inſignia æterni regis pietas, & principum regni concors voluntas mihi tribuit, quæ vi nulla tueri paratus ſum; nam inteſtinum malum vt ſuſpectum nunquam habui, ſic neque etiam caui. Quis enim tantum aut in amicis furoris, aut in filiis impietatis hærere poſſe exiſtimaret? verum vnius Dei ope, & veſtro pudore defendam. Quod ſi vos neque Dei, neque honoris veſtri rationem habebitis, vim patiar, qui propulſare non poſſum. Hæſitantibus autem ſuper his verbis ceteris, tum Moguntinus, Quid dubitamus, inquit, ò ſocij, non ne officij noſtri eſt regem conſecrare, & conſecratum induere? cur igitur quem immeritò induimus, non meritò exuamus? ſtatimq. impetu facto Henricum adorti coronam ei de capite detraxerunt, ac de ſede remotum purpura, ceteriſq. inſignibus ſpoliarunt. Tum rex nouitate rei propè attonitus, Videat Deus, inquit, quàm iniquè aduerſus me agatis. ego quidem luo peccata adoleſcentiæ meæ, nempe ignominiam patiens nulli ante regum illatam. neque vos tamen noxiæ expertes eſtis, qui contra regem veſtrum inſurrexiſtis, & ſacramentum fefelliſtis, quod ſemel iuraſtis. Vlciſcatur vos Deus, quemadmodum vltus eſt eum, qui prodidit Chriſtum dominum ſuum. Illi verò his ſpretis ad filium cum inſignibus perrexerunt, eumq. condecorarunt. Ita Hen-

ricus ab vniuerſis principibus rex iterum declaratus, atque ab apoſtolicis legatis per manuum impoſitionem confirmatus ſolemnia à principibus, & epiſcopis ſacramenta recepit, ac regnum ingenti cum omnium gratulatione iniuit. Hoc facto ex communi omnium, qui conuenerant, ſententia conſtitutum eſt, vt de concordia, & compoſitione ageretur, quibus regnum aliquando, atque Eccleſia formaretur. Itaque nondum dimiſſo conuentu, relatione facta de eccleſiis ab Henrico ſene cõceſſis, & malè ab epiſcopis ſuis adminiſtratis decretum eſt, vt de ea re Pontifex per legatos conſuleretur. lectiq. ſtatim, qui Romam mitterentur, à Lotharingia Bruno Treuerenſis, à Saxonia Henricus Magdeburgenſis, à Franconia Otho Babembergenſis, à Baioaria Eberardus Eiſtatenſis, ab Alemania Gebehardus Conſtantienſis, à Burgundia N. Curienſis, mandatumq. vt à Pontifice peterent, vt, quod ipſius commodo fieret, cis Alpes ad ſtatum ordinandum Eccleſiæ primo quoque tempore venire maturaret. deinde Henriciana, aut Clementina hæreſis conſenſu omnium ordinum condemnata, ſtatutumq. vt hæretici epiſcopi viuentes de ſede deturbarentur, mortui è ſepulcris extraherentur. & qui ab iis inſtituti fuerant, vſque ad generalem conuentum à munere amouerentur. Quo decreto Clementis cadauer, qui fuerat huius hæreſeos auctor, Rauennati ſepultura euulſum à vulgo fœdè eſt laceratum. His actis Henricus ſenex Leodium ſe recepit, ibiq. ſiue priuato ignominiæ acceptæ dolore compulſus, ſiue à ſeditioſis hominibus inſtigatus, confluentibus ad eum amicis, operamq. ſuam ad recuperandam dignitatem pollicentibus, exercitum haud contemnendum contraxit. Quod vbi filius accepit, continuò eò copias & ipſe ſuas adduxit, neque pater prœlium detrectauit. eo pulſus, fugatuſq. filius eſt. redintegratis inde copiis, cum iterum in aciem deſcendiſſent, pater victus, pulſus, ac comprehenſus à filio graues inſuper ab inimicis ſuis contumelias paſſus eſt. Quibus rebus actum de dignitate ſua eſſe exiſtimans, (eò neceſsitatis, ac miſeriæ venit) ab epiſcopo Spirenſi victum ſibi dari apud Spiram in æde Dei genitricis à ſe conſtructa petiuit, cum diceret, ſe haud inutilem clericum fore, quòd & litteras calleret, & choro inſeruire egregiè poſſet. neque id impetrauit. Itaque ad aſtantes conuerſus ſuſpirans dixit: *Miſeremini mei vos ſaltem amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Atque aliquot poſt diebus VII Idus Auguſti ingenti dolore confectus eſt mortuus. manſitq. corpus eius inſepultum in cella quadam ædis deſerta, Pontifice id ſepeliri vetante, per annos quinque.

annos Dei Eccleſiam laceraſti, quia epiſcopatus, abbatias, omneſq. dignitates eccleſiaſticas venales habuiſti, quia nihil legitimi in legendis epiſcopis obſeruaſti: ob has res Pontifici, principibuſq. Germaniæ placuit, te non piorum communione ſolùm, ſed regni poſſeſsione etiam deturbare. Tum rex, Quoniam me Eccleſiæ dignitates vendidiſſe arguitis, inquit, quæro de vobis Moguntine, & Colonienſis, quam à vobis mercedem exegi, cum vos veſtris eccleſiis præpoſui, quas omnium ampliſsimas eſſe, ac fructuoſiſsimas conſtat? Negantibus illis, eum aliquid exegiſſe, Cur igitur, inquit, ſi officium erga vos retinui, aut me huius criminis incuſatis, aut vos duces, ſocios ve eorum præbetis, qui fidem, ac iusiurandum regi datum fefellerunt? Suſtinete parumper, & naturalem ætatis meæ iam exactæ terminum, qui longe abeſſe non poteſt, expectate. aut ſi me regno ſpoliare conſtituiſtis, præſtituite mihi diem, in quo manibus meis inſignia mihi detraham, eaq; filio meo vltrò imponam. Repugnantibus illis, & ſe negocium, de quo miſsi fuerant, acriter, ſi reſiſteret, confecturos minantibus, Henricus paullulùm ab eis ſeceſsit, & cum paucis, qui aderant, amicis conſilium contulit. atque ex eorum ſententia, quòd ſe ab armatis circunuentum ſecus facere non poſſe cerneret, afferri ad ſe inſignia, ac veſtem regiam iuſsit. atque ijs ornatus in ſellam aſcendit, atque ita verba fecit: *Hæc regię maieſtatis inſignia æterni regis pietas, & principum regni conçors voluntas mihi tribuit, quæ vi nulla tueri paratus ſum; nam inteſtinum malum vt ſuſpectum nunquam habui, ſic neque etiam caui. Quis enim tantum aut in amicis furoris, aut in filiis impietatis hærere poſſe exiſtimaret? verum vnius Dei ope, & veſtro pudore defendam. Quod ſi vos neque Dei, neque honoris veſtri rationem habebitis, vim patiar, qui propulſare non poſſum.* Hæſitantibus autem ſuper his verbis ceteris, tum Moguntinus, Quid dubitamus, inquit, ò ſocij, non ne officij noſtri eſt regem conſecrare, & conſecratum induere? cur igitur quem immeritò induimus, non meritò exuamus? ſtatimq. impetu facto Henricum adorti coronam ei de capite detraxerunt, ac de ſede remotum purpura, ceteriſq; inſignibus ſpoliarunt. Tum rex nouitate rei propè attonitus, Videat Deus, inquit, quàm iniquè aduerſus me agatis. ego quidem luo peccata adoleſcentiæ meæ, nempe ignominiam patiens nulli ante regum illatam. neque vos tamen noxiæ expertes eritis, qui contra regem veſtrum inſurrexiſtis, & ſacramentum fefelliſtis, quod ſemel iuraſtis. Vlciſcatur vos Deus, quemadmodum illus eſt eum, qui prodidit Chriſtum dominum ſuum. Illi verò his ſpretis ad filium cum inſignibus perrexerunt, eumq. condecorarunt. Ita Hen-

ricus ab vniuerſis principibus rex iterum declaratus, atque ab apoſtolicis legatis per manuum impoſitionem confirmatus ſolemnia à principibus, & epiſcopis ſacramenta recepit, ac regnum ingenti cum omnium gratulatione iniuit. Hoc facto ex communi omnium, qui conuenerant, ſententia conſtitutum eſt, vt de concordia, & compoſitione ageretur, quibus regnum aliquando, atque Eccleſia formaretur. Itaque nondum dimiſſo conuentu, relatione facta de eccleſiis ab Henrico ſene cōceſsis, & malè ab epiſcopis ſuis adminiſtratis decretum eſt, vt de ea re Pontifex per legatos conſuleretur. lectiq. ſtatim, qui Romam mitterentur, à Lotharingia Bruno Treuerenſis, à Saxonia Henricus Magdeburgenſis, à Franconia Otho Babembergenſis, à Baioaria Eberardus Eiſtatenſis, ab Alemania Gebehardus Conſtantienſis, à Burgundia N. Curienſis, mandatumq. vt à Pontifice peterent, vt, quod ipſius commodo fieret, cis Alpes ad ſtatum ordinandum Eccleſiæ primo quoque tempore venire maturaret. deinde Henriciana, aut Clementina hæreſis conſenſu omnium ordinum condemnata, ſtatutumq. vt hæretici epiſcopi viuentes de ſede deturbarentur, mortui è ſepulcris extraherentur, & qui ab iis inſtituti fuerant, vſque ad generalem conuentum à munere amouerentur. Quo decreto Clementis cadauer, qui fuerat huius hæreſeos auctor, Rauennati ſepultura euulſum à vulgo fœdè eſt laceratum. His actis Henricus ſenex Leodium ſe recepit, ibiq. ſiue priuato ignominiæ acceptæ dolore compulſus, ſiue à ſeditioſis hominibus inſtigatus, confluentibus ad eum amicis, operamq. ſuam ad recuperandam dignitatem pollicentibus, exercitum haud contemnendum contraxit. Quod vbi filius accepit, continuò eò copias & ipſe ſuas adduxit, neque pater prœlium detrectauit. eo pulſus, fugatuſq. filius eſt. redintegratis inde copiis, cum iterum in aciem deſcendiſſent, pater victus, pulſus, ac comprehenſus à filio graues inſuper ab inimicis ſuis contumelias paſſus eſt. Quibus rebus auctum de dignitate ſua eſſe exiſtimans, (eò neceſsitatis, ac miſeriæ venit) ab epiſcopo Spirenſi victum ſibi dari apud Spiram in æde Dei genitricis à ſe conſtructa petiuit, cum diceret, ſe haud inutilem clericum fore, quòd & litteras calleret, & choro inſeruire egregiè poſſet. neque id impetrauit. Itaque ad aſtantes conuerſus ſuſpirans dixit: *Miseremini mei vos ſaltem amici mei, quia manus Domini tetigit me*. Atque aliquot poſt diebus VII Idus Auguſti ingenti dolore confectus eſt mortuus. manſitq. corpus eius inſepultum in cella quadam ædis deſerta, Pontifice id ſepeliri vetante, per annos quinque.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE REGNO ITALIAE

Liber Decimus.

HENRICVS QVARTVS REX, ET IMPERATOR.

IMPERIVM inde Henrici filij nouum quaſi ſtabiliendæ libertatis, ac dominationis initium ab Italicis ipſis eſt habitum. Nam hoc imperante Mediolanenſes, atque adeo etiam eorum exemplo alij libertate luxuriantes, ac regis arma deſpicientes, controuerſias, quæ regis ante componi ſententia conſueuerant, armis diſceptare inſtituerunt, atque ad hanc rationem ſuam ſinguli rempublicam contulerunt. Quæ qualis fuerit, quò illuſtriora ſint, quæ dicentur, hoc loco placet exponere. Nam cum eam in vna Bononiæ ciuitate, diligentius peruolutatis eius legibus, obſeruaſſem, poſt eandem in omnibus, paucis aut additis, aut demptis, vulgo vſurpatam eſſe, reliquarum etiam notandis inſtitutis, inueni. Summa igitur Reip. quæ Commune dicta eſt, penes tria, vt ſupra ſcripſimus, Conſilia fuit, Speciale, Generale, & Credentiæ, itemq. penes magiſtratus, qui & Conſiliis præfuerunt, & iudicia exercuerunt. quorum omnium quotannis lectio celebrata eſt in hunc modum. Circa Idus Decembris Conſilium Speciale cum Generali vocabatur ſiue à conſulibus, ſiue à prætore, prout alter eorum in republica verſabatur. atque iis præſentibus ſinguli è Conſilio, ſeruato tribuum ordine, ad ſortem lectionis prodibant. Erant autem duæ ante tribunal ſitellæ poſitæ, quarum in vnam tot tabellæ membranaceæ, ab iis Breuia nominatæ, deiiciebantur, quot ex ea tribu, quæ vocabatur, in Conſilio aderant, eorum ipſorum, qui aderant, nomine inſcriptæ, in altera totidem aliæ, verùm decem tantùm manu quattuor virorum è Conſilio delectorum ſignatæ. Cum autem eſſet hominum primæ tribus ineunda ſortitio, tabella pueri manu ad id de induſtria parati ex priore ſitella trahebatur, atque, vt cuiuſq. nomen exibat, ita ad tribunal prodibat. inde ex poſteriore ſitella altera, quæ, ſi inanis fuiſſet, ille iure lectionis excludebatur, ſi notam habuiſſet, ius lectionis adeptus erat. atque hoc fie-

bat, quouſq. decem tabellæ ſcriptæ eductæ eſſent, quibus denis ex ea tribu viris ius legendi Conſilij patiebatur. Quo facto ſors ciuium ſecundæ tribus deiiciebatur, atque ita decem alii educebantur. eodemq. pacto in ceteris, quouſq. quadragenorum numerus eſſet effectus. Quibus rebus adminiſtratis ſtatim ſecretum in locum hi quadraginta ſecedebant, ac ſexcentos legebant, quippe ſingulæ tribus ex ſuo corpore centenos quinquagenos, genere quodam hominum excluſo viliori bus in artificiis, atque operibus occupato; & ex ceteris qui minor eſſet annis decem, & octo, ita tamen vt nemo inuitus de Conſilio eſſet. Atque hoc Speciale Conſilium dicebatur. Qua re confecta eadem ratione poſt triduum Credentia legebatur, eo excepto, quòd iuriſperiti omnes ſine lectione illud inire Conſilium, ac de ſexcentis eſſe poterant. Ac triduo interiecto eodem ordine totidem legebantur, qui Generales dicebantur. Qui verò ſortem vnius Conſilii legendi nacti erant, ii ad alterius ſortem nō admittebantur. Vocabantur autem hæc Conſilia modò ſeparatim, vt Speciale, aut Generale, aut Credentia tantùm, modò aliqua inter ſe ratione iuncta. vocabanturq. campanæ ſono, & voce præconum: campanæ autem ei officio tres erant dicatæ, minor, maior, & media, Speciali aduocando minor, Generali maior, Credentiæ media. Cautum porro erat, ne Conſules, aut prætor Conſilium indicerent, niſi rem, de qua relaturi ad Conſilium eſſent, per ſcribam in codicem rettuliſſent, & ne quem ex vno Conſilio venire in alterum alterius loco permitterent. Vbi verò coactum Conſilium erat, tum rem, quam ſcripſerant, ex ſcripto per ſcribam referebant. Relatione facta dabatur oratoribus ſuper ea re verba faciendi poteſtas, qui quattuor erant, & ad tribunal magiſtratus ſtabant, præterea magiſtratibus, (nam & ipſi Conſilia inibant) ea tamen lege, vt non niſi de re ad magiſtratum ſuum pertinente loquerentur, atque ex eorum ſententiis rogationes ſcribebant, quas Partes vocabant. Aliquando etiam priuati homines ad Conſilium agere, ſi res poſceret videbatur, permiſſi. qui verò acturi erant, ſuggeſtum ad id paratum aſcendebant, vt ab omnibus audirentur. Re in vtranque partem diligenter excuſſa, Rogatio ad Conſilium ferebatur, vt de ea ſuffragium ferret. Suffragia verò diuerſo modo ſunt lata. interdum enim ſententiæ ſingulorum ſecretò exquirebantur, & à ſcribis excipiebantur, aliquando apertè viua omnium voce dicebantur. ſæpe fabis albis, atriſq. res permiſſa, nonnunquam diſceſſione, interdum conſurrectione confecta. Diſceſſionem voco, cum in duas partes diuerſas abire iubebantur, ac per miniſtrum publicum numerabantur; conſurrectionem, cum

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE REGNO ITALIAE

Liber Decimus.

HENRICVS QVARTVS REX, ET IMPERATOR.

IMPERIVM inde Henrici filij nouum quaſi ſtabiliendæ libertatis, ac dominationis initium ab Italicis ipſis eſt habitum. Nam hoc imperante Mediolanenſes, atque adeo etiam eorum exemplo alij libertate luxuriantes, ac regis arma deſpicientes, controuerſias, quæ regis ante componi ſententia conſueuerant, armis diſceptare inſtituerunt, atque ad hanc rationem ſuam ſinguli rempublicam contulerunt. Quæ qualis fuerit, quò illuſtriora ſint, quæ dicentur, hoc loco placet exponere. Nam cum eam in vna Bononiæ ciuitate, diligentius peruolutatis eius legibus, obſeruaſſem, poſt eandem in omnibus, paucis aut additis, aut demptis, vulgo vſurpatam eſſe, reliquarum etiam notandis inſtitutis, inueni. Summa igitur Reip. quæ Commune dicta eſt, penes tria, vt ſupra ſcripſimus, Conſilia fuit, Speciale, Generale, & Credentiæ, itemq. penes magiſtratus, qui & Conſiliis præfuerunt, & iudicia exercuerunt. quorum omnium quotannis lectio celebrata eſt in hunc modum. Circa Idus Decembris Conſilium Speciale cum Generali vocabatur ſiue à conſulibus, ſiue à prætore, prout alter eorum in republica verſabatur. atque iis præſentibus ſinguli è Conſilio, ſeruato tribuum ordine, ad ſortem lectionis prodibant. Erant autem duæ ante tribunal ſitellæ poſitæ, quarum in vnam tot tabellæ membranaceæ, ab iis Breuia nominatæ, deiiciebantur, quot ex ea tribu, quæ vocabatur, in Conſilio aderant, eorum ipſorum, qui aderant, nomine inſcriptæ, in altera totidem aliæ, verùm decem tantùm manu quattuor virorum è Conſilio delectorum ſignatæ. Cum autem eſſet hominum primæ tribus ineunda ſortitio, tabella pueri manu ad id de induſtria parati ex priore ſitella trahebatur, atque, vt cuiuſq. nomen exibat, ita ad tribunal prodibat. inde ex poſteriore ſitella altera, quæ, ſi inanis fuiſſet, ille iure lectionis excludebatur, ſi notam habuiſſet, ius lectionis adeptus erat. atque hoc fiebat,

nonienſi in Tabulario vidimus. Expeditionum militarium duo erant genera, vnum equeſtrium excurſionum, alterum iuſti exercitus. plurimumq. intererat, an quis ad excurſiones, an in exercitus ire iuberetur. Magiſtratibus ſingulis certa merces ex ærario per quæſtorem erogabatur, qui pecuniam omnem publicam expenſam, acceptamq. curabat. Pecunia publica vectigalibus, & tributis conſtabat. Vectigalia continebantur portoriis, teloneis, agris, pratis, molendinis, prædiis,& boum alendorum oneribus. Quæ ſi ſuſtinendis bellis non ſuffeciſſent, tributum ſingulis ciuibus ratione cenſus ex Conſilii decreto imperabatur. Præterea multa in vrbibus erant collegia, vt mercatorum, argentariorum, & artificum. Mercatores, & argentarii conſules creauere, artificum collegia ſingula magiſtros. Eorum verò compotes qui fuerunt, inter ſe conuenere, & de rebus aut ad mercaturam, aut ad artes ſingulas pertinentibus conſuluere. Iam verò caſtrorum, quæ vrbium in diœceſi fuere, hic ſtatus, atque hæc conditio fuit. Conſules & ipſa ſuos, & eandem propè cum vrbibus remp. permiſſu regio habuerunt. vrbes autem Chriſtiana conſuetudine oppida voco, quæ proprio epiſcopo erant ornatæ, caſtra, quæ ipſis erant vrbibus contributa. Ceterùm ab hoc tempore imminentibus prauis inter vrbes diſcordiis, fœdera inter vicinas ſunt in aliarum perniciem inſtituta, caſtra verò ipſis ſe vrbibus adiunxerunt. Quod ſi Caſtrenſes aliquot alij, quàm ei ſe vrbi, in cuius diœceſi eſſent, applicuiſſent, tum verò ea iuſta cauſſa eſt viſa, cur aut iis, qui à ſe defeciſſent, aut iis, ad quos defeciſſent, arma mouerent. Atque hæc quidem præcipua fuit primarum, quæ poſthac ſuſceptæ ſunt, origo, & cauſſa contentionum. quibus initis nunquam poſtea bella aut finium tuendorum, aut aquarum regendarum, aut ſociorum regendorum gratia defuerunt. Quin etiam Comites, aut marchiones multi vrbis in diœceſi caſtra beneficio regio poſsidentes ea vrbibus vltro donarunt, atque iiſdem ab earum conſulibus redonati earundem ſe beneficiarios effecerunt, aut certè alia ratione in earum ſe patrocinium contulerunt. Quibus ex rebus mirificè vrbium eſt ipſarum, quarum adhuc tenuiſſimæ opes fuerant, potentia cumulata. Nam quantum de regis auctoritate, quantum de caſtrorum iure detractum, tantum vrbibus eſt ipſis adiunctum. Quin etiam regum opibus imminutis epiſcoporum, quos illi ante hanc diſcordiam inſtituere ſoliti fuerant, ac priuilegiis propterea, & prædiis (regalia illi vocabant) ampliſsimis decorarant, in dies magis attenuatæ fortunæ ſunt, conſulumq;, ſiue prætorum ius in vrbibus ipſis adauctum, quarum rerum præcipua Henrici

regis cum Pontifice inſtituta, & poſt ab Henrico filio per multos annos continuata diſcordia materiam præbuit. De qua quàm planiſſimè poterimus, hoc libro ſcribere perſequemur, ac ſimul hiſtoriam diſſenſionum Italicarum mandare litteris ordiemur. Quamobrem ad propoſitum redeamus.

Paschalis pontifex, poſteaquam Henricum ſenem abdicaſſe, filium verò iniſſe incredibili principum conſenſione cognouit, erectior ad conſtituendam aliquando Eccleſiam factus vrbe, vt Auguſtam in Germaniam iret, quò à nouo rege, & à principibus accerſebatur, exceſſit: Lombardiam verſus iter ingreſſus Bononiã adiit, atque ibi à Mathilde obuiam honoris cauſſa progreſſa exceptus Parmenſibus Bernardum Cardinalem epiſcopum in demortui epiſcopi locum ad veterem ſarciendam iniuriam poſtulantibus dedit. Mutinam inde profectus item apud Mutinenſes inſignem ſacroſancta præſentia ſua multò quoque fecit inſigniorem. Mutinenſes corpus ſancti Geminiani epiſcopi, quem ipſi religione præcipua venerantur, è vetere baſilica in nouam inchoatam tranſtulerunt, eamq. rem vicinorum omnium epiſcoporum accitu, ac magno circunſtantium populorum concurſu vnà cum epiſcopo ſuo Dodone pridie Kal. Maias concelebrarunt. ſuborta inde inter epiſcopos, & ciues de conſecrando altari eius controuerſia, placuit ex ſententia Mathildis rem in aduentum Paſchalis differri. Itaque ille, vbi acceſſit, dedicata ſancto Geminiano VIII Idus Octobris, ara omnes, qui tanto ſpectaculo interfuerunt, larga peccatorum remiſſione donauit. Mathildis, ne benignitate ceſſiſſe Pontifici videretur, ipſam variis donorum generibus cumulauit. Inde Vardaſtallum ad Padum eſt ventum: ibique conuentus, qui erat indictus, X I Kal. Nouembris eſt habitus. In eo conuentu Paſchalis, præſentibus quoque Henrici regis legatis, Gregorij, Vrbaniq. acta de eccleſiarum collatione probauit. multos eccleſiis ab Henrico ſene collatis nudauit, alios ornauit, nonnullos etiam confirmauit, multiſq. multas eccleſias priuilegiis inſigniuit. Quin & inſolentia archiepiſcoporum Rauennatum offenſus, qui per centum fermè annos Eccleſiæ Romanæ, ſed maximè Giberto proximè Eccleſiam adminiſtrante, fuerant aduerſati, vt arrogantiam eorum comprimeret, auctoritatemq. minueret, Bononienſem, Mutinenſem, Regienſem, Parmenſem, & Placentinum epiſcopos illorum obedientia exemit, ac demum decretum tale de clericis ſchiſmaticis in fidem recipiendis ſcripſit:

Per multos annos regnum Teutonicum ab apoſtolicæ ſedis corpore fuit auulſum. Quo tempore ita adeo prolapſa eſt, vt pauci ſacerdotes, aut clerici in tantis terra-

rum ſpatijs Catholici inueniantur. Patrum itaque noſtrorum exemplis, & ſcriptis inſtructi, qui Nouatianos, Donatiſtas, & alios hæreticos in ſuos ordines ſuſceperunt, ſupra commemorati regni epiſcopos in ſchiſmate inſtitutos, niſi aut vis, aut ambitus, aut alius criminis conuictos ad officium epiſcopale recipimus. idemq. de clericis cuiuſcunque ordinis conſtituimus, quos vita, ſcientiaq. commendat. Hoc conuentu perfecto, deinde Parmam cum Mathilde proceſsit, ac baſilicam ab ipſa refectam D. Mariæ nomini conſecrauit. Veronam inde, vt Auguſtam contenderet, venit. ibi de Henrici animo à remittendis, vt ſperabat, eccleſiarum inſtitutionibus abhorrente certior factus mutato conſilio in Franciam iter flexit, ac conuentu Trecas indicto Alpes hieme aſperrima ſuperauit. Eodem anno Mediolani cum nobilis quidam, neglecta lege, nuptiarum cauſſa ignem, ſpirante vento, in ædibus accendiſſet, ac propterea nouo vrbem incendio afflixiſſet, ipſe cum tota progenie perpetuo exilio eſt mulctatus. Paſchalis inde, diebus Nataliciis in Burgundia apud Cluniacum actis, 1107
ingenti ab omnibus honore acceptus Trecas peruenit. Quod vbi Henricus audiuit, & ipſe relicta Auguſta Moguntiam, vt propius à conuentu abeſſet, acceſsit. Ad Aſcenſionis ſolemne conuentus actus. in eo cum alia multa eccleſiæ detrimenta ſarcita, tum eccleſiarum collatio rurſus ingenti conſenſu laicis eſt adempta. Henrico per legatos ius in eo ſuum imminui à maioribus ſuis iam inde vſque à Carolo Magno vſurpatum expoſtulanti ſpatium datum Romam adeundi, ac generali in concilio cauſſam ſuam probandi. Dum autem hæc trans Alpes aguntur, in Italia Derthonenſes bello cum Papienſibus contracto viribus ſe impares eſſe cernentes ad Mediolanenſium auxilium confugerunt. Qua re cognita Papienſes & ipſi Laudenſium, & Cremonenſium copias acciuerunt. Ita inter has ciuitates ea fœdera ſocietatis, amicitiæq. ſunt iuncta, quæ poſt difficillimis ſingularum temporibus pia, ſynceraq. fide culta Italiam vniuerſam ingenti admiratione replerunt. Ceterùm Papienſes ira feruidi accitis ſociorum auxiliis traiecere Padum, fuſoq. Derthonenſium exercitu, qui ſe ingredientibus fines obiecerant, omne Derthonam bellum compulerunt. ac prœliis aliquot cum Mediolanenſibus proſperè factis, ſuburbiiſq. ipſis per Auguſtum menſem incenſis, domum receſſerunt. Paſchalis autem in Italiam regreſſus, ac turbatas Romæ res nactus Stephani Corſi ciuis Romani conatibus, qui Ponticellum, & Montem altum ex ditione Romana oppida occuparat, per autumnum occurrit. Qua re, cum diutius ſpe traheretur, omiſſa, Beneuentum inde ad res Apuliæ componendas ſe contulit. Itaque ſequenti anno, eo adhuc in Apulia 1108

commorante, Anagnia, Præneſte, Tuſculum, Sabinuſq. tractus, auctoribus Ptolemæo Sublacenſi, cui eam diſcedens ipſe ditionem commiſerat, & Petro à Columna, defecit. Quo cognito Paſchalis, ſimul etiam, quòd reditum ſibi ad vrbem ab iis interclusum videbat, Ricardum Comitem Caietanum auxilio ſui acciuit. atque inſidiis eorum ſuperatis, Romam reuerſus, bello hoſtibus vtriſque illato, haud magno negocio bona ſancti Petri recuperauit, ac pacem populis reddidit. Papienſes, Derthonenſibus vindicatis, iram in ſocios eorum Mediolanenſes verterunt, atque inconſultè nullis accitis auxiliis, epiſcopo ſuo duce, in fines eorum cum populo, & militibus irruperunt. Verùm mox occurrentibus Mediolanenſibus breui, quàm vana ſine viribus eſſet audacia, didicerunt. nam collatis ſignis in fugam verſi plerique eorum vnà cum epiſcopo capti, atque in cuſtodias dati ſunt. inde certo die in forum omnes producti ſuccenſis ad veſtium oras palearum
1109 ignominiæ cauſſa manipulis incolumes domum dimiſsi. Poſtero anno Brixiani ſe cum Mediolanenſibus coniunxerunt. Ineundæ nouæ ſocietatis cauſſam attulere Cremonenſes. Hi lite de finibus Brixianis intenta, cum aliter ius ſuum obtinere non poſſent, Laudenſibus aſſumptis repentè Olio amne traiecto, in eorum agrum hoſtiliter incurrerunt, eoq. fœdè direpto, vrbem etiam obſidione cinxerunt, verùm maiore audacia, quàm fortuna. Nam paullò pòſt ab accurrentibus auxilio Mediolanenſibus pulſi plerique præ ſtudio ſalutis effuſè fugientes in Olio tranando ſubmerſi ſunt. Brixiani inde Laudenſibus irati vlciſcendæ iniuriæ cauſſa Laudem vnà cum Mediolanenſibus acceſſerunt, atque imparatam ciuitatem adorti VIII Idus Iunias leui momento in poteſtatem adduxerunt. Quod cum Cremonēſes cognouiſſent, (tanta Italicorum cœperat eſſe in defendendis ſociis fides, atque conſtantia,) continuò cum maioribus copiis aduolarunt, eamq. receptam ſociis reddiderunt. Tum Mediolanenſes agi famam ſuam, ſi impunitos Cremonenſes dimitterent, arbitrati, accitis Brixianorum, & Derthonenſium copiis, validioribus Cremonam opibus inuaſerunt, eamq. fuſis acie Cremonenſibus occuparunt, ac IIII Idus Auguſti fœdum ædificiis, ac pleriſque templis incendium intulerunt. Neque verò res cis Padum erant quietiores. Quippe Parmenſes incolis Burgi ſancti Domnini diœceſi ſuæ contributis, cum parere ſibi recuſaſſent, arma mouerunt, & vbi adducto ad oppidum exercitu non potuerunt ad deditionem metu perlicere, caſtrum ipſum etiam concremarunt. Eodem anno Biblium, & Tripolis vrbes maritimæ in Syria receptæ, à Chriſtianis. cui rei magno præcipuè auxilio Genuenſes

fuerunt,

fuerunt, qui claſſem triremium ſexaginta, ducibus Anſaldo, & Hugo-
ne Ebriæco, illo anno in Orientem miſerunt. Proximo, Henricus 1110
in die Epiphaniæ principibus Ratiſponam ad colloquium euocatis
oſtendit, ſe in Italiam traiicere velle, vt conſecrationem Imperialem
de more à Pontifice Romæ ſuſciperet, atque Italiæ ciuitates pace dan-
da, iureque antiquis legibus dicendo Germaniæ regno vetere inſtitu-
to coniungeret, ſeq. paratum ad omnia, in quibus opem ſuam ſedes
apoſtolica poſceret, Pontificis arbitrio peragenda, oſtenderet. &, cum
his vocibus omnium ad Italicæ expeditionis ſocietatem animos ere-
xiſſet, accepto ab iis, qui aderant, ſacramento, litteriſq. per prouin-
cias Germaniæ miſsis profectionem in Iulium menſem indicit. Inte- 111
rim pecunias, quàm maximas poteſt, comparat, ac prudentes homi-
nes, quos ſecum deducat, conquirit. ex quorum auctoritate æquè
moderari iura poſcentibus, ac controuerſias ad ſe, iniurias ve deferen-
tibus poſsit. neque enim contractarum per regnum patris ſui litium,
ac ſimultatum erat ignarus. His cognitis, Paſchalis in Campaniam
egreſſus Ducem, ac Principem, omneſq. Apuliæ Comites euocauit,
eoſq., vt pro ſe, ſi opus eſſet, contra Henricum maximo cum exerci-
tu in Italiam cogitantem arma caperent, incitauit. ac repetita vrbe
omnes Romanos proceres ſimili ſacramento obſtrinxit. Dux autem
Apuliç Gulielmus erat, qui Rogerio patri vita functo ſucceſſerat. Pa-
tauini lite Venetis de flumine Brentæ intenta, eos, Taruiſinis, Rauen-
natibuſq. iuuantibus, armis prouocarunt. verùm ab eis in flumine
IIII Nonas Octobris oppreſsi, quingentis captis, fugati ſunt. Hen-
ricus, vbi dies profectionis venit, exercitum triginta millium homi-
num in duas partes diuiſit. earum vnam ipſe per montem Iouis du-
xit, alteram per vallem Tridentinam immiſit, ac demum ſuperatis
Alpibus, Eporœdiam venit. à qua benignè acceptus proceſsit Noua-
riam, eaque, quia mandata ſua facere recuſabat, expugnata, atque
incenſa, reliquas officij ſui admonuit. Inde exercitu, qui per Triden-
tinam vallem tranſierat, ſibi adiuncto, Mediolanum acceſsit, atque
ibi per Chryſolaum archiepiſcopum regium inſigne ſuſcepit. Me-
diolano inde venit Cremonam. atque inde Brixianis infenſus, exer-
citu in eorum fines immiſſo, arcem ſancti Martini Gauardici expu-
gnauit. Veronam inde cum proceſsiſſet, à Patauinis de incommo-
do à Venetis accepto edoctus rem inter vtroſque compoſuit. Inde
nullo alio maleficio illato, Padum traiecit. & caſtris ad Placentiam
factis, ſolemnia munera, ac ſacramenta à Placentinis exegit. Poſt
viginti inde dies Parmam verſus digreſſus venit ad Tarum, Ibi ni-

miam Mathildis arma parantis potentiam veritus, ne quid ab ea
conatibus ſuis impedimenti acciperet, pacem poſtulauit, &, cum
ipſa ſe eius rei cauſſa Canuſio Bibianellum contuliſſet, certis condi-
tionibus ſanxit. Poſt Parmenſi agro digreſſus per montem Bardo-
nis, agrumq. Mutinenſem difficilè Apennini iugum ſæuiſsima hie-
me cum maximo exercitus detrimento traiecit. & poſt dierum quin-
quaginta ſpatium in montibus emetiendis conſumptum tandemre-
bus omnibus conflictatus Florentiam ſub dies Natalicios venit. Ibi
& milites ab itineris labore refecti, & populus Florentinus admiran-
do in ſolemni Natalicio celebrando apparatu edito eximiè delecta-
IIII tus. Inde Florentia contendit Arretium. idque ciuium arrogantia
offenſus muris, ac turribus euerſis afflixit. Eò verò cum veniſſet,
protinus legatos ad Pontificem miſit, per quos, ſi ad coronam ad-
mitteretur, ſe in ipſius auctoritate futurum, oſtendit. atque ita res in-
ter eos, & Petrum Leonis, ceteroſq. Pontificis nuncios in porticu ſan-
cti Petri his conditionibus conuenit: *Henricus die coronationis ſuæ om-
nia vſurpata Eccleſiæ iura Pontifici, aſtante clero, & populo Romano, remit-
tet, idq. interpoſito ſacramento firmabit, dimittet eccleſias liberas cum mu-
neribus, & poſſeßionibus ſuis, quas ad regnum non pertinere conſtabit; libera-
bit ſacramento populos, qui epiſcopis aduerſari compulſi ſint; patrimonia, poſ-
ſeßioneſq. beati Petri reſtituet ea libertate, qua à Carolo, Ludouico, Henrico,
alijſq. Imperatoribus conceſſa ſunt, ſeruabitq. ea beato Petro pro viribus. Ni-
hil aut faciet, aut dicet, quo Pontifex pontificatum amittat, aut noxam ali-
quam corporis, aut membrorum accipiat; aut capiatur dolo malo aut per ſe, aut
per alium, neque ipſe, neque amici eius, qui pro ipſo fidem obligabunt, vt Pe-
trus Leonis, & filij eius. Quòd ſi quis eis nocuerit, rex ipſe bona fide eis auxi-
lio erit. Pro his obſeruandis Pontifici prædes dabit, Fridericum ſororis ſuæ fi-
lium, Engilbertum, & Theobaldum marchiones, Hermanum, & Gothifre-
dum Comites, Fridericum Palatij Comitem, Berengarium Baioarium, Hen
ricum Carinthium, Bertulfum Bertulfi Ducis filium, qui ſacramento præſta-
bunt incolumitatem Pontifici vitæ, membrorum, libertatis, & dignitatis, &,
niſi rex iſta ſeruabit, ad Eccleſiæ Romanæ partes ſe transferent. Obſides rex
dabit proximo quinto die, eoſq. mittet ad Inſulam in poteſtatem Pontificis. &,
ſi obſides ab eo recipiet, reddet eos in die coronationis ſuæ ponte tranſmiſſo, &
ſi fortaſſe coronatus non fuerit, aut pontem non traiecerit, ſimiliter reddet
apud arcem ſancti Angeli. legatos, quos Pontifex ad ſe miſerit; dum ibunt,
& redibunt, tutos à ſe, ſuiſq. præſtabit, &, ſi qua eis noxa ſcienter allata
erit, bona fide reſarciet. Hæc vbi Henricus impleuerit, tum Pontifex epiſco-
pis aſtantibus, in die coronationis ſuæ mandabit, vt regalia Imperatoris dimit-*

tant queq. à temporibus Caroli, Ludouici, Henrici, aliorumq. prædeceſſorum ad regnum pertinebant, ſcripto ea, indicto anathemate, confirmabit, fore, vt nemo eorum aut præſentium, aut abſentium, aut ſucceſſores eorum iura regni attingant, neque inuadet ciuitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, telonea, aducationes Imperij, centurionum iura, cœteſq. cum iis, quæ ad eas pertinent. Neque Pontifex Imperatori, neque Romano Imperio ſuper his litem mouebit, & hæc priuilegio, propoſito anathemate, confirmabit. Henricum benignè, & cum honore excipiet, &, vt aſſolet, ſcienter, & ſine dolo malo corona Imperatoria decorabit, & ad retinendum Imperium auxilio erit. Hoc ſi Pontifex non expleuerit, Petrus Leonis, & amici eius ad partes tranſibunt Imperatoris. Obſides, niſi effugerint, altero poſt coronationem die reſtituet; ſi per Pontificem ſteterit, quo minus coronetur, ſimili modo reſtituet. Hæc ita vtrinque conſcripta legati regij vnà cum pontificiis ad Henricum regreſsi detulerunt, eaq. recitata Henricus iureiurando ſanciuit. deinde Albertus cancellarius, Hermanus, Fridericus, & Gothifredus Comites, Fridericus Saxo, Cono, Sicebothus, Henricus, & Bertulfus, prout conuenerat, ſolemni ſacramento ſe obſtrinxerunt, ſe, ſi Imperator his defeciſſet, cum omnibus ſuis ad partes Eccleſiæ tranſituros: atque his actis Henricus Romam verſus iter intendit, ac III Idus Februarias ad vrbem profectus de more in monte Malo conſedit. Ibi à Romanis rogatus, vt honorem, ac libertatem vrbis ſacramento ſancire vellet, Germanica lingua non quod illi petebant, ſed quod ipſius voluntas tulit, iurauit. Qua fraude agnita plerique ſe deceptos vociferantes in vrbem ſe retulerunt, deinde obſidibus datis, acceptiſq; ſupraſcripta omnia iterum ſacramento interpoſito confirmauit, nempe *ſe vitam Pontificis, membra, honorem, libertatem, regalia, patrimonia ſancti Petri, & nominatim Apuliam, Calabriam, Siciliam, Capuanumq. Principatum conſeruaturum. atque omne ius eccleſiarum, omneſq. earum res dimiſſurum.* poſtridie ingrediens à baiulis, cerecoſtatariis, ſtaurophoris, aquiliferis, leoniferis, draconariis, candianis, defenſoribus, ſtratoribus, turbaq. omnis ætatis ingenti, cum floribus, atque arborum ramis, & palmis à Pontifice honoris cauſſa obuiam miſſa, exceptus duobus ex more ſacramentis populo ſe obſtrinxit, vno iuxta ponticulum, altero ante portam Porticus. Inde ante portam à Iudæis, in porta à Græcis, poſt ab vniuerſo clero ex Pontificis præcepto acceptus, ex equo deſiluit, ac pedibus ad Vaticanæ baſilicæ gradus cum laudibus peruenit. Vbi verò ad ſuperiores gradus euaſit, in quibus Pontifex cum Cardinalibus, & tota cantorum ſchola ſedebat, ad eius pedes ſe venerabundus proiecit, deinde ſurgens in nomine Trinitatis in ore, fron-

te, oculis pacis ei oſculum obtulit, parteſq. ſtratoris de more impleuit. Inde à dextera Pontificem habens magno cum populi plauſu, & quibus aliis lætitia effuſa vulgo ſignificari ſolet, ad poſtes argenteos ædis proceſsit. Ibi à Chryſolao archiepiſcopo Mediolani Pontifici de more oblatus Imperatoriam ex ſcripto profeſsionem iniuit, atque cum Pontifex Imperatorem renunciauit, cum ſolemne in eius frontem precationis carmen Lauicanus epiſcopus perlegiſſet. Introductus inde in baſilicā, cum ad rotam porphyreticā progreſsi, duabus ſellis poſitis, vnam Pontifex, Henricus alteram inſediſſet, rogatus eſt à Pontifice, vt, quod promiſerat, eccleſiarum collationi renunciaret. nam ſe paratum eſſe, quæ ſpoponderit, adimplere. Ea voce perculſus Henricus ſurrexit, & cum regnorum ſuorum epiſcopis in partem ædis ſiniſtram deliberabundus receſsit. Affuerunt huic conſilio ex Longobardis Bernardus Parmenſis, Bonuſſenior Regienſis, & Aldo Placentinus epiſcopi. Inſtante autē Pontifice, quòd hora conſultando procederet, tranſalpini epiſcopi, qui ſuis ſe eccleſiis ſpoliatum iri timebant, Pontificem adierunt, & pactum illud iuſtè, legitiméq. ſeruari non poſſe dixerunt. Quibus Pontifex, *Nolito vos*, inquit, *hæc quærere. noſtis enim quæ Cæſaris ſunt, Cæſari reddenda eſſe, & neminem Domino militantem ſæcularibus ſe negocijs implicare debere: & ex ſententia beati Ambroſij, à ſacerdotali officio, qui talia agat, alienum eſſe.* Epiſcopis autem in propoſito permanentibus, tunc Henricus propior factus, vt aliqua Pontificem arte deluderet, Volo, inquit, vt lis, quæ inter te, & Stephanum Northmanum intercedit, ante terminetur. multa enim Henrici gratia Stephanus paſſus erat. Cui Pontifex, Immò verò, inquit, quoniam magna pars diei præteriit, & ſpatio ad ſacra peragenda longo eſt opus, prius, quod inſtat, agatur. Tum vnus è Germanis in medium progreſſus, Quid tam multis, inquit, verbis eſt opus? caue exiſtimes, Cæſarem noſtrum aliter Imperij coronam accepturum, atque Carolus, & Ludouicus ſumpſere. Quod cum Pontifex ſe dare non poſſe dixiſſet, tum Henricus ira incenſus, archiepiſcopi Moguntini, Saxoniſq. epiſcopi conſilio vſus, Pontificem armatorum turmis circundari iuſsit. Cum hoc loco res verſaretur, relatum eſt à Cardinalibus, præſtare videri, vt Henricus eo die coronaretur, & reliqua in inſequentes dies deliberatio differretur. Qua conditione à Germanis repudiata, Pontifex, & qui cum eo erant, ab armatis cuſtoditi ad altare S. Petri rei diuinæ faciendæ cauſſa pedes promouerunt. tanta verò multitudinis erat turba, vt magno cum labore eò peruenerint. & vix ad conficienda ſacramenta panis, aqua, & vinum afferri potuerit. Perfectis inde ſacris, vnà cum Car-

dinalibus ad Confeſsionem deſcendit. Ibi verò ad noctem vſque cuſtoditus à militibus, tandem ad hoſpitium extra templi atrium captiuus eſt deductus. Capta cum illo eſt clericorum, laicorumq; ingens multitudo. pueri item, ac iuuenes, virique, qui cum floribus, & palmis obuiam proceſſerant, aut ſpoliati, aut vincti, aut cæſi ſunt, nemine hoc factum ex Germanis epiſcopis præter Conradum Saliſburgenſem archiepiſcopum improbante. Is, cum Henricus quidam cognomento Caput, ſtricto gladio, ni vocem contineret, ſe confoſſurum minaretur, vltro iugulum obtulit, & ſe citius moriturum, quàm tantum flagitij probaturum, aſſeruit. Ioannes Tuſculanus, & Leo Oſtienſis epiſcopi, vbi captum Pontificem cognouerunt, plebeio habitu ſumpto, extemplò in vrbem ſe proripuerunt. Romani his rebus cognitis dolore elati, ac vicem Pontificis, & Cardinalium indignati repente Germanos, qui vel religionis, vel negocii cauſſa vrbem inierant, inuaſerunt, ac miſerè omnes interfecerunt. & poſtridie eodem animorum ardore impulſi Tiberim tranſierunt, atque in Henrici exercitum infeſti impreſsionem fecerunt, multorumq; ſtrage editâ reliquos propè de Porticu depulerunt, & Henricum auxilio accurrentem equo deiectum in faciem vulnerarunt, & Othonem Cõmitem Mediolanenſem, qui equum ei ſuum ad euadendum obtulerat, comprehenſum, atque in vrbem perductum fœdiſsime conciderunt. Tum Henricus, cum ſe in tanta rerum iniquitate verſari videret, ad ſuos conuerſus magna uoce exclamauit: Quid hoc rei eſt, milites? vos me videtis à Romanis circumueniri, nec me defenditis? Ad quam vocem Germani pariter, Romaniq; erecti prœlium inter ſe vehementius inſtaurarunt. Nec fuit alia pugna per hæc tempora Romanis aut pernicioſior, aut fœdior, multis eo die vtrinque millibus ad pontem Aelium aut ferro deletis, aut Tiberis undis ſubmerſis, aut uiuis in poteſtatem adductis. Germanis inde ſub ueſperum prœlio excedentibus, Romani ſpoliis, prædaq. onuſti & ipſi ſe in urbem referre cœperunt. verùm à Germanis iuſſu Henrici repente impetu conuerſo oppreſsi magnum damnum acceperunt, pluribus à ſuis præ turba, & impedimentis, quàm ab hoſtibus, interfectis. Inde cladis referendæ auidi & ipſi Germanos, qui prœlio, inediaq; ab hoſtibus fatigari ad arcem ſe rettulerant, ex improuiſo inuaſerunt, atque in fugam uerſos in caſtra ſe recipere coegerunt. Quibus rebus geſtis ſub noctem, Tuſculanus epiſcopus populum aduocauit, atque ita verba fecit: *Quanquam virtus veſtra, Quirites, eſt eiuſmodi, vt verbis accendi, aut acui animorum veſtrorũ ſtudium, atque alacritas non poſſe videatur, vos tamen*

admonere libet, vobis certamen cum Germanis eſſe pro vita, pro libertate, pro gloria, pro ſalute ſedis Apoſtolicæ, hæc omnia in veſtris ſita ſunt manibus. filij veſtri contra ius, & fas omne habentur in vinculis. Petri apoſtoli baſilica toto terrarum orbe auguſtiſsima armis, cadaueribus, ſanie, & cruore polluta eſt. Pontifex apoſtolicæ ſedis à barbaris hominibus conſtrictus tenetur. omnis ſacerdotalis ordo, vniuerſa Eccleſiaſtica dignitas carceri, tenebriſq; addicta eſt. Quocirca vos, quàm vehementiſsime poſſumus, obſecramus, vt periclitanti ſubueniatis Eccleſiæ. nam ſi aderunt, qui hoſtium impreſſionem ſuſtineant, illi ad fugam, quàm ad pugnam capeſſendam erunt paratiores. Quò autem ad tantum petendum decus alacrius incumbatis; apoſtolorum Petri, & Pauli miſericordia freti omnibus vos peccatis veſtris abſoluimus. Hac oratione Romani miro pugnandi ſtudio inflammati omnes ſacramento ſe aduerſus Henricum obſtrinxerunt. Quo cognito Henricus exterritus ſtatim eadem nocte profugit è Porticu non modò ſarcinis, ſed etiam ſociis in hoſpitiis multis relictis, ac portæ anguſtias veritus, murorum partem, quo celerius euaderet, deturbauit. Poſt biduum inde caſtra mouit, pontificem, quem, aduocatis militibus, ſacris nudauerat veſtibus, & clericos, laicoſq. captiuos funibus vinctos ſecum adducens, & intento ad Soracte montem itinere Tiberim, iuxta ſancti Andreæ cœnobium tranſiit. & in Sabinos ad Lucanum pontem proficiſcens vlteriora vrbis loca populabundus iniuit. Pontifex cum duobus epiſcopis Sabinenſi, ac Portuenſi, & Cardinalibus quattuor apud caſtrum Trebecum, ceteri Cardinales apud Corcodiſium cuſtodiæ traditi. Interea Tuſculanus epiſcopus amicorum animos ad opem Eccleſiæ duriſſimo maximè tempore ferendam accendit. verùm parum profecit, Nam milites trecenti à Principe Capuano auxilio Romanis miſsi Ferentinum, cum Ptolemæum, & omnes fermè illarum partium proceres Germanis fauere, Cæſaremq. exercitum Tiberim, traieciſſe audiſſent, neque vrbem ingredi poſſent, Capuam receſſerunt. Nortmani verò Rogerij Ducis, & Boemundi fratris eius morte non mediocrem rerum ſuarum in timorem adducti munitiſsima quæque loca inſederunt, ſeque ibi aduerſus Germanos pro viribus confirmarunt. Princeps autem legatis miſsis fidem etiam ab Henrico, ſecuritatemq. popoſcit. vnus populus Romanus tanta conſtantia fuit, vt neque agrorum direptionibus ſe terreri, neque promiſsis Henrici ſe capi permiſerit, vt aliquid paciſci cum Henrico ne Pontifice quidem, & Cardinalibus liberandis voluerit. Henricus interea varijs iactatus conſilijs quieſcere nuſquam poterat; vt qui patrati ſceleris conſcius nihil ſibi iam tutum apud populum Romanum exſtimaret. Itaque vt metum

eis

eis iniice ret, iureiurando affirmauit, ſe, niſi Pontifex ſibi obediret, & ipſum, & omnes, quos habebat in vinculis, aut occiſurum, aut truncatis artubus multaturum. Hoc vbi non proceſsit, tum verò ſe captiuos omnes liberaturum, ſi ſibi in poſterum cauere à Pontifice liceret, oſtendit, idq. per principes ſuos, ciueſq. Romanos à Pontifice inſtitit poſtulare. Tum verò epiſcopi quidam Germani Pontificem adeuntes ita locuti ſunt. *Vix æſtimari, ſumme Pontifex, poteſt, quantum ex re aduerſus te, ciuitatemq. tuam geſta moleſtiæ, doloriſq. ceperimus: Verùm, vt vides, hoc malum peccatis noſtris ita ferentibus improuiſum potiùs fuit, quàm cogitatum. Quamobrem oratum te precibus omnibus volumus, vt des te ad lenitatem, & regi noſtro placere, eiuſq. conſecrationem abſoluas, vt ipſe tibi, ac clero, ciuitatiq. tuæ placetur, atque Eccleſiam poſthac omni ſuo ſtudio complectatur.* Quibus Pontifex, *Quid eſt, quod à me requiritis*, inquit, *fratres? an verò vos hominem tam iniquum, tam fraudulentum, tam facinoroſum nobis conſecrandum cenſetis? ritè ſcilicet expiauit manus ſuas ad percipiendam conſecrationem, qui aras Dei perfudit cruore ſacerdotum, & domum ſanctificationis cruentauit ſanguine interfectorum. Ne fuerit Deus, vt ego hunc hominum conſecrem, qui ſe ipſum tantis flagitijs reddidit execrandum.* Subijcientibus inde illis, dignitati eius, & eorum, qui capti eſſent, incolumitati conducere, vt regis iracundiam mitigaret, fortiter æquè reſpondit; *Non metuo regem veſtrum; ſæuiat etiam in caput meum, ſi lubet. neque enim durius in me conſulere poteſt. Vos autem cauete exiſtimetis, qua ille felicitate in clero, & populo trucidando modò eſt vſus, eadem in tota vita ſua vſurum. neque enim videbit pacem, dum viuet, nec ſtirpem vllam regni heredem relinquet.* Quibus rebus perceptis vehementius Henricus excanduit, atque vt eum de propoſita ſententia dimoueret, captiuos omnes in conſpectum eius produci ad necem iuſsit. Quod cum factum eſſet, Pontifex tanto animi robore fuit, vt nihil permotus ſingulos ad mortem fortiter pro diuino tuendo iure oppetendam hortatus ſit, vitamq. eis æternam promiſerit. Verùm cum illi his auditis pauidi ad pedes ſe prouoluentes vltimi prorogationem ſupplicij obſecrarent, ad extremum doloris, ac lacrymarum plenus, dixit, ſe eo animo eſſe, vt ſi ſibi ſubeunda neceſsitas ſit, malit omnes acerbitates ferre, quàm de ſententia cedere. verùm quod ſua cauſſa non faceret, id aliena eſſe facturum, id eſt captiuorum ſeruandorum gratia propoſito deceſſurum, atque Henrico obſequuturum. Hæc vbi Henricus cognouit, ipſum, & ceteros ſe dimiſſurum, atque vrbem obſidione liberaturum, oſtendit, ſi ſacerdotiorum collationem permitteret, atque ſe, impoſita rite corona, Imperatorem inungeret.

Iuratum eſt à patre Pontificis in hæc verba in agro iuxta pontem Mammęum, qui Germanorum, Romanorumq. exercitum diuidebat: *Pontifex in poſterum propter violata eccleſiarum iura, & iniuriam ſibi, ſuiſq. illatam neque Imperatorem ipſum, neque bona eius aliqua ratione infeſtum habebit, neque anathemate feriet. Priuilegio ſcripto eum anathemate permittet, vt Henricus Imperator epiſcopos, & abbates liberis ſuffragijs lectos ſine ſimonia annulo, & virga inueſtiat, epiſcopuſq. ſic inueſtitus liberè conſecrationem ab archiepiſcopo, ad quem pertinuerit, ſumat. Qui verò à clero, et populo electus fuerit, verùm ab Imperatore non inueſtitus, à nemine conſecretur.* A parte verò Henrici ita: *Henricus Pontificem cum epiſcopis, & Cardinalibus, & omnes, qui cum eo, aut pro eo capti ſunt, & obſides ſecuros intra portas Tranſtiberinæ vrbis deducet, neque amplius aut capiet, aut capi permittet. iis, qui in fide ſedis apoſtolicæ ſunt, & populo Romano tam per ſe, quàm per ſuos fidem ſeruabit. Pontificem bona fide iuuabit, vt pontificatum tutò, & quietè poſſideat. patrimonia, & poſſeſſiones Eccleſiæ Romanæ reſtituet. & exemplo anteceſſorum ſuorum auxilio erit, vt cetera, quæ iure habere debet, recuperet, & poſſideat. Eidem Pontifici fideliter obediet ſaluo honore Imperij, & regni, ſicuti Catholici Imperatores Romanis pontificibus ſolent.* Hæc Henricus primùm, deinde Fridericus Colonienſis archiepiſcopus, Gebehardus Tridentinus, Burchardus Monaſterienſis, Bruno Spirenſis, Albertus Cancellarius, Fridericus, Hermanus, Albertus, Berengarius, Gothifredus, & Guarnerius Comites, ac Bonifacius marchio iurarunt. poſtridie autem huius diei in Campo, qui ſeptem fratrum dicitur, dum caſtra mouentur, priuilegium de inueſtituris dictatum eſt, tranſmiſſo iuxta pontem Sarium Tiberi, atque accito ex vrbe ſcrinario ſcriptum per nocturnas tenebras exaratum, atque à Paſchali, licèt inuito, ſubſcriptum. His actis poſtero die Idibus Aprilis Pontifex cum Henrico vrbem Leoninam intrauit, ac portis, ne quis ciuium interueniret, obſeratis in æde ſancti Petri ante Confeſsionem ipſum corona Imperatoria redimiuit, atque Auguſtum conſecrauit. eumq. rem diuinam faciens ad hoſtiæ confractionem veniſſet, parte ſumpta, reliquam aſtanti porrexit. atque ita dixit: *Sicuti pars hæc viuifici corporis diuiſa eſt, ita diuiſus ſit à regno Chriſti domini noſtri, qui pactum hoc violare tentauerit.* atque his rebus actis Imperator in caſtra, Pontifex in vrbem ſe recepit tanta frequentia populi occurrentis, & Deum collaudantis exceptus, vt ægrè ad hoſpitium potuerit peruenire. Hic tum finis pernicioſæ huius diſcordiæ fuit. Hac re elatus Henricus tota metu trepidante Italia receſsit in Lombardiam. Bononiam agmine pacato ingreſſus ad frenandos hominum impetus, & continendum in fi-

de populum, ciuibus præ circunſedentis exercitus pauore muſſantibus, arcem conſtruxit, eamq. præſidio confirmauit. Parmam inde XVIII Kal. Iunias prodiit. Inde, poſtquam per triduum Bibianelli cum Mathilde fuit, in Germaniam abiit. atque Auguſto menſe Spiræ epiſcopis, ac principibus aliquot euocatis, patri tum demum ſepulto magna cæremonia ex permiſsione Pontificis parentauit. Inde conuentu Moguntiæ habito, Adelbertum archiepiſcopum deſignatum per annulum, baculumq., vt ante, inſtituit. Interim Mediolanenſes arma, quæ, Cremonenſium audacia vindicata, Henrico in Italiam veniente, poſuerant, rurſus poſt eius profectionem ſumpſerunt, & Laudenſibus bellum intulerunt; ſiue quòd antiquarum ſimultatum in animis aliquot adhuc veſtigia reſiderent, ſiue quòd eos cum Cremonenſibus aduerſus ſe fœdus iniſſe, indignè tuliſſent, ſiue quòd Lombardiæ imperium affectantes ante proxima quæque ſibi loca ſubigenda eſſe putarent, quàm longinqua appeterent. Erat autem Laus, vt Papia inter amnes Ticinum, & Lambrum, ſic ipſa inter, Lambrum, & Abduam cum finibus eorum coniuncta. Paratis igitur occultè rebus omnibus ad obſidionem oppidi neceſſariis, menſe Maio ad vrbem ex improuiſo proceſſerunt. eamq. ita ab omni parte clauſerunt, vt neque à Cremonenſibus, neque à Papienſibus ſociis poſſent, aut militibus introducendis, aut commeatibus importandis iuuari. Ita factum, vt, cum rei frumentariæ, cui maturè non erat prouiſum, copiam non haberent, neque aliunde ſuppeteret, quo famem tolerarent, languentibus inedia membris, fractiſq. deſperatione animis Laudenſes Kal. Iuliis in poteſtatem peruenerint. Vrbe capta, aſperius in tecta, homineſq. conſultum eſt. primùm ædificia ferè omnia publica, priuataq. ita diruta ſunt, vt vrbs ceteroqui magna ad ſex tantum vicos redacta ſit. deinde leges, & tributa grauiſsima ſunt impoſita. nam & commercia inter ipſos, & coniugia, conſulibus Mediolanenſibus inconſultis, prohibuerunt. & nundinas, quæ in vico Placentino cum maxima ciuitatis vtilitate fieri ſolebant, inde ſuſtulerunt, aliòque traduxerunt, cautumq., vt præfectus vrbis in poſterum hæc ſeruanda curaret, qui ſecus feciſſet, rei capitalis reus eſſet, bonaq. amitteret. Eadem ratione Mathildis Mantuanos, qui ſoli ex populis ſuis non parebant, aggreſſa diutina in ditionem obſidione redegit. His actis, non defuere interim, qui Pontificem maledictis lacerarent, quòd coronam Henrico, & perniciosum priuilegium indulſiſſet. In primis autem Bruno epiſcopus Signinus, idemq. abbas Caſsinas adiuncto ſibi Guala epiſcopo Regienſi, & Cardinalibus nonnullis tale pri-

cilij die ita audientibus omnibus eſt locutus, *vt præter cetera à Romana Eccleſia approbata ſe probare, aut reſpuere diceret, quæcunque Gregorius ſeptimus, aut Vrbanus ſecundus, aut decreuiſſent, aut repudiaſſent*. quo pacto grauia eorum etiam aduerſus Henricum ſenem propter eccleſiarum collationem decreta ſe approbare ſignificauit. Quibus dictis ſurrexit Gerardus Engoliſmenſis epiſcopus legatus ex Aquitania, totiuſq. concilij conſenſu præſentibus omnibus ita ex ſcripto pronunciauit: *Priuilegium pro liberatione captiuorum Eccleſiæ à Paſchali pontifice vi per Henricum regem extortum omnes in hoc ſancto concilio congregati legitima cenſura, & auctoritate eccleſiaſtica, iudicio ſancti Spiritus condemnamus, & irritum eſſe iudicamus eo nomine, quòd in eo ſcriptum eſt, iure lectum à nemine conſecrandum, niſi prius à rege inſtituatur, quod eſt contra Spiritum ſanctum, & iuſtam inſtitutionem*. Quibus recitatis omnes ita eſſe ſucclamauerunt. atque in ea centum fermè epiſcopi ſubſcripſerunt. Hæc autem vbi trans Alpes perlata ſunt, archiepiſcopus Viennenſis legatus Pontificis graue in Henricum anathema explicuit, & Moguntinus cum quibuſdam principibus apertam contra eundem coniurationem iniuit. In Italia verò tumultuantibus omnibus, præcipuè Bononienſes, quibus graue nimis Henrici, præſertim poſt impoſitam ceruicibus ſuis arcem, imperium videbatur, conſilium recuperandæ libertatis ceperunt, ac præſidio eius vrbe depulſo, vniuerſi populi concurſu arcem deturbarunt. Interim Alexius Imperator Orientis legatos Romam cum litteris miſit, quibus primùm iniuriam ab Henrico Pontifici, & Romanis illatam doluit, deinde gratias egit, & laudes præcipuas tribuit Romanis, quòd eximia virtute Henrici conatibus obſtitiſſent; ſeſe ſummoperè cupere, ſi illi probarent, coronam Imperij à Pontifice ſumere, aut filio Ioanni tradere. Cui Romani ſe ſe ad eius nutum paratiſsimos reſponderunt fore. ac menſe Maio ſexcentos è ſuis, qui illum deducerent, miſere Conſtantinopolim. Proximo anno Bernardus domo Burgun- 1113
dio, ſanctitate, & doctrina percelebris, qui poſt Sanctorum in numerum eſt relatus, monachus Ciſtertium init. Gerardus, homo Germanus Aquileienſem eccleſiam adipiſcitur. Vrbs Cremonæ oborto caſu incendio deformatur. Apud Rauennam, & Parmam ſanguine pluuit. Paſchalis, turbatis rurſus in Apulia rebus, conuentum Beneuenti peregit. & ſequenti alterum in Latio apud Ceperanum 1114
habuit, in quo Gulielmum Apuliæ, Calabriæq. Ducem ſanciuit. atque Anagniæ cum eſſet, pridie Nonas Nouembris Eremitas Camaldulenſes priuilegio inſigniuit. Mantuani, cùm iniquo animo

Mathildis imperium paterentur, falſo rumore de eius obitu diſsipato decepti arma ſumpſerunt, ac Riuoltellæ caſtrum ex ipſius ditione ceperunt. Quod vbi Mathildis accepit, continuò exercitum aduerſus eos immiſit, atque arma ponere, & imperium accipere compulit. Deditio in caſtro Bondeni facta eſt. quod ipſa in finibus Ferrarienſibus communiuerat. Paſchalis pontifex ſequenti anno per menſem Martium Albæ fuit. Mathildis in morbum lapſa per ſeptem menſium ſpatium eſt grauiſsimè conflictata. & cum VIII Idus Maii multis muneribus ædem ſancti Cæſarii in agro Mutinenſi donaſſet, demum IX Kal. Auguſti annos ſex, & ſeptuaginta nata mortem vitæ ſanctiſsimè actæ congruentem oppetiit. atque in monaſterio ſancti Benedicti ab auo ſuo inter Padum, & Larionem conſtructo ſepulturam accepit, mulier non ſolùm egregia pietate, ac religione omnium & ſui, & ſuperiorum ſeculorum mulierum præſtantiſsima, ſed etiam publicis operibus, arcibus, pontibus, viis, templis, monaſteriis in Lombardia extructis, belliſque aſsiduis pro tuenda Eccleſiæ auctoritate adminiſtratis ſingularibus laudibus in perpetuum celebranda. Hæc, gliſcente inter Gregorium, atque Henricum diſcordia, Lombardiæ, Tuſciæq. ditionem teſtamento ſancto Petro donarat. Itaque ea mortua non defuere, qui nunciis miſsis Henricum ad adeundam ditionis eius hereditatem in Italiam aduocarent. Ita Parma, & Mantua ad eum peruenit. Ferraria, quam Tedaldus auus à Ioanne XIII pontifice acceperat, Romanam ad Eccleſiam rediit. Multa præterea in Lombardia ad Padum caſtra, & poſſeſsiones fuere de quibus magnæ poſtea inter Imperatorem, & Pontificem contentiones extitere. eæq. modò huic, modò illi diuerſorum beneficio regum ceſſere. ſunt etiam, qui Hugonem Malaſpinam patruelem eius, nempe Conrado patris ſui fratre natum aliquam partem hereditatis attigiſſe dicant. Eius mortem vniuerſa Italia acerbiſsimè tulit. In agro Bononienſi pluuiſſe ſanguine nunciatum. Interim Paſchali conuentum alium in Apulia apud Troiam agente, ſeditio ingens Romæ cooritur. Mortuo vrbis præfecto, pleriqué filium eius, aduerſante Pontifice, declararunt, ac turres Petri Leonis, qui pontificias partes fouebat, diruerunt. qua de re Petrus ad loca munita ſe receperat, ibiq. ſe ſubſidiis Pontificis ſuſtinebat. Quibus rebus erectus Henricus xenia Imperialia præfecto vrbis, Romaniſq. miſit, &, cum breui ſe affuturum eorum auxilio indicaſſet, exeunte anno rurſus in Italiam cum regina, ac tota familia ſua traiecit, ac Mantuam progreſſus legatos ad Pontificem

de componendis regni, & pontificatus diſcordiis miſit, cauſſaſq. cognoſcere populorum inſtituit. V Kal. Ianuarias Fori Popilij fuit. 1116
Menſe Martio Venetias profectus honorificè ab illa ciuitate eſt habitus. vrbis ſitu, ædiumq. decore, quæ diligenter inuiſit, mirificè delectatus, votis ſancto Marco ſolutis, & monaſteriis poſſeſsionibus regni auctis diſceſſit. Interim Paſchalis pridie Nonas Martias conuentum in Laterano habuit. quò diuerſarum prouinciarum epiſcopi, & principes confluxerunt. In eo concilio prima die de controuerſia relatum eſt, quæ inter Iordanem & Chryſolaum de Mediolanenſi eccleſia verſabatur, cum alteri obiiceretur, quòd alienam eccleſiam inuaſiſſet, alteri, quòd ſuam deſeruiſſet, eaque ad conſilium Cardinalium eſt à pontifice ipſo reiecta. Quarto die Lucenſis epiſcopus de Piſanis, qui in diœceſim ſuam inuaſiſſent, expoſtulauit. verùm, cum ea relatio, vt aliena, repudiata eſſet, Paſchalis admonitus, vt de republica ageret, id eſt, vt de Henrici priuilegio referret, qua de re euocati ex omnibus terris epiſcopi conueniſſent, ita verba fecit: *Poſtquam Dominus in manus me tradidit regis, videbam quotidie fieri rapinas, incendia, cædes, & adulteria, eaque ab Eccleſia Dei auertere cupiebiam. Itaque quæ Henrico tribui, pro liberando Dei populo tribui, fateorq. perperam me feciſſe, rogoq. vos omnes, vt precibus à Deo mihi veniam impetretis. Iniquum priuilegium, quod in caſtris Henrici ſcripſi, tanquam irritum perpetuo anathemate damno, hortorq. vos omnes, vt idem faciatis.* Sub quam vocem cum vniuerſi ſucclamaſſent, Vti rogas: tum Bruno Signinus epiſcopus, *Gratias*, inquit, *Deo agamus, quòd pontificem Paſchalem huic concilio præſidentem proprio tandem ore ſcriptum illud audiuimus condemnantem, quod prauitatem, & hæreſim continebat.* Qua re audita quidam ex aſtantibus epiſcopis ſubiecit. *Si ſcriptum illud hæreſim continebat, ergo qui ſcripſit illud, hæreticus fuit.* Tum Ioannes Caietanus commotus, *Tu ne in concilio*, inquit, *& nobis audientibus Romanum Pontificem appellare audes hæreticum? ſcriptum à Pontifice confectum malum quidem fuit, ſed hæreſis non fuit.* Tum alter, *immo verò ne malum quidem, quia eo populum Pontifex liberauit.* Tum Pontifex his vocibus excitatus, ſilentio manu indicto, ita locutus eſt: *Fratres, & domini mei audite. Eccleſia hæc nunquam inquinata hæreſi fuit, immo omnes labes hæc hæreſeos expurgauit, Eutychianam, Sabellianam, cateraſq. ſi quidem pro hac filius Dei, dum pateretur, orauit, cum dixit; Ego pro te oraui Petre, vt non deficiat fides tua.* atque ita altercationem ſuſtulit. Quinto die Pontifex aliis negociis impeditus concilio adeſſe non potuit. Sexto cauſ-

ſa eccleſiarum rurſus relata. Tum verò altercatione ex poſtulatione Cunonis Præneſtini epiſcopi orta, qui legatus ſedis Apoſtolicæ fuerat, atque hanc cauſſam damnauerat, eamq. deintegrò damnari oportere cenſebat, Pontifex ita dixit: *Vetus Eccleſia martyrum tempore floruit apud Deum, non apud homines. Ad fidem inde conuerſi Imperatores, reges, & principes matrem ſuam Eccleſiam, vt boni filij, honeſtauerunt, atque prædijs, honoribus, dignitatibus, regalibus quoque iuribus, & inſignibus, initio à Conſtantino ſumpto, affecerunt, & tunc Eccleſia florere cœpit tam apud homines, quàm apud Deum. Habeat ergo ſancta mater Eccleſia, quæ ſibi à regibus, atque principibus ſunt tributa, eaq diſpenſet, ac diuidat filijs ſuis, prout ipſius iudicium, atque arbitrium fert.* Inde priuilegium, quod in caſtris conceſſerat, renouato Gregorij VII decreto ita abrogauit, vt & qui daret, & qui acciperet, à communione piorum ſeiungeret. Tum Præneſtinus, *Domine pater*, inquit, *ſi verè tuus fui legatus, omnibus his audientibus legationem meam verbo tuo confirma.* Cui Pontifex, *Verè legatus ex latere noſtro fuiſti, & quicquid tu, ceteriq. fratres noſtri Cardinales, epiſcopi, legati Dei, & apoſtolorum Petri, & Pauli, huius ſedis & noſtra auctoritate fecerunt, confirmauerunt, probauerunt, ego quoque probo, & confirmo; quicquid damnauerunt, condemno.* Tum Præneſtinus, *Atqui*, inquit, *cum legatus Hieroſolymis agens audiſſem, regem Henricum poſt ſacramenta, obſides, & oſcula Pontificem in ipſo beati Petri templo cepiſſe, indigneq. tractaſſe, Cardinales exuiſſe, vexaſſe, nobiles Romanos partim occidiſſe, partim captiuos feciſſe, ſtragemq. populi ingentem edidiſſe; cum hæc, inquam, flagitia, ac ſcelera cognouiſſem, eccleſiæ Hieroſolymitanæ conſilio execrationem in regem Henricum intendi, eamq. poſt in Græcia, Vngaria, Saxoniæ, Lotharingiæ, Franciæ concilijs conſilio harum eccleſiarum confirmaui. Quamobrem oro vos, Patres ampliſſimi, vt quemadmodum legationem meam Dominus Pontifex confirmauit, ſic & vos conſentientibus ſententijs comprobetis.* Ita cum eadem archiepiſcopus Vienenſis legatis, litteriſq. miſsis poſtularet, in eam ſententiam à pluribus, ac melioribus ſine vlla dubitatione diſceſſum eſt. Poſtridie, qui fuit dies ſabbati, Mediolanenſi controuerſiæ modus eſt à Pontifice hac ratione impoſitus; quia translationes epiſcoporum duabus de cauſis fierent, neceſsitate, & vtilitate, Chryſolai verò translatio in detrimentum animarum recideret, ille priori eccleſiæ redderetur, Iordanes in Mediolanenſi ſtatueretur. His rebus haud ſecus, quàm res ferebat, motus Henricus ad Gubernolum in agro Mantuano ſedens Bononienſibus, cum legatos ad ſe miſiſſent, facilè veniam, pacemq. petentibus Idibus Maij in hæc verba conceſsit.

Ciuibus Bononienſibus omnes iniurias, in primiſq. recentem arcis euerſionem condonamus. ciues Bononienſes, ac poſteri eorum vnà cum fortunis ſuis fidei, tuteleq. noſtræ commendati in perpetuum ſunto. leges, mores, conſuetudineſq. ſuas inuiolabiles ſeruare liceto. liberam Padi totius nauigationem quoquo verſus habento, neque vectigal vllum ripatici nomine, & maximè Ferrariæ perſoluunto. In alueo Rheni inuito populo Bononienſi nemini mortalium operis quidquam moliri, quo deterius nauigetur, liceto. Foderi, aut paratæ nomine centenos tantùm denarios Veronenſes pendunto. Nullus Comes hoſpitij cauſſa, quod manſionaticum vocant, colonos Bononienſes vlla moleſtia afficito. Bononienſes, quandiu in caſtris noſtris erunt, iudicium nulla de re, niſi quid ibi commiſerint, patiuntor. III autem Kal. Iunij Fontanæ agens priuilegium eccleſiæ Viradæ tale indulſit; *Nos Henricus quartus Romanorum Imperator Auguſtus rogatu noſtræ dilectæ contubernalis Mathildis reginæ, & epiſcoporum Bernardi Parmenſis, Landulfi Haſtenſis, Victoris Bononienſis, Sigelfredi Vercellenſis, Epponis Nouarienſis, & pro remedio animæ noſtræ, parentumq. noſtrorum ædem ſancti Petri Viradæ ſitam in epiſcopatu Cremonenſi ſub noſtram tutelam, & mundiburdium ſuſcipimus cum omnibus bonis eius acquiſitis, & acquirendis, nec non allodijs, precarijs, & libellarijs, interdicentes, ne quis archiepiſcopus, epiſcopus, marchio, Comes, Vicecomes, gaſtaldio, ſculdaſio, abbas prædictam ædem, & fratres ibi Deo ſeruientes moleſtia vlla auſit afficere.* Tertio inde Nonas Ianuarias Italia inaudito ante multa ſæcula terræmotu concuſſa eſt. quippe eius impetu mœnia, templa, turreſq. vrbium paſsim cum ingenti mortalium ſtrage procubuerunt. fontes turbati, templorum lampades nullo impellente ventorum flatu per aerem latæ. præcipuè Parmæ noua baſilica, Veronæ ædificiorum pars maxima corruit. Hiatus item terræ in illis partibus ingentes apparuerunt, & arbores radicitus euulſæ ſunt. infans locutus triſtia, ac portentoſa quædam enunciauit. Quin etiam III Kal. Februarias tremenda tonitrua, ac fulgura, quæ nulla hominum meminerat ætas, creberrima immiſſa grandine mortalium auribus, oculiſq. obiecta rem in eam religionem adduxerunt, vt diræ aliquid calamitatis impendere homines ſuſpenſis mentibus pertimeſcerent. quodq. pauorem animis maiorem incutiebat, eadem prodigia, ac multò triſtiora ex Germania nunciabantur. Quibus rebus perturbatus Henricus, quamquam continendis in fide Italicis occupatus, litteras ad Pontificem veniæ deprecandæ cauſſa miſit. Cui Pontifex reſpondit, illum non à ſe, ſed à primoribus Eccleſiæ proceribus condemnatum non niſi ex eorum auctoritate, id eſt contracto vtrinque concilio poſſe abſolui. Paſchalis poſthæc Romanis defectionem molientibus iuui-

1117 (margin, beside "afficere. Tertio inde Nonas Ianuarias")

ius proceſsit in Apuliam, & conuentu Beneuenti acto, Gulielmum Apuliæ confirmauit Ducem. Inde ingruentibus inſalubribus æſtatis caloribus in Campaniam ventum. Ea re cognita Henricus concilij iudicio haudquaquam ſe committendum ratus, vim ſpectans ex Lombardia Romam verſus iter ſuſcepit, atque oppidis pontificiæ ditionis occupandis Romam progreſſus infrequenti occurſu ciuitatis Leoninam vrbem iniuit. Ibi cum reuocata à Paſchali ſacerdotiorum ſententia pariter ſe dignitate nudatum Imperatoria vereretur, iterum ſe Imperatorio diademate voluit redimiri, omnibuſq. id muneris ſuſcipere recuſantibus, quod ſolus adhuc Pontifex obire eſſet ſolitus, Mauricium Braccarenſem epiſcopum ex Campania euocauit, & ſe ab eo coronari iuſsit, ac ſtatim vrbe egreſſus in Marchiam Taruiſinam bello tumultuantem ſe retulit. Ceterùm Mauricius hic à ſacro lauacro Burdinus eſt nominatus. Qui patria Lemouicenſis cum eſſet, à Bernardo archiepiſcopo Toletano propter virtutis opinionem archidiaconus eccleſiæ Toletanæ, deinde epiſcopus Coimbrienſis, poſtremò archiepiſcopus Braccarenſis effectus eſt. ex quo tẽpore ſe pro Burdino Mauricium appellare inſtituit. Cum autem paullò ante ad Paſchalem pontificem profectus eccleſiæ Toletanæ, quam ingenti vi pecuniæ promittenda poſcebat, repulſam tuliſſet, facilè ab eo ad Henricum defecit, cuius rei nomine ab eo piorum communione depulſus eſt. Honoricus Curtius Mediolanenſis archiepiſcopus factus. Interim Paſchalis, oppidis quibuſdam in Campania ad mare receptis, grauiore impendente autumno, triſti tentari morbo cœpit. Quo affe-
1118 ctus Præneſte venit, atque ibi Natalicios cum Epiphania dies rebus diuinis ritè peragendis traduxit. Inde improuisò progreſſus Romam aduerſarios ſuos aduentu nec opinato ita perculit, vt ad pacem petendam, & baſilicam ſancti Petri reddendam adegerit. verùm poſt biduum magnitudine morbi oppreſſus XV Kal. Februarias obiit. VII inde Kal. Ioannes Caietanus ſummo Cardinalium, clericorumq. ceterorum conſenſu ſublectus Gelaſius ſecundus eſt appellatus. Hunc verò vbi deſignatum Cincius Frangipanes, vir in vrbe potens, audiuit, ira furens, quòd alium ſufficere cupiebat, in ædem, in qua comitia habebantur, cum hominibus armatis irrumpit, & Gelaſium correptum obtorto collo in terram deiicit, & pedibus conculcatum in vincula tradit. eademq. in Cardinales ipſos fugam meditantes agit. Hac re percepta commoti præfectus vrbis, & Petrus Leonis, aliiq. nobilitatis Romanæ principes maxima clientum ſtipati multitudine ad ędes Frangipanum accurrerunt, ac, ni Gelaſium liberarent, extrema omnia mi-

nitati ſunt. Quibus rebus territi Frangipanes illum petita venia dimiſerunt. Ita Gelaſius equo albo impoſitus magna, atque inſigni pompa in Lateranum deducitur. Paſchalis morte comperta Henricus ex Patauino agro ſubitò mouit, Romamq. continuatis die noctuq. itineribus properauit, adeo occultè, vt imprudente Gelaſio ad vrbem acceſſerit. Vbi verò id Gelaſius ſenſit, animo conſternatus per noctem ad amicos refugit. prima verò luce per Tiberim ad mare delatus, cum aduerſa tempeſtate conſcendere non liceret, terreſtri itinere, vno Hugone Cardinali comite, ætate, viribuſq. confectus Ardeam ſe recepit. inde ad mare deſcendens tertio die Tarracinam, quartoq. Caietam peruenit. ibi demum confluentibus epiſcopis, & principibus earum regionum Kal. Martij conſecratus eſt. Contrà Henricus vrbe potitus Gelaſium, quòd ſine auctoritate ſua ſe conſecrari paſſus eſſet, vitio factum criminatus Mauricium epiſcopum, à quo coronam paullò ante acceperat, per clericos quoſdam, populumq. aduerſus leges pontificem deſignauit, eumq. Gregorium VIII appellatum conſecrari iuſſit. Quo circa Gelaſius litteras continuò ad Bernardum archiepiſcopum Toletanum primatem, & reliquos Hiſpaniæ epiſcopos ſcripſit, in hanc ſententiam: *Neminem veſtrum latere putamus, quemadmodum frater noſter Mauricius Braccarenſis archiepiſcopus eccleſiam ſuam reliquerit, & ad regem piorum communione detectum tranſiuerit. Illud etiam vos ſcire arbitramur, eundem à præceſſore noſtro Paſchali in concilio communione priuatum eſſe. & Braccarenſi eccleſiæ ſignificatum, vt alium ſibi paſtorem deligeret. Nunc tandem per regis tyrannidem poſt longum electionis meæ ſpatium in cubile ſanctæ matris Eccleſiæ ſe ingeſſit. Quocirca vobis præcipimus, vt alium in Braccarenſi eccleſia ſubrogetis, & ipſum Mauricium abſentum, periurum, & matris Eccleſiæ conſtupratorem ceteris Eccleſiæ filijs nuncietis. Caietæ VIII Kal. Aprilis.* Caieta inde Capuam profectus, conuentu poſt Paſcha habito, omnium epiſcoporum, quos vndique contrahere potuit, grauiſſimo decreto Henricum, Gregoriumq. damnauit. His incenſus Henricus vrbe eueſtigiò ceſſit, atque oppida Latij pontificia armis inuaſit. Neque verò Gelaſius ſeſe in tanta rerum iniquitate deſeruit. immo confeſtim auxilia Gulielmi, Apuliæ Ducis, & Roberti, Capuæ principis, aliorumq. Apuliæ procerum aduocauit, atque aduerſus Henricum profectus ipſum militaris apparatus fama adeo exterruit, vt Gregorio Frangipanibus commendato vrbe repente diſceſſerit. Itaque tutiora ſibi poſthac futura omnia arbitratus ſociorum exercitum dimiſit, atque inermis Romam, ſed occultè, Frangipanum inimicorum adhuc potentiā veritus introiuit, atque ad amicos

diuertit. Sub id tempus Rauennates, cum ante archiepiſcopos ad regium nutum, qui Romanæ aduerſarentur Eccleſiæ, delegiſſent, Valterum canonicum regularem ſedi in primis apoſtolicæ deditum deſignauerant, atque, vt in gratiam Eccleſiæ reciperentur, orabant. Itaque ea re gauiſus Gelaſius Kalendis Septembris ad Valterum ita ſcripſit; *Rauennas eccleſia per multos iam ante annos à Romanæ corpore Eccleſiæ auulſa multa eidem incommoda, calamitateſq. attulit, et multis eccleſijs diſſidij materiam præbuit. Itaque ob eius nequitiam nonnullas ſubiectarum et eccleſiarum ſibi apoſtolica ſedes aſſumpſit, vt hac ratione ad humilitatis, atque vnanimitatis rationem adduceretur. Nunc verò cum eadem ad auctoritatem matris ſuæ Romanæ Eccleſiæ redierit, ac filijs eius, cum antea per tyrannidem regiam præſules regibus probatos acciperent, nunc patrum ſuorum errore agnito, ex canonicis inſtitutis epiſcopum Deo probatum elegerint, & diſſidio improbato, in Catholicæ congregationis ſinum reuerterint, ac te, reuerendiſſime frater Valtere, à diſciplina fratrum regularium aſſumptum religionis, ac ſapientiæ opinione in beati Apollinaris cathedra collocarint: ob eam rem nos pro iure noſtro perſonam tuam ad epiſcopale officium conſecrantes tibi, & per te Rauennatium Eccleſiæ dignitatem, quam ante huius diſſidij tempora per Romanam eccleſiam poſſederat, reſtituimus, ſaluo in omnibus iure, atque auctoritate ſedis Apoſtolicæ. Concedimus tibi, tuiſq. ſucceſſoribus in eiuſdem ſedis Apoſtolicæ obedientia permanentibus epiſcopatus Aemiliæ prouinciæ, ideſt Placentiæ, Parmæ, Regij, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Adriæ, Comacli, Imolæ, Fauentiæ, Forliuij, Fori Popilij, Bobij, Ceſenæ, Ficoclæ. confirmamus vobis Ducatum Rauennæ, monaſteria ſancti Adelberti, & ſancti Hilarij, & ceteras poſſeſſiones ab anteceſſoribus noſtris, & Catholicis regibus traditas, Pompoſiani quoque monaſterij curam, atque vſum Pallij damus; cuius indumenti honore humilitas, atque iuſtitia declaratur.* Gelaſio inde in æde vicina tacitè diuinis officiis incumbente, admoniti Frangipanes armata manu eò inuaſerunt, atque, ipſo fortè elapſo, terro tumultu omnia repleuerunt. Gelaſius mox à ſuis laſsitudine, curiſq. confectus in campis ſancti Pauli eſt inuentus. Ibi agitatis de ſumma rerum conſiliis, vna omnium ſententia fuit, vrbe, vbi tutus eſſe non poterat, excedendum, atque in Franciam auſpicato iampridem Romanis pontificibus itinere abeundum. Ita Gelaſius Romana vrbe, atque Eccleſia Petro Portuenſi epiſcopo commendata, paratis Genuenſium triremibus conſcenſis, Piſas, Piſiſq. Genuam proceſsit. ibi nouam vrbis baſilicam D. Laurentij multis cumulatam indulgentiis VI Idus Octobris conſecrauit. Inde in Burgundiam Rhodano aduerſo progreſſus in monaſterio Cluniacenſi ſubſedit. Eo anno grauiter frigore, fame, ac peſtilentia laboratum. ingenti

genti terræmotu per XL dies vniuerſæ prope Lombardiæ vrbes afflictæ. Eodem anno ordo militiæ Templi eſt inſtitutus. Eius, vt reliquorum omnium humilia principia fuere. Hugo quippe de Paganis & Gaufredus de ſancto Audomaro ſtudio pietatis accenſi patriarcham Hieroſolymorum adierunt, atque in eius manibus ſe more canonicorum regularium in caſtitate, & obedientia perpetuò ſe viuere velle profeſsi ſunt. Quibus rex Balduinus hoſpitium propè Templum Domini, atque vnà cum patriarcha quædam vectigalia ad victum attribuit, eo munere iniuncto, vt ſalutem peregrinorum ad Sepulchrum Domini adeuntium aduerſus latronum inſidias conſeruarent. Alexio Imperatore mortuo, Ioannes filius locum tenuit. Nouo inde ineunte anno, Gelaſius concilium ad ordinandum Eccleſiæ ſtatum Viennæ habuit. & poſt paucos dies IIII Kal. Februarias Cluniaci ſæuo lateris dolore conſumptus eſt. Eo mortuo, Cardinales, qui ibi aderant, comitia habuerunt, atque adiunctis clericis, laicisq. Romanis Vidonem archiepiſcopum Viennenſem expertæ in concilio virtutis, ac ſapientiæ hominem Pontificem Kal. Februariis delegerunt, & Calliſtum ſecundum vocarunt. Ille verò veritus, ne lectio ſua à Romanis antiquaretur, reſtitit; nec ſe chlamide coccinea ornari, niſi litteris, nunciisq. Roma ſuper hac re acceptis, voluit. Tum verò, cum ſe à Petro epiſcopo Portuenſi Pontificis vicario, à præfecto vrbis, à Petro Leonis, à conſulibus, Cardinalibus, clero, & populo vniuerſo accipi ſenſit, tanto conſenſu victus pridie Idus Octobris à Lamberto, Oſtienſi epiſcopo, ſe conſecrari permiſit. Interim Cuno Preneſtinus epiſcopus Gelaſij legatus conuentum epiſcoporum Germanicorum Coloniæ, & Friteslariæ habuit, atque vtroque in loco Henricum cœtu piorum eiectum declarauit. Quo facto permoti Germaniæ principes conuentum Virciburgum indixerunt, atque eò Henricum ad dicendam cauſſam vocarunt, haud obſcurè denunciantes, ſe, niſi veniſſet, abſentem regno ſpoliaturos. Quibus rebus excitatus Henricus, copiis in Italia cum vxore relictis, in Germaniam redire maturauit, ac procerum, ſacerdotumq. ſuorum concordi voluntate commotus conuentum apud Triburias haberi permiſit, ſeque de omnibus, quæ ſibi obiicerentur, rationem ibi redditurum, oſtendit. conuentu inde habito, omnes in poſſeſsiones ſuas redegit, ac legatis Pontificis conuentum alium Rhemos indicentibus ipſe quoque, vt reconciliaretur Eccleſiæ, eò ſe occurſurum ſpopondit. Ei conuentui XIII Kal. Nouembris Pontifex ipſe præſedit. atque inter cetera Henrico, vt ſacerdotiorum collationi renunciaret, præcepit. Quo au-

dito

dito Henricus per legatos ſpatium petiit, quo cum principibus ſuis colloqui ſuper ea re poſſet. Ita infecta pace Calliſtus prędeceſſorum ſuorum decreta ſuper ea re facta probauit, aliaque quædam, quæ res poſtulare videbatur, adiecit. ac poſt XII dies conuentu rite dimiſſo, iter Italiam verſus ſuſcepit. & per Lombardiam, Tuſciamq. Romam peruenit, vbique ingenti populorum lætitia, atque ſumma animorum alacritate acceptus, atque Gerardum ciuem Placentinum, epiſcopum Potentinum mortuum Diuorum in numerum rettulit. Hoc anno bellum inter Piſanos, & Genuenſes eſt ortum. cauſſa eius prælata, quòd vterque populus epiſcopos Corſicæ apud ſe conſecrari volebat. id bellum per multos inde annos vario euentu eſt geſtum.

1120 Poſtero, ideſt centeſimo viceſimo ſupra milleſimum, Calliſtus Beneuentum progreſſus, atque à Gulielmo Apuliæ Duce, Roberto Principe Capuæ, ceteriſq. eius prouinciæ proceribus aditus ſolemnia ab omnibus ſacramenta exegit, & rebus compoſitis Romam reuertit. Cremonenſes nouis inimicitiarũ cauſsis obortis aduerſus Parmenſes exercitum adduxerunt, & cum iis magna vtrinque ſtrage in Parmenſi glarea conflixerunt. inde irruptione in agrum Brixianum facta, Aquæ Nigræ vicum Brixianis eripuerunt. Eodem etiam anno à Mediolanenſibus Comenſe bellum ſuſceptum omnium, quæ priuatis adhuc Lombardicarum ciuitatum opibus eſſent geſta, grauiſsimum. Comum vrbs eſt cum oppidi vetuſtate, tum nobilitate ciuium inclytum ad lacum ſitum quondam Larium, nunc Comenſem vocatum. Hunc lacum amnis Abdua magna ex parte efficit, qui ab Abdua Rhæticarum alpium monte labens multis auctus torrentibus per Volturrenam vallem ſexaginta millium curſu in ipſum defluit, atque inde ab Oriente erumpens longo terrarum tractu defertur in Padum. Ceterùm ipſius lacus duo maiores ſinus exiſtunt, vnus ad Orientem, ex quo Abdua amnis erumpit, vbi Leucum, alter ad meridiem, qui portum efficit, vbi Comum eſt breui in planicie ſitum. Vrbs fluuiatilis cancri ſimilitudinem refert. nam duobus ſuburbiis Coloniola, & Vico influentem lunato ſinu lacum duabus velut chelis amplectitur; ab aduerſa verò parte ſuburbium inter Orientem, atque meridiem exporrectum molliter inflexam caudam extendit. Planicies autem quattuor montibus quadrata facie continetur. in quibus ab Ortu Caſtrum nouum obiicitur, à meridie arx Baratelli Luitprandi quondam regis opus, ab Occaſu Carneſinum caſtellum. nam à Septentrione lacum in vrbem infuſum portus ipſe, de quo dixi, nobilis excipit. Circum lacum oppida multa, eaq. opulenta ſunt. in ipſo lacu in ſula no-

mine

mine Comacina cum oppido, quod olim ab Ariperto rege euerſum, poſt Caroli Magni victoriam fuit inſtauratum. Huic igitur ciuitati Mediolanenſes hac de cauſſa bellum internecinum mouerunt. Mortuo Comenſi epiſcopo, Henricus inueterata conſuetudine nixus eam dignitatem Landulfo Carcano, clerus Comenſis pontificiam auctoritatem ſequutus Vidoni Grimoaldo mandauit. Orta verò de iure lectionis controuerſia populus Comenſis vni Pontifici poſt Imperij pontificatuſq. diſcordias deditus Landulfum non ſolùm vrbe exegit, ſed nouas etiam res pro adipiſcenda dignitate molientem negotio conſulibus dato adortus necauit, cum ille in caſtro ſancti Georgij Lugani in finibus verſaretur. Hæc res Mediolani cognita vehementer perinde ac debuit, animos ciuitatis aduerſus Comenſes cum ſua indignitate, tum Landulfi ciuis ſui gratia incitauit; auxit etiam rei atrocitatem vetus nobilis vicinæ vrbis ſubigendæ cupiditas, quam inter Abduam, & Ticinum amnes, æquè ac Laus, locatam, eodem ad ſe quoque vicinitatis iure putabant pertinere. Itaque Iordanes archiepiſcopus ex Conſilii decreto, bello Comenſibus indicto, paratum exercitum continuò in fines eorum induxit, caſtriſq. non longe ab vrbe poſitis, agrum longè, lateq. vaſtare inſtituit. Comenſes conſilio eorum perſpecto, iam inde ab initio vrbem foſſis, vallis, præſidiiſq. opportunis muniuerant. vbi verò eos infeſto exercitu in fines ingreſſos vrbi appropinquare ſenſerunt, illico armatam iuuentutem ſuam eduxerunt, ac leuibus prœliis aliquot factis, demum etiam cum iis acie conflixerunt. Itaque feſſos eos ex diuturno pugnæ labore Mediolanenſes rati ſequentis noctis ſilentio vrbem inuadunt, eamq. paucis è muris propugnatoribus deturbatis, nullo negotio ingrediuntur. Comenſes re nec opinata perculſi, cum premerentur ab hoſtibus, vt in re trepida conſilii inopes in arcem Baratelli ſe receperunt, atque in vrbe pueros, mulieres, ſeneſq., quippe turbam rei gerendæ inutilem, reliquerunt. Vbi verò illuxit, cum hoſtes paſſim per vrbem vagari cum ingenti præda ſecuros animaduerterent, ira perciti magno ſe in eos impetu iam reſumptis animis rettulerunt. ac præda dimiſſa vrbe præcipites abire, caſtraq. relinquere coegerunt, eaq. ipſi capta diripuerunt. Hoc incommodo Mediolanenſes accepto grauius irritati Comacinates inſulanos, & Grabadonenſes, alioſq. nonnullos lacus accolas, qui in amicitia Comenſium erant, ad defectionem ſolicitarunt, atque fœdus cum eis aduerſus Comenſes iunxerunt, claſſemq. vt belli cauſſa pararent, admouerunt. Qua re cognita Comenſes, ne re nauali inferiores hoſtibus eſſent, claſſem & ipſi compararunt,

quàm maximam potuerunt. Bononienſes felici rerum ſucceſſu elati, cum omnes ad dignitatem, amplitudinemq. vertiſſent cogitationes, ædes Conſilij publicas pecunia publica conſtruxerunt, atque eas 1121 anno ſequenti abſoluerunt. Id Palatium Communis vocatum ad ædem ſancti Ambroſij fuit. Poſt Calliſti in Italiam aduentum Gregorius pſeudopontifex, quem vulgo Burdinum contumeliæ cauſſa vocabant, Sutrij ſe continuerat, Comitum quorundam præſidio ſeptus. Hi ſiue auaritia obcæcati, ſiue inſolentia inflati infeſtas latrociniis vias habuerant, eoſq., qui Romam tenderent, ſpoliarant. ob id Calliſtus ira incenſus, collecto exercitu, ad Sutrii obſidionem Ioannem Cremenſem Cardinalem miſit. Verùm obſidione opus non fuit. Gregorius à Sutrinis ſubitò deditus. is camelo verſo in caudam ore impoſitus, Romamq. ignominioſè reductus nouo omnibus ludibrio fuit. demum in Cauenſe monaſterium incluſus inglorius mortem oppetiit. Interea Inſulani, auxiliis fœderatorum à lacu accitis, Aprili menſe copias in lembos imponunt, atque iter Comum verſus vt impio conſilio, ſic infelici euentu intendunt. Nam ad Bregiam egreſsi primo concurſu à Comenſibus militibus ibi fortè latentibus in fugam coniiciuntur, & ad lembos reuerſi, cum eos à littore amotos fortè reperiſſent, natatu ſalutem ſibi petere compelluntur. ita pleríque aut ferro, aut fluctibus opprimuntur. Eo detrimento permoti Mediolanenſes bellum ſibi maiore ope gerendum conſtituunt, atque fœdus cum pleriſque Lombardiæ ciuitatibus ineunt Papia, Nouaria, Vercellis, Modœtia, Bergomo, Brixia, Crema, Cremona, Verona, Mantua, Bononia, Ferraria, Parma, Vardaſtallo, & Haſta. quorum vbi auxilia conuenerunt, cum iis terreſtri itinere aduerſus Comenſes contendunt, Inſulanoſq. per lacum ire præcipiunt. Inſulani in terram egreſsi prœlium haud timidè commiſerunt, cladem q. non leuem Comenſibus attulerunt. Mediolanenſes ſuburbia Vicum & Coloniolam cum fruſtra tentaſſent, tandem ad certamen deſcenderunt, manumq. conſeruerunt. verùm tanta vtrinque cæde, vt in incerto fuerit, ab vtro victoria ſteterit. Itaque feſsi vtrinque inducias in ſequentem annum compoſuerunt, atque ad noui belli comparationem ſe contulerunt. Brixiani arcem ſancti Martini, quæ à præſidio Germanorum tenebatur, adorti redegerunt in poteſtatem, atque æquarunt ſolo. Miſero Gregorii exitu in Germaniam nunciato, ſimulq. gliſcentibus in dies ex diſcordia regni, & ſacerdotii bellis permotus Henricus, atque aliqua tandem præteritorum pœnitentia tactus eò demum delabitur, vt conuentus apud Virciburgum omnium Germa-

niæ epiſcoporum, & principum pro reconcilianda concordia habeatur. iſq. in feſtum ſancti Michaelis indicitur. Vbi ea dies venit, conuocati omnes de ceteris quæcunq. è rep. fuerunt, & retulerunt, & ſtatuerunt. de ſacta verò deteſtatione, vnde mala omnia dimanauerant, rem integram ad Pontificem reiecerunt. ad eumq. ſuper ea re epiſcopum Spirenſem, & abbatem Fuldenſem legauerunt, qui peterent, vt conuentum pontificia haberi auctoritate liceret, in quo controuerſia, quæ iampridem Eccleſiam Dei diuelleret, aliquando Spiritus ſancti iudicio finiretur. Legati profecti benignè à Pontifice accepti ſunt; ac poſtero anno ſecum legatos à latere ſedis Apoſtolicæ cum liberis ad pacem conſtituendam mandatis reduxerunt. Is fuit Lambertus epiſcopus Oſtienſis, Pontificis vicem in omnibus actionibus gerens cum duobus aliis Cardinalibus. Ex eorum inde auctoritate conuentus Virciburgum in feſtum ſancti Petri indictus eſt, qui ſeditione orta cum perfici non potuiſſet, in ante diem XVI Kal. Octobris Vormaciam eſt dilatus. Ibi cum per ſeptem dies aſsiduè de concordia componenda diuerſis inter principes certatum ſententiis eſſet, neque manentibus adhuc ipſarum partium ſtudiis res cōmodum habitura finem videretur, tum Henricus, *Quid tantopere*, inquit, *de re non neceſſaria concertatis, cum ego paratus ſim auctoritati ſanctæ vtiq. Eccleſiæ obedire, ac liberè id, quod concordiam diſtinet, ius ſacerdotiorum remittere? quæque aut à me, aut à patre meo Eccleſiæ ablata oppida ſunt, reſtituere?* Quam vocem vbi legati pontificis, & epiſcopi audiuerunt, continuò alacres ſummis eum laudibus exceperunt, atque, vt in ſententia permaneret, hortati ſunt. Itaque IX Kal. Octobris ipſe cum toto ſuo exercitu, qui execrationis contagione corruptus erat, in communionem Eccleſiæ, fidemq. receptus ius epiſcoporum, abbatumq. inſtituendorum, quod nunquam remiſſurum ſtatuerat, in perpetuum in manus Oſtienſis maxima humilitate dimiſit, ac tabulis ſcriptis tale ſacramentum concepit: *Ego Henricus, Dei gratiâ Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Calliſti pontificis, & pro ſalute animæ meæ dimitto Deo, & ſanctis eius apoſtolis, Petro, & Paulo, & ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ omnem inueſtituram per annulum, & baculum, & concedo in omnibus eccleſijs fieri electionem, & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones, & regalia beati Petri, quæ à principio huius diſcordiæ vſque ad hodiernum diem, ſiue tempore patris, ſiue etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo: quæ autem non habeo, vt reddantur, fideliter iuuabo: & do veram pacem Calliſto, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & omnibus, qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt, & in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium*

1122

poſtulauerit, bona fide iuuabo. Ex altera verò parte legati Pontificis pro Pontifice ita iurarunt: *Ego Calliſtus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto concedo electiones epiſcoporum, & abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſque ſimonia, et aliqua inſolentia, vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, metropolitani, et prouincialium conſilio, vel iudicio ſaniori parti aſſenſum, et auxilium prabeas. Electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò querelam ad me detuleris, pro ratione officij mei auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua ſunt, vel fuerunt tempore huius diſcordiæ.* His tabulis inde extra vrbem in campo ad Rhenum propter ingentem, quæ conuenerat, mortalium multitudinem recitatis, atque ingentibus omnium clamoribus gratiis Deo omnipotenti actis, legatus rem diuinam magna cæremonia fecit, ac pacis oſculo, & ſancta euchariſtia oblata, Henricum Romanæ Eccleſiæ recepit in gratiam. Henricus inde in feſto ſancti Martini alterum conuentum Babembergæ habuit, atque ex conſenſu eorum, qui Vormacienſi concilio non affuerant, legatos Romam ad Pontificem cum peramplis muneribus miſit, ac ſolemne Pontifici obſequium præſtitit. Dum autem ſummas inter poteſtates concordia, amicitiaq. conciliatur, Comenſes induciarum tempore exacto, ad Tremetium ex improuiſo accedunt, atque imprudentibus Inſulanis loco occupato magnam inde prædam auertunt. mox Inſulanorum claſſem adepti prœlio proſperè cum ea contendunt, ac poſt triduum ad Lecenum prouecti oppidum fœdè diripiunt, domumq. recedunt. Quibus detrimentis Inſulani permoti auxilia à Mediolanenſibus aduocant, ac per noctem ad Comum nauigant, naueſq. eorum ſine præſidio nacti magna ex parte corrumpunt. Poſt aliquot inde dies iuſtus quoque Mediolanenſium eſt adductus exercitus. Quem cum exſcendere Comenſes caſtris in littore poſitis prohiberent, Mediolanenſes alia in parte firmam militum manum imprudentibus illis exponunt, atque ita incautos à fronte, atque à tergo inuadunt, & in vrbem compulſis, agrum vſque ad mœnia nemine occurrente diripiunt, parteq. Vici ſuccenſa, & Lierno capto diſcedunt. Eis profectis Comenſes acceptam cladem aliqua re bene gerenda ſarcire cupientes è porta euecti ad Capellam, lacus ſcopulum, cum occurrentibus Inſulanis prœlium nauale committunt, eoſq. in fugam auertunt. Inde Variſium, aliaq. hoſtium circum lacum loca opportunè aggreſsi rem ex ſententia gerunt. Mox, cum Vallem Mellam tenere, amiſſa per defectionem Lauenna, vellent, nec per Lauennenſes tranſitum impedientes poſſent, ingens,

atque opulentiſſimorum regum opus aggreſſi ſunt. quippe montem intercedentem perfoderunt, lacuq. valli coniuncto Lauennam acceſſerunt, ibiq. multa naualia prœlia proſperè ediderunt. ac poſtremò Lauennenſibus in fidem reuerſis, arcem, quam hoſtes tenebant, diu oppugnatam redegerunt in poteſtatem. Ea fuit horum temporum ratio, vt ciuitates Italiæ ad reliqua aſcita receptæ libertatis inſignia publica quoque ædificia ſibi melioribus quaſi auſpiciis renouanda, in primiſq. ſacras vrbium ipſarum baſilicas illuſtriore opere extruendas putarint. Quarum multæ ad noſtram vſque ætatem perductæ non vulgarem ſeculi eius ſplendorem, ac magnificentiam indicant. Flagrantibus igitur hoc ſtudio ceteris, Placentini hoc anno nouam & ipſi baſilicam inchoarunt. Nuncio de concordię reconciliatione accepto, lætus Pontifex ſubitò concilium frequens in Lateranum indixit. ac poſtero anno reuerſis ad vrbem cum tabulis pacis legatis, nongentis nonaginta ſeptem epiſcopis, atque abbatibus aduocatis ex eorum auctoritate omnia per legatos ſuos acta ad Vormaciam confirmauit. Atque 1123
ita diuturnæ, eiq. & re & exemplo pernicioſæ inter Pontificem, Imperatoremq. diſcordiæ finis tandem impoſitus eſt. In eodem etiam concilio ſanctum eſt, vt epiſcoporum Corſorum conſecratio Romæ fieret. quòd Piſani ægrè ferentes iniuſſu Pontificis abierunt. ac bellum facere Genuenſibus inſtiterunt. Honorico Mediolanēſi antiſtite III. Kal. Iunij mortuo, ea dignitas ad Bernardum Claræuallis abbatem ob miram ſanctitatis eius opinionem delata eſt. Eo verò repudiante, Anſelmus Puſterla ſuſcepit. Rodiliani, Sanguinetani, & Capriliani vicini Bononienſium populi proſpera eorum fortuna permoti ciuitatis conſules adierunt, atque ædificiis quibuſdam eccleſiæ, & Communi Bononienſi donatis, vt in clientelam reciperentur, orarunt. iſq. primus ad potentiā parandam eius ciuitatis gradus eſt factus. Rogerius, Siciliæ Comes, profecto Conſtantinopolim nuptiarum cauſſa Apuliæ Duce Gulielmo, repente magno exercitu in ditionem eius inuaſit. Id vbi Calliſtus accepit, quòd eam ſe ſeruaturum abeunti Gulielmo promiſerat, ſubitariis contractis copiis, Beneuentum vſque infeſtis conatibus eius occurſurus acceſſit. verùm aduerſa ibi valetudine cum pleriſque ſuorum affectus Romam irrito incœpto reuertit. Ita Rogerius Apuliam, Calabriamq. ad Siciliç ditionem adiunxit. Mediolanenſes Ardicinum Aduocatum pecunia data ad arcem Lugani cum duabus Comenſium nauibus ſibi prodendam impulerunt. Quo cognito Comenſes de oppido ſoliciti, vt maturè opem ferrent, lembos in plauſtra impoſuerunt, eoſq. opportuno loco in lacum Lugani Comenſi

proximum deduxerunt, perterritiſq. audaciæ, atque induſtriæ magnitudine hoſtibus Luganum progreſsi munitionibus, & præſidio confirmarunt, hoſteſq. à valli aditu propulſarunt. Itaque Mediolanenſes, vbi Lugani proditio non ſucceſsit, Pantaganum, prodente Giſalberto clerico, occuparunt, ac munito ſub Natalem Domini loco, domum receſſerunt.
1124 Poſtero anno Comenſes tanto incommodo perturbati ad locum recuperandum cum exercitu proceſſere, ac proſpero cum Inſulanis opus impedire conantibus prœlio contendere, & ſuburbanis ædificiis igne conſumptis, domum rediere. Poſt aliquot inde dies locum deintegrò petierunt, ac vicina oppida vaſtare, ne quid inde detrimenti acciperent, incœperunt. deinde aduerſus Canturienſes, qui vicina Como oppida inuaſerant, Pantagano dimiſſo, ſe rettulerunt, atque eos in inſidias tractos fœdiſsimè conciderunt. His detrimentis adducti Mediolanenſes rurſus ſociorum auxilia conuocant, bellumq. internecinum facere Comenſibus ſtatuunt, iam non tam de victoria, quàm de ignominia laborantes: atque Inſulanis per lacum re illos frumentaria intercludere iuſsis, ipſi cum terreſtribus copiis ad fines eorum procedunt, ac prœliis aliquot proſperè factis foſſas, munitioneſq. à Comenſibus impediendi tranſitus cauſſa factas tranſgreſsi vſque ad mœnia vrbis peruadunt, eamq. corona circundatam obſidere inſtituunt. Cum res languidius acta in longum protraheretur, Comenſes Inſulanos, à quibus ſubuectione annonæ prohibebantur, vlciſci aliquando cupientes, conſilium Inſulæ expugnandæ ceperunt, atque cò Lambertum Muſcam cum parte exercitus vi bani miſerunt. is eò cum veniſſet, agro latè vaſtato acrem oppido oppugnationem admouit. ac Paſchate domi, quò ſe receperat, celebrato, ad opus reuertit. ac parte iuuentutis occultè in terram expoſita, cum ipſe exſcendere ab Inſulanis prohiberetur, arcem occupauit, atque Inſulanos metu ad loca tuta ſe referre coegit. Mediolanenſes re irrita à Como profecti, cum ſe Inſula amiſſa maximis rei naualis opportunitatibus ſpoliatos viderent, Leucum ad eorum nauigia paranda, inſtruendaq. miſerunt, atque in eo apparatu anni reliquum conſumpſerunt. Eodem anno Genuenſes bellum cum Piſanis gerentes caſtrum ſancti Angeli in Corſica occuparunt. Idibus Decembris Calliſtus pontifex Romæ mortuus, atque in Laterano ſepultus eſt. Comitiis nouo creando Pontifici inſtitutis, diuiſis Cardinalium ſtudiis, duo ſuffecti ſunt, Lambertus epiſcopus Oſtienſis, & Theobaldus presbyter Cardinalis. atque ille Honorius ſecundus, hic Cœleſtinus ſecundus eſt appellatus. Quæ res cum omnes, qui de ſalute, ac dignitate Eccleſiæ cogitarent,

vehementius angeret, pleriſque ad Honorium accedentibus Cœleſtinus ſe abdicauit. Honorius autem, cum ne ita quidem ſuam probari electionem ab omnibus intelligeret, poſt duodecim dies conuocatis Cardinalibus inſignia vltro depoſuit, & ſe item honore abdicauit. Epiſcopi verò, presbyteri, ac diaconi Cardinales humilitatem eius perſpicientes, atque in poſterum ne quid noui in Eccleſiam inferretur cauentes, quod perperam factum fuerat, emendarunt, atque eodem Honorio deintegrò lecto, ad eius pedes procubuerunt, atque ei tanquam vniuerſali Pontifici obedientiam præſtiterunt. Fuit Honorius patria Bononienſis, canonici primùm regularis diſciplinam profeſſus, deinde epiſcopus Oſtienſis à Paſchali allectus legatione pontificia fungens diuturnam Eccleſiæ, Imperiiq. diſcordiam ſuſtulit, vir per ea tempora prudentia, atque vſu tractandarum rerum propè ſingulari ornatus.
Poſtero anno Mediolanenſes appetente Maio Comum terreſtri, na- 1125
ualiq. apparatu deintegrò petierunt, ac Vicum, & Coloniolam oppugnare, Comum obſidione premere inſtiterunt. verùm à Comenſibus nauali prœlio ſuperati mox ab vrbe etiam, agroq. excedere inani, irritoq. conatu compulſi ſunt. Variè inde vtrinque circum finitima loca bellatum ſpem, metumq. ciuitatibus attulit. Comenſes Vertimam adorti, cum vaſtato agro arce potiri non potuiſſent, aduerſus Canturium, Viazolum, & Marlianum progreſſi commiſſo cum Mediolanenſibus prœlio impetum non potuerunt ſuſtinere. Mediolanenſes, Derrio per proditionem præfecti recepto, lembum extruxerunt ingentem, quem Lupum vocarunt. quo cum omnes lacus accolas Comenſium amicos ſolicitare cœpiſſent, demum à Comenſibus nudati miſsis in Volturrenam militibus omnia circumquaque loca effuſa populatione vaſtarunt. mox ad Bertenam profecti prœlio ſuperati inſuper etiam, excepta arce, Antiſicum amiſerunt. ac poſtremò etiam nauali prœlio facto circa exitum anni victi receſſerunt. Et hoc anno Genuenſes variè cum Piſanis certauere, ac præcipuè Palumbinum in ora maritima combuſſere. Honorius pontifex, cum Beneuentum ad res ciuitatis inuiſendas contenderet, ad monaſterium Caſsinas diuertit. vbi à monachis obuiam effuſis exceptus ad aram ſancti Benedicti ſacrificium fecit, & in oppidum degreſſus, Oderiſium abbatem euocatum pluribus verbis de diſciplina, & moribus eius increpuit. Se- 1126
quenti, Henricus Paſchate Leodij celebrato Aquas contendit. ac morbo dracunculi, quo tentari ſolebat, vehementius affici cœpit. Itaque ad Pentecoſten Vltraiecti peragendam tranſgreſſus haud ita multò poſt XII Kal. Iunias morbo ingraueſcente deceſsit.

CAROLI SIGONII
HISTORIARVM DE REGNO ITALIAE
Liber Vndecimus.
LOTHARIVS TERTIVS REX, ET II IMPERATOR.

QVod Henrico Rege aut patiente, aut certè non vindicante Mediolanenſes cum vicinis inſtituerunt, vt de omnibus controuerſiis inter ſe non iure, iudicioq. contenderent, ſed bello, armiſq. decernerent, id proximis regibus Lothario, & Conrado rerum potientibus plerçque omnes ciuitates facere perrexerunt. Fauit autem neſcio quo modo eorum cœptis, conſiliiſq. fortuna; quòd reges ipſi Germanicis ſedandis ſeditionibus occupati aut res reſpicere Italicas nequiuerunt, aut demum in ipſo conatu rerum extincti ſubitò deceſſerunt. Quod quemadmodum actum ſit, hoc libro demonſtrare nitemur.

Henrico ſine virili ſtirpe abſumpto, Imperium demum in gente Gibellinorum defecit; quorum continuatus in Conrado, & tribus Henricis diu fuerat in Germania principatus. Regnum autem petere profeſsi ſunt ſummi ipſius Germaniæ proceres, Fridericus Dux Sueuiæ, Conrado fratre adiuuante, Lotharius Dux Saxoniæ, Leopoldus marchio Orientalis, & Carolus Comes Flandriæ. Verùm poſtremorum Henricorum odio, qui bellum Eccleſiæ facientes pernicioſum in remp. ſeditionum exemplum intulerant, plerique principum animos in Lotharium, principem eximia non virtute ſolùm, ſed etiam religione præſtantem verterunt. & comitiis Moguntiæ habitis, quibus legati etiam pontificij affuere, III Kal. Septembris ipſum regem magna animorum conſenſione declarauerunt, atque Aquis Idibus per Fridericum Colonienſem archiepiſcopum inunxerunt. Quod factum cum ceteri competitores ægrè tulere, tum maximè Fridericus, & Conradus fratres, regnum ad ſe hereditario prope iure trahentes, & quia ex Henrici ſorore nati erant, & quia inſignia Imperatoria apud ſe obtinebant. Lotharius autem Eccleſiæ, ac Pontifici deditus extemplò ſe defenſorem eius acerrimum eſt profeſſus. His rebus cognitis Mediolanenſes eò alacrius bellum Comenſibus

facere perrexere. Itaque cum multos eorum ad montem Sorbum Alberici Bregnani proditione cepiſſent, inde ad vrbem oppugnandam ſe contulere, ac caſtra non longè ab ea poſita duabus celſiſsimis turribus muniuere. locoq. Villæ nouæ indidere nomen. Verùm ne ita quidem profecere quidquam. Nam cum re frumentaria laborarent, à Comenſibus erumpentibus oppreſsi caſtra relinquere, quanquam inſigni cum Comenſium detrimento, coacti ſunt. Ne verò tantus apparatus ad nihilum recideret, adiunctis Leucenſibus ad Luganum oppugnandum iuerunt, atque ad Treſiam amnem Comenſium copias iter impedire conantes nacti commiſſo prœlio terga vertere compulerunt. Verùm hanc cladem haud ita multò poſt Comenſes rettulere, Cremenſibus in valle Cuuia, quò ad caſtrum Nouum defendendū miſsi erant, in inſidias tractis, ac pleriſque cæſis, & captis. Genuenſes item aduerſus Piſanos terra, mariq. arma tulere, & triplici inſigniti victoria rediere. Nam & Volaterræ captæ, & Palumbinum in ora maritima, & caſtrum ſancti Angeli in Corſica in ditionem redacta ſunt. quorum illud reædificatum, hoc recuperatum fuerat à Piſanis. Ea hieme ingenti ſæuitia frigoris pecudes, atque arbores pleræque interiere. Padus ingentis vi frigoris vſqueadeo conglaciauit, vt incitatum equorum curſum, ac grauia iumentorum, & plauſtrorum onera ſuſtinuerit. ac ſe viatoribus quaſi campum ad iter vltro, citroq. faciendum ſubſtrauerit. Conradus marchio Tuſciæ poſt Mathildis exceſſum effectus Podium, & Noſſanum Lucenſibus conſulibus tradidit. Fridericus, & Conradus fratres iniquo animo ſe hereditario, vt rebantur, excluſos Imperio patientes bellum Lothario compararunt. Quod poſtquam Norimbergæ Lotharius, vbi 1127
Natalicia celebrabat, audiuit, matura ſtatim de eo propulſando conſilia cepit. atque Honorium pontificem, vt vtrumq. ſacra deteſtatio ne percuteret, incitauit. Iampridem nihil aliud maiore ſtudio cupiebat Honorius, quàm Rogerium, qui Apuliam inuaſerat, vindicare, ad dignitatem pertinere ſedis Apoſtolicæ arbitratus, capitales cum eo inimicitias, qui tam impotenter auctoritatem ſuam contemneret, exercere. verùm propriis viribus nunquam id erat auſus attingere. Hoc autem anno opportunè à proceribus Apuliæ auxilium pollicentibus inuitatus cogitationem eò ſuam intendit, & cum exercitu Aquilam vſque proceſsit. nemine autem eorum, qui ſe aduocauerant, occurrente, ne ipſe quidem ſolis ſuis copiis rem ſibi tantam aggrediendam putauit. Itaque quaſi aliud ſpectans eò veniſſet, Beneuentum iter intendit, ac de more Caſinum ex itinere viſitauit. Ibi cum

nouum abbatem Senioretum ſacraſſet, fidei ab illo ſacramentum poſcit, perinde atque ab epiſcopis aſſueuit. Senioreto verò ſe contra inſtituta ſua iuraturum negante, atque aliam abbatum, aliam epiſcoporum rationem eſſe dicente, quieuit. Mediolanenſes finem Comenſi bello aliquando tandem imponere cupientes, quos adhuc reſiſtere non ſine maximo pudore dolebant, arma maiore, quàm ante, ope pararunt, extremumq. in ea re conatum adhibuerunt. Itaque artifices, architectoſq. egregios vndique ad militares machinas conſtruendas accerſunt. Erant autem ea tempeſtate caſtella lignea, bricolæ, gatti, trabuchi, mangana, petrariæ, & bracilla vocata. quorum vſus poſtea inuentis tormentis æneis exoleuit. præterea auxilia à fœderatis ciuitatibus, lemboſq. à Leucenſibus, aliiſq. lacus accolis aduocant, ac paratis in tempore rebus Comum deintegrò petunt. Eò cum veniſſent, campos, monteſq. ſubiacentes militibus complent, partem verò ad lacum vergentem nauigiis cingunt, cauentes, ne quid in vrbem rei frumentariæ importaretur. Hinc quatruor ingentes turres contabulant, ac magnos duos inter illas gattos ſtatuunt. Eos cum mœnibus admouiſſent, grauibus ea lacerare ictibus inſtiterunt, cum qui in turribus erant, gattos defenderent, ac propugnatores in muris conſiſtere lapidibus, miſsilibuſq. iaciendis prohiberent. Comenſes interea nihil reliqui faciebant, quod patriæ in ſummo diſcrimine præſtare aut virtute, aut induſtria poſſent. nam & à terra machinis hoſtilibus pro viribus occurrebant, & à lacu armatis & ipſi lembis acerrimè reſiſtebant. Verùm cum dies, nocteſq. pugnaretur; neque propter ciuium paucitatem laborantibus quies vlla ab hoſtibus multitudine ſuperantibus daretur, vrbem ſe defendere poſſe diffiſi demum ſancto Dei, ac D. Abundij nomine inuocato eam relinquere decreuerunt. Itaque pueris, mulieribuſq., & bonis in lembos impoſitis, ipſi ad auertendos hoſtium ab abeuntibus oculos per noctem eruptionem in eos fecerunt, ac ſenſim receptu facto in Vicum ſe rettulerunt. Vbi illuxit, Mediolanenſes vacuam incolis vrbem ſine certamine ingreſſi, Comenſium conſilio explorato, Vicum oppugnare conſtituerunt. Verùm, cum diuturnam eam oppugnationem propter munitionum firmitatem fore animaduerterent, tentandos ante per nuncios Comenſium animos duxerunt, num deditionem honeſta conditione facere, an vltima expectare, vimq. experiri ſuam, an clementiam mallent. Legati ſacerdotes ſummæ dignitatis homines miſsi. Eorum auctoritatem ſequuti Comenſes fidei ſe, & clementiæ eorum permiſſuros, quia aliter non poterant, oſtenderunt. Atque ita deditio V.

Kal. Aprilis his eſt conditionibus facta; vt Vico,& Coloniolæ parce-
retur, vrbs arbitrio Mediolanenſium traderetur, ipſi incolumes cum
ſuis rebus abirent. Mœnibus vrbis diſturbatis, turribuſq. euerſis, reli-
qua ædificia præter templa ſuccenſa ſunt. Comenſibus, vt in proxi-
ma valle conſiderent, imperatum, legeſq., quibus vterentur, iniun-
ctæ. Genuenſes item Piſanos hoc anno terra, mariq. preſſerunt. in
primiſq. Piſas ipſas tanta pertinacia obſederunt, vt Piſanos ſoluendæ
obſidionis gratia ad ædes ſuas vſque ad primam contignationem de-
primendas adegerint.

CONRADVS II REX ADVERSVS LOTHARIVM.

CONRADVS inde, cedente Friderico fratre, principibus
aliquot ſuffragantibus, contra Lotharium ſe ſe regem aſ-
ſeruit. quam rem Lotharius Natalicia Herbipoli agens
audiuit. Inſolenti inde arridentis fortunæ elatus obſe- 1128
quio in Italiam cum exercitu maturauit, atque Anſelmum archiepi-
ſcopum, & populum Mediolanenſem amicos nactus Modœtiæ Ita-
lici regni coronam accepit. atque inde perluſtrata Lombardia ciuita-
tes ad ſe pleraſque omnes traduxit. Ea de cauſſa archiepiſcopi Mogun
tinus, Magdeburgenſis, & Treuirenſis iuſſu Lotharij ipſum commu-
nione piorum exterminarunt. Honorius autem non eum ſolùm, ſed
etiam Anſelmum, qui coronam impoſuerat, & populum, qui recepe-
rat, anathemate perculit. Lotharius verò Spiram, quæ illius præſi-
dio tenebatur, obſidione circundedit, atque ad dandos fidei obſides
oppugnando adegit. Interim Honorius bellum Apulum ſuarum non
eſſe virium ratus pacem cum Rogerio pepigit. Itaque Troiam in
Apulia ad conuentum agendum,& res conſtituendas profectus ipſum
Apuliæ, Calabriæq. Ducem appellauit, ac beneficiarium Eccleſiæ fe-
cit. & VIII Idus Iulij, cum eſſet in territorio Barenſi, pallium Gulicl-
mo archiepiſcopo Tyri remiſit. Genuenſes pedeſtribus, equeſtribuſq.
copiis Montaltum aggreſſi expugnarunt. Proximo anno Lotharius,
Conrado Italiam aduerſus ſe obtinente, Idibus Iulijs nouam Spiræ 1129
obſidionem admouit, eamq, vſque ad exitum anni continuauit. Con
radus Meningerum Treuirenſem archiepiſcopum, à quo diris deuo-
tus carminibus fuerat, Romam ad Pontificem contendentem, vlci-
ſcendæ iniuriæ cauſſa Parmæ comprehendit, atque in carcerem con-
ditum miſerè mori coegit. Genuenſes ſexdecim armatis triremibus

claſſem

claſſem Piſanorum adepti in fugam verterunt, eamq. Meſſanam vſ-
que perſecuti, cum à Meſſanenſibus ab vrbe repellerentur, ſuburbium
occuparunt. Verùm mox Rogerio Duce interueniente, omnia reddi
derunt. Hoc anno concilium in Francia apud Trecas eſt actum, cui
interfuerunt Rhemenſis, & Senonenſis archiepiſcopi cum epiſcopo
Albano Apoſtolicæ ſedis legato. In eo concilio Hugo de Paganis
primus militiæ templi magiſter, cum in Franciam ad poſcendum ad
Damaſcum oppugnandam auxilium eſſet profectus, periit, vt ordini
ſuo paullò ante inſtituto habitus præcipuus traderetur. nam eouſque
fratres eas veſtes induerant, quæ ab ipſa piorum hominum liberalita-
te oblatæ fuerant. Datus eſt albus Honorij pontificis, & Stephani pa-
triarchæ Hieroſolymitani præcepto. Ab hoc tempore fratres militiæ
Templi creſcere hominum numero, prædiorumq. cœpere. Kalen-
1130 dis inde Ianuariis anni ſequentis, qui fuit milleſimus centeſimus trice-
ſimus, Spira à Lothario ad deditionem adducta. Honorius patriar-
chas duos Gradenſem, & Aquileienſem abdicauit. Cum cauſſa abdi-
cationis reticeatur, fit, vt ſuſpicer, id factum, quòd ſchiſmatico Con-
rado ſtuderent. nam eadem quoque de cauſſa ipſam Anſelmo Me-
diolanenſi archiepiſcopo dignitatem abrogatam, inuenio. Eccleſiam
Aquileienſem Peregrinus, Gradenſem obtinuit Henricus. Menſe
Februario ſedes pontificia Honorij morte vacauit. Sequitur ingens
aliud in Eccleſia Romana diſsidium, quo vehementer non tota ſo-
lùm Italia, ſed vniuerſa fermè etiam Chriſtiana laborauit reſpublica.
Mortuo Honorio poſtridie Cardinales cum clero conuenerunt, ac
relatione de nouo ſubſtituendo Pontifice facta alij aliò ſua ſtudia
contulerunt. Maior pars, eaque integrior Gregorium, Ioannis Vi-
donis filium, ex canonico regulari Cardinalem, vitæ, ætatis, ac pru-
dentiæ grauitate illo honore dignisſimum legit, eumq. Innocentium
ſecundum vocauit. minor, eaque corruptior Petrum, Petri Leonis fi-
lium ex clerico Cardinalem, omnibus his laudibus omnium iudicio
inferiorem renunciauit. ac ſuperioribus fruſtra renitentibus feſtinan-
ter, atque aſtutè conſecratum Anacleti ſecundi nomine inſigniuit.
Innocentius per Oſtienſem epiſcopum legitimè conſecratus, ac mode
ratè à ſuis per omnia loca, in quibus ex antiquo inſtituto ſeſsiones ipſi
habent pontifices, circunductus, demum legitimam Laterani ſedem
iniuit. Vterque ciuis Romanus erat. verùm nobilitas in Petro ma-
ior, & ſpes præmiorum vberior multò plures ad eum venerandum il-
lexit. Itaque Petri, ſiue Anacleti parte in vrbe furente, atque Inno-
centio, & fautoribus eius terrorem, ac periculum intentante, Inno-

centius timuit, atque vnà cum Cardinalibus ſuis ad Frangipanes amicos acceſsit, homines tum in vrbe inſigni potentia, ac nobilitate florentes, & in eorum turribus ſalutem tueri ſuam contendit. Anacletus ad pecuniam, quam ex patrimonij magnitudine, & negotiis diu Eccleſiæ geſtis coaceruatam habebat, ſimul aliam quoque nefariè comparauit. Siquidem occupata Vaticana D. Petri baſilica, coronas, calices, & crucifixos aureos, ac ciborium, quod Leo conſtruxerat, ſuſtulit, itemq. alia opulenta vrbis templa donariis pretioſiſsimis ſpoliauit. atque auro conflato ingentem pecuniæ ſummam redegit. quam cum plebi diſtribuiſſet, facilè quod reliquum populi erat, ab Innocentio auocauit. Itaque populus Romanus prauis illecebris Anacleti corruptus Innocentium, ac Cardinales, partemq. eius non ſolùm probris, & conuiciis petere, ſed etiam manu, reliſq. inceſſere inſtitit. Quibus malis cum reſiſtere ſe non poſſe, Innocentius cerneret, ſibi vrbe cedendum exiſtimauit. ac relicto in Laterano Conrado, Sabinenſi epiſcopo, paratis occultè nauigiis, ſecundo Tiberi cum Cardinalibus ſuis ad mare, atque inde duabus Piſanorum triremibus Piſas acceſsit. Exceptus eſt à Piſanis tantis ſtudiis, quantis verum excipi Pontificem decuit. Ibi proximorum epiſcoporum conuentu habito, Anacletum, partemq. eius deuouit, atque Henricum patriarcham Gradenſem deſignatum conſecrauit, ac pallio inſigniuit. Interim legati ab eo in Franciam miſsi Ludouicum regem, ac populos Francorum de iuſtis ipſius comitiis docuerunt, eoſq. ad complectendum Innocentium adhortati ſunt. Hærente autem conſilio Ludouicus, & epiſcopi concilium Stampis habuere, atque eò præcipuè Bernardum abbatem Claraualleſem, maximæ tum propter creditam ſanctitatem auctoritatis hominem, acciuere. Ibi vtriuſque pontificis comitia accuratiſsimè ſunt diſcuſſa. Bernardo verò Innocentij cauſſa grauiter, ac copiosè agente, haud ægrè & rex, & epiſcopi omnes Innocentio ſubſcripſere, ac miſsis ad Innocentium nunciis ipſum in Franciam vocauere. Ita Innocentius, rebus ſatis in Etruria cõſtitutis, gratiis Piſanis actis, Franciam verſus diſceſsit. Ex itinere cum Genuam attigiſſet, à ciuitate honorificè exceptus Syrum nouum vrbis epiſcopum conſecrauit, atque inter eos, & Piſanos inducias vſque ad ſuam reuerſionem compoſuit. Profectus inde Genua ad littus Prouinciæ acceſsit, & per Decembrem menſem alterum Claromonte conuentum habuit, atque iterum Anacletum, & fautores eius damnauit. Dum hæc ab Innocentio adminiſtrantur, Anacletus, qui ſolus in vrbe remanſerat, & ipſe partem aduerſam infligendis anathematis inſtitit premere, & ad

cauſſam

cauſſam ſuam amicos, quàm plurimos potuit, aggregare. Præcipuè autem Anſelmus Mediolanenſis archiepiſcopus, ab Honorio Conradi cauſſa deuotus, ei ſe tradidit, atque vnà ſecum populum Mediolanenſem, ac pleroſque Lombardiæ epiſcopos traxit. Quin etiam Rogerius Siciliæ Comes, atque Apuliæ, & Calabriæ Dux, cum Roberto Principe Capuano ad Innocentium Piſas profecto per arma Principatum eripuiſſet, omnes ditionis ſuæ proceres ad Anacletum traduxit. Eius verò facti hæc ratio fuit. Rogerius cum Sicilia, Calabria, Apuliaq. potitus ſe opibus ad tuendum regię maieſtatis titulum ſatis inſtructum videret, nec tam latè patentem potentiam exiguitate nominis coartandam exiſtimaret, vltro ſe regem Siciliæ nuper appellare nulla pontificia auctoritate inceperat. Quod cum vulgo improbari ſentiret, occaſionem idoneam nactus ad Anacletum acceſſit, & ſe cum ſuis epiſcopis eum complexurum, ſi ſe regem appellaret, oſtendit. Anacletus optatiſsimã occaſionem adeptus auidè arripuit. ac re compoſita Beneuentum profectus V. Kal. Octobris ipſum præſentem Sicilię regem, Apulię, Calabriæq. Ducem, Capuæq. Principem declarauit, ac feudatarium, ſiue hominem, vt vocabant, ligium Eccleſiæ confirmauit. Ab illo die epiſcopi, abbateſq. vlterioris Italiæ, in primiſq. Senioretus abbas Caſsinas Anacletum, vt iuſtum pontificem, coluerunt. Qua ex re maxima eccleſiæ incommoda perceperunt. Eodem anno bellum Cremenſe in Lombardia eſt ortum tantæ magnitudinis, vt poſt multos annos, ne ipſius quidem Cremæ excidio potuerit expiari. Cremenſes Cremonenſi eccleſiæ contributi illud indignè fecerant, quòd Cremonenſibus relictis ſeſe Mediolanenſibus applicuerant. Iniuria Cremonenſibus non negligenda eſt viſa. Itaque paratis copiis Cremam aggreſsi ſunt. Sed accurrentibus celeriter auxilio Mediolanenſibus re infecta domum plus irarum, quàm attulerant,
1131 retulerunt. Poſtero, Innocentius Claromonte profectus per Burgundiam Aurelianum venit, ab epiſcopis, & Ludouico rege obuiam progreſsis exceptus, ac legitimè cultus. Inde à Gaufrido Carnotenſi epiſcopo Carnorum adductus Henricum Anglorum regem cum maximo epiſcoporum, principumq. ſuorum comitatu obuium habuit. Eo verò, inuitis epiſcopis ſuis, Innocentium recipere non audente, Bernardus, qui aderat, Quid hæſitas? inquit, an ne Deo diſpliceas, & piaculum contrahas? cogita de aliis peccatis tuis, quid ei reſpondeas. iſtud verò fac mihi relinquas. Atque ita illum ad colendum Innocentium impulit. Reuerſus inde Gerardus Cardinalis à Lothario rege Germaniæ, quem Natalicia Ganderſchim celebrantem Innocentij

iuſſu conuenerat, bonum eius erga Innocentium animum rettulit, ac præſto ei ad Leodium fore nunciauit. Quo nuncio erectior ipſe factus haud tamen in præſens Leodium voluit adire, verùm Franciam ante, poſtulantibus ita populis, perluſtrare. Itaque præſente Ludouico XIIII Kal. Nouembris concilium Rhemis frequentiſsimum habuit: in quo Anacletum deintegrò condemnauit: ac Ludouicum iuuenem, Ludouici regis filium, regia Franciæ corona VII Kalendas ornauit. Eodem quoque anno duo grauiſsima bella in Italia excitata, Papienſe, & Parmenſe, ac Mutinenſi quoque prima eſt occaſio patefacta. Papienſis cauſam Mediolanenſes ſiue de induſtria quæſiuere, ſiue temere oblatam ſtudiosè arripuere. vt qui nihil aliud tam cuperent, quàm ciuilis potentiæ fines longius propagare, ac Laudenſibus iam, Comenſibuſq. ſubactis tertiam victoriam de ipſis propè ſuburbanis Papienſibus reportare. Itaque parato exercitu in Papienſem agrum infeſto agmine proceſſerunt, ac ſe, ni reſiſteretur, caſtris, vbiq. oppugnationem admoturos haud dubiè oſtenderunt. Hoc cognito Papienſes & ipſi inſtructis copiis exiere, atque eis ſeſe in campo Maconago oppoſuere. Ibi irritatis & nouis, & veteribus iniuriis animis Kalendis Iuliis concurſum, atque acriter vtrinque pugnatum eſt. verumtamen penes Mediolanenſes victoria ſtetit. Papienſes in fugam coniecti plerique capti, atque in cuſtodias Mediolanum traducti ſunt. vicis, villiſq. latè toto agro inceſis exercitus domum reductus eſt. Parmenſe bellum Cremonenſes excitauere. Hi nouis cum Parmenſibus belli cauſsis obortis terreſtri, ac nautica oppugnatione Brixillum caſtrum eorum adorti ſunt. verum à Parmenſibus fuſi, ac fugati ceſſerunt. Hoc quoque bello Placentinos cum Mediolanenſibus contendiſſe exiſtimo. nam multos eorum captiuos per arma feciſſe, ſatis conſtat. Nonantulani verò, qui ex diœceſi Mutinenſi erant, ad Bononienſes ſe contulerunt. Hi cum monaſterium, de quo ſupra dixi, apud ſe opulentum haberent, poſt longas cum Mutinenſibus de iure oppidi, aquarum, ſacrorumq. controuerſias cum ſe, ſi, quemadmodum apparebat, vi eſſet agendum, longè viribus impares cernerent, infeſtis eorum excurſionibus incitati Bononiam monachos duos oratores miſerunt. qui in Conſilium introducti ſe Hildebrandi abbatis, & populi Nonantulani nomine, vt tanquàm deditiтios in fidem reciperent, & contra vim Mutinenſium tuerentur, petierunt. Ciuitas eos in fidem his conditionibus recepit, vt tanquam vna ex quattuor tribubus impenſas in bella facerent, tributum quotannis conferrent, ſecum aduerſus hoſtes ſuos arma ferrent, pacem cũ Mutinenſibus iniuſſu ſuo non

1132 facerent. Sequenti anno Innocentius Leodium prodiit. atque eodem quoque Lotharius cum omnibus ſacris, & profanis regni ſui proceribus, & vniuerſa Germaniæ nobilitate occurrit. Ibi Innocentius à rege, ceteriſq eximiè cultus conuentum celeberrimum habuit. in quo ſacras aduerſus Anacletum deteſtationes redintegrauit, ac Lotharium ad ſe, Eccleſiamq. tuendam honeſto Othonis Magni, & poſterorum eius exemplo hortatus eſt. Lotharius ſe nullo ei tempore defuturum reſpōdit, ſi ipſe ſibi antiquum ius conferendorum ſacerdotiorum, cui nuper Henricus renunciarat, concederet. nam Imperium plurimum, eo vectigali ſubtracto, ad grauia pro Eccleſia ſuſtinenda bella detrimenti cepiſſe. Qua voce audita grauiter perculſi Cardinalium animi ſunt, vt qui ſe triſtiorem in Germania ipſis Eccleſiæ rebus fortunam reperiſſe viderent, quàm Romæ reliquiſſent, ſi eo ſibi iure cedendum eſſet, quod ipſi nuper tanto ſudore, ac ſanguine vix tandem Eccleſiæ peperiſſent. Tum Bernardus, qui ab Innocentii latere nunquam diſceſsit, petitionem eius iniquam, atque alienam eſſe docere; neque ipſum petiſſe, ſed extorſiſſe tempore iniquioris fortunę captato, iudicaturos homines eſſe, oportere eum, vt genere, ſic ſtudio à Gibellinis differre, qui prauum exemplum vt vendendorum ſacerdotiorum, ſic oppugnandæ Eccleſiæ induxiſſent. eundem omnem diſsidij inter Imperium, atque Eccleſiam tollere occaſionem debere, ne diuturna concertandi conſuetudo Chriſtianorum in duas factiones ſtudia diſtrahat. quod ſi quando eueniat, profectò non ſine ingenti pernicie omnium euenturum. Hæc ipſa non aliter atque ſi ex oraculo edita eſſent, facilè prudentem, piumq. regem de ſententia deturbarunt. pollicituſq. eſt, ſe Innocentium Romam cum exercitu reducturum, atque Anacleto exacto incolumem in Laterano collocaturum, ſi ipſe ſibi Imperatorium diadema ſponderet. Quod cum Innocentius promiſiſſet, & rei perficiendæ conſilium ſatis, vt in præſentia, conſtitiſſet, Leodio abiit, ac monaſterio Bernardi Claraualle luſtrato ſeſe in Italiam rettulit. ac Genuam reuerſus ibi Lotharii aduentum ſibi expectandum eſſe conſtituit. Eodem anno Mediolanenſes iterum aduerſus Papienſes mouerunt, ac prœlio magno ad Martinengum facto, eos ita fuderunt, vt propè ad internicionem afflixerint. Agro inde rurſus longè, lateq. vaſtato, domum eſt reditum. Erat tum in Germania Conradus, ex Italia nuper poſt varios excitatos tumultus reuerſus. Is licèt magna pecuniæ, rerumq. omnium difficultate oppreſſus tamen partium ſtudio multos adhuc cauſſæ ſuæ ſtudioſos habebat. Ea res fecit, vt manentibus adhuc

ſeditionibus Lotharius exercitum conficere haud magnum potuerit. 1133
Cum iis igitur, quas parare copiis potuit, ſequenti anno in Italiam per vallem Tridentinam, Othone, & Sigeberto auctoribus, tranſiit, atque à Bononienſibus, & Aemilienſibus cum Conradi ſtudio, tum copiarum exiguitate contemptus rectà ad Apenninum acceſsit, ac Piſas ad ſumendum Innocentium properauit. Ceterùm Innocentius à Genuenſibus comiter, atque honorificè iam bis acceptus hanc eis gratiam rettulit, quòd epiſcopum eorum obedientia archiepiſcopi Mediolanenſis exemptum archiepiſcopum fecit: atque ei dimidiam epiſcoporum Corſicæ partem ſubiecit. Syrus primus ea dignitate eſt vſus. Genua inde Placentiam terreſtri itinere profectus nouo Anacletum, & fautores eius concilio iugulauit. Via inde Aemilia ingreſſus XVII Kal. Iunias Bononiam venit. mox ſuperato Apennino Piſas progreſſus pacem inter Piſanos, & Genuenſes compoſuit, eorumq. eccleſiam, perinde ac Genuenſem, metropolitanam effecit, parte altera epiſcoporum Corſicę contributa. quę res adhuc diſcordiam inter eas ciuitates aluerat. Hęc verò illo cum ad vetera earum ciuitatum erga ſe beneficia perſoluenda, tum ad noua duris his temporibus prouocanda ſtudioſè agente, Lotharius ſuperuenit, atque ipſo, vt dixi, aſſumpto Viterbium, atque inde Romam perrexit. Ibi caſtris ad portam S. Agnetis locatis, Genuenſes, & Piſanos, claſſes ſuas littoribus admouere Romanis, iuſsit, ac tantum Anacleto, & fautoribus eius, qui vrbem tenebant, terroris iniecit, vt in editas ſe turres ſalutis ſuæ tuendæ cauſſa referrent. Qua re animaduerſa ab amicis receptus ipſe cum Innocentio vrbem pacato agmine iniit. cumq. illum in Laterano repoſuiſſet, ipſe Auentinum inſedit. Rebus in hunc modum habentibus duo inde ſibi expedienda putauit, vnum, vt præſentem controuerſiam cum Anacleto aliqua ratione finiret, alterum, vt coronam ab Innocentio Auguſtalem acciperet. Vbi verò ſe diſsidium tollere non poſſe ſenſit, quòd Anacletus ad id neque colloquij, neque prœlij facere copiã vellet, omne ſtudium ad inſignia recipienda conuertit. Huic rei cum illud obſtaret, quòd Anacletus baſilicã Vaticanam operibus, præſidioq. firmatam tenebat, in qua moris fuerat diadema Imperatorium tradi, Innocentius, ne qua ei ſolemni mora iniiceretur, Lotharium in Lateranum vocauit, atque ibi pride Nonas Iunias ipſi coronam impoſuit. ac protinus ad prodendam rei nouo exemplo actæ memoriam huius facti ſeriẽ regiæ in pariete pingi, atque hos verſus ſubſcribi mandauit.

Rex venit ante fores iurans prius vrbis honores,
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Premebantur interea Germani duobus grauiſsimis detrimentis; vno, quòd liberè vagari per vrbem non poterant, aduerſariis ex turribus eos lapidibus, miſsilibuſq. longiſsimè laceſſentibus; altero, quòd æſtu Romani cœli Germanorum corporibus infeſtiſsimo afficiebantur. Quorum vtrique occurrere Lotharius cupiens vrbe ceſsit, ac Lombardiam repetiit. Ibi in agro Mantuano cum eſſet, priuilegium Mantuanis dedit, quo omnibus conceſsionibus Henrici renouatis *manſionaticum* relaxauit. atque inde in Germaniam tranſiit. Eo vrbe profecto Anacleti factio è turribus exiit, ac per vrbem volitans cædem amicis Innocentii intentare, ac nouo omnia tumultu permiſcere inſtituit. Quare Innocentius intelligens manſionem ſuam in vrbe rationibus Eccleſiæ parum conducere, ne præſentia ſua rabiem, ac furorem aduerſariorum accenderet, Piſas, ciuium erga ſe benignitatem expertus, repetiit, eòq. nouum Concilium ex toto Occidente indixit. Quod vbi Bernardus Claraualleſis audiuit, epiſtolam, quæ extat, ad Piſanos ſcripſit, adhortans eos, vt ſingulari ſtudio Pontificem cum Cardinalibus cuſtodirent, atque honoris accepti magnitudinem aſsiduitate officii compenſarent: *Aſſumitur*, inquit, *Piſa in locum Romæ, & de cunctis vrbibus terræ ad Apoſtolicæ ſedis culmen eligitur. nec fortuitu, ſiue humano iſtud contigit conſilio, ſed cæleſti prouidentia, & Dei benigno fauore fit, qui diligentes ſe diligit, qui dixit Chriſtò ſuo Innocentio: Piſam inhabita, & ego benedicens benedicam ei: hic habitabo, quoniam elegi eam. Me auctore tyranni Siculi malitiæ Piſana conſtantia non cedit, nec minis concutitur, nec donis corrumpitur, nec circumuenitur dolis. O Piſani, Piſani magnificauit Dominus facere vobiſcum, facti ſumus lætantes. Quæ ciuitas non inuidet? ſerua depoſitum vrbs fidelis, agnoſce gratiam, ſtude prærogatiuæ non inueniri ingrata. Honora tuum, & vniuerſitatis patrem, honora mundi principes, qui in te ſunt, & iudices terræ, quorum te præſentia reddit illuſtrem, glorioſam, famoſam.* Eodem anno Cremonenſes, vt quotidianis Mediolanenſium impreſsionibus occurrere facilius poſſent, caſtrum Piceleonis ad amnem Abduam extruxerunt. Conradus, poſtquam Lotharium Auguſtalibus inſignibus potitum, atque incolumem ex Italia reuerſum ab omnibus celebrari, ſe verò diris ab Eccleſia obſtrictum, atque à pleriſque deſertum vulgo contemni animaduertit, de redimenda eius, quoquo modo poſſet, gratia agitare inſtituit. & cum ſe ad Bernardum Claraualleſem contuliſſet, auctoritate eius facile, quæcunque
1134 petiit, impetrauit. Itaque ſequenti anno ad eum Bambergæ conuentum in Quadrageſima habentem acceſsit, ac titulo regio depoſito, vt ſe in gratiam reciperet, exorauit.

IDEM

IDEM LOTHARIVS REX, ET IMPERATOR SOLVS.

INTERIM Mediolinenſes, cum ſe ſacrorum communione ſpoliatos, & metropolitana dignitate nudatos cernerent, eò quòd Anſelmum ſequuti Conrado, & Anacleto hæſiſſent, actorum pœnitentia ducti auctore Ribaldo epiſcopo, quem Anſelmo repudiato ſublegerant, Innocentij, & Lotharii recuperare gratiam ſtuduerunt: atque ea de re litteras item ad Bernardum, cuius maximam eſſe norant auctoritatem, ſcripſerunt. Bernardus autem ad Concilium Piſanum ab Innocentio accerſitus, cum per Lombardiam eò feſtinans tranſiret, litteris reſcriptis gratulatus eſt, quòd errorem depoſuiſſent, & ſe votis eorum obſequuturum, atque in reditu ad eos acceſſurum promiſit. Eo Piſas profecto, Concilium eſt inſtitutum, atque eius potiſsimùm ſapientia, conſilioq. perfectum. Eius Concilii actiones fuere multæ. ſumma tamen in Anacleto cum fautoribus execrando verſata eſt. Mediolanenſibus, qui ad auctoritatem Innocentii, Ribaldo auctore, redierant, honoris cauſſa multa tributa; vt Ribaldus, quem ipſi delegerant, dignitatem teneret; vt ea ſedes metropolitana, ſicut antè, eſſet, ac pallio dignaretur; vt legatio ad eos expiandos honeſtiſsima mitteretur. Miſsi verò ſunt Guido Piſanus, & Matthæus Albanus epiſcopus legati à latere. atque eis ſocius eſt adiunctus ipſe, quem in primis requirebant, Bernardus, vt diſsidium ab Anſelmo archiepiſcopo excitatum extinguerent, ac populum religione contractum ſcelere liberarent. Mediolanenſes, vbi Bernardum cum legatis aduentare ſenſere, extemplò ingenti lætitia vrbe effuſi obuiam ad ſeptem millia paſſuum prodiere, tanta ordinum, ætatum, ſexuumq. vniuerſorum frequentia, vt vrbem deſerere, atque aliò commigrare ipſos putares velle, interſtinctis autem eum agminibus, partitiſque recipientes certatim & intueri, & alloqui, & pedes etiam deoſculari geſtiebant. quin & pilos de veſtibus eius detractos ad opportuna incidentium morborum remedia reſeruabant, omnia ſancta iudicantes, quæ ille contigiſſet, & ſe ſanctos fieri eorum contactu putantes. atque ita lætis clamoribus in vrbem, & hoſpitium deduxerunt. Die inde conſtituto Conſilium eſt habitum. Ibi primùm Anacleto reiecto, Innocẽtium, vt verum, & Catholicũ Pontificem, approbarunt. deinde Conrado repudiato, palàm Lotharium regem, & dominum acceperunt, & Romanorum Imperatorem Auguſtum vnà cum toto terrarum orbe confeſsi ſunt. & de

contumacia adhibita ſe ex conſilio, & mandato Innocentij ſatisfacturos eſſe tacto ſacroſancto Euangelio ſpoponderunt, ac mox Bernardi iudicio ſe ſubiicientes piaculum, quod ille impoſuit, receperunt. Dum autem Bernardus Mediolani fuit, quamplurimos, qui offerebantur, homines malè affectos diuina virtute cum omnium admiratione ſanauit. claudis ingreſſus, cæcis aſpectus, debilibus priſtinus artuum motus eſt reſtitutus. præcipuè autem multi, quos per ſchiſma dæmon inuaſerat, ea moleſtia liberati. Inde iuſſu Innocentij ad pacificandas ipſas inter ſe Lombardiæ ciuitates profectus Papiam, & Cremonam ſe contulit. Cum autem apud Cremonenſes nihil profeciſſet, eorum Innocentio pertinaciam ſignificauit, his verbis: *Cremonenſes indurverunt, et proſperitas eorum perdit eos. Mediolanenſes contemnunt, & confidentia ipſorum ſeducit eos. Hi in curribus, & equis ſpem ſuam ponentes meam fruſtrauerunt, & laborem meum exinanierunt.* Mediolanum inde regreſſus ad Richizam Auguſtam diligenter de recipiendis in gratiam ſuam Mediolanenſibus ſcripſit, ac monaſterium Claræuallis propè Mediolanum ope Vidonis ex porta orientali Capitanei inſtituit. atque inde trans Alpes abiit. Lothario Italia profecto, Mutinenſes ſuperiore Nonantulanorum ad Bononienſes defectione commoti, ac nouis ſimul etiam eorundem iniuriis irritati in Nonantulanum, & Bononienſem agrum hoſtiliter incurrerunt, ac præda onuſti, antequam Bononienſis vltor adueniret exercitus, do-
1135 mum receſſerunt. Ex re cognita Bononienſes poſtero anno aduerſus eos decreuere bellum. Verùm re per arbitros tranſacta, haud ita multò poſt reddidere pacem. Ferrariæ Gulielmus Adelardus ciuitatis princeps baſilicam magnificè ædificandam curauit. eaq. ab Azone Cardinali iuſſu Innocentij pontificis conſecrata eſt. Placentini vrbem foſsis munire cœpere. Innocentius Piſis V. Idus Iunij ædem ſancti Cæſarij in agro Mutinenſi abbati ſancti Benedicti inter Padum,
1136 & Larionem attribuit. Poſtero anno, cum Mediolanenſes Innocentio reconciliati tamen titubare in officio, & obedientia viderentur, Bernardus litteras ad eos ſcripſit, ad retinendam conſtantiam incitans, & recentia Romanæ Eccleſiæ erga illos beneficia memorans: *Quid vobis Eccleſia Romana facere potuit,* inquit, *& non fecit? Si poſtulaſtis mitti ad vos de curia honeſtiſſimos homines ad honorem Dei, & veſtrum, miſit. Si electum à vobis patrem confirmari voluiſtis, confirmauit. Si epiſcopum in archiepiſcopum transferri cupiſtis, conceſsit. Si ciues veſtros ex vinculis Placentinorum eximi petiſtis, eruit. denique ad omnia officia cumulanda, pallium quoque indulſit. Nunc verò audi me ciuitas glorioſa: Romana*

Eccleſia

Eccleſia valde clemens eſt, ſed valde potens. noli abuti clementia, ne abutaris potentia. Præſta ei omnimodam obedientiam. Si quidem plenitudo poteſtatis ſuper vniuerſas orbis eccleſias ſingulari prærogatiua Apoſtolicæ ſedi donata eſt. qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Quid verò tibi profuit vetus tua rebellio? Quem fructum habuiſti, in quibus nunc erubeſcis? agnoſce potius in qua poteſtate, gloria, honore ſuffraganeorum tuorum tandiu priuata extitiſti, quis pro te valuit aduerſari apoſtolicæ auctoritatis iuſtiſſimæ ſeueritati, cum prouocata tuis iniurijs decreuit te tuis antiquis illis, & præclaris ornamentis nudare? Et hodie truncata membris iaceres, niſi benignius, quàm potentius, tecum actum fuiſſet. Eodem anno Lotharius pace latè tota Germania præſtita, vt Lombardos nouos in Italia motus cientes comprimeret, & Rogerio, qui propè vnus Anacleto fauebat, armis vindicato Innocentium opem aſſiduè per litteras, ac nuncios implorantem reduceret, alteram in Italiam expeditionem decreuit. Itaque exercitum multò, quàm ante, maiorem, atque omnibus rebus inſtructiorem parauit. & cum Richiza Auguſta, Henrico Duce Bauariæ genero, & Conrado Duce, qui ſe regno nuper Italiæ abdicarat, ineunte autumno in Italiam tranſiit, populis ad tanti apparatus famam latè in agris, atque oppidis trepidantibus. Ad lacum Benacum progreſſus caſtrum Gardæ, ad Padum, Vardaſtallum recepit, atque eorum vtrumq. Henrico genero beneficij loco attribuit. His de rebus anxij ad eum Italici conuenerunt. ac lites, quas initis dirimere certaminibus inſtituerant, continuò ad illius iudicium reuocarunt. Cremonenſibus, & Mediolanenſibus, cum obuiam prodiiſſent, ac controuerſiam ad eum, de qua armis toties inter ſe dimicauerant, detuliſſent, auditis, Cremonenſes iudicati hoſtes ſunt. Cremenſes à Cremonenſibus accuſati, quòd, cum ex comitatu, diœceſiq. ſua eſſent, ad Mediolanenſes defeciſſent, cum compellati die dicta non affuiſſent, Lotharij ſententia condemnati. Papiam inde progreſſus pecunia accepta ciues illos recepit in gratiam. Quin etiam cum Bononienſibus vehementer, & Aemilienſibus, qui ſe ſpreuiſſent, & iniuſſu ſuo arma cepiſſent, eſſet infenſus, tamen Henrici voluntate commotus ignouit. Guarino inde cancellario in Campaniam miſſo, Taurinum vſque Lombardiam percurrit, atque omnes ciuitates imperium detrectantes ad obſequium compulit. Ad Tranſpadanos inde reuerſus VII Kal. Octobris ius ad Mincium dixit. VII Idus ad Caſale maius in agro Cremonenſi verſatus eſt. Conuentum inde in Roncaliis omnium principum frequentiſſimum habuit. Ibi VII Idus Nouembris, Indictione XV legem tulit; *Ne quis beneficia, quæ à ſuis ſenioribus habent, eorum*

diſtrahere iniuſſu poſſet. Cuius hoc eſt proemium; *Cum apud Roncalias ſecundùm antiquorum Imperatorum conſuetudinem pro iuſtitia, ac pace regni componenda conſideremus, omnia, quæ ad honorem Imperij Romani ſpectare videntur, ſolicite indagantes perniciosiſſimam peſtem, & reip. non mediocre detrimentum inferentem reſecare propoſuimus.* Parmæ fœdus cum legatis Petri Polani Ducis Venetorum redintegrauit. Decembrem inde menſem in agro Regienſi tranſegit, ac Richiza coniuge in vrbe ius dicere adhibito epiſcopo, conſulibuſq. Regienſibus iuſſa ipſe co-
1137 mitatum perluſtrans eidem officio inſeruiuit. Ianuario inde Rauennam in hiberna perrectum. atque ibi per ocium Rogeriani belli conſilia cum Henrico, Conradoq. compoſita. Piſani quoque, vt paratam in proximam æſtatem claſſem haberent, admoniti. Quibus rebus cognitis cura haudquaquam leuior Anacletum, Rogeriumq.; & partem eorum inceſsit, cum terra, mariq. tantum aduerſus ſe belli cernerent comparari. Guarinus, Lotharij cancellarius, ſub dies Natalicios Capuam progreſſus Senioreto abbati Caſsinati, qui monaſterium in Anacleti, & Rogerii auctoritate tenebat, mandauit, vt ad ſe veniret, ac præſtita Innocentio, ac Lothario obedientia poteſtati ſuæ monaſterium traderet. quod ille ex monachorum ſententia ſe negauit facturum. Guarino autem minante, ſe monaſterio excidium, ſi in pertinacia perſiſteret, illaturum, Senioretus Landulfum à ſancto Ioanne ad cuſtodiendum cum firma militum manu monaſterium accerſiuit. Quo terrore vniuerſa monachorum regio perturbata ab abbate præter ipſos Caſsini oppidanos defecit. Menſe inde Februario & Guarinus, & Senioretus ex hac vita ceſſerunt. In locum Senioreti Rinaldus abbas in diſſenſione ſublectus ſubitò ſe ab Anacleto confirmandum curauit. Qua re comperta, pars altera Innocentium, qui Piſis, & Lotharium, qui Rauennæ ſedebant, admonuit, eoſq. ad vindicandum Rinaldum, qui contra leges monaſterium obtineret, accendit. Adulto inde vere Henricus partem exercitus per Etruriam duxit, ac Pontificem Piſis ſuſceptum Romam deduxit. Ibi III Nonas Maij conuentus omnium epiſcoporum, abbatumq. qui adeſſe potuerunt, eſt habitus. ac rurſus Anacletus, Rogeriuſq. deuotus. Eo poſt triduum perfecto, Henricus vrbe cum Innocentio egreſſus Albam, quæ cum Anacleto ſentiebat, inuaſit, ac ſuburbiis diſiectis infeſtum inde in Campaniam ducere exercitum inſtitit. ac ſtatim Ricardum monachum, qui idem Innocentii erat ſacerdos, ad Caſsinas monaſterium miſit, qui moneret Rinaldum, ſe, ſi Innocentio obtemperare, & Lotharium recipere in animum induxiſſet, monaſterium ab omni ma

leficio, atque iniuria ſeruaturum. Qua re audita Rinaldus monachos aduocauit, atque vt in fide Anacleti, Rogeriiq. perſiſterent, obſecrauit. ſe enim monaſterium, quod ab eis acceperit, in eorum retinere poteſtate conſtituiſſe. ſubitòq. auxilia noua acciuit, quibus ſe monaſterium tueri poſſe confidit. Quæ vbi Ricardus vidit, ex loco diſceſsit, ac ciuitatem, quæ monaſterio continens eſt, ſacramentum dicere Innocentio iuſsit. Diebus inde vndecim interiectis Henricus Rinaldum ad ſe vocauit, acceptoq. aureo calice, & quadraginta libris, contraq. obſidibus aliquot datis abbatiam illi nomine Imperatoris firmauit, ſi in eius fide manſiſſet, & vexillum Imperatoris in arce, quæ ædi ſancti Benedicti imminet, ſtatuit. ac poſtridie Capuam verſus caſtra mouit. Ibi Aquilani ad eum venerunt, & ſe Innocentij, Lothariiq. imperata facturos, dixerunt. Quorum exemplo Capuani adducti & ipſi Rogerium reliquerunt, alii vt à Roberto Principe gratiam inirent, alii vt officio ſuo, ac fidei ſatisfacerent. Henricus, cum Principatum Capuanum Roberto reſtituiſſet, copias Beneuentum verſus promouit, & caſtra ad Pontem ſancti Vincentii propè vrbem locauit, ac legatis in vrbem miſsis ſuo, atque Innocentii nomine Beneuentanis mandauit, vt vrbem dederent, & commeatus exercitui expedirent, ſin minus, Pontificis execrationem, iramq. Imperatoris ſe ſubituros ſcirent. Legati, cum mandata expoſuiſſent, fautoribus Anacleti contradicentibus, re irrita redierunt. Interim Rogeriani milites ad triginta millia ſeſe ex oppido effudere, copiamq. pugnæ fecere. neque Henricus prœlium detrectauit. Signis collatis cum Henricus Germanos in prima acie ſtantes terga dare animaduerteret, reliquis imperat, vt traiecto amne collem, in quo ſitum eſt oppidum, occupent, vrbemq. à porta Aurea adoriantur. Id vbi fieri videre Beneuentani, actum de victoria rati ſtatim è pugna ſe ſubduxere, & fuga ſibi præſidium parauere. Quos Germani inſequuti vrbem ſimul cum eis effuſo agmine introiere. Beneuentum receptum Innocentio eſt conceſſum. Henricus, Campania in ditionem adducta, victor inde in Apuliam exercitum introduxit. Dum hæc ab illo geſta ſunt, Lotharius Rauenna profectus Romaniolam, Marchiam, & Vmbriam cum altero exercitu peragrauit, atque Anconem, & Spoletum, omneſq. ciuitates parere recuſantes ad imperium accipiendum adduxit. inde in Apuliam ingreſſus Barium vrbem inuaſit, leuiq. admodum negotio ciuibus vltro ſe dedentibus cepit. Ibi feſtus dies Pentecoſtes eſt actus. arciq., quæ à Rogerio conſtructa, & firmo prædonum, militumq. præſidio munita reſiſtebat, actis oppugnatio eſt admota. Dum au-

tem ille arcem premebat, Innocentius ab Henrico ductus ad eum venit. Itaque eximio ab eo honore cultus poſt cum eo vſque ad extremum permanſit. Lotharius inde negotio Henrico dato, vt armis cetera Apuliæ oppida pertentaret, ipſe Barij arcem oppugnare perrexit. Rogerius plurimum in ea arce conſeruanda ad victoriam momenti ponens haud ſibi cunctandum eſſe putauit, quin ad eam liberandam accurreret. Maximo tamen cum exercitu eò progreſſus Lotharium adeo exterruit, vt relicto prœlio ad montes ſe retulerit. Ita arx, cuſtodibus ſubſidij deſperatione debilitatis, in poteſtatem peruenit. incendioq. illato prædones capti fœdo omnes ſuſpendio enecati. Interim Henricus quoque Troiam, Garganum, Sypontum, Barulum, ceteraq. adiacentia Apuliæ loca, terrore armorum propemodum oſtentato, redegit in ditionem. Quibus rebus actis, Lotharius vnà cum Innocentio Melfiam, vt res Apuliæ conſtitueret, adiit, eoq. in feſtum ſancti Petri conuentum ad nouum Apuliæ Ducem inſtituendum indixit. Iampridem Italiam ingrediens Senioretum abbatem Caſsinatem monuerat, vt ſi cuius metu Romana ab Eccleſia defeciſſet, ſe auctore in fidem eius redire ſtuderet, quem vniuerſa Eccleſia patrem agnoſceret, ſe monaſterij iura exemplo ſuperiorum Imperatorum conſeruare paratum eſſe. eadem etiam à Richiza ad monachos ſcripta erant. Senioreto inde monacho, eadem renunciari Rinaldo iuſsit, adiiciens, vt quoniam in feſto ſancti Petri conuentum Melfiam edixiſſet, ipſe quoque, monachis ſecum prudentiſsimis ductis, eò veniret, omniaq. monaſterij priuilegia ſecum ferret. Quibus litteris Rinaldus ſibi obtemperandum ratus Melfiam ad lacum penſilem, vbi vniuerſus Lotharij exercitus cum Innocentio pontifice conſidebat, acceſsit. Aduentanti ei Innocentius nunciis obuiam miſsis mandauit, vt prius, quàm caſtra iniret, ipſe cum monachis ſuis ſibi nudis pedibus ſatisfaceret, ac pro obedientia Anacleto exhibita, piaculum, quod imponeretur, acciperet, ac iureiurando omnia ſua ſe mandata facturum, & Anacletum repudiaturum ſanciret. Rinaldus ſubita re pertubatus Lotharium appellauit, & ſe ex eius ſententia deliberaturum reſpondit. atque ita caſtra ingreſſus Lotharij iuſſu tabernaculum ſuum propè illius tabernaculum poſuit. Ea res animum haud mediocriter Innocentii perculit. Itaque miſsis Cardinalibus, à Lothario poſtulauit, vt Rinaldum cum monachis Anacleti obedientiæ renunciare, & ſibi dicere ſacramentum iuberet: monachis autem ſibi per maiorum ſuorum inſtituta iurare fas eſſe, negantibus, iuſsit, vt ab eorum, qui abſtenti eſſent, conſuetudine abſtineret. Qua re motus Lotharius diem VII

Idus Iulias ad cauſſam cognoſcendam conſtituit. atque vtriuſque partis patronos in conſilio ad illam diem adeſſe præcepit. Ea vbi dies venit, ipſe cum Peregrino, patriarcha Aquileienſe, archiepiſcopis, epiſcopis, & abbatibus plurimis aſsidens ad conſilium retulit, num monachi Caſsinates, quòd Anacletum recepiſſent, in pœnam anathematis incurriſſent, & num ſaluis legibus cogi ad iurandum Innocentio obſequium poſſent. Res per multos dies magna altercatione peracta eſt. Legati monachorum de iureiurando non dando priuilegia Caroli, Ludouici, Hugonis, Lotharij, Berengarij, Adelberti, trium Othonum, quattuor Henricorum, & vnius Conradi protulerunt, in quibus ſcriptum erat, ne monachi ad ſacramentum compellerentur, prout legibus à ſancto Benedicto datis contineretur. quæ priuilegia æquum eſſe dixit Lotharius, vt ab Innocentio ſeruarentur. De obedientia Anacleto præſtita, culpam in Innocentium coniecerunt, qui metu eccleſiam ſuam reliquiſſet, neque vt paſtor bonus vitam pro ouibus profudiſſet. Aduerſus quæ cum legati pontificii omnimodam poteſtatis pontificiæ plenitudinem obieciſſent, addiderunt, monachos Caſsinates cum Rogerio Siculo aduerſus Eccleſiam, atque Imperium coniuraſſe, atque vtroſque ſuo iudicio condemnaſſe, præterea abbatem contra leges iniuſſu Pontificis ſubrogaſſe. Quorum alterum ſe monachis condonare Lotharius dixit, alterum, quòd multis exemplis defenderetur, ſibi concedi ab Innocentio poſtulauit. Inſtantibus inde pontificiis, vt monachi ad ſacramentum adigerentur, quòd ſcriptum in Nicæno Concilio eſſet, ne reuertentes à ſchiſmate ſine ſacramento reciperentur, Lotharius, vt lenius cum Caſsinati ageretur eccleſia, poſtulauit. ac merita, laboreſq. ſuos pro Eccleſia Romana commemorauit, ſeq. cum ea diſſenſurum, ſi hoc ab ea impetrare non poſſet, indixit. ad quam vocem vniuerſus exercitus ſucclamauit. Demum Innocentius ab epiſcopis, abbatibus, principibuſq. omnibus, inde à Richiza, ad extremum à Lothario ipſo rogatus, vt monachis, ſi quid eos deliquiſſe putaret, ignoſceret, ſe in poteſtate eorum futurum reſpondit. Lothario verò ad ſe adeunti, magnopere ſe mirari dixit, quòd tam vehementer pro eis contenderet, qui ipſum deteſtati eſſent, ac Petri Leonis filium pro Pontifice recepiſſent. qui coronę alteri obtemperaſſent, atque vſque ad eam diem in pertinacia permanſiſſent. Lothario verò ſe omnem eorum culpam ſubire velle dicente; Tum ille, Digni eſſent, qui abdicarentur, inquit, quòd abſtentorum conſuetudine vſi, quòd ſuum Pontificem execrati ſint, verùm omnia illis ignoſcemus, ſi filium Petri Leonis, eiuſq. ſocios reſpuent.

Quod

Quod ille ſecuraturum reſpondit. Itaque ob id XV. Kal. Auguſti Rinaldum cum monachis, epiſcopis, principibuſq. ſtipatum ad Pontificem miſit. Quibus Cardinales obuiam progreſsi rogarunt, num filium Petri Leonis repudiare vellet. Quod cum ille annuiſſet, eorum iuſſu ita iurauit: *Ego Rinaldus deteſtor omne ſchiſma, & omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus ſanctam, & Apoſtolicam Eccleſiam. deteſtor etiam filium Petri Leonis, & Rogerium Siciliæ Comitem, omneſq. cum eis ſentientes, & obediens ero domino Innocentio pontifici, et omnibus ſucceſſoribus eius canonicè ineuntibus.* Monachi, cum iuſsi eſſent iurare, reſponderunt, ſe patri Benedicto, eiuſq. ſucceſſoribus ſatis ſacramenti dixiſſe. Verùm à Rinaldo iuſsi, vt obedientiam, quam patri Benedicto præbuerant, in manu quoque Pontificis aſſirmarent, & ipſi ad euangelia ab Oſtienſi adacti iurarunt, illo adiecto: *Quòd ſi Caſſinas Eccleſia à Romana ſeiuncta fuerit, ego in monaſterio non manebo, neque abbati dicto audiens ero fide Romano Imperio data incolumi.* Ita abbas, & monachi deteſtationis vinculis exoluti nudis pedibus ad pedes pontificios profecti pacis ab illo oſculum retulerunt. His actis Lotharius Reginulfum, ſiue Ranulfum, hominem Germanum Ducem Apuliæ declarauit. verùm orta inter ſe, & Pontificem de iure inueſtituræ diſſenſione, inſtitutionem in diem aliam diſtulit. Apuliæ, & Calabriæ terreſtribus locis fermè omnibus receptis, tum maritimis oppidis hoſtilis eſt terror illatus. Guibaldus abbas Stabulenſis VII Idus Iulii Lotharij iuſſu claſſem Salernum adduxit, ac magna mole vrbem oppugnare inſtituit. Piſani verò quadraginta ſex triremes omnibus rebus inſtructas eiſdem littoribus admouentes infeſtam omnem oram maritimam habuerunt. Pridie Nonas Auguſti cum adorti Amalfim eſſent, vrbem primo impetu expugnarunt. Quod autem ad memoriam eſt inſigne, ex omni præda vrbis nihil niſi rem vnam eximii loco beneficii à Lothario petierunt. Hoc fuit iuris ciuilis Pandectarum volumen, olim à Iuſtiniano Imperatore conditum, & priſcis admodum litteris exaratum: quod in hunc vſque diem Piſis Florentiam tranſlatum ibi magna, vt ita dicam, religione ſeruatur. Nonis inde Atturinam ceperunt, poſtridieq. Pugierulam, Rebellem, Scalam, Scallelam, Maioram, & Minoram, vrbes, vt ſanctus Bernardus ſcribit, munitiſsimas occuparunt. Septimo inde Idus Fractam caſtellum Rebellis gattis admotis aggreſsi. Ea verò difficiliorem aliquanto habuit oppugnationem. Rogerius cum auxilio Salerni claſſem ſuam adduxiſſet, ſummo congredi prœlio veritus aduerſus Piſanos contendit, & militibus in terram expoſitis pugnare ſe velle oſtendit. Prœlio V. Idus commiſſo, cum impetum ſuſtinere

Piſanorum nõ poſſet, in fugam actus, atque vſque ad mare compulſus in Siciliam abiit. Piſani, Fracta demum ſubacta, ad Iſclam inſulam, quę olim erat AEnaria, nauigarunt, eamq. armis adorti diripuerunt. ac ſpolijs onuſti Idibus Septembris domum ſe retulerunt. Per eoſdem etiam dies Guibaldus Salernum vario apparatu oppugnatum in ditionem adduxit. Id vtrius eſſe deberet, Pontificis ne, an Imperatoris, ali qua, neque ea exigua, controuerſia tenuit. Bruno Colonienſis archiepiſcopus mortuus. Corpus eius Barii honeſtisſimo funere elatum eſt. Lotharius, cum ex Apulia Capuam cum Innocentio acceſſiſſet, ac Rinaldum abbatem ad Rogerium defeciſſe audiſſet, cohortem militum præſidio monaſterii miſit, ac Rinaldum captum in cuſtodiam tradidit. inde ad oppidum S. Germani progreſſus, mox ſe ad cauſſam Rinaldi cognoſcendam properaturum, monachis nunciauit. ac ſumptis in Exaltatione Crucis Romani Patriciatus inſignibus, poſtridie ipſe cum Auguſta monaſterium adiit, ac multa beato Benedicto munera tulit. deinde vnà cum patriarcha, atque epiſcopis in Capitulo cauſſam Rinaldi cogniturus aſſedit. Rinaldus tribus criminibus oneratus eſt; quòd cum Rogerio conſenſiſſet, quòd creatus abbas contra leges fuiſſet, quòd ab Anacleto conſecrationem ſumpſiſſet. Ceterùm Innocẽtius hoc iudicium iniuſſu ſuo conſtitutum vſqueadeò moleſtè tulit, vt epiſcopos, abbateſq. qui ei interfuerant, abdicare ſtatuerit. Lotharius autem nihil ad eius contumeliam factum excuſans, omniaq. illi integra eſſe affirmans, legatos, qui rem cognoſcerent, poſtulauit. Per eos Rinaldus damnatus, atque abbatis officio ſpoliatus eſt. Innocentius monachis Lotharii rogatu ius abbatis ſufficiendi permiſit, ſibi confirmationem, & prandium in eundo Beneuentum, & redeundo retinuit. Guibaldus abbas Stabulẽſis Lotharii ſuffragatione ſuffectus eſt. Poſt octo inde dies Lotharius ad S. Germanum reuertit, atque inde ad Aquinũ vetus ſe contulit. Ibi demũ magna celebritate Ranulfus Dux Apuliæ Pontifice, atque Imperatore vexillũ vnà tradente, eſt inſtitutus. Robertus itẽ Princeps Capuę confirmatus. Vterque eorum Guibaldo abbati iurauit, ſe poſſesſiones monaſterii ſeruaturum. Lotharius inde, cum X. Kal. Octobris omnia veterum Imperatorũ priuilegia Richizę precibus confirmaſſet, cum Pontifice Romam deceſſit. ac pridie Kal. litteras ex ſuburbio Tiburtino ad abbatem Guibaldum dedit, quibus Petrum diaconum vnà cũ priuilegiis monaſterii ad ſe mitti pręcepit. Innocentioq. Romę cõſtituto per Etruriam contendit in Lombardiã. Innocentius inde, cum Anacletum adhuc furere in vrbe videret, Bernardum Claraualle ſibi, ac laboranti Eccleſię vocauit opitulatum. Itaque profectus Ro-

mam Bernardus iuſſu eius opus magnum, ac difficile eſt aggreſsus. Etenim cum ſe in ſermonem, ac conſuetudinem hominum inſinuans reperiret, clerum pertinaciam retinere, quòd contractam infamiam exhorreſceret, propinquos Anacleti, quòd principem familiæ ſuæ dehoneſtare non ducerent conuenire, reliquos verò, quòd ſe ſacramenti religione aſſererent obligatos, *Nolite dubitare*, inquit, *Nam omnes impietatis collationes ſacrilegæ ſunt, nec iureiurando vllo fulciri poſſunt. neque conuenit, vt veritatis ſacramenta vlli mendacio ſuffragentur*. Quibus vocibus icti multi ab Anacleto ſe remouerunt, atque ad Innocentium conceſſerunt. Quò autem magis Innocentii dignitas augeſcebat, eò Anacleti potentia in dies vehementius concidebat. Nam & pecuniæ deficiebant, & curiæ ſplendor obſoleſcebat, & familiæ amplitudo ſquallebat. &, quod neceſſariò conſequebatur, ne ipſe quidem priſtinos animos, ſpirituſq. gerebat. Interim Rogerius Salernum ex Sicilia cum exercitu ad repetendā armis Italiam Lothario longè abſtracto profectus Innocentium monuit, vt ad ſe Aimericum cancellarium, & Bernardum abbatem, Anacletum verò, vt Petrum Piſanum mitteret. dicebat autem, ſe velle huius disſidii cauſſam ediſcere, eaq. cognita opportunam ei medicinam afferre. verùm re vera ſperabat, ſe Petri Piſani inſigni per ea tempora eloquentia, ſingulariq. doctrina minus promptā Bernardi obruere ſimplicitatem poſſe, atque eo facto Anacleti dignitatem propè intermortuam excitare. Venerunt autem ambæ partes, ſed Bernardus prior. nec multò poſt Rogerius, licèt vehementer à Bernardo deterritus, prœlio cum Ranulfo Duce conflixit, atque acie pulſus illius impetum nō ſuſtinuit. Collectis tamen ex fuga copiis ſpem vultu ſimulans vtriuſque partis aduocatis operā dedit. Prior Petrus dicere iuſſus legum præſidio Anacleti electionem fulcire contendit. Tum Bernardus, Vna, inquit, fides eſt, vnus Dominus, vnum baptiſma. in veteri etiam teſtamento vna arca. Si autem arca, quam regit Petrus, eſt vera, profectò illa, cui præeſt Innocentius, obruetur. Peribit igitur tota Occidentalis eccleſia, Francia, Hiſpania, Germania, Anglia. peribunt monachi Camaldulenſes, Ciſtercienſes, Clarauallenſes, aliaque innumerabilia ſeruorum Dei collegia, epiſcopi, abbateſq. omnes. ſoluſq., qui arcam Petri ingreſſus eſt, Rogerius conſeruabitur, & prehenſa manu Petri, Quin tu igitur, inquit, arcam tutiorem ingrederis, & ſaluti tuæ conſulis? atque ita, vt ad Innocentium tranſiret, induxit. Rogerius tamen in ſua ſententia manſit, quòd patrimoniis Eccleſiæ in Caſſinati, & Beneuentano agro auidus imminebat. Itaque motis caſtris totam ferme Apuliam præter Barium, &

Melſiam recuperauit, inde Puteolos, Allifas, Teleſiam, Capuamq. armis adortus, cum eas vi cepiſſet, primùm ita diripuit, vt ne eccleſijs quidem temperatit, deinde vaſtitate etiam, atque incendijs deformauit. Lothario Campania egreſſo Rinaldus, qui abbas Caſinas fuerat, cum eſſet abbas S. Magni Fundis relictus, ad arcem, quæ Caſtrum Cœli dicebatur, acceſsit, & contractis amicorum, propinquorumq. auxilijs ſtatim Sanctum Germanum recepit, & poſtridie ad occupandam abbatiam aſcendit. verùm Guibaldus ope Landulfi ipſum non ſolum ab aditu monaſterij repulit, ſed etiam Sancto Germano deiecit, atque oppido incenſo, litteras ad Lotharium imploratum auxilium miſit: *Poſt profectionem à nobis veſtram*, inquit, *Sarraceni, Nortmani, & Longobardi in Campaniam irrupere, ac direptione, incendio, ac cæde omnia miſcuere, præcipue verò in prædijs Caſſinatis monaſterij, aliarumq. eccleſiarum bacchantur, monachos vincientes, cruciantes, ac diuendentes, ac templorum valuas, ſi quas clauſas offenderint, refringentes, atque omnis ætatis, ſexus, graduſq. homines ad tradendum aurum ſupplicijs acerbioribus adigentes. Noſtrorum autem dictorum teſtes ſunt ciuitates Puteolana, Allifana, & Teleſina, quæ nihil aliud, niſi olim ſe fuiſſe demonſtrant, & ſi quæ ſ: perſunt, ſolo æquantur, vt Capua. nam poſtquam fortunas, & homines exhauſerunt, incendium ſubiecerunt. Quanta verò Caſſinati monaſterio poſt veſtrum diſceſſum detrimenta intulerint, commemorari non poteſt. Quamobrem te rogamus, inuicte Cæſar, vt nobis dubijs in rebus noſtris maturum auxilium præbeas.* His litteris miſſis mox, vt inſtans periculum euitaret, legatos ad Rogerium Capuæ commorantem miſit, ac pace petita ſe amicum illi fore ſpopondit. Quibus Rogerius reſpondit, ſe nulla ratione adduci poſſe, vt abbatẽ ab Imperatore conſtitutum in Caſinati cœnobio conſeruaret. immo ſi illum adeptus eſſet, ſe laqueo necaturum. Quæ vbi Guibaldus audiuit, metu exterritus extemplo monaſterium Landulfo cuſtodiendũ reliquit, ac quarto Nonas Nouembris imprudentibus fratribus noctu diſceſsit, monachis abbatis ſubſtituendi poteſtate permiſſa. Poſt tredecim dies Rinaldus alter ex ipſa familia ſubrogatus eſt. Rogerius, cum vrbes, & caſtra vſque ad fines monaſterij recepiſſet, abbati neganti, ſe cum eo conſenſurum, minatus eſt, ſe omnia monaſterij caſtra, villaſq. diſturbaturũ. Qua voce perculſi accolæ cũ vxoribus, & liberis ad monaſterium confugerunt. verùm paullò poſt rebus ab abbate compoſitis, ſalui ad ſua ſe retrulerunt. Lotharius in Lombardiam profectus Cremonenſium impulſu Cremenſes perſequutus eſt armis, quòd ſingulari contumacia vſi edictis ſuis non paruiſſent, neque citati in ius veniſſent. vbi verò Cremã ſuis, & Cremonenſium copijs adortus nihil ſe

proficere oppido natura, arteq. munito, & mirifica Cremenſiũ fortitu dine ſenſit, relicta poſt menſem obſidione ſe recepit Cremonã. Cremo nenſibus inde, quod eorum in ſe ſeu veras, ſeu falſas inſidias comperiſſet, iratus acceſſit Mediolanum, belloq. Nouembri menſe oppugnare eos aggreſſus Soncinum, Basſianum, multaq. alia ex eorum iuriſdictio ne caſtra deleuit. atque his rebus in Italia geſtis in Germaniam iter intendit. Cum autem in vallem Tridentinam perueniſſet, repentino, eoque exitiali morbo oppreſſus ibi in ſylua inter Oenum, & Lycum in vilisſima caſa ſubſedit. Itaque qui litteras Guibaldi abbatis ferebat, reddere animam agenti non potuit. tertio autem Nonas Decembris è vita deceſſit. Fuit Lotharius non minus pietatis, quàm virtutis laude hominum memoriæ commendatus. Virtutis elogium edidit abbas Vrſpergenſis, homo Germanus. *Erat*, inquit, *ſtrenuus belli ductor, præcipuus in armis, prouidus in conſilio, terribilis inimicis Dei, & ſanctæ Eccleſiæ. qui quandiu vixit, totum Romanum imperium titubare non potuit.* Pietatis teſtimonium eſt apud Petrum Diaconum, hominem Italum. *Iam verò*, inquit, *quis tanti Imperatoris animum non admiretur? Sederat ad ſedandas diſſenſiones fratrum in Capitulo à prima diei hora vſque ad veſperam abſque cibo, potuque perdurans, dũ paci, unitatiq. conſuleret. nempe enim ſub Imperij chlamyde cæleſti militabat Regi. Nam, ut ipſe teſtis ſum, in expeditione conſitutus ſummo diluculo miſſam pro defunctis, dehinc pro exercitu, tertiã poſtremo diei miſſam audiebat. demum viduis, & orphanis cum Auguſta pedes lauans tergebat crinibus, & oſculabatur, cibumq. illis, ac potum large diſtribuens; quæſtioneſq., & oppresſiones eccleſiarum prius releuans vltimo in loco imperium ponebat. Quandiu verò in Casſinenſi clauſtro remoratus eſt, ita omnes officinas monaſterij, ac ſi abbas, vel decanus, circuibat, ſcire cupiens, quomodo quiſque ſub beati Benedicti magiſterio viueret, factoq. mane orans monaſterij eccleſias nudis pedibus circuibat. & hæc agens nunquam à conſortio epiſcoporum, & abbatum auellebatur, & cum ſapientibus ſermocinabatur. Erat cæcorum baculus, eſurientium cibus, miſerorum ſpes, lugentium conſolatio. atque ita in ſingulis eminebat virtutibus, vt omnes perfectè haberet. Sacerdotes honorabat, vt patres; pauperes fouebat, vt filios; viduas, vt matres. Erat orationibus peruigil, lacrymaſq. creberrimas contriti cordis Deo offerebat.* Hactenus Petrus. Conſtans præterea doctorum hominum monumentis eſt fama, Lotharium, vt ex vno iure ciuili Romano poſthac iudicia fierent, lege ſanxiſſe. Ante hoc tempus Italici certe alii Longobardica, alii Salica, alii Romana lege vtebantur. in poſterum autem omnes vni iuri, vniq. legi, reliquis abrogatis, nempe Romanæ obtemperarunt. iuſq.

ciuile publicis Italiæ in gymnaſijs maiore celebrari ſtudio, & diligentiore coli opera cœptum. Primus autem Bononiæ Irnerius exponere cœpit, vt Odofredus memoriæ prodidit. primuſq. gloſſas, vt vocauit, in illud ſcripſit. quem deinde alij ſequuti certatim illius ſunt induſtriã æmulati. Hoc autem ſenſiſſe quoque videtur Vrſpergenſis, cum Irnerium regnante Lothario ad Pandectas interpretandos acceſſiſſe ſcribit. in eo tamen apertè falſus, quòd Mathildis rogatu id ſuſcepiſſe muneris ait, quæ multò ante Lotharij Imperium è vita migrauit.

CONRADVS II REX ITERVM.

PRINCIPIO ſequentis anni comitia creando regi Moguntiam in proximam Pentecoſten indicta ſunt. Plerique principum in Conradum, qui paullò ante cum Lothario decertarat, animo propendebant. Itaque veriti, ne, ſi generalibus res comitiis traderetur, Henricus Bauariæ, ac Saxoniæ Dux, Lotharii gener, qui Imperatoria apud ſe inſignia obtinebat, gratia præualeret media Quadrageſima Confluentiæ conuenerunt, atque ipſum Theoduino pontificio legato probante regem declarauerunt. inde Aquas profecti per eundem etiã conſecrarunt. nam eccleſia Moguntina archiepiſcopi, Colonienſis pallii dignitate vacabat. Conradus paſchate Coloniæ celebrato, Moguntiam adiit, atque ibi Albertum archiepiſcopum à clero, populoq. deſignatum probauit. Controuerſia inde ab Henrico de iure comitiorum illata, ipſum, dum vixit, eximiè fatigauit. cauſſamq. attulit, cur ad coronam à Pontifice accipiendam non venerit. Saxones, & Henricus, qui concilio Confluentiæ caruerunt, Conradum vitio creatum inſimularunt. Qua re motus Conradus conuentum Bambergam ad eam rem cognoſcendã indixit. Ceterùm, cum reliqui præſto fuiſſent, Henricus non affuit. Itaque inſignia reddere die S. Petri præſtituta eſt iuſſus. Vbi verò ea venit, promiſſis maximis oneratus reſtituit, verùm eorum, quæ oſtentata fuerant, nihil obtinuit. Itaque indictis inimicitiis iratus abſceſſit. Quamobrem iudicio apud Herbipolim conſtituto principum ſententiis eſt proſcriptus, ac proximis Domini Nataliciis à rege, cum eſſet Goſlariæ, propria ditione nudatus. Atque hunc quidem in modum Imperium ad Gibellinos reuertit. Dum autem hæc in Germania adminiſtrantur, Rogerius morte Ranulfi Ducis erectus, in Apuliam reuerſus Melfiam, ac Barium expugnauit, ac Reginonẽ Ranulfi fratrẽ

1138

haud magno negotio exturbauit. & ſæuire in eccleſias inſtitit, Præcipuè autem capto Bario Brunonis archiepiſcopi, & Ranulfi Ducis ſepulchra reuellit, & cadauera eorum educta per forum traxit, ac demum crudelitate barbara lacerauit, ac Caſſinas monaſterium opulentisſimum prædæ cupidus expilauit. Robertus Princeps cum multis ex Apulia, Campaniaq. extorribus, cum aliud perfugium non haberet, ſe ſe ad Conradum regem in Germaniam contulit, eumq. ad amiſſas regiones bello, armiſq. recuperandas aſsiduè inde ſtimulare pertexit. Quibus malis cognitis Innocentius ſacra Rogerium deteſtatione perſtrinxit. Per eoſdem etiam dies Anacletus eſt mortuus, neque humili ſolum funere à ſuis elatus, ſed obſcuro etiam in loco ſepultus. Quo facto Cardinales eius, non vt vltra disſidium alerent, ſed ut aliqua interpoſita mora commodius ſeſe in gratiam Innocentij inſinuarent, Gregorium Romanum Cardinalem ſublegerunt, ac pro Pontifice cultum Victorem quartum appellauerunt. Bernardus autẽ, qui adhuc Romæ erat, pernicioſo finem disſidio pro eximia ipſius erga Eccleſiam Rom. beneuolentia quærens noctu ipſum adijt. & cum eo collocutus ad inſignia deponenda, atque ipſius Innocentij accipiendum imperium pro ſumma, qua apud omnes valebat, auctoritate adduxit. Itaque Victor ad Innocentium à Bernardo perductus veniam facilè, cum poſceret, impetrauit. Disſidio pesſimi exempli ſublato, Innocentius tandem debitum ab vniuerſo populo obſequium tulit. Ingens propterea in vrbe gratulatio facta, ſupplicationibusq. ad templa indictis, meritus Deo honor eſt habitus. Bernardus inde, qui pater patriæ ſalutatus à populo fuerat, poſt ſeptem dies, ciuitate tota honoris gratia proſequente, diſcesſit. Interim Innocentius priſtinam vrbi faciem reſtituit, reduxit exules, vetera eccleſiarum miniſteria reuocauit. plebem ad audiendum verbum Domini poſitis armis adduxit. ac demũ ex communi patrum ſententia ſe Eccleſiam conſtituere velle profeſſus concilium omnibus epiſcopis in proximum Quadrageſimæ tempus edixit. atque interim ædem S. Anaſtaſij ad Aquas Saluias nobili monaſterio exornauit, eoq. amplo patrimonio decorato, abbatem cum monachis aliquot à Claraualle Bernardum Piſanum acciuit. Poſtero autem anno, vbi dicta conuentui dies accesſit,
1139 cum patres in Laterano prope mille adeſſent, ad eos cum de tota Eccleſia, tum maximè de præterito disſidio retulit. atque ex eorum auctoritate ſalutaria multa decreta fecit. quorum hæc ad noſtram notitiam peruenerunt. Anacleti fautores omnes damnati, atque ad piaculum accipiendum adacti. ordinationes ab eo factæ, ſiue ab iis,

quos ille ordinauerat, infirmatæ. Certamina, quæ Torneamenta dicebantur, in quibus per prouocationem certo non ſolùm corporum, ſed etiam animarum exitio pugnabatur, interdicta. Arnoldus Brixianus, tanquam hæreticus, Italia excedere iuſſus. Hic ſuperioribus annis ex Francia, in qua ſtudijs litterarùm vacauerat, Brixiam reuerſus habitum religioſum aſſumpſerat, cumq. dicendi facultate valeret, nouitatis ſtudioſus prauas ſerere in Eccleſia opiniones ſecundis popularium auribus cœperat. neque clericos aliquid proprij, neque epiſcopos regalia, neque monachos poſſesſiones habere debere. ea omnia principum eſſe. atque ab eorum benignitate in vſum tantummodo laicorum ſuppeditari oportere. Quibus, aliisq. eiuſmodi ſententijs cum eccleſiam Brixianam corrumperet, hoc anno ab epiſcopo ad Concilium accuſatus, atque ab eo notatus ex Italia ceſſit. Perfecto concilio, illud conſequi videbatur, vt acrius in Rogerium ageretur. Hic enim non ſolum adulterinum veneratus Pontificem fuerat, ſed etiam diris deuotus in pertinacia permanebat, atque electiones, & conſecrationem epiſcoporum ad ſe contra decreta trahebat. & Sanctum Germanum, aliaq. Caſſinatis eccleſiæ loca per vim occupata tenebat. Comparato igitur Romanorum exercitu, ipſe Leonis noni exemplo aduerſus eum progreſſus eundem omnino exitum habuit. Nam Rogerium ad S. Germanum obuium factum omnibus Caſſinatis monaſterij locis eiecit, atque in caſtrum Gallutii compulſum acri obſidione circundedit. Verum Gulielmo, Rogerii filio, Tarenti Principe cum firmo militum robore ſuperueniente profligato exercitu ipſe cum Cardinalibus IX Kalendas Auguſti eſt comprehenſus. Rogerius obſidione liberatus ipſum Neapolim deduxit, atque eximio, vt decuit, honore tractauit. Ibi pacis mentione vtrinque illata res haud ægrè conuenit. Rogerius Innocentium cuſtodia, Innocentius Rogerium contracta noxa exoluit, &, ne vlla in futurum belli materia ſupereſſet, ipſum regem Siciliæ, Ducem Apuliæ, & Calabriæ, & Principem Capuæ appellauit, atque hominem, vt vocabant, ligium Eccleſiæ confirmauit. Simul etiam illud cautum, vt bona eccleſiarum reſtituerentur, & lectiones epiſcoporum iuſtè conficerentur. Interim in Germania res grauisſimè perturbatæ. Conradus enim ditiones Henrico Duci adeptas neceſſariis ſuis donauit, Ducatum quidem Saxoniæ Alberto conſobrino, Bauariam vero Leopoldo fratri ex eadem matre nato. Henricus autem ditionem recuperare ſuam cupiens Albertum Saxonia depulit. &, cum aduerſus Leopoldum contenderet, morientem Velſo frater excepit, qui Saxonibus adiuuantibus

paruulum Henrici filium ſibi ſuſcepit pro viribus defendendum. Ita Conradus Saxoniæ, Bauariæq. cauſſa graui eſt, ac diuturno Velfonis bello implicitus. renouataq. verus eſt concertatio, quę Gibellinæ fuit familiæ cum ea, que Velfonum eſt appellata, quatum illa quattuor cō tinuatos Imperatores, hæc plurimos Duces tulit. Velfoni autem vires Rogerius Siculus pecunia miniſtrata ſuppeditauit, veritus, ne Conradus domeſtica aliquando ſeditione perfunctus in Italiam ad coronā accipiendam adiret, ſeq. Germanicis, atque Italicis copiis iunctis iterū vetere Italię poſſesſione deiiceret. Ceterū abſente rege, ac prope neceſſariò res Italiæ negligente arma in Italia deintegro ſumpta, infirmio reſq. à potentioribus nulla regis habita ratióne oppresſi. Quippe hoc anno Cremonenſes irati, quòd Lotharii auxilio Cremenſium vlciſci iniurias nequiuiſſent, magnis delectibus habitis Nonis Iuniis Cremæ oppidum petiuerunt, idq. propriis viribus acriter oppugnare inſtituerunt. Ea re comperta, Mediolanenſes propere accurrere, factoq. impetu non ſolùm eos ab obſidione depulere, ſed etiam ad Riuoltam prœlio decertare cōpulſos pleroſque cepere, ac Mediolanum in carceres tranſmiſere. Eodem anno Genuenſes à Conrado rege pecunię ſignandæ ius impetrarunt. Itaque in hunc vſque diem accepti beneficii
1140 monumento nummos aureos ipſius Conradi regis nomine ſignant. Poſtero, qui fuit milleſimus centeſimus quadrageſimus, Velfo Leopoldum Valeium caſtrum oppugnantem ſubitario exercitu adducto inuaſit, atque Idibus Auguſti acie congreſſum in fugam dedit. Inde cum aduerſus Conradum regem caſtrum Vinſpergum acriter obſidentem ſe conuertiſſet, turpiter ab eo ſuperatus in feſto S. Thomæ diſcesſit. Eodem anno hæc in Italia geſta. Faneſtres bello Senogallienſium, Piſaurenſium, & Rauennatum oppresſi communi conſilio legatos ad Petrum Polanum, Ducem Venetorum miſerunt, ac deditione facta, vt ſe aduerſus infeſtam vicinorum impresſionem defenderet, petierunt, certo ſe illi tributo quotannis in Purificatione ſoluendo, & perpetua fidelitate deuincientes. Quibus receptis Dux, vexillo de manu patriarchę ſumpto, claſsē aduerſus Faneſtriū hoſtes adduxit, atque oppugnatione vrbibus oſtentata, facilè ad pacem Faneſtribus reddendā adegit. Comes item Intemellinus à Genuenſibus, à quibus defecerat, terreſtri, maritimoq. armorum apparatu oppreſſus eſt. Intemellini victi fidem populo Genuenſi iurarunt. Placentini, & Papienſes fœdus inter ſe percuſſerunt, quo ſe inuicem adiuturos iurarunt aduerſus omnes populos præter Nouarienſem. Placentini etiam ius ſignandæ pecuniæ à Conrado obtinuere. Creſcebantq. in dies magis Italiæ ciui-

tates populis, ac Comitibus ex diœceſi certatim apud eas ſacramēta ſal ua fide regi data dicentibus. Rogerius rex, & Amphulſus filius eius, Capuæ Princeps, exercitus adduxerunt, ille vſque ad amnem Piſcariam, hic vſque in Comitatum Aprutii. Rogerio ad fidem, officiumq. redacto, reſtabant Tiburtes, Præneſtini, Tuſculani, & Albani, qui ſuperiore disſidio deprauati ſolemne Innocentio obſequium denegabant. Hos igitur Innocentius, licèt acerbiore in eos animo eſſet, tamen ſacrorum interdicto percutere, ſatis in præſens habuit; credo, quòd Romanorū viribus ſuperiore bello attritis tantum ſubito bellum aggredi parū expedire putauit. Itaque neque hoc āno, neque ſequēti quidquā 1141
aduerſus eos mouit. quo anno Velſo turbare res in Germania inſtitit, neque Conradū vlla ratione de corona, aut de Italia cogitare permiſit. 1142
Proximo verò, Tiburtes neglecta religione adhuc in contumacia permanentes armis cogendos, qui vltro obtemperare nollent, decreuit, ac re cum Romanis communicata exercitum eorum eduxit, atque acriter vrbem obſidere inſtituit. Tiburtes autem cernentes, ſi diutius obſidio traheretur, ſe commeatuum, qui in dies magis in vrbe minuebantur, inopia ad deditionem neceſſariò deuenturos, conſilium experiendæ cum virtute fortunę ceperunt, ac repente portis egresſi, & caſtra Pontificis, ac Romanorum adorti, eos ſecum prœlio decertare coegerunt, ac demum loco motos caſtra opulentisſima deſerere, & fuga ſalutem ſibi quærere compulerunt. Per eoſdem dies Mutinenſes Nonantulæ oppido ſpoliatos ſe à Bononienſibus indignantes rurſus in agrum Nonantulanum hoſtiliter incurrere. verùm, Bononienſibus accurrentibus prœlio in Campo, qui Vallis Lauini dicebatur, congresſi magnum incommodum accepere. In Germania Conradus poſt Paſcha conuentum Francfordiæ omnium Germanici regni principum egit, ac Saxones veniam poſtulantes in gratiam ſuam recepit. Quin etiam à Ioanne Imperatore Conſtantinopolitano rogatus, vt ſecum amicitiæ, atque affinitatis fœdera iungeret, vtrumque fecit. nam & ſocietatem cum eo aduerſus Rogerium iniit, & ſororem vxoris ſuæ Manueli filio eius deſpondit. Extant adhuc ad eum litteræ, quibus ipſe ſe hoſtes Imperij omnes ſubegiſſe ſcribit, & aduentum ſuum ab Innocentio pontifice, Lombardia, atque Apulia experi, vt eis Imperialibus opibus adſit. Embriconem epiſcopum Herbipolenſem legatum ſuum, vbi cum Pontifice Romæ collocutus fuerit, ad eum primo quoque tempore tranſiturum. Interim Ioannes prouinciam Antiochenam ab Raymundo Principe accitus iniuit, verùm ab epiſcopo Gabulenſi, vt ab vrbe Latinorum abſtineret, admonitus vrbem ille quidem

dimiſit

dimiſit, ſed prouinciam ferro, flammaq. ita vaſtauit, vt ne ipſis quidē
1143 eremitis pepercerit. Itaque poſtero anno iaculo inter venandum percuſſus vitam reliquit. Extat Manuelis quoque filij ad Conradum epiſtola, qua ſe nuncios ad ſponſam accipiendam deſtinaſſe ſignificat. Eo anno Innocentius VI. Kal. Maii priuilegio eccleſiam Fauentinam affecit. extat diploma Laterano datum. Quin etiam idem bellum Tiburtinum maioribus, quàm ante, viribus inſtaurauit, cum ipſius defectionis indignitate accenſus, tum à Romanis, qui ſe à Tiburtibus pulſos, caſtriſq. exutos indignabantur, inductus. Tiburtes autem Romanorum apparatu deterriti, viribuſq. ſuis diffiſi, antequā ad extrema venirent, pacem à Pontifice poſtularunt. Neque ea obſequio iurando, atque obſidibus in fidem tradendis ægrè eſt impetrata. Romani verò, qui & parta victoria ferociores euaſerant, & irati acerbiore pœna Tiburtes afficiendos exiſtimabant, à Pontifice flagitarunt, ne tantam defectionem tam molli vindicaſſe conditione vellet; Tiburtes meruiſſe, vt muris diſiectis è Latii finibus truderentur. neque ipſum à defectionibus tutum futurum, niſi in auctores earum atrocius foret animaduerſum. Contra verò Innocentius, poſtulatum eorum iniquum eſſe, contendere, neque in dedititios, ac veniam, pacemq. petentes tam acerbè conſulere conuenire. ab Eccleſia certè, quæ cōmunis omniū mater eſſet, tā acre vindicandæ contumaciæ ſtudiū abhorrere. Quod vbi Romani audiuerunt, ira vehemētius exarſerunt, quòd neque hoſtes, à quibus læſi eſſent, punire pro libidine poſſent, neq. æqui aliquid à principe impetrarent, cui operā magno ſui detrimento nauaſſent. Itaque tumultu in vrbe concitato, ac ciuitate antiquo ſeditionis morbo furente concionem extemplò in Capitolio conuocarunt. Ibi pro ſe quiſque ferociſsimè, ac ſuperbiſsimè eſt loquutus, atque antiquam Romanorum animorum, opumq. magnitudinem ipſa verborum magnificentia, atque orationis granditate eſt facilè conſecutus. Ad extremum multis dictis ſententiis omnes in eam, quæ maximè popularis, & ſplendida viſa eſt, deſcenderunt: veterem Romanæ libertatis ſtatum reſtituendum, priſcos ordines, magiſtratuſq. reipublicæ reponendos, Pontifici vnam ſacrorum curationem relinquendam in vrbe eſſe. hoc decus, hanc ſpeciem dignitatis maiores ſæpe, ſed irrito incœpto, tentaſſe. id eò ſibi apud poſteros ſplendidius, ac magnificentius fore, ſi ipſi tantam vrbi laudem, maieſtatemq. pepererint. pro certo autem parituros, ſi viribus ſuis agnitis parem ad cauſſam animum, conſtantiamq. attulerint. Ad hanc autem opinionē veniſſe Arnoldi hæretici potiſsimū auctoritate videntur, cuius eiuſmodi tum aduerſus

Pontificem decreta vulgari hominũ ſermone celebrabantur. Itaque inita defectione ordinem ſenatorium iampridem extinctum populari bus ſuffragijs reuocarunt, & bellum cum Tiburtibus renouarunt. Innocentius his rebus cognitis primùm per amicos ſumma auctoritate præditos Romanos redigere ad ſanitatem contendit. deinde vbi ſe incaſſum laborare animaduertit, ad infeſta edicta confugit, ac populum Ro. à ſacris amouit, eumq. pontificiorum iure comitiorum, cuius à primis temporibus ad eam vſque diem particeps fuerat, ſpoliauit. verùm ne ita quidem furorem ſanare eorum potuit. Itaque in timorem Romani amittendi dominatus adductus tantum ex ea re ſolicitudinis hauſit, vt langore confectus VIII Kalendas Octobris perierit. Hæc cum Innocentio inſtituta contentio tanti momenti fuit, vt omnes deinceps pontifices vſque ad Clementem tertium exercuerit. bellum autem cum Latinis contractum tanta animorum obſtinatione, atque acerbitate per multos inde annos eſt geſtum, vt niſi ipſorum oppidorum excidio abſolui nequiuerit. Sepulto Innocentio Cardinales excluſo populo ad comitia conuenerunt, ac poſtridie eius diei Vidonem ciuem Caſtellanum, ex Cardinalium collegio Pontificem ſublegerunt, ac mox conſecratum Cœleſtinum ſecundum vocarunt. Mediolani Ribaldo archiepiſcopo mortuo Vbertus Pirouanus eſt ſuffectus. Vicetini Patauinis irati, quòd alueũ fluminis ſui inciderant, atque in ſe ferme aquã auerterant, vt opus reſtituerẽt, vocatis Veronẽſibus armati in agrũ Patauinũ ſe intulerunt; ac Patauinos, eorumq. ſocios Taruiſinos occurrentes adepti graui prœlio facto hoſtes non ſolum in fugam dederunt, ſed captos etiam domeſticos in carceres abduxerunt. Poſtero 1144
verò anno in agrum Taruiſinum ingreſſi ipſum ferro, flammaq. peſſundederunt, eo vno crimine, quòd Patauinis aduerſus ſe affuiſſent. Eodem etiam anno bello Florentinorum, atque Senenſium tota ad arma eſt concitata Etruria. Vt Florentinorum, ſic Senenſium Romanis rerum potientibus fama obſcuriſſima fuit. Florentini contracta cum Senenſibus lite ſocio marchione Tuſciæ Vlrico aſſumpto ad ipſas vſque Senarum portas infeſto agmine procurrerunt, atque earum ſuburbia iniecto incendio concremarunt. Senenſes autem, vt firmioribus opibus eorum audaciam frangerent, Lucenſes auxilio aduocarunt. Neque verò operam ſuam abnuere Lucenſes, vt qui ſe à Comite Guidone Guerra non leuem ſperarẽt gratiam inituros. Hic enim genus ab illo Vidone trahens, quem Otho Imperator caſtro Mutilianæ donarat, & ſuperiorum Imperatorum beneficio multa in agro Florentino caſtra obtinens bello cum Florentinis aſſiduè contendebat. Quo

cognito Florentini quoque Piſanorum ſibi arma iunxere, ac ſociatis opibus aduerſus Senenſium, ac Lucenſium exercitum, qui armatus exierat, contendere. Prœlio facto non ſolùm Lucenſes victi, ſed etiam oppida, & caſtella Guidonis direpta, atque incenſa ſunt. Senenſes autem, qui ad populandos Florentinorum fines excurrerant, in inſidias lapſi omnes ferme in poteſtatem Florentinorum adducti. Ingens captiuorum numerus vtrinque actus. Hi in carceres conditi, & ſquallore, atque inedia macerati triſte diu humanæ calamitatis documentum aſpectantibus præbuere. Cœleſtinus, cum neque Romanos in contumacia perſiſtentes exagitaſſet, neque vllo audacię genere ab eis fatigatus fuiſſet, poſt menſes quinque, quàm pontificatum accepit, VII Idus Martij obiit. Poſt triduum Cardinales conuocati Gerardum Caccianimicum, ciuem Bononienſem, quem Honorius ex canonico regulari Cardinalem cooptauerat, ſublegere, eoque conſecrato Lucium ſecundum edidere nomen. Hic XIII. Kal. Iunias eccleſię Fauentinæ diploma, quod extat, indulſit. Inde Decembri menſe cum Cardinales allegeret, Guarinum ciuem Bononienſem canonicum regularem aſciuit. qui poſtea moriens inter Sanctos aſcriptus eſt. Interim nouum Romani tumultum excitauerunt. Etenim ſenatoribus, quos inſtituerant, non contenti Patricium celſioris magiſtratum faſtigii adiecerunt. ac vectigalia omnia tam vrbana, quàm peregrina Pontifici erepta ei attribuerunt, Pontificemq. ſacris decimis, & largitionibus dignitatem tueri ſuam iuſſerunt. Ea dignitas delata primùm eſt ad Iordanem Petri Leonis filium, hominem in vrbe vetere nobilitate, ac populari gratia potentisſimum. Quas actiones Lucius primũ blanditiis impedire contendit, deinde inanes eas expertus vim adhi-

1145 bendam putauit. Itaque poſtero ineunte anno exercitu comparato ſenatores in Capitolio obſedit, ordinem illum, qui libertatis Romanæ erat fundamentum, cupiens abolere. Quo apparatu cognito Iordanes Patricius cum maiore manu accurrit, commiſſoq. prœlio ipſum Pontificem cum ſuis à Capitolio repulit, atquè ad implorandum Conradi auxilium impulit. Extant litteræ eius apud Othonem. *Populus Ro. nullum modum inſaniæ faciens, ſenatoribus, quos ante inſtituerant, Patricium adiecit, atque hanc dignitatem Iordani Petri Leonis filio detulit, ac ſe ei, tanquam Principi, ſubdidit, deinde Pontificem ſuum adiens omnia regalia eius tam in vrbe, quàm extra vrbem poſita ad ius Patricii popoſcit, eumq. more veterum ſacerdotum, decimis tantùm, & oblationibus ſuſtentari oportere dicens de die in diem animam iuſti affligere non dubitauit.* Narrat etiam Gothifredus, qui horum æqualis temporum fuit, Lucium in pugna lapide

percuſſum fuiſſe, neque amplius vſque ad diem obitus ſui, qui proximè conſequutus eſt, in ſolio pontificio conſediſſe. Satis quidem conſtat, Lucium hoc anno V. Kalendas Martii alienisſima reip. morte eſſe extinctum. Eo verò ſepulto Cardinales in æde S. Cæſarii conuenerunt, &c, cum neminem ex collegio approbarent, extrinſecus aſciuerunt. Hic fuit Bernardus Sancti Anaſtaſii abbas, homo, vt Bernardi Claraualleniſis diſcipulus, ſimplicis quidem, ac rectæ mentis, ſed animi parum, vt iudicabatur, in gerendis rebus prompti, atque conſtantis. Itaque Bernardus ipſe homo aperti pectoris, atque ſinceri, vbi id audiuit, litteras ad Cardinales, quæ adhuc extant, obiurgatorias miſit. *Quid conſilij habuit defuncto ſummo Pontifice repente irruere in hominem ruſticanum, latenti inijcere manus, & excuſſa è manibus ſecuri in Palatium trahere, leuare in cathedram, induere purpura, & byſſo? ſi non erat inter vos ſapiens, & exercitatus, cui iſta conuenirent, ridiculum videtur, pannoſum hominem aſſumi ad præſidendum principibus, ad imperandum epiſcopis, ad regna, & imperia diſponenda.* Tertio igitur Kalendas Martii Cardinales maximo animorum conſenſu Bernardum pontificem ſublegerunt, ac populo renunciatum Eugenium tertium appellarunt. Is, vbi primum eſt deſignatus, contra opinionem omnium ingentem animi indolem præ ſe tulit. Nam cum à Romanis ad remittenda vrbis vectigalia vrgeretur, eos ira aſpernatus eſt, vt ne dignos quidem, queis cum habitaret, putarit. Itaque vrbe ſtatim egreſſus ad monaſterium Farfenſe ſe contulit, eòque Cardinalibus euocatis nouo inſtituto ibi conſecrationem accepit, atque inde aſpectum peruicacis populi deuitans, arce Sancti Angeli Petrileonibus tradita, Viterbium ſe recepit. Sub eoſdem dies Arnoldus hæreticus ex Germania in Italiam reuerſus, captato Romanæ ſeditionis, & pontificiæ abſentiæ tempore, in vrbem ſe coniecit, ac ſeditioni per ſe ſatis ardenti maiores quoque faces admouit, populum ad vetera maiorum inſtituta, factaq. imitanda graui in primis, ac præſentibus temporibus opportuna oratione adhortans, qui ſenum conſilio, & iuuenum manu totum ſibi terrarum orbem ſubieciſſent, reædificandum Capitolium, ac ſenatores, equiteſq. Romanos renouandos inclamans. adminiſtrationem vrbis ad Pontificem non pertinere, ipſum eccleſiaſtico iure contentum eſſe oportere. Quibus vocibus incitati Romani præfectura vrbis omnino ſublata ceteros magiſtratus Patricio ſubiecerunt. ac populari tumultu concito, turres aliquot laicorum, clericorumq. nobilium deturbarunt, baſilicam Vaticanam ceperunt,

ac peregrinos religionis cauſſa Romam profectos exſpoliarunt,quique multam petitam pendere recuſarunt, eos in Porticu miſerè trucidarunt. Neque his contenti litteras, ac legatos ad Conradum regem in Germaniam miſere, eumq. ad delendum dominatum in vrbe pontificium vocauere, regemq. Catholicum nouo diſſidio alienare ab Eccleſia contendere. Earum litterarum hoc fuit exemplum: *Conrado Romanorum regi Senatus Populuſq. Rom. Salutem. Multis litteris certiores vos fecimus, quemadmodum in auctoritate, fideq. veſtra maneamus, ac pro veſtra Imperiali corona augenda quotidie decertemus: ad quas quòd nihil reſponderitis, ſatis mirari non poſſumus. Nos enim regnum, & Imperium Romanum redigere cupientes in eum ſtatum, qui fuit tempore Conſtantini, & Iuſtiniani, qui vniuerſum orbem terrarum Senatus, & populi Ro. viribus pepererunt, ſenatoribus reſtitutis, quique tantum honorem Imperio eripuerant, conculcatis, id agimus, vt vos, quæ Imperio debentur, obtineatis. nam pacem, & iuſtitiam petentibus cunctis præſtamus, & turres, ac domos potentium, qui veſtro Imperio vnà cum Siculo, & Pontifice aduerſari moliebantur, occupauimus, & alias in veſtra poteſtate tenemus, alias ſolo æquauimus. Verùm hoc nomine Pontifex, Frangipanes, & filij Petrileonis, homines, & amici Siculi, excepto Iordane noſtro veſtri ſtudioſiſſimo, Ptolemæus quoque, & alij plures nos oppugnant, ne vobis Imperialem coronam, vt conuenit, imponamus. Quare oramus vos, ne iniquis de Senatoribus, nobiſq. ſermonibus credatis, veſtrumq. nobis auxilium denegetis. ſed primo quoque tempore in Italiam veniatis. quia quidquid optabitis, nullo negotio aſſequemini. atque in vrbe terrarum principe toti Italiæ dominantes, commodius, quàm maiores veſtri fecerunt, ut nos quidem cupimus, habitabitis. Pontem Miluium, qui ad interſepiendos Imperatorum ad vrbem aditus erat euerſus, ne Petrileones vobis ex arce S. Angeli obeſſe venientibus poſſent, vt ſtatuerunt cum Pontifice, & Siculo, inſtauramus. & breui muro firmiſſimo, ac ſilicibus munitum habebimus. Notum etiam vobis eſſe optamus, Pontificem, vt audiuimus, Siculo conceſſiſſe virgam, & annulum, dalmaticam, & mitram, & ſandalia, & ne quem in terram ſuam mittat legatum, niſi quem ipſe popoſcerit; & Siculum grandem aduerſus vos pecuniam tribuiſſe. Petimus à vobis, vt in poſterum legatos noſtros benignè accipiatis, & eis nomine noſtro agentibus fidem habeatis. ſunt enim magnæ auctoritatis viri, Guido ſenator, Iacobus, filius Sixti procuratoris, & Nicolaus eorum ſocius.* Hęc Romani. Conradus autem indignitate, ac vanitate litterarum commotus vt legatos Romanorũ palam reſpuit, ſic contrà Guidonem Piſanum Cardinalẽ, alioſq. qui à Pontifice miſſi fuerant, comiter accepit, ac liberaliter eis omnia, quod petierũt, priuilegia cõfirmauit. Dũ hęc aguntur, triſtis interim nũcius

ex Oriente allatus curas Pontificis, ac Cardinalium omnium onerauit, atque animos omnium à minore moleſtia ad ſummum timorem traduxit. Erat vrbs in Meſopotamia trans Eufratem, nomine Edeſſa, à diebus Conſtantini Magni Chriſtiano cultui dedita, & beatiſſimi Thomæ apoſtoli allatis ex India relliquiis inclyta. Hæc, cum Sarraceni quondam Alexandriam, Antiochiam, Hieroſolyma, Damaſcum, Aegyptum, Syriam, aliaſq. Orientis prouincias occupaſſent, atque in his omnibus nomen Chriſti, quanquàm ſplendidiſſimum, extinxiſſent, ſola inter medios hoſtes vſque ad tempus ſuperioris Hieroſolymitanæ expeditionis permanſit incolumis. tunc verò à Sarracenis vexati, cum auxilium à Latinorum exercitu petiiſſent, Balduinum Gothifredi regis fratrem accepere Principem. Balduino verò poſt Gothifredum ad regnum Hieroſolymorum euecto, Principatus demum ad Ioſcelinum iuniorem peruenit. Illo dominante Sanguinus Sarracenorum, ſiue Turcorum Princeps vrbi obſidionem admouit. Eo tempore Armenius quidam ciuis Edeſſæ iure hereditario turrim quandam mœnibus vrbis continentem incoluit. Huius filiam eximia ſpecie virginem cum inſano deperire amore Princeps cœpiſſet, nec blanditiis, ac promiſsis vllis ad ſui perlicere obſequium potuiſſet, iniuſtè admodum fecit, vt vim adhibuerit. Armenius illatam iniuriam magno dolore ferens, vt Principem vlciſceretur, clam vrbem prodidit Sarracenis. quippe nocte Dominicæ Natiuitatis, cum ſacræ in templis vigiliæ agerentur, inuitatos occultis conditionibus hoſtes per turrim ſuam accepit. Sarraceni in vrbem intromiſsi Chriſtianorum ſanguinem ſitientes templa ſubitò infeſto impetu inuaſerunt, atque archiepiſcopum ſacris operantem miſerè vnà cum clero mactarunt, ac reliquam virorum, mulierumq. turbam ſtupore, metuq. ad omnem ſui defenſionem obtorpeſcentem crudeliſsime trucidarunt. ac demum tota Meſopotamia in poteſtatem adducta, ipſum Hieroſolymorum regnum maximum in terrorem, ac periculum adduxerunt. Talem igitur nuncium Eugenius, cum Viterbii eſſet, accepit. Venit enim præter ceteros ex Syria in Italiam epiſcopus Gabulenſis, vt ad opem Syriæ periculoſiſſimo in primis tempore afferendam ipſum Occidentem accenderet. Is de patriarcha ſuo Antiocheno, & de regina Hieroſolymitana, (nam Fulco rex puero Balduino relicto perierat.) & de ſpolijs à Sarracenis ablatis multa conqueſtus in primis etiam graue ipſum Orientale Eccleſię poſt Edeſſæ amisſionem imminens periculum deplorauit, atque inde ad Conradum,

Germaniç,& Ludouicũ Franciæ reges auxiliũ imploratum contendit.
Eugenius autem atrociſsimo caſu vehementiſsimè perturbatus Vrba-
ni exemplo Crucem iterum ſibi indicendam, ac totum Occidentem
ad arma capienda concitandum putauit. atque ita litteras ad omnes re
ges ſuper hac re miſit. Quarum quæ ad Ludouicum Franciæ regem
ſcriptæ ſunt, adhuc in hanc ſententiam X. Kalendas Decembris Ve
trallæ datæ ſuperſunt. *Quantum prædeceſſores noſtri pro recuperanda Ori-
entali Eccleſia laborauerint, omnibus eſſe cognitum arbitramur. Quis enim
neſcit, Vrbanum proximè vniuerſo Occidenti prope claſsicum cecinisſe, atque
omnes prouincias ad hoc æmulandum decus incitauiſſe? Ex omnibus autem,
qui huic laudi, atque officio ſtuduerunt, Franci ſine dubio, & Itali virtutis,
diligentiæ, pietatiſq primas tulere. Itaque non minore felicitate, quàm forti-
tudine Hieroſolyma recepere, regnumq. nouum in Syria condidere. Nunc ve-
rò, proh dolor; capta eſt Edeſſa, quæ cæteris vrbibus quondam oppreſsis ſola in
ſtudio pietatis Chriſtianæ perſtiterat. iugulatus eſt vnà cum clero archiepiſco-
pus, & vniuerſus Chriſtianorum populus fœdisſimè trucidatus, Sanctorumq.
relliquiæ ab infidelibus conculcatæ ſunt. Quæ ex re quantum periculi Eccle-
ſia Orientalis contraxerit, vos pro veſtra prudentia perſpicere opinamur.
Vos igitur hortamur, atque oramus, vt ad ea conſeruanda, quæ patrum ve-
ſtrorum labore, ac ſanguine parta ſunt; accurratis, & Chriſtianos, qui capti-
ui facti ſunt, miſera, ac triſti ſeruitute ſoluatis. Nos autem omnia dona vo
bis pollicemur, quæ vobis ab Vrbano conceſſa ſunt. quippe bona, vxores, filios
eorum, qui Crucem ſuſceperint, in ſanctæ Eccleſiæ, noſtra, archiepiſcoporum,
epiſcoporum, & aliorum procerum Eccleſiæ tutela manere decernimus. præ-
terea ne quis de bonis, quæ in Crucis ſuſceptione habuerit, vllam, donec do-
mum redierit, ſubire controuerſiam poſsit, nec ſi ære merſus alieno fuerit,
vſuras ſoluere teneatur, cauemus. qui pecunias mutuas à dominis feudi im-
petrare nequiuerint, eos poſſesſiones hominibus Eccleſiaſticis oppignerare poſ-
ſe concedimus. ne verò veſtibus induti pretioſis, nec culto corpore, nec cum
canibus, & accipitribus, aut aliis rebus luxuriem indicantibus eatis, mone-
mus. Demum ex Vrbani inſtituto, omnipotentis Dei, & Sancti Petri apo-
ſtolorum principis auctoritate nobis à Deo conceſsa freti peccatorum remiſ-
ſionem ita concedimus, vt qui tam ſanctum iter ſuſceperint, ſiue in eo peri-
erint, omnium delictorum ſuorum, quæ ritè confeſsi fuerint, abſolutionem ob
tineant.* Omnibus inde rebus, quæ ad cauſſam Orientalem pertine-
bant, ſatis, vt tum potuit, conſtitutis, obſtinata Romanorum in-
ſolentia grauiter, perinde, ac par erat, incenſus eos vlciſci, atque
armis ad priſtinum Eccleſiæ ſtudium, obſequiumque traducere ſta-
tuit. Itaque Lucii exemplo haud molli rem agendam brachio ratus

Tiburtes, ceteroſq. Latii populos, quorum cauſſa ad eum furorem Romani venerant, ad arma ſolicitauit, atque ipſos eorum ope Romanos inuaſit. Romani, cum per aliquot dies acerrimè reſtitiſſent, tandem tectorum euerſionem, patriæ, fortunatumq. amisſionem extimeſcentes pacem petierunt, eamq. demum his conditionibus impetrarunt: vt Patricium abrogarent, præfectum reſtituerent, ſenatores ex pontificia auctoritate tenerent, & Arnoldum turbarum concitorem vrbe eiicerent. His rebus tranſactis, Eugenius in vrbem reuertit, populo, cleroq. fauſtis vocibus, Benedictum eſſe, qui veniret in nomine Domini, concinente. Valtero archiepiſcopo Rauennati vita functo Moyſes ſubrogatus. Lampridius primus Iadræ archiepiſcopus ab Eugenio conſtitutus, pallioq. donatus. Inſignis annus cum ceteris malis, tum ingenti annonę caritate fuit, quòd erucæ ſtirpes, ac ſegetes omnes dira quadam proluuie conſumpſerunt. Proxima Natalitia Eugenius in Laterano, Conradus Aquis peregit. Litteris Eugenii in Franciam de ſacra expeditione perlatis, Bernardus abbas palam Crucis ſuſceptionem flagranti animi ſtudio, & ſumma orationis grauitate prædicare inſtituit, veniſſe tempus inclamans, *quo plenitudo gentium intro ire deberet, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret:* quæ verò dicebat, ea mirabilium ſignorum magnitudine cumulabat. ſiquidem ſatis conſtat, nullum diem fuiſſe, quo non ægros, aut debiles, ac membris captos aliquos ſibi oblatos ſanarit. Quibus rebus impulſus rex Ludouicus in Syriam proficiſci conſtituit. atque ita conuentu in Paſchate Viceliaci habito Crucem ipſo præbente Bernardo cum pleraque Franciæ nobilitate ſuſcepit. atque inde itineri adornando ſe tradidit. Hoc idem pari animorum alacritate, ac ſtudio vniuerſa ferme Francia fecit; vſqueadeo vt ſcribens ad Eugenium de multitudine eorum, qui irent, Bernardus dixerit; exhauriri vrbes, & oppida, nec temere inueniri quem ſeptem mulieres virum vnum prehenderent, quòd vbique viuentibus viris viduæ remanerent. Per eoſdem etiam dies Germania, quæ prioris expeditionis laude vacauit, vehementius & ipſa eſt ad Crucis ſuſceptionem accenſa. ſed ea tamen à Conrado rege in poſterum vſque annum eſt prorogata. Quorum ſtudio incitata Italia, & ipſa ſeſe ad tam ſanctum iter accinxit. Dum autem hæc ab aliis non minore pietatis, quàm virtutis æmulatione, parantur, Romani ſeditionem redintegrantes, rurſus ab Eugenio, vt Tibur euerteret, poſtularunt. Qua re diſertè negata vſqueadeo exaſperati animis ſunt, vt ſe, ni quod peterent, impetrarent, vim adhibituros oſtenderent. Itaque Eugenius conſilio cū Cardinalibus habito,

1146 (margin, beside "Proxima Natalitia")

rurſus vrbe cum eis cedere ſtatuit, ac pedum puluere ad terrorem iniiciendum in eos excuſſo trans Tiberim vnà cum Cardinalibus, populo ipſo telis, miſſilibuſq. eos hoſtiliter inceſſente, atque inde Tibur contendit, ita vt Ferètini V. Nonas Martij fuerit. Hac re audita Bernardus ad populum Ro. litteras obiurgationis plenas has ſcripſit: *Quid vobis viſum eſt ò Romani, offendere principes mundi, veſtros autem ſpeciales patronos? cur Regem terræ, cur Dominum cæli furore tam intolerabili, quàm irrationabili in vos pariter prouocatis? An ſacram, & Apoſtolicam ſedem diuinis, regalibuſq. priuilegijs ſingulariter ſublimatam auſu ſacrilego inceſſere, ſuoq. minuere honore contenditis, quam vel ſoli contra omnes, ſi oportuiſſet, defendere debuiſtis? patres veſtri vrbi orbem ſubiugauerunt, vos vrbem properatis orbi facere fabulam. En Petri heres Petri ſede, & vrbe à vobis expulſus eſt. En rebus, & dominijs ſuis veſtris manibus ſpoliati ſunt Cardinales, atque epiſcopi miniſtri Domini. Quid ergo nunc Roma, niſi ſine capite truncum corpus, ſine oculis frons effoſſa, facies tenebroſa? Reuertere, recordare, qua cauſſa, quo fine, per quos, & in quos vſus non longè ante hos dies cunctarum, quæ in te ſunt, eccleſiarum omnis ornatus, & cenſus profligatus eſt. quidquid in altaribus, & altarium vaſis, quidquid in ipſis ſacris imaginibus auri, & argenti reperiri tunc potuit, manibus impiorum direptum, & aſportatum eſt. Reconciliamini principibus veſtris, Petrum loquor, & Paulum, quos vtique in vicario, & ſucceſſore ſuo Eugenio ſuis ſedibus, & ædibus effugaſtis.* ad Conradum verò regem, ad opẽ Eugenio ferendã adhortans ſcripſit hoc modo: *Vtrumque intereſſe Cæſaris conſtat, & propriam tueri coronã, & Dei defenſare Eccleſiam; alterum regi, alterum conuenit Eccleſiæ aduocato. Victoria, ſicut in Domino cõfidimus, præ manibus eſt. ſuperbia, & arrogantia Romanorum plus, quàm fortitudo eorum. Populus hic maledictus, & tumultuoſus, qui ſuas neſcit metiri vires, cogitare finem, conſiderare prouentum, tamen inſipientia ſua, furore ſuo auſus eſt hoc grande ſacrilegium attentare.* Eugenius inde diuerſis conſilijs agitatis, demum veterum pontificum exemplo in Franciam ire conſtituit, ſiue vt abſentia deſiderium ſui Romanis efficeret, ſiue, vt eccleſiæ Gallicanæ multis hæreſibus laboranti præſens conſuleret. Iter terra ingreſſus Senis diaconos duos Gilberti Porretani epiſcopi Pictauienſis offendit, qui epiſcopum ſuum de fide Trinitatis malè ſentientẽ deferebant. quibus ſe in Francia dixit ex Concilij ſententia reſponſurum. Piſas inde, ac traiecto Apennino per menſem Auguſtum Brixiam venit. vndecimo Kal. Septembris litteras ad Gerardum epiſcopum Bononiæ dedit, quibus eũ docuit, ſe Regienſibus, & Parmẽſibus præcepiſſe, ne Mutinenſibus aduerſus abbatẽ Nonantulanũ adeſſent. eos ſe, quia mandata ſua neglexiſſent, ex cõſenſu Cardinaliũ, & patriar-

chæ

chę Aquileienſis,& plurimorum, qui conueniſſent,epiſcoporũ, epiſco pi dignitate priuaſſe. quamobrem omni ſtudio niteretur, vt Nonantulanos contra Mutinenſes, quacunque poſſet, ope defenderet. Inde in Franciam progreſſus à Ludouico, atque ab omnibus ingenti hono re exceptus eſt. valuitq. plurimum aduentus eius ad profectionis Syriacæ ſtudium inflammandum. Eodem anno Genuenſes ab Eugenio incitati Sarracenos, qui Minoricam inſulam incolebant, ſibi adoriendos duxerunt. Quippe claſſe omni militari apparatu ornata, eò proceſſere, ac tabernaculis in littore poſitis inſulam liberius quattriduo percurrere. Reuerſis inde cum ingenti præda ad tabernacula repente ingens Sarracenorum numerus ſuperuenit, atque inſultare caſtris Genuenſium cœpit. Genuenſes autem eorum impetum non ſolum acriter ſuſtinuerunt, ſed fugatos etiam ad octo vſque millia paſſuum inſequuti tertiam eorum partem interemerunt, atque vrbe inſulæ populata amplis onuſti ſpolijs ad claſſem reuerſi abierunt. Florentini,cum bellum Comiti Guidoni Guerræ ad Montem crucis mouiſſent, nec diligenter cuſtodias agerent, ex improuiſo oppreſſi clade maxima ab eo,& Arretinis ſocijs eius affecti ſunt. Neque verò leuius damnũ Brixiani eo anno tulere, vrbe ipſa fortuito incendio concremata. Hiems inſignis prodigioſa niuis altitudine fuit. ac ſuperiorem famem fœda peſtilentiæ lues excepit. Sequenti anno Conradus Spiræ ſolemni Nataliciorum perfecto,frequentem principum ſuorum conuentum egit. 1147
Eò quoque Bernardus abbas acceſſit, ac plurimum aduentu ſuo omnium in ſe ora conuertit. mirabantur homines eloquentiam,ſuſpiciebant eruditionem, ſed præcipuè ſanctitatis opinione permouebantur, quam mirandis operibus edendis ipſe de ſe excitauerat, atque in dies magis augebat. Cum à tẽplo ad hoſpitium à Conrado eſſet deductus, puerum pedibus captum, qui curandus offerebatur, excepit, ac ſignatum ita dimiſit, vt repente exclamantibus omnibus ſigna recuperati greſſus oſtenderit. In ſacello inde epiſcopi,eodem præſente rege, cæci oculos in priſtinum aſpectum reſtituit, ac mutæ linguam in eloquium ſoluit. ac pauperculos aliquot à rege ipſo oblatos ſigno Crucis facto omnibus infirmitatibus liberauit. Itaque cum de Cruce concionari graui, ac perampla oratione cœpiſſet, Conradum iam in eam ſententiam & Pontificis litteris,& Franci regis auctoritate propenſum adduxit, vt ſtatim Crucem acciperet. Cuius exemplo, & voluntate Fridericus quoque Friderici fratris filius, qui poſt ipſum imperauit, & maximus quiſque Germaniæ princeps eandem ipſomet omnibus miniſtrante Bernardo,ſuſcepit. Spirenſi inde conuentu dimiſſo Conradus

in Baioariam prodiit, atque ibi in Purificatione conuentum egit. In eo conuentu abbas Eboracenſis, vir pietate inſignis, ac Bernardi æmulus ſacrificio facto iuſſu Conradi in concionem aſcendit, ac litteras Eugenij pontificis, & Bernardi abbatis de Cruce ſuſcipienda publicè recitauit. ac palam populo ſanctam expeditionem ſuaſit. Itaque rectis eius vocibus, monitiſq. permoti tres epiſcopi, multiq. principes, atque ingens priuatorum hominum multitudo vltro ad Crucem depoſcendam acceſſit. Sub Quadrageſimam inde Conradus venit Frācfordiam, vt Henricum filium ſuum regem Germaniæ curaret inſtituendum. Ibi quoque Bernardus affuit. Quo cognito tanta malè affectorum, ac debilium multitudo ſancti hominis viſendi ſtudio accenſa confluxit, vt aliquando Conradus præſens turbam in templo vrgentem ſuſtinere nequiuerit, ac depoſita chlamyde ipſum in vlnas ſuſcipere, & de baſilica aſportare coactus ſit. Præter ceteros ſenex quidam paralyticus, homo notus, & honoratus eſt introductus, ab eoque poſt breuiſſimum precationis carmen ſanatus. Illó verò validè abeunte, cum alij quidam lectulum, in quo delatus fuerat, tollere vellent, tum reuocans eum vnus ex circunſtantibus Hugo Tullenſis eccleſiæ archidiaconus euangelici paralytici recordatus: Non ſic, inquit, non ſic inanis abibis. *Tolle grabatum tuum, & ambula*. atque impoſito in humeros eius lectulo dimiſit, vniuerſo, qui intererat, populo acclamante, ac Deum magnificentiſſimis laudibus efferente. Relicta inde Francfordia, Conradus Aquas profectus ibi filium regem in media Quadrageſima coronauit, ac Paſchate Bambergæ acto, duos maximos ad frangendas Sarracenorum opes exercitus deſtinauit, vnum, qui mari, alterum, qui terra contenderet. Quibus actis haud ita multò pòſt Friderieum fratris filium, & pleroſque principum ſecum habens Ratiſponam, quò conuentum indixerat, adijt. Eò verò omnes, quæ terra petituræ erant, copiæ ex tota Germania pedeſtris, equeſtriſq. militiæ conuenere. quæ ad ducenta millia acceſſiſſe dicuntur. Ex Italia etiam affuere legatus pontificius Theoduinus epiſcopus Portuenſis, Hermanus Marchio Veronenſis, Gulielmus Monferratenſis Conradi ſororius, Vido Comes Blanderatenſis, Martinus Turrianus, vir apud Mediolanenſes inſignis. Narrat etiam Choniata ſcriptor Græcus, ac pro re in primis memorabili prodit, in eo exercitu mulieres multas fuiſſe, quæ virtutem veterum Amazonum imitatæ virili more equis, cruribus inter ſe diſcluſis, inſederint, atque haſtas, & arma, vt cum Sarracenis concurſuræ, geſtarint. Cum hoc igitur tanto, ac tam ornato exercitu Conradus Ratiſponæ conſcendit, ac Dannubio deuectus equitatu

terra ſubſequente Pentecoſten Germaniæ in finibus egit. atque inde per Vngariam ducere inſtitit. in Thraciam inde ingreſſus cum VII Idus Septembris ad caſtrum quoddam conſediſſet, vt ibi poſtridie Natiuitatem Deiparæ virginis celebraret, aduerſa cœli tempeſtate, & ſæua vicini amnis intumeſcentis iniuria vſqueadeo conflictatus eſt, vt armis, impedimentis, militibuſq. multis amiſsis, inde Conſtantinopolim venerit. Ibi recreato opportuna Manuelis affinis liberalitate exercitu, mare traiecit, acceptiſq. itineris ducibus Grçcis nonnullis in Lycaoniam ſe ad Iconium duci, quod à Sarracenis tenebatur, prçcepit. Græci verò ſiue iuſſu Imperatoris, ſiue odio nationis, ſiue inuidia laudis adducti ipſum in Cappadociam longè diuerſo itinere per deſerta, ac difficilia loca duxere. in quibus acerba omnia incommoda exercitui perpetienda fuere. Nam Aſiatici mirificam in præbendis commeatibus malignitatem adhibuerunt. ſiquidem clauſis oppidorum occurrentium portis non ſolùm anguſtè cibum de muris ingenti antè accepta pecunia porrexerunt, ſed panem etiam gypſo tabefactum dederūt. Itaque aliis inedia, aliis morborum grauitate abſumptis reliqui irrumpentibus repente Sarracenis obiecti eorum ſuſtinere impetum nequiuerunt, atque in fugam conuerſi plerique aut capti, aut interempti ſunt Qua calamitate accepta, Conradus retro iter conuertit, atque Epheſum progreſſus inde Conſtantinopolim verſus vix cum decima copiarum parte conſcendit. Ludouicus autem rex Franciç, quo cum erat Vido Florentinus Cardinalis, pontificius legatus, paucis poſt Pentecoſten diebus è Francia mouit, atque eodem, quo Conradus, itinere, ſed paullò feliciore, in Aſiam tranſgreſſus prœliis aliquot ſecundis factis Laodiceam peruenit. Naualis autem Germanorum exercitus, cum V. Kalendas Maii Colonia diſceſsiſſet, XIIII Kalendas Iunij in Angliam venit, atque ibi ducentas ſibi naues Anglicas, & Flandricas iunxit. Vniuerſa inde claſsis ſex ante Pentecoſten diebus in Callçciam adiit. Ibi rex Callæciç iniurias, ac maleficia, quæ ſibi à Sarracenis ex Portugallia inferebantur, conqueſtus Germanos orauit, vt quando tantum laboris pietatis accenſi ſtudio ſuſcepiſſent, eos exterminare ex Hiſpania vellent. nam illis maritimum, ſe verò terreſtrem admouentibus terrorem Vlyſsiponem breui in manus ſuas vrbem opulentisſimam eſſe venturam. Ita magna rei gerendç conſenſione digreſſi exeunte Iunio claſſem ad Portugalliam appulerunt, ac quarto Kalendas Iulias Vlyſsiponem acceſſerunt. Ea nauali primùm, deinde rege adueniente, terreſtri apparatu validè oppugnata, demum XII. Kalendas Nouembris peruenit in poteſtatem. Germani, ceteriq. ingenti relata

præda

præda domum ſe recepere. Per eoſdem etiam dies Genuenſes ab Eugenio pontifice incitati Sarracenis, qui Almeriam in littore Granarenſi tenebant, bellum fecerunt. Quippe pecunijs, commeatibus, machinis, copijs, & nauibus, quæ neceſſariæ videbantur, paratis, eò contendere. Ibi expoſitis in terràm copijs, prœlium continuò cum Sarracenis eſt factum. Pulſi, fugienteſq. ab inſequente Genuenſium equitatu ad quinque millia cæſa ſunt. Vrbs inde oppugnari cœpta XVI Kalend. Nouembris ope Alfonſi regis eſt expugnata, cæde viginti Sarracenorum millium facta. Præſidio Almeriæ relicto, Genuenſes non minore cum præda, quàm gloria, diſceſſerunt. multa ſpolia Genuam tranſlata hoſtium opulentiæ, & nobilis victoriæ claro per multos poſt annos monumento fuere. Eugenius, cum in Francia ageret, operam in primis rebus Eccleſiæ conſtituendis impendit, ac conuentum hoc anno Pariſiis habuit, conciliũ verò Rhemos in inſequentem indixit. Diaconi Pictauienſes ad eum reuerſi Gilberti epiſcopi ſui nomen de fide Trinitatis iterum detulerunt, ac Bernardo Clarauallenſi adiutore, vehementius inſtiterunt, vt damnaretur, perinde atque Petrus Abailardus ob eandem cauſſam proximis annis fuerat ab Innocentio condemnatus. Eugenius autem difficultate quæſtionis deterritus rem
1148 ad concilium Rhemenſe reiecit. Poſtero anno ambo Chriſtiani exercitus in Syriam peruenere. Ludouicus ex ſinu Attalico profectus cum ſuis media Quadrageſima Antiochiam, Conradus Conſtantinopoli ſub Paſcha Ptolemaidem tenuit. Inde ab vtroque iunctis agminibus Hieroſolyma ventum. Conſilijs cum rege, & patriarcha compoſitis Iulio menſe ad Damaſcum oppugnandam proceſſum. Quo minus vrbs per triduum oppugnata, muriſq. exterioribus exuta in poteſtatem conceſſerit, Chriſtianorum perfidia, ac diſcors voluntas materiam præbuit. Martinus Turrianus Mediolanenſis, qui ex inuſitata proceritate corporis Gigantis cognomen tulit, ſtrenuè pugnans captus, ac tormentis excruciatus ſacro martyrio coronatus eſt. Ab eo Mediolani clariſſima Turrianorum familia propagata. Aſcalonitana inde obſidione decreta, ad Ioppen, quò conuentus erat inidictus, venerunt. Verùm, cum Hieroſolymitanus exercitus, qui ex condicto præſto eſſe debebat, ad diem non conueniſſet, Conradus maximam, & firmiſſimam exercitus ſui partem variis incommodis abſumptam cauſſatus domum ſe redire velle dixit. ac rurſus ſe Conſtantinopolim rettulit. Ludouicus autem ſolus relictus ne ipſe quidem quiddam operæpretii fecit. Dum hæc in Oriente parum ſecunda fortuna geruntur, Genuenſes iterum aduerſus Sarracenos Hiſpaniæ proceſſe-

Quippe reparatam, ac neceſſarijs rebus inſtructam in ora Barcinonenſi, vbi hiemauerat, claſſem Kalendis Iulijs in amnis Iberi oſtia intulere. atque ad vrbem Tortoſæ, quæ à littore XV millia paſſuum diſtat, milites in terram expoſuere. primò leue prœlium, ſed iniuſſu conſulum, eſt commiſſum. ibi anceps belli fortuna fuit. magno inde opere admotæ mœnibus machinæ, muriq. percuti cœpti; factaq. in vrbem via, duo caſtella lignea ſunt inuecta. quorum altero tecta, quę ad Templum, altero, quæ ad Arcem vſque pertinebant, deiecta ſunt. Hac domorum, turriumq. ſtrage facta, Sarraceni in Arcem ſe rettulere, eamq. omni ope defendere inſtitere, Genuenſes, foſſis toto laborante exercitu complanatis, tertium ad Arcem caſtellum produxerunr. cuius latus cum Sarraceni crebrò lapidum grandine iacienda dilaceraſſent, ſtatim reſtitutum retibus, ne lædi poſſet, ſepſerunt. His adducti incomodis Sarraceni centum datis obſidibus inducias poſtularunt, ea lege, vt ſi intra quadraginta dies nemo ſui auxilio ſuccurriſſet, extemplo ſe dederent. Quibus datis cum tranſacto termino nihil apparuiſſet, tertio Kalendas Ianuarias Genuenſium vexilliselatis deditionem fecerunt. receptæ vrbis vna pars Genuenſibus, duę Barcinonis Comiti euenere. Eodem tempore Rogerius rex Siciliæ iratus Manueli, quòd legatos ſuos de pace componenda miſſos contra ius gentium in carcerem conieciſſet, claſſem Græciæ littoribus intulit, ac Corcyram, Thebas, Corinthum, & Chalcidem ei eripuit. Huius expeditionis illud memorabile fuit, quòd eo tempore artifices ſerici conficiendi in Siciliam, Italiamq. ex Græcia primùm traducti ſunt. ex quo opificio multorum deinde fortunæ creuerunt. Ea verò ars in Græciam ex India permanarat. Quippe Iuſtiniano Magno Imperium obtinente ex India Conſtantinopolim monachi duo profecti originē eius docuerūt. opus nempe quorūdam vermiū eſſe, qui certa ratione nutriti fila quędam expuerent. Imperatore autem mirante, ac rem certius diſcere cupiente eorum ſe oua allaturos, & rationem generationis, atque educationis oſtenſuros ſpoponderunt. Itaque & præſentibus muneribus onerati, & ſpe futurorum ad promiſſa pręſtanda incenſi cum abijſſent, poſt aliquot menſes Serum oua attulerunt, & in fimo collocata in vermiculos commutarunt. eoſque mori folijs altos, quemadmodum folliculo facto ſericum texerent, docuerunt. atque inde totam conficiendi opificij rationem expoſuerunt. Eugenius autem, cum Treuerim prodiiſſet, ibi ab Adalberone archiepiſcopo hoſpitio benignè per tres menſes exceptus conuentum egit, ac pridie Kalendas Februarias baſilicam S. Matthiæ apoſtoli dedicauit. Inde Rhemos progreſſus ibi per

Quadra-

Quadrageſimam concilium frequentiſſimum habuit. Ad cetera decreta, quibus corrupta eccleſiæ Gallicanæ diſciplina correcta eſt, hæretici duo, qui Franciam polluebant, præcipuè exterminati ſunt, Gilbertus, & Euno. Gilbertus, vt diximus, nouas de Trinitate quæſtiones temerè inferebat, nec patrum decretis veteribus ſtabat. Euno autem natione Brito, ignoratione ſui nominis, cum vulgo Eun diceretur, ſe eſſe illum dicebat, de quo in Eccleſiaſticis exorciſmis dicitur, *Per eum, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos*. &, cum ſocios erroris ſui multos aſciuiſſet, eorum aliquot diſcipulos appellabat, & ſpecioſa eis nomina Sapientiam, Scientiam, & Iudicium impoſuerat, atque eccleſiis Galliæ infeſtus, ac formidabilis huc, atque illuc cum ingenti hominum multitudine volitabat. captus autem ab archiepiſcopo Rhemenſi, atque in conſpectum Concilii datus communi cõſenſu perpetuo carceri eſt addictus. diſcipuli eius mori, quàm corrigi maluerunt. In eodem concilio decretum quoque vetus Innocentii confirmatum eſt, ne impunè torneamenta committerentur. & Crux purpurea eſt Templariis militibus albis veſtibus aſſuenda conceſſa. Concilio dimiſſo, Eugenius Claramuallem, vbi paucis ante annis monachus ſederat, viſitauit, ac gloriam pontificatus Romani inſigni humilitate repræſentauit. Admirationi erat omnibus in tanto dignitatis faſtigio tam conſtans ſui demiſſio. etenim & tunica lanea carnem premebat, & dies, noctesq. cuculla indutus non ſolum incedebat, ſed etiam cubabat. intus monachi habitum gerens extrinſecus Pontificem ſe & moribus, & indumentis præſtabat. ſegmentata ei circunferebantur puluinaria, lectus palliis inſtratus cortina ambiebatur purpurea, at ſi euoluerentur operimenta ſuperiectis laneis comploſa ſtramina, & paleæ cõglobatæ reperiebantur. Allocutus monachos, & conſolatus, fratrem, & ſodalem ſe inter eos, non dominum præſtitit, aut magiſtrum. cumq. eum ibi longiorem moram trahere non pateretur, magna affectantium multitudo, ſalute fratribus dicta, in Italiam iter ſuſcepit. audiebat enim, Romanos inteſtinis ſe tumultibus atterentes Pontificis in vrbe præſentiam præoptare. Cum autem ad vrbem veniſſet, ne ita quidem eam inire ipſa adhuc manente populi erga ſe contumacia potuit. Itaque aliquo temporis ſpatio modò in Vaticano, modò in ſuburbanis Latij oppidiis vnà cum Cardinalibus ſedit. In Italia Bononienſes oppido, quod caſtrum Imolę dicebatur ex diœceſi Imolenſi in fidem accepto, Imolenſes ad arma concitarunt. atque ea de cauſſa fœdus cum Fauen-
1149 tinis inierunt. Sequenti anno Conradus conuento in Theſſalia Manuele, conſilium cũ eo Rogerii Siculi armis communibus perſequendi

cepit,

cepit,ac præmiſſo in Germaniã Friderico ipſe cum eo remanſit. Exercitum inde ſuum, qui ad paucisſimos redactus erat, omnibus difficultatibus circunuentum cum nullam ad rem aptum eſſe ſentiret, de ſuſcepta belli ſententia deſtitit. ac maritimo itinere per mare Adriaticum Polam, atque inde Aquileiam acceſsit. Vnde profectus tandem in Pentecoſte Salisburgum, ac mox Ratiſponam acceſsit. Ludouicus rex nauali itinere domum per Siciliam rediens à Græcis captus, dum ad Manuelem Corcyram obſidentem deducitur, à Siculis interuenientibus liberatur. atque inde à Rogerio, & Pontifice honorificè habitus domum reuertitur. Eugenius, vbi Conradum redeuntem accepit, legatos in Iſtriam obuiam ei miſit, quibus ex medio itinere reuerſis, quòd Conradum iam in Germaniam perueniſſe audiſſent, litteras VIII Kalendas Iulias Tuſculo, quæ adhuc leguntur, dedit. quibus incolumem reditum gratulatus, atque inanem expeditionis exitum conſolatus eſt. Henricus patriarcha Gradenſis, qui oborta cũ Duce diſcordia, vrbe exceſſerat, Venetias gratia reconciliata repetiit. In Italia Placentini nouum bellum cum Parmenſibus inierunt. Ceterùm cum ad Tablanum caſtrum obſidendum cum magno militum numero prodiiſſent, à Parmenſibus, & ſociis eorum Cremonenſibus prœlio facto magna ex parte deleti ſunt. Poſtero anno, qui fuit milleſimus centeſimus quinquageſimus, Conradus Henricum filium, quem ſibi ſucceſſorem animo, & ſuffragiis principum deſtinauerat, extulit. Eugenius, vt ex diplomatis eius apparet, ad S. Petrum ſedit. Sigebertus auctor eſt, ipſum multa cum Romanis certamina obtinendæ vrbis cauſſa poſt reditum è Francia contraxiſſe. 1150

Placentini, vt acceptam ignominiæ labem delerent, miſsis contra Cremonenſes Mediolanenſibus ipſi ſimulata alius rei cura ex improuiſo ad Tablanum redierunt, ipſumq. occupatum funditus euerterunt. inde in Parmenſem agrum ingreſsi caſtrum Medeſanæ diripuerunt. Mediolanenſium alia fortuna fuit. Nam cum ad Caſtrum Nouum ad os Abduæ Cremonę premendæ cauſſa cum carrocio conſtitiſſent, idque cepiſſent, III. Nonas Iulias à Cremonenſibus pulſi inſuper carrocio, quod inſignis probri loco per ea tempora habebatur, exuti ſunt. Id caſtrum poſtero deinde anno Placentini Cremonenſibus reddiderunt, atque eos à ſocietate Parmenſium auocarunt. 1151

Eodem anno Imolenſes Caſtrum Imolæ, quod exiguo à Bononienſibus præſidio tenebatur, repente per noctem aggreſsi receperunt, atque ibi Vidonem Malabucam Comitem Balneocaballi cum aliis multis interfecerunt. Contrà vero Bononienſes caſtrum nomine

Medicinam imperium ſuum recuſans diruerunt. Parmenſes autem quibuſdam à Regienſibus detrimentis affecti cum bellum eis inferre ſtatuiſſent, fœdus cum Mutinenſibus aduerſus eos percuſſerunt. Eius fœderis, vt in Actis Mutinenſium legitur, hæc formula fuit: *Iurant Mutinenſes, & Parmenſes mutuis ſe auxilijs defenſuros à Rheno amne vſque ad Fidentiolam, & à montibus vſque ad Padum. & detrimenta, ſi quæ inciderint, ſarcituros arbitrio conſulum vtriuſque ciuitatis contra omnes homines ſalua fide data Imperatori. Si Regienſes ſocietatẽ hanc inire voluerint, Parmenſes offenſarum emendationes recipere teneantur arbitrio Conſulum* Mutinenſium. *Si Regienſes ſocietatem non inierint vſque ad Octauam Reſurrectionis, & intra hoc tempus arbitrio Conſulum Mutinenſium ſatiſfacere voluerint, Parmenſes recipere teneantur. poſtquam Mutinenſes bellum cum Regienſibus inſtituerint, Parmenſes item ſine fraude ſuſcipiant, neque inducias paciſcantur, atque hoc fœdus decimo quoque anno renouetur.* Hæc antiqua amicitiæ, quæ poſt inter Mutinẽſes, & Parmenſes dubiis vtriuſque ciuitatis in rebus enituit, fuere primordia. Conradus coronæ accipiendæ, Apuliæ recuperandæ, & Lombardiæ non tam componendæ, quàm comprimendæ ſtudio inflammatus iurauit, ſe pro-
1152 pediem cum exercitu in Italiam traiecturum. verùm ſequenti anno repentino morbo oppreſſus non ſine veneni ſuſpicione à medicis inductu Rogerij dati XV. Kalendas Martii vita ceſſit, cum inſignia regalia Friderico fratris filio tradidiſſet, eidemq. filium ſuum paruulum commendaſſet. atque in Bambergenſi baſilica ſepulturæ mandatus eſt. Huic & voluntas egregia fuit ad remp. ſuſcipiendam, neque exiguæ opes ad defendendam. fortuna vna defuit, qua humano iudicio bellicæ actiones præcipuè adminiſtrari putantur. id quod apertè in Aſiatica expeditione apparuit. Non videtur illud ſilentio hoc loco prætereundum, per hos primum annos magnos ad omnium litterarum laudem eſſe progreſſus factos. Nam barbaris in Italiam irrumpentibus, ſtudia non ſolum, quæ à Græcis accepta erant, philoſophiæ, & medicinæ, ſed etiam quæ ipſi Romani tradiderant, iuris ciuilis ita abiecta, atque proſtrata fuerant, vt vix veſtigium vllum eorum extaret. Hoc autem tempore vniuerſæ vno quaſi impetu lacertos mouere, & in campum prodire viſæ ſunt litteræ. ſi quidẽ in Hiſpania Sarraceni duo Auerroes, & Auicenna ſingulari ingenio homines philoſophiæ, & mediciniæ ſtudia editis in ea commentarijs illuſtrarunt. & in Italia, maximeque Bononiæ ius vtrumque lumen ingens accepit. Nam poſt Irnerium Bulgarus, Martinus, Hugo, & Iacobus ad ius ciuile, & voce, & ſcriptis interpretandum certatim ſe mirifico accenſi

ſtudio

ſtudio contulerunt. & Gratianus monachus, decretorum volumine ex multis conciliorum, pontificum, ac piorum doctorum libris confecto, iura pontificia plurimum illuſtrauit. Theologiam verò maximè induſtria, atque opera ſua Petrus Nouarienſis, cognomento Lombardus, epiſcopus Pariſienſis prouexit, libris, qui dicuntur Sententiarum, conſcriptis. Quæ omnia monumenta ad hanc vſque ætatem, qua Græcis renaſcẽtibus litteris vniuerſæ artes, ac diſciplinæ refloruerunt, magno ab omnibus ſtudio celebrata ſunt.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE REGNO ITALIAE

Liber Duodecimus.

FRIDERICVS REX, ET IMPERATOR.

QVAE bella, quoſque tumultus Mediolanenſes, ceteriq. eorum exemplo Italici poſt mortem poſterioris Henrici inter ſe honeſto laudis ſtudio, ac dominationis cupiditate contraxerint, ſuperiore libro rettulimus. Hoc verò, quemadmodum iidem aſcitam libertatem diris prœliorum cum nouo rege Friderico contentionibus, grauibuſq. vrbium etiam ſuarum incommodis retinere contenderint, enarrare conabimur.

MORTVO Conrado, III Nonas Martii principes, atque epiſcopi Francfordiæ conuenere, ac concordibus animis Fridericum, Ducem Sueuiæ, vt ætate, ſic virtute ad famam hominum floreſcentem, regem Germaniæ delegere. & mox Aquas profecti per Arnoldum archiepiſcopum Colonienſem conſecrauere. Quibus rebus ritè peractis, Fridericus legatos ad Eugenium pontificem confeſtim de ſua dignitate miſit. ac Paſchate Coloniæ celebrato, in Saxoniam tranſgreſſus conuentum in vrbe Martinopoli habuit, vbi in Pentecoſte Petrum regem Daniæ coronauit, & nato in Magdeburgenſi archiepiſcopo deligendo diſſidio, ipſe ſuper ea re aditus Guicmanno Cicenſi epiſcopo, quem deſignandum curauit, eccleſiæ regalia tradidit. in feſto inde

Apoſtolorum altero Ratiſponæ conuentu acto, legatos ab Eugenio lę, ta omnia referentes audiuit. Octobri inde menſe tertium Herbipoli agens quoſdam principes propinquos ſuos inter ſe conciliare contendit. & Velfoni auunculo ſuo marchiam Tuſciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, & totam terram Mathildis Comitiſſæ conceſſit. Angebant ingentis ſpiritus iuuenem primum res Germaniæ, quas componere ante omnia cupiebat, deinde Italiæ. Nam præter coronam, quam Conradus patruus aſſequi morte præuentus nequiuerat, eximium quoddam frenandorum Mediolanenſium, ceterorumq; Italicorum, qui libertatem inſtituerant, ſtudium, & incredibilis Apuliæ de Rogerij manibus extorquendæ cupiditas ipſum asſiduè ſtimulabant. Itaque cum quidam Apuliæ proceres, quos Rogerius eiecerat, ad eum in hunc conuentum opem implorantes veniſſent, bene eis ſperare iusſis, palam ſe poſt biennium omnium harum rerum cauſſa in Italiam profecturum iurauit. Eugenius primùm fœdus cum Friderico compoſuit, poſt autem XVI Kalendas Septembris litteras Signia ad epiſcopos Germaniæ miſit, conquerens, eos paſſos, Fridericum eccleſiam Magdeburgenſem Guicmanno Cicenſi epiſcopo proximis decretis aduerſantibus indulgere. Interim in Lombardia bellum Regienſe incoeptum eſt. Quippe Parmenſes adiunctis Murinenſibus in agrum Regienſem hoſtiliter incurrerunt, ac Regium prætervecti effuſo curſu vſque ad amnem Siclam populabundi proceſſerunt. Abeuntium inde extremum agmen Regienſes adorti manum cum eis, ſed infelici euentu, conſeruerunt. Nam vſque ad vrbem à Parmenſibus fugati, plerique capti, ac Parmam traducti. quarto inde die in feſto Aſſumptionis dimisſi, ſinguli baculo, infulaque, alapa in ceruicem inflicta, donati. Hac re proſperè geſta Parmenſes ad alteram partem conuerſi ad Burgum Sancti Domnini venere, idque Septembri menſe captum ſubdito incendio combuſſere, & captiuos Parmam abduxere. Poſtero anno Fridericus Paſcha Bambergæ celebrans duos Cardinales Bernardum, & Gregorium legatos ad abdicandos quoſdam ſolutioris diſciplinæ epiſcopos ab Eugenio miſſos ſecum habuit, & Pentecoſten Vormaciæ agens Henricum archiepiſcopum Moguntinum per eos exauctorauit, atque Arnoldum cancellarium ſuum ei ſuffecit. Hæc apud Othonem. In Mediolanenſium monumentis adiectum eſt, Fridericum tertium Cōſtantiæ conuentum ſub Quadrageſimam peregiſſe. Eo verò ius dicente, duo humili loco, atque obſcura conditione homines vltro acceſſerunt ac, fœdo, miſerabilique habitu ſumpto, & crucibus ſuppli-

1153

cantium

cantium more prætentis ad tribunal eius in die Cinerum adierunt. Quærenti, quinam eſſent, quidue peterent, ſe Laudenſes eſſe dixerũt, ob id ad eum profectos, vt patriæ ſuæ calamitates exponerent, quas ipſa ſub impotenti,& ſuperbo Mediolanenſium imperio per annos am plius quadraginta perferret. non diffidere, vbi ille cognouerit, quin pro ſua in omnes æquitate, atque iuſtitia ruenti amicæ vrbi præſens auxilium afferat. Iuſſi cetera exequi, omnia Laudenſium, quibus à Mediolanenſibus affecti fuiſſent, & nunc, vt cum maxime, afficerentur, detrimenta narrarunt. Quibus acceptis Fridericus haud mediocriter pro re commotus bonum eos habere animum iuſſit. nam ſe pro pediem maturum auxilium allaturum: ac continuò litteris ad conſules Mediolanenſium datis, vt à Laudenſium, Comenſiumq. abſtinerent iniurijs, imperauit. litteris lectis Mediolanenſes pro concepta ex ſecundis rebus ſuperbia non ſolum mandata regia deſpexerunt, ſed nũciis etiam eius manus intulerunt. Laudenſes neque à principio tale ciuium ſuorum factum probarant, qui iniuſſu ſuo Mediolanenſes apud Fridericum inſimulaſſent, & nunc noua Mediolanenſium aduerſus Fridericum contumacia cognita, magnum fortunæ ſuæ in timorẽ adducti vehementius perturbati ſunt. Verùm recenti iræ Friderici aduerſus Mediolanenſes conceptæ fama erecti, occultè ſe illi tradiderũt, ac clauem auream per Gulielmum marchionem Montisferrati miſerunt haudquaquam ſimulatæ deditionis argumento futuram. Quin etiam ipſe marchio, ac legati Papienſium ad Fridericum profecti eadem de intoleranda Mediolanenſium inſolentia, & non dubijs eorum ad Lombardiæ occupandum imperium conatibus rettulerunt. Quæ quanquam Friderico grauia, neque vllo modo ferenda ſunt viſa, tamen in præſens ſe contemnere ſimulauit. Nam Mediolanenſes his rebus compertis territi craterem aureum cum ingenti pecuniæ ſumma miſerunt, ac ſe ad redimendam eius gratiam vltro coronam ei tradituros promiſerunt. Cuius parandæ cauſſa reliqua ille omnia ſibi poſthabenda exiſtimabat. Sancaſſianenſes cum diruto à Bononienſibus caſtro ſedes, vbi habitarent, non haberent, ab Eugenio pontifice auxilium implorarunt. Eugenius litteris ad prætorem, & Comune Bononiæ Ferentini V. Nonas Martij datis, vt Sancaſſianum reficerent, imperauit. Deinde, cum eſſet Tiburi, VIII Idus Iulij vitæ modum impoſuit. Cardinales corpus Romam rettulerunt, atque in baſilica S. Petri ſepulturæ mandarunt. poſt biduum ſuffectus eſt Conradus epiſcopus Sabinus, quem olim vrbe decedens vicarium ſui reliquerat Innocentius. atque Anaſtaſius quartus vocatus. is ciuis fu it

Romanus, & canonicum regularem primò apud Valentiam in Arela tenſi prouincia eſt profeſſus,deinde ab Honorio pontifice eccleſia Sabinenſi donatus. Per eoſdem etiam dies Rogerius Siciliæ rex vitæ finē impoſuit, ac Gulielmum filium, qui poſtea Malus eſt appellatus, regem reliquit. Bernardus abbas Claraualleńſis item ſignorum magnitudine fulgens eſt mortuus. Mediolanenſes recenti erga ſe Papienſiū iniquitate offenſi aduerſus eos exercitum eduxerunt, atque agro latè direpto, atque incenſo ipſos ſecum menſe Auguſto dimicare coactos acie profligarunt. Parmenſes Burgenſibus ſubactis, quod reliquum erat, cum Placentinis contraxere certamen. ceterùm imminente bello Placentini ſociorum Cremonenſium copias aduocarunt, & VI. Kalendas Iulias prœlio cum Parmenſibus ad Caſaleculū decertarunt. pulſique, ac magna ex parte capti Parmā in cuſtodias ſunt trāſmiſſi. Bononienſes, vt Caſtrum Imolæ ex manibus Imolenſium extorquerent, Fauentinorum ex fœdere auxilia aduocarunt, ac Vidone à Saxo prætore eò exercitum adduxerunt. victiſq. qui, ſe armati obiecerant, prœlio Imolenſibus XV Kalendas Auguſti pacem grauibus, quæ apud Bononienſes extant, conditionibus conceſſerunt. Quibus rebus tranſactis Imolenſes foſſas, & muros prætoris Bononienſis, & conſulum Fauentinorum arbitrio permiſerunt. Poſtero anno Fridericus Magdeburgi Natalicia celebrauit, ac Gerardum Cardinalem ad ſe ab Anaſtaſio
1154
pontifice ſuper cauſſa Magdeburgenſis archiepiſcopi miſſum malè accepit. (itaque Gerardus re infecta Romam reuertens in itinere expirauit.) mox Guicmanno archiepiſcopo cum legatis ſuis ad Anaſtaſium miſſo, non eccleſię ſolùm confirmationem ab eo, ſed etiam pallii auctoritatem obtinuit. Inde quoniam expeditionem in Italiam in menſem Octobrem indixerat, conuentum vnum Ratiſponæ, alterum Spiræ, tertium Goſlariæ habuit. In Ratiſponenſi legatos ad Manuelem Imperatorem de ſocietate aduerſus Gulielmum regem Siciliæ ineunda deſtinauit. In Spirenſi Henrico Saxoniæ Duci ducatum Baioariæ adiudicauit. ac rebus Germanię conſtitutis ineunte Octobri, in fines Baioariæ ad Lycum amnem contendit. atque eò ex omni Germania exercitum conuocauit. Cum eo inde per vallem Tridentinam in campos Veronenſes degreſſus ad lacum Gardæ caſtra poſuit, ac menſe Nouēbri ad Roncalias venit. Itaque III Nonas Nouembris in Roncalijs Camaldulenſibus Eremitis indulſit priuilegium. Sic Otho. In Mediolanenſibus autem continetur annalibus, ipſum per Taurinos montes tranſgreſſum acceſſiſſe Mediolanum, ibique extra vrbem per Vbertū archiepiſcopum coronatum. inde tertio Kalendas Decembris Caſtelleonum

leonum progreſſum à Laudenſibus promiſſi obſequii iuſiurandum exegiſſe, idque Laudenſes Mediolanenſibus conniuentibus præſtitiſſe. inde in Roncalias ventum. Conuentu in Roncaliis ingenti principum, ac ciuitatum concurſu menſe Decembri coacto, cum querelis Italicorum audiendis de more vacaret, in primis marchio Montisferrati factum Cairenſium, atque Haſtenſium, & Papienſes Derthonenſium, quòd ad Mediolanenſes tranſiſſent, inſimularunt. Hos omnes vetere Fridericus in officio eſſe, præcepit. Cum autem Laudenſium, & Comenſium Conſules acerbas in ſe Mediolanenſium iniurias conquerentes audiſſet, eas ſe iudicaturum, vbi in eorum agrum veniſſet, oſtendit. ac conſules Mediolanenſes ingenté pecuniã ſanciendi in vtranque ciuitatem imperii gratia pollicentes repudiauit. Legati etiam Genuenſium in eum conuentum regem ſalutatum venerunt, ac leones, ſtruthiones, pſittacos, pannoſq. holoſericos Sarracenicæ prædæ nuper in ora Hiſpaniæ partæ munera pretioſiſſima detulerunt. Inde conuentu diebus quinque perfecto, exercitum in agrum Mediolanenſem mouit, ſiue vt grauiore eos mali terrore perculſos ad æquitatem aliquam erga Laudenſes, Comenſeſq. adduceret, ſiue, vt propius eorum lites, controuerſiaſq. cognoſceret, ac ſe à conſulibus duobus Mediolanenſium, qui in conuentu affuerant, Oberto Orto, & Gerardo Nigro duci ad pontem Ticini mandauit. ij per loca proximo Papienſi bello vaſtata duxerunt. ex quo exercitum omnium rerum neceſſariarum conflictari inopia contigit. quam etiam aſſiduæ imbrium, hiemiſq. accedentis iniuriæ grauiorem, acerbioremq. fecerunt. Qua fraude percitus Fridericus continuò conſules à ſe dimiſit, atque exercitum in loca opulentiora perduxit. auxit etiam iram eius, quòd Mediolanenſes comperit oppida bello diruta reſtitui prohibere. Itaque cum Roſatũ adiſſet, quòd oppidum commeatu refertum, ac quingentorum armatorum præſidio erat munitum, præſidio depulſo, locum occupauit, atque exercitum fame, frigoreq. confectum refecit. Quo facto Mediolanenſes vlciſcendos ratus equitatum ad vrbem promouit. ad cuius conſpectum iuuentus Mediolanenſium vrbe armata exiit, prœliumq. commiſit. verùm in fugam acta, ac magna ex parte deleta ſtatim ſe ſe recepit. Quo malo plebs perterrita ad ædes Gerardi conſulis, tanquam huius calamitatis auctoris, tumultu concitato procurrit. eaſq. quaſi in hunc modum Friderici iram lenitura diſiecit. Fridericus inde Mediolanenſium ſuperbiam ſatis, vt in præſens, caſtigatam arbitratus, reliquas Lombardiæ partes perluſtrare perrexit. Itaque cum Abiatum, & Blanderatum præteruectus Ticinum amnem petiſſet, pon-

tibus, quos Mediolanenſes ad irruptiones in Papienſium, & Nouarienſium agrum faciendas conſtruxerant, caſtelliſq. muniuerant, concrematis, amnem traiecit, ac tria caſtra Mummam, Gailardum, & Triccam, quæ in finibus Nouarienſibus ad eos premendos ædificauerant, expugnata combuſſit. Nouaria vrbs ab Henrico ſuperioribus annis euerſa poſt muro nouo, valloq. non modico fuerat communita. ager verò totus fere in ditionem Vidonis Comitis Blanderati conceſſerat, qui magnas in eius diœceſi opes Mediolanenſium auctoritate vrbi illi imminentium nactus erat. Anaſtaſius pontifex neque laceſſens Romanos, neque laceſſitus ab eis per annum, & menſes ferme quinque pacatè Lateranum obtinuit. inde IIII Nonas Decembris moriens ſepulturam in eo accepit. In eius locum ſuffectus eſt Nicolaus, domo Anglicus, canonicus primùm regularis apud S. Rufum Valentiæ, deinde epiſcopus Albanus ab Eugenio pontifice cooptatus. is Hadriani quarti nomen aſſumpſit. Hadriani eadem cum Romanis gratia, atque Eugenii, fuit. Itaque, cum Arnoldus hæreticus, qui pulſo Eugenio, in vrbem reuerterat, adhuc præſentia ſua ciuitatem pollueret, rogatus à clero, vt in Lateranum ad conſecrationem accipiendam accederet, non ante id ſe factutum dixit, quàm vrbe Arnoldus eiectus eſſet. Tentatus etiam à populo, vt Senatoribus vrbis adminiſtrationem remitteret, diſertè id ſe facturum negauit. Quod iniquo animo populus paſſus Vidonem Cardinalem S. Pudentianæ ad eum ſe conferentem inuaſit, ac vulneribus multis nouo impietatis, ac furoris exemplo affecit. Ea de cauſſa Hadrianus, ſacris populo interdictis, vrbe abiit, atque Vrbeuetum cum aula Cardina
1155 lium commigrauit. Fridericus autem, cum in iis locis, quæ vaſtauerat, hiemaſſet, vere appetente, Vercellas, ac Taurinum terroris incutiendi cauſſa contendit. atque inde vadato Pado in Papienſem agrum reuertit, & Papienſibus, ac Nouarienſibus adiutoribus Galiatum, & Trecatum inuaſit, eaque occupata deleuit. Ibi cum Cairenſes, atque Haſtenſes imperata marchionis, vt iuſſi erant, facere detrectaſſent, hoſtes proſcripti, atque vtriſque arma illata. Cairenſes, relictis munitionibus, viribus ſuis diffiſi in vicinos montes ſe rettulere. Fridericus magna Cairæ commeatuum copia inuenta, ibi per aliquot dies manſit, ac turres, quæ non paucæ ibidem fuere, deiecit, oppidumq. ſuccendit. Inde Haſtam progreſſus vacuam non opibus, ſed incolis vrbem nactus paucos ibi dies moratus direptioni, incendioq. permiſit. ac ſeditiones, quæ multæ in caſtris exarſerant, ex prudentum auctoritate compeſcuit, lege ſanciens, ne quis in caſtris violandi hominis cauſſa gladiũ

ferret; ſi tuliſſet,manu, aut capite plecteretur. Inde arma ad Derrhonam vrbem tranſlata, quæ pariter edictis regis neglectis Mediolanenſium amicitiam ſequebatur. Cum ab Haſta in marchiam Buſchæ pro greſſus eſſet, aliquot è ſuis ad ſitum regionis explorandum præmiſit. ij traiecto Tanaro,non longè ab vrbe ſuper amne caſtra locarunt. poſt diem tertium ipſe inſecutus ad flumen acceſſit. primoq. aduentu ſuburbia muris, turribuſq. firmata expugnauit, cum trepidi ciues in arcem per noctem ægrè ſe recepiſſent. Derthon eſt ad crepidinem Apēnini locata campos Papienſes quaſi è ſpecula proſpiciens. mons teres præruptis lateribus, ipſa turribus tum altisſimis erat ornata. Suburbiis captis,rex vrbem ſibi obſidendam exiſtimauit, cum ſuis viribus ſatis, tum Mediolanenſium opibus, & Opizonis marchionis Malæſpinæ munitam. obſidio cœpta eſt Idibus Februariis. Incluſis in arcem ciuibus Fridericus montem ipſum ex omni parte, ne pateret inde exitus, cingit, ipſo ab Occidēte,Henrico Duce Saxoniæ in ſuburbio à meridie, Papienſibus in campis ad Orientem,& Septentrionem caſtra habentibus, ac vatii generis machinis adhibitis,qua parte muri infirmiores videbantur, oppugnat. Nihilo ſecius Derthonenſes crebras ex vrbe excurſiones faciebant, ac leuibus miſcendis prœliis virtutem, fidemq. patriæ enixè præſtabant. neque id ſine ſummo vtriuſque part s detrimento. ex Germanis duo ſummæ nobilitatis adoleſcentes Cadolus ex Baioaria, & Ioannes ex Saxonia pluribus aliis vulneratis deſiderati. ex Derthonenſibus præter alios, quos occiſos, aut ſauciatos occultabant,nonnulli viui comprehenſi ligni ſupplicio ſunt affecti. Quadam etiam die lapis impetu baliſtæ, quam manganum vocabant, propulſus fruſtis ex parietum percusſione contractis vno ictu tres milites armatos proſtrauit inter principes ciuitatis, qui prope baſilicā de ſumma rerum capiebant conſilium, ſtantes. Quia verò Papienſium caſtra ceteris erant infeſtiora, Papienſibus Gulielmus marchio,& alii ex Italia principes iuſſu Friderici ſe ſe iunxerant, atque vnà cum eis omni cura fontem quendam aſſeruabant, cuius Derthonenſes vſu carere vix poterant. vnde neceſſitate adacti aſſidua, ac prope quotidiana aquandi cauſſa prœlia committebant. Nam amniculus, qui ſuburbiū interluebat, partim tectorum ruina aliò erat auerſus, partim à Germanis ita cuſtodiebatur, vt ne feculentus quidem vlli eſſe vſui poſſet. Fridericus demum, vt exitum rei imponeret, nam Romam ad coronam accipiendam ſpectabat, turres machinis quatere inſtituit, & ad turrim Rubeam omnium altisſimam cuniculos egit. quæ turris foſſa obducta eius partis munimento erat obiecta, cum vrbs à ceteris parti-

bus

bus altisſimis vndique rupibus eſſet munita. verùm fraude hoſtium co gnita Derthonenſes alium & ipſi iuxta fundamentum turris cinicu- lum egerunt, atque ita hoſtium conſilio, & audaciæ occurrerunt. Poſt hæc Fridericus, cum fontem cadaueribus hominum, ac pecudum putreſcentibus iniectis corrupiſſet, ac ne ita quidē eos auertere potuiſ- ſet, faculas ardentes ſulphureas, & piceas intulit, atque amarore aquis illato prorſus ad potum inutiles reddidit. Non prætereundum ſtrato ris cuiuſdam inſigne facinus. is, vt reliquos ad ſimile petendum decus accenderet, gladio, clypeo & parua ſecuri ſumpta, aggerem, qui Rubeæ turri præiacebat, conſcendit, ac via, qua pedem figeret, ſecuri facta in montem euaſit, atque inde vſque ad ſemituram turrim proceſ- ſit, nullis lapidum, telorumq. ictibus territus. ibique viriliter pugnan do militem etiam armatum ad terram deiecit, atque inter tot pericu- la inuiolatus reuertit ad ſuos. Cuius facti admiratione Fridericus affe ctus hominem ad ſe vocari, ac militari cingulo donatum equitem eſſe iusſit, verùm ille ſe plebeium eſſe, atque in eo ordine manere malle reſpondit. quamobrem liberaliter donatus ad contubernium ſuum eſt remiſſus. Interea omnibus famis, ſitiſque incommodis oppidani affligtabantur. Fridericus ſolemni Reſurrectionis appetente à Cœna Domini per quattuor dies ſibi ab oppugnatione ceſſandum exiſtimauit. itaque tacitis quaſi induciis datis cum omnia conticeſcerent, die Paraſceues clerici, & monachi inſignibus ſuis velati cum crucibus, thu ribulis, ceteriſq. Chriſtiani ritus ornamētis vrbe exierunt, atque iter re gis ad tabernaculum direxerunt. Id vbi Fridericus proſpexit, epiſcopos, alioſq. obuiam miſit, quid illi peterent, perconratum. Illi primùm afflictam ſuam conditionem expoſuerunt, quòd ne Deo quidem inſer uire vacuo ab asſiduis inſtantium periculorum curis animo poſſent, ſeque ab eiuſmodi belli contagione ſepararunt, quòd omnium conſiliorum expertes eſſent, quæ conſules cum primoribus ciuitatis inirent, ac ſupplices, & lachrymantes finem diuturnis incommodis implorarunt. Quibus rebus cognitis Fridericus eos redire in vrbem iusſit, ac poſt quattriduum oppugnationem redintegrauit, quam per aliquot dies Derthonenſes eluſerunt nouæ ope machinę per dies induciarum conſtructæ. Poſtremò omnibus malis defesſi, atque ad ſummam ino piam cibariorum adducti Idibus Aprilis ſe dediderunt. Fridericus ingreſſus vrbem primùm direptione, deinde incendio peruaſtauit. Inde in caſtra reuerſus miſſo in agrum Brixianum milite Sonicæ caſtrū incendit, & amicis Cremonenſibus honoris loco ius pecuniæ ſignandæ conceſſit. His cognitis Genuenſes ſibi timentes vrbem ſuam mu-

nire cœperunt, verùm ſtatim à Friderico omni liberati timore ſunt. Hæc agentem Papienſes adierunt, eumq. ad vrbem ſuam Derthonenſi triumpho cohoneſtandam rogarunt. æquum enim eſſe, vt & rex tam nobili parta victoria meritum triumphum ageret,& vrbs ipſius quondam regni ſedes hunc ab rege ſuo honorem acciperet. Fecit haud grauatè Fridericus, vt quorum cauſſa bellum ſuſceperat, apud eos gratulationem victoriæ celebraret. Itaque motis caſtris Papiam venit.XVIII Kal. Maij ingredientem vrbem cum exercitu ad decorum ſuperbumq. gradum inſtructo lætus excepit non vniuerſus ſolum populus, ſed etiam epiſcopus,& clerus cum crucibus ſacris in veſtibus occurrentes. Inde fauſtis clamoribus vulgo rex, ac dominus ſalutatus, atque in ædem S. Michaelis,ad quam olim regia fuerat Longobardorum, deductus coronam capite, manu ſceptrum honoris cauſſa geſtauit, gratiaſq. Deo de tanta victoria egit. Triduo inde magna ciuitatis lætitia, effuſaq. in omnem magnificentiam impenſa conſumpto, Papia digreſſus Placentiam adiit. A Placentinis non receptus vrbem XIIII Kal. Maij circunſedit. ceterùm Mediolanenſibus auxilio accurrentibus, longam,ac difficilem fore expugnationem ratus ſtatim incœptum omiſit, ac Lombardia relicta repente Romam ad coronam accipiendam iter intendit. III Nonas Maij caſtra in ripa Tari metatus. inde Regium, ac Mutinam præteruectus feſtum Pentecoſtes in agro Bononienſium egit,& Bononienſibus, vt Medicinam reficerent,imperauit. Tum ſuperato Apennino peragrauit Etruriam. Ibi Piſanos aduerſus Gulielmum Siciliæ regem claſſem parare iuſſit, & Anſelmo Hamelburgenſi epiſcopo à Græca legatione reuerſo Rauennatem eccleſiam poſt mortem Moyſis ſuffragiis cleri,populiq. vnà cum ipſo exarchatu attribuit. vnde ipſe ſe ſeruum ſeruorum Dei, Rauennatis eccleſiæ archiepiſcopum, & eiuſdem ciuitatis exarchum inſcribere conſueuit. ac demum libertate Cluſinis data Viterbium adijt. Eodem verò Hadrianus quoque pontifex ex Vrbeueto acceſſit, atque ei aduenienti Fridericus obuiam progreſſus ſtrepam de equo deſcendentis ſuſtinuit, manuq. in tentorium introduxit. Ibi iuſſu regis,& principum Bambergenſis epiſcopus ita locutus eſt: *Gratias Deo ſummas agimus, beatiſſime pater, qui noſtri nos compotes voti fecit, in eum locum adducens, in quo ſanctiſſimo tuo conſpectu perfrueremur, cuius ſumma iampridem cupiditate flagramus. Notum ergo tibi ſit, quemadmodum hæc ex finibus terrarum pro regni honore collecta eccleſia principem hunc ſuum ad tuam beatitudinem prouehendum ad culmen Imperialis honoris adduxit, virum nobilitate, prudentia, fortitudine, victoriaq. præſtantem, rectæ fidei ob-*

ſeruatorem

ſeruatorem, pacis cultorem, in primiſq. S. R. E. ſtudioſum, quam ipſe amplexatur vt matrem. cuius rei certo eſſe argumento poteſt humanitas modò erga te adhibita, cum te vementem lætus ſuſceperit, & ſolemne officium ad pedem inclinatus præſtiterit. Quare petimus, vt & tu, quæ tua ſunt, peragas, ideſt ipſum Imperatoria, quæ diſideratur, corona exornes. Quæ cum dixiſſet, Hadrianus iuſtam petitionem eorum eſſe, ac ſe, quod peterent, benignè conceſſurum eſſe, vel ipſius, cuius peterent, cauſſa reſpondit. vnũ illud modò poſtulauit, vt Fridericus opem ſibi ad retinendam ſuam aduerſus inſoleſcentes Romanos dignitatem afferret. Quod cum Fridericus promiſiſſet, ipſe cum eo Romam verſus deceſſit. Ita ex agro Viterbienſi profecti Sutrium acceſſerunt. quo relicto legatos Romanorum obuios habuerunt, quos illi inſolentia plus iuſto euecti ad tentandum Friderici animum miſerant cum abſurdis mandatis, vel ſtolidæ potius ſuperbiæ plenis. Qui, cum in conſpectum eius veniſſent, copia dicendi facta, ita exorſi ſunt: *Senatus, populuſq. Romanus, rex optime felicẽ hunc tibi aduentum gratulatur, ſeque coronam Imperij tibi traditurum pollicetur, ſi pacem præſtiturus, & iura ſua conſeruaturus accedis. Ceterùm poſtulat à te duo: vnum quidem, vt iniuſtum à ſe clericorum dominatum depellas, ac ciuitatem in antiquam reipub. formam reſtituas. neque enim te fugit, quanta fuerit quondã huius urbis maieſtas, cum, ſenatorio, atque equeſtri ordine vigente, ipſa per conſules, prætores, ac tribunos plebis gubernabatur. Quod eò te ſtudioſius facere oportere exiſtimat, quò plus ab ea, quàm quiſquam alius, accepiſti. cum tranſalpinus homo ad regnum Italiæ, Imperiiq. Romani culmen euectus ſis; alterum verò, vt ad ſeruandas antiquas conſuetudines magiſtratibus ſuis, à quibus tibi mox in Capitolio acclamabitur, vſque ad quinque millia librarum argenti dilargiaris, iniuriaſq. à republica vſque ad effuſionem ſanguinis arceas, & hæc priuilegijs munias, tuaque manus corrobores.* Ad quæ Fridericus abſurdis poſtulatis eorum non minimum perturbatus ita reſpõdit, vt magnifica illorum de vetere rep. oratione irriſa dixerit, floruiſſe quondã in eis illã, quã ipſi tantopere verbis efferrent, virtutis, & reipublicæ indolẽ, nunc verò ita exaruiſſe, vt ne veſtigia quidẽ vlla prorſus extarent, à Carolo primùm, deinde ab Othone labefactatã. qua verò ipſi glorientur, reipub. diſciplinam, iampridem ad Germanos cum Imperio eſſe tranſlatam. nam apud ſe conſules, apud ſe ſenatum, apud ſe equites eſſe, procerum Germanorum conſilio rempublicam regi, iuuenum Germanorum robore eam defendi. Falli porro eos, qui ſe Imperium à Romanis accepiſſe dicerent, non enim Romanorum beneficio datum, ſed Caroli, & Othonis armis eſſe quæſitum, quos conſtaret à Romanis in Italiam fuiſſe non voluntate, ſed ne-

ceſsitate vocatos, vt aduerſus Deſiderium, & Berengarium, à quibus grauius premebantur, libertatem, ſalutemq. defenderent. De iure autem, quòd poſcerent, haud æquum eſſe, populum leges principi ſuo præſcribere, neque eum de aliquibus ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſint, admonere. exigere verò aliquid ab eo tanquam à captiuo audere, id verò non ſolùm indignum, ſed etiam intolerandum eſſe. Quamobrem ſe omnia iniuſtè poſtulantibus iure optimo denegare. Quibus dictis quidam ex aſtantibus legatos rogauit, nunquid aliud dicere vellent. quibus illi, ſe hæc, quæ audiſſent, ante domum renunciaturos, deinde cum nouis mandatis reuerſuros. Helmoldus autem auctor eſt, reſpondiſſe eos, niſi morem ſenatui gereret, ad vrbem adeunti clauſtra portarum obiectum iri. Fridericus iniqua Romanorum ex verbis legatorum voluntate concepta rationem adeundæ vrbis cum Hadriano communicauit, atque ex eius auctoritate ad cauendas eorum inſidias proxima nocte mille equites armatos Octauiano Cardinale duce, præmiſit. qui mandatis vrbis cuſtodibus editis ſummo mane Romanis inſcientibus intromiſsi vrbem Leoninam equitibus Pontificis adiuuantibus occuparunt, ac Vaticanam baſilicam tenuerunt, & pontem Aelium ad infeſtas Romanorum coercendas irruptiones valido præſidio confirmarunt. Poſtridie verò ante lucem Hadrianus Friderico poſt ſe relicto præceſsit in vrbem. is dies ſabbati ſexto Kal. Iulij fuit. Inde Fridericus cum exercitu ſubſequutus in pratis Neronianis caſtra poſuit. atque armato milite [illegible] incedente ſtipatus ex compoſito porta Aurea vrbem Leoninam iniuit, atque ad baſilicam progreſſus Hadrianum ſedentem pro gradibus adorauit. poſtremò ab eo ad Confeſsionem ſancti Petri deductus ſecundùm rem diuinam ſolemni pompa inunctus, & coronatus eſt, omnibus, qui aderant, fauſtis acclamationibus, præconiiſq. fauentibus. Quibus rebus ritè actis, coronam gerens, atque equum phaleratum inſidens ceteris pedeſtribus per eandem, quam iniuerant, portam in caſtra, Hadriano in ædibus Vaticani relicto, reuertitur. Eodem die Anſelmus nouus Rauennas archiepiſcopus pallium pontificia manu accepit. Dum hæc aguntur, populus Romanus cum ſenatu in Capitolium venerat, vt reip. prout vſus poſtularet, conſuleret. Verùm vbi audiuit, Fridericum ſine auctoritate, atque præſentia ſua à Pontifice coronatum, propè in furorem adductus magno impetu Tiberim traiecit, atque ad ædem ſancti Petri progreſſus paucos ſtratores, qui ibi remanſerant, interfecit, & Cardinales aliquot ſpoliauit. Vrbano tumultu in caſtris audito, Fridericus Pontificem, & Cardinales armis à Ro-

manis oppreſſos ſuſpicans, militem, qui corpora curare, atque ex æſtu ſe recreare parabat, ſubitò armari iuſsit. eoq. aduerſus Romanos adducto, prœlium duplex iniuit, vnum propè arcem cum Romanis, alterum iuxta piſcinam cum Transtyberinis. Vbi per aliquot horas incerto euentu pugnatum eſt, Romani, cum vim Germanorum ſuſtinere non poſſent, terga verterunt. prœlium à decima diei hora cœptum nox ipſa diremit. cæſi, aut in Tiberim merſi ex Romanis propè mille, capti fermè ducenti, vulnerati innumeri, reliqui fuſi, ac fugati in vrbem ſe receperunt. Fridericus victor cum ſuis in caſtra rediit, ac quieti ſe cum exercitu tradidit. poſtridie Romanis commeatus copiam denegantibus cum Hadriano ad montem Soracte proceſsit, atque in campis viriditate conſpicuis feſſum militem cibo, & quiete refecit. atque ibi feſtum diem Apoſtoli Petri celebrauit, & Hadriano rem diuinam faciente, coronam honoris cauſſa geſtauit. Inde motis caſtris inter Tuſculum, vrbemq. premendorum Romanorum cauſſa conſedit. Grauiore inde æſtate ex aeris intemperie facta, Germanus exercitus Romani cœli inſuetus morbis tentari triſtioribus cœpit. Quorum vim cum ſuſtinere Fridericus ſe poſſe diffideret, relicto in ſuburbanis oppidis Pontifice, ad montes Tiburtinos receſsit, & valetudinem ſalubritate aeris, & medicamentorum opportunitate tueri contendit, atque interim nuncios, qui *fodrum* à viciniscìuitatibus exigerent, miſit. Ceteris in officio manentibus, Spoletani contumaces inuenti. qui cũ paullò ante Vidonẽ Guerram Comitem legatum Friderici ex Apulia redeuntem cepiſſent, neque à Friderico iuſsi dimittere voluiſſent, veteri ſceleri nouum adiecerunt, quòd & regem tributi parte fraudarunt, & nummos adulterinos ſoluerunt. Itaque iratus Fridericus exercitum ad eos promouit, atque oppidum oppugnare inſtituit. Spoletani adeo virtute ſua confiſi ſunt, vt non ſolùm è muris, ac turribus, nam propè centum habebant, telis, miſsilibuſq. hoſtem arcuerint, ſed etiam ex portis egreſsi caſtra ipſa inuaſerint. Quod vbi Fridericus vidit, rei indignitate permotus cum vniuerſo exercitu in eos incurrit, ac ſuperatis vallis ad vrbem inſequutus apertis portis vnà cum fugientibus irrorupit. Vrbs direptioni permiſſa, antequàm præda vlla exportari poſſet, illato temere igne magna ex parte abſumpta. ciues ſeminudi in vicinum montem incolumitatis cauſſa ſe receperunt. ſumma inde vrbs, vbi baſilica eſt, arduo licèt aſcenſu, non ſine ſummo Friderici labore, atque periculo adita. Poſtero die ex Spoletano ſolo propter recentem combuſtionem cadauerum peſtilenti ad vicina loca

receſsit,

receſsit, ibiq. per biduum manſit, donec præda ex igne ſeruata tota Spoleto eſſet euecta. Inde ad maritima loca profectus caſtra in agro Anconitano locauit. Ibi ſæuiente canicula, ac militibus pleriſque morbo affectis, multiſque etiam ſuperioribus prœliis vulneratis, non ſine maximo dolore Italia abire decreuit. nam Apuliam inire, atque exules reſtituere, paullò ante ab Hadriano quoque rogatus, ſtudebat. Ita Ancone Senogalliam, ac Piſaurum, ac demum Flaminia via Bononiam venit, vbi ad Rhenum caſtra fecit. Inde traiecto ad D. Benedicti monaſterium Pado, initio menſis Septembris in agrum Veronenſem proceſsit. Moris erat veteris, vt Imperatori in Italiam traiicienti, aut ex Italia abeunti Veronenſes pontem in Atheſi, quo commodius, ac facilius traduceret exercitum, compararent. Tanto verò tum odio aduerſus Fridericum ardebant, quem de iure ſuo nihil conceſſurum eſſe cernebant, vt nō ſolùm fraudem in ponte conſtruendo commiſerint, quo ipſum cum exercitu perderent, ſed, vbi dolus non ſucceſsit, inſidias eidem nonnulli in faucibus Alpium coacta militum manu pararint. Quibus ille euitatis, ac ſontibus ſeuero ſupplicio affectis in Germaniam euaſit incolumis. Ad Idus inde Octobris, cum Ratiſponæ conuentum ageret, epiſcopus Veronenſis eum conuenit, atque ipſius nomine ciuitatis rogauit, vt Veronenſes in gratiam reciperet; nam ſcelus illud paucorum hominum fuiſſe, ac ciuitatem ipſam omni crimine prorſus vacare. Qua re audita, ille pecunia, & ſacramento accepto, ignouit. Eodem anno bellum atrox in Apulia geſtum eſt. Gulielmus Rex Siciliæ conſecrationes epiſcoporum ſuorum Hadriano pontifici, vt Sigebertus inquit, eripiens ab eo piorum communione depulſus Anſcottino Cancellario ſuo præcepit, vt Beneuentum, quod erat Pontificis, obſideret. Per eoſdem dies fama increbuit, ipſum Gulielmum ſiue mortem oppetiiſſe, ſiue planè ſenſuum impotem euaſiſſe. Itaque Hadrianus vindicandæ iniuriæ cupidus principes Apuliæ aduerſus eum exciuit, Robertum Comitem Baſſæuillæ, Robertum Surrentinum, Principem Capuanum, Andræam Comitem Rupiſcaninæ, ceteroſq., quos ille, paterve eius, vt ſuſpectæ fidei expulerant, eoſque ad repetendas ſe auctore, atque adiutore poſſeſsiones ſuas hortatus eſt. Quin etiam Manuelem, & Fridericum Imperatores ad ſocianda aduerſus eum arma pellexit. Quo factum eſt, vt breui tota Calabria, atque Apulia bello, ac tumultu grauiſsimo conflagrarit. Nam Brunduſium opera Manuelis, qui pecuniam, ac Græcos duces, militeſq. ſummiſit, eſt captum, & Tarentum, ac Barium, totaque maritima vſque

ad regni limites ora à Roberto Comite occupata. & Campania vſque Salernum, Neapolim, & S. Germanum Principem Robertum accepit. Quo minus Fridericus accurrere poſſet, ſæuiens in caſtris eius, vt diximus, peſtilentia impediuit. Per eoſdem dies Fulcherus, patriarcha Hieroſolymitanus, in Italiam venit, vt litem ad Hadrianum deferret, quam cum Raymundo ſecundo domus Hoſpitalis magiſtro contraxerat, quòd ſe à ſuo iure ſubduxerat. Is, cum interiora Apuliæ loca armis obſeſſa videret, oram maritimam legens Anconem proceſsit, cumq. Fridericum, quem conuenire auebat, iam Piſaurum tranſgreſſum inueniſſet, iter ad Hadrianum intendit. & cum eundem Narnia Ferentinum profectum offendiſſet, eò ſe contulit. nactuſq. colloquij facultatem, nihil tamen æqui ab eo, aut à Cardinalibus impetrauit. Hadrianus inde Caſsinum, & S. Germanum progreſſus multos Ducatus proceres ſe ipſum expectantes inuenit, quos omnes ſacramento ſe fidem præſtituros obſtrinxit. Caſsino verò Beneuentum cum acceſsiſſet, reliquos in ſua iurare verba iuſsit, atque inde Roberto, & Andreæ animos, vireſque ad reliqua perficienda ſuppeditauit. Mediolanenſes quantum Friderici in Italiam aduentus exterruit, tantum diſceſsio confirmauit. Itaque illo profecto ingentem armorum apparatum fecerunt, ac primùm Derthonenſes, quorum ſua cauſſa euerſum oppidum erat, ſibi ſubleuandos, deinde Papienſes, & Laudenſes, qui Fridericum in ſe accenderant, opprimendos decreuerunt. Ceterùm Derthonem vrbem cum ſibi enixo
1156 ſtudio reficiendam ſuſcepiſſent, poſtero anno menſe Maio equites, pediteſq. primùm Ticinenſis, & Vercellenſis tribus, deinde Romanæ, & Orientalis eò miſerunt. ac ſinguli certatim pecunia, & manu moliendo operi incubuerunt. & cum hoc opus Gulielmus marchio Montisferrati legatus à Friderico relictus adhibitis Papienſibus impedire contenderet, varia non prœliorum ſolùm, ſed etiam obſidionum incommoda vnius eius rei perficiendæ, ideſt officij, fideiq. ſociis præſtandæ cauſſa ſuſtinuerunt. Qua re ad exitum perducta collecta valida manu Marchionis ditionem hoſtiliter inierunt, atque agros eius omnes fœdè vaſtarunt. Inde domum redeuntes Ceredanum caſtrum expugnarunt, quod à Papienſibus tenebatur, & Sozanum, ac reliqua eius regionis loca iuris ſui fecerunt. Mox autem arridente cœptis fortuna, aſſumptis Brixianorum auxiliis, aduerſus Papienſes conuerſi ſunt. ac Kal. Iuliis, ponte iuxta Abiatum, quem Fridericus interſciderat, inſtaurato, Ticinoq. traiecto Caſiolum duce Vidone, Comite Branderatenſi, venere. Quibus vt ſe obiicerent,

Papienſes, contractis repente Marchionis, aliorumq. Cæſarianorum auxiliis, Viglebanum inuere. Ea re Mediolanenſes ſublatis caſtris IIII Nonas eò progreſsi prœlium tanto ſtudio commiſere, vt Marchionem in fugam compulerint, Papienſium plurimos captiuos fecerint, atque oppidum in ditionem adduxerint. Viglebanum deletum. captiui Mediolanum cuſtodiendi traducti. Inde veniſſe tempus euertendæ, aut certè in ſeruitutem adducendæ Papiæ rati per menſem Octobrem ad eam cum exercitu vniuerſo procedunt. ac Laumello reſtituto agrum longè, lateq. diripiunt, ac demum caſtris ad vrbem locatis, omnem oppugnationis apparatum expromunt. Papienſes cum ſe ſatis virium ad tanti belli molem ſuſtinendam non habere ſentirent, præſertim verò qui ſociorum auxiliis deſtituti, & proxima clade debilitati eſſent, oppugnatione non expectata vltro ſe dediderunt. Multis, vt dirueretur vrbs inimica, cenſentibus, viſum eſt ſatis, vt eadem, qua Laudenſes, & Comenſes, conditione relinqueretur. Itaque pax in has leges eſt data, vt muros vrbis Mediolanum vergentes deiicerent, prætorem ſorte à Mediolanenſibus datum reciperent, Conſilium ſeparatum à Conſilio Mediolani non haberent, inter pagos Mediolani referrentur, obſides ex nobilitate centum, ex plebe ducentos darent. Quibus rebus adminiſtratis inde ira aduerſus Laudenſes conuerſa. quos ſiue ſua, ſiuè Papienſium cauſſa ad Fridericum hæc omnia detuliſſe, eumq. ad auxilium in Italiam acciuiſſe, compererant. Igitur conſilio habito ſanxerunt, ne Laudenſibus rerum ſuarum aliquid aut vendere, aut quoquo pacto alienare, neve inde iniuſſu Mediolanenſium migrare liceret. Conſuleſq. Nouembri menſe Laudem profecti tributum ciuitati grauiſsimum imperarunt. quique pendere recuſarunt, bonis, & patria euerterunt, atque in hoſtium numerum retulerunt. Denique, vt ſpecioſam aliquam perdendæ vrbis cauſſam inuenirent, ſolemne à ſingulis popoſcere ſacramentum, fore, vt hæc in perpetuum obſeruarent. Quibus illi re deliberata dixerunt, facturos ſe omnia, quæ imperaret, verùm, ne quid tale iurarent, fide Imperatori obligata ſe impediri. &, cum æqui nihil impetraſſent, epiſcopum, & conſules, ac principes ciuitatis Mediolanum ad eam rem deprecandam miſerunt. Hi profecti ad archiepiſcopi, Conſulum, aliorumq., qui aderant, principum ciuitatis pedes procubuerunt. eoſq. infimis omnibus precibus, ne ſe ad violandam fidem Imperatori datam adigerent, obſecrarunt. Quod cum obtinere non potuiſſent, ad legatos Pontificis, qui fortè aderant, Ardicionem, & Othonem Cardinales conuerſi, precibus eos, vt

cauſſam ſuam ſuſciperent, fatigarunt. Mediolanenſes legatorum auctoritati, dum apud ſe fuerunt, obtemperarunt. verùm profectis illis IIII Nonas Nouembris, quo die mortuis publicè parentatur, ex Concilij ſententia omnibus, qui vſque ad diem Epiphaniæ imperatum ſacramentum non ſuſcepiſſent, exilium indixerunt. Eodem anno Cremonenſes aduerſus Cremenſes profecti latè agrum eorum vaſtarunt, ac menſe Maio congreſsi ſuperarunt, ac pleroſque eorum cœperunt. Brixiani verò Bergomatium populationibus prouocati in eorum fines irrupere, atque eos collatis ſignis ad Paluſcum vexillo erepto menſe Iulio cæcidere. Mutinenſes, cum iterum Bononienſis belli fortunam tentare in animo haberent, Gerardi Rangoni prætoris ſui auctoritatem ſequuti ſententia deſtiterunt, ac fœdus cum Bononienſibus percuſſerunt, iurantes, ſe Nonantulanis, ſi fide deceſsiſſent, aduerſus Bononienſes auxilio non futuros, ac Bononienſes ſacramento obligantes, ſe Nonantulanos ad arma non concituros. Ceterùm Gerardus hic, qui pòſt etiam Friderici per agrum Mutinenſem legatus fuiſſe dicitur, nobilem Rangonorum familiam Mutinæ prodidit, quæ in hunc vſque diem principem ibi dignitatis locum, atque auctoritatis obtinuit. Eodem anno Gulielmus rex Siciliæ pacem ab Hadriano pontifice poſtulauit, ſpondens, ſi ſe beneficiarium Eccleſiæ confirmaret, ſe cumulatè ei ſatisfacturum, ac Romanorum aduerſus eum contumaciam compreſſurum. qua ab Hadriano conditione ex Cardinalium auctoritate repudiata, haud ita multò poſt cum ingentibus copiis in Apuliam tranſijt. ac Græcos prœlio victos Brunduſio deturbauit. & Barium in poteſtatem adductum planè euertit. ac terrore omnibus iniecto, vt populi, qui defecerant, ad ſe redirent, effecit. Beneuento inde obſeſſo, Hadrianum in tantas difficultates adduxit, vt de pace componenda cogitarit. Itaque ſimulata profectione præmiſsis in terram Marſorum, ipſis qui à pace abhorrebant, Cardinalibus ad ædem ſancti Martini exiit, atque ibi Gulielmum ad pedes procidentem in gratiam recepit, & ligium de more homagium facientem regem Siciliç, Ducem Apuliç, & Calabriæ, ac principem Capuæ comprobauit. Robertus, & Andreas Comites hoc cognito rebus ſuis deſperatis ad Fridericum ſe contulerunt. Princeps Capuanus, dum fugiens amnem Garilianum tranſibat, à vectoribus captus, & Gulielmo traditus, pòſt in vinculis in Sicilia periit. Gulielmus rebus Apuliæ compoſitis in Siciliam lætus rediit. Hadrianus autem Roma vitata ſeſe Vrbeuetum recepit. Fridericus rebus Germaniæ conſtituendis intentus Vormaciæ per dies

Natalicios

Natalicios conuentum egerat, & poſt Pentecoſten Herbipoli. Ibi nuptias cum Beatrice Rinaldi Comitis Burgundiæ filia celebrauit, ac Burgundiam ab ea nomine dotis accepit. cumq. audiſſet, Apuliam à Græcis fuiſſe occupatam, tamen Græcis multò infenſior, expeditionem Apulam intra annum ſuſcipiendam iurauit. Menſe inde Iulio, cum in caſtro Norico verſaretur, de Græcis à Gulielmo rege Apulia pulſis edoctus Apulam expeditionem remiſit, & pro ea Mediolanenſem iurauit, nimirum ob ea, quæ ſe Italia profecto ab iis geſta erant, vehementer incenſus. eamq. à præterita Pentecoſte ad annum indixit. Proximo anno Mediolanenſes, vbi dies Epiphaniæ venit, Laudenſibus iurare detrectantibus vrbe excedere imperarunt. bona Mediolanum aſportarunt, arbores in agris, viteſque, atque ædificia nulla reliquerunt. ac demum vrbis mœnia diruerunt, pinnis, quæ ex vno lapide erant, ad prima agri Mediolanenſis caſtra ad perenne rei monumentum translatis. Laudenſes vix cum ſingulis veſtimentis patrio ſolo relicto, Piceleonem Cremonenſium caſtrum ad Abduam ſitum ſe contulere. Qui autem morbo impliciti, aut alio conſilio vſi in vrbe remanſerunt, in carcerem omnes coniecti ſunt. Hadrianus Vrbeueri agens regiam ibi pontificiam condidit: equeſtrem manum vrbis præſidio inſtituit. ciuitati clauium inſignia dedit, multaſq. circum in caſtris Eccleſiaſticis munitiones erexit, in primiſq. Radicofanum in monte muniuit. Fridericus hoc anno Mediolanenſi expeditione dimiſſa Auguſto menſe aduerſus Polonos mouit. vnde re bene geſta reuerſus, conuentum primùm apud Herbipolim, deinde Viſontione in Burgundia egit. atque ibi legatos Hadriani audiuit. Ea legatio maximos in Eccleſia motus, niſi ſubitò ſedati eſſent, excitatura fuit noua illa ra de iure pontificiæ, Imperatoriæq. dignitatis inter Hadrianum, & Fridericum controuerſia. Ea verò res hoc principium, atque exitum habuit. Lundonenſem archiepiſcopum Roma redeuntem latrones quidam in Germania ceperant, atque in cuſtodiam dederant, Friderico ſuper tanta re, contra quàm decuit, conniuente. Hac re comperta Hadrianus ægi dignitatem Eccleſiæ ratus Rolandum, & Bernardum Cardinales legatos ad eum, cum Viſontione in Burgundia moraretur, miſit cum his litteris: *Dolemus vehementer, quòd Lundonenſem archiepiſcopum, dum à ſede Apoſtolicâ ſe reciperet, à latroribus in Germania captum non ſolum non vltus ſis, vt oportuit, ſed etiam vſque ad hanc diem in cuſtodia haberi permiſeris. neque verò cauſſam huius negligentiæ perſpicere poſſumus, cum nobis conſcij ſimus, nulla nos ratione tuæ magnitudinem gloriæ offendiſſe, & te vt chariſſimum filium, & principem* 1157

Chriſtianum omni ſemper complexi ſtudio ſimus. Neque enim, credo, oblitus es, quàm hilariter ſuperiore anno te ſuſceperimus, quantum tibi honorem tribuerimus, & quanto ſtudio Imperialis coronæ inſigne tibi contulerimus. cuius nos facti non pœnitet, ſed ſi maiora tibi beneficia dediſſemus, conſiderantes, quantis Eccleſiam commodis, & ornamentis poſſis afficere, magnopere gauderemus. cum igitur huius inmutatæ voluntatis obſcura nobis cauſſa ſit, idq. peruerſorum hominum ſubornatione factum ſuſpicemur, propterea duos ex primoribus Cardinales, Bernardum, & Rolandum, homines ſingulari prudentia, ac vitæ honeſtate ornatos legatos de latere noſtro ad te mittimus, qui tecum nomine noſtro agent de omnibus, quæ ad Chriſtianam remp. pertinent; quos te, vt comiter, & benignè accipias, obteſtamur. His litteris lectis Fridericus, & principes mirum in modum cum ceteris rebus oſtenſi ſunt, tum quod ſcriptum in iis erat, Pontificem *beneficij* loco Friderico inſigne regium contuliſſe. Itaque veriti, ne id ſignificaret, quod quidam etiam dictitabant, reges Germaniæ Imperium Pontificum Romanorum *beneficio* obtinere, (ſiquidem idem etiam ſub Lothario pictura Lateranenſi, ac verſibus, de quibus ante diximus, haud ambiguè erat expreſſum) dolorem ſuum continere non potuerunt, atque Imperium haudquaquam Pontificis *beneficium* eſſe dixerunt. Quibus vnus ex legatis Rolandus; Cuius ergo tandem erit, ſi Pontificis non erit? cum intuliſſet, Othonem Comitem Palatij aſtantem adeo ira incendit, vt ſtricto eum gladio appetierit, ac mortem ira feruidus intentarit. Tum Fridericus compreſſo tumultu, legatos re infecta dimiſit, ac recto itinere propere ad vrbem redire, nulla mora in Germania tracta, præcepit, ac legationem Pontificis dimiſsis per omnem Germaniam litteris ſignificauit, adiiciens, ſe ſoli Deo, & principibus Imperium acceptum referre. proinde eos orare, ne tantam Imperij maieſtatem à maioribus eorum ingenti cum nominis ſui gloria
1158 partam imminui ſua negligentia paterentur. Sequenti anno Hadrianus reuerſis ex Germania legatis cum & Friderici reſponſum, & legatorum periculum cognouiſſet, rei nouitate permotus ad epiſcopos Germaniæ ſcripſit, vt Fridericum ad officium redigerent, & Othonem, à quo legati malè accepti fuerant, ad ſatisfactionem adducerent. Epiſcopi pontificiæ auctoritati paruere, ac Fridericum allocuti tale ab eo reſponſum tulere: *Ego, reuerendi patres, Pontifici Romano libenter obedientiam præſto. Imperij coronam Deo primùm, deinde Moguntino archiepiſcopo, reliquiſq. pro dignitate eorum Germaniæ proceribus debeo, regalem vnctionem Colonienſi antiſtiti, Imperialem Pontifici acceptam refero. Cardinales à Pontifice miſſos non Germaniæ finibus excedere iuſsi, ſed cum litteras in*

detrimentum Imperij attuliſſe à Pontifice comperiſſem, vlterius progredi non permiſi. olim Imperium Eccleſiam extulit, nunc Eccleſia deprimit Imperium. cœptum eſt à pictura, inde ventum eſt ad ſcripturam, nunc ſcripturæ auctoritas comparatur. non patiar, immo ante coronam deponam, quàm de Imperij auctoritate detrahi vlla ratione permittam. pictura deleatur, ſcriptura reuocetur, ne inter regnum, et ſacerdotium æterna ſimultatum monumenta ſuperſint. tum nemo erit, qui mecum erga Eccleſiam Romanam deſiderare poſſit officium. Abſentem Comitem Palatinum illi nacti conuenire nō potuerunt. Hæc igitur omnia epiſcopi ad Pontificem detulerunt, ſimulq. vt cōmunis concordiæ cauſſa mitiori legatione iram Friderici permulceret, admonuerunt. Fridericus interim vehementius aduerſus Mediolanenſes incenſus expeditionem Italicam maturauit, ac Mediolanenſes internecino perſequi bello conſtituit. Itaque ex Saxonia, vbi Domini Natalicia celebrarat, Ratiſpona, atque inde Auguſtam cum veniſſet, Rinaldum Cancellarium, & Othonem Palatinum in Italiam ad ſacramenta ciuitatum de more exigenda præmiſit. atque ipſe ſuper Lycum flumen conſedit. Rinaldus, & Otho caſtrum in Alpium Veronenſium faucibus occuparunt, ac tranſitum exercitui ſubſequenti patefecerunt, ac Veronam profecti ſingularum ciuitatum epiſcopos, & magiſtratus ad ſe adeuntes ſacramentum apud ſe dicere imperarunt. Sacramenti verò formula fuit talis: *Præſtabo fidem in poſterum Friderico Imperatori aduerſus omnes homines, prout debeo, & adiuuabo eum ad coronam Imperij retinendam, & omnem honorem eius in Italia, præcipuè verò vrbem* (quam ipſi intelligerent, nominabant.) *& quidquid in ea iuris habet, neque in Comitatu, & Epiſcopatu eius adimam, & ſi adempta fuerint, bona fide ad ea recuperanda iuuabo. neque auctor ero, dum viuam, vt vitam, aut membrum, aut honorem ſuum amittat, aut capiatur. omnia mandata eius de iure reddendo mihi vel per ipſum, vel per epiſtolam, vel per legatum eius iniuncta ſumma fide curabo, & audiam. neque quo minus accipiantur, audiantur, & expleantur, operam dabo. Hæc omnia fide bona ſine vlla fraude me obſeruaturum eſſe iuro. ita propitius mihi ſit Deus, & hæc ſancta quattuor Euangelia.* Verona inde Mantuam, Mantuaq. Cremonam progreſſi celebrem ibi conuentum habuere, quò archiepiſcopi, Mediolanenſis, & Rauennas, & eorum ſuffraganei, præterea Comites, marchiones, Conſules, & finitimarum ciuitatum primores occurrere. Inde Aemilia perluſtrata, exarchatum Rauennatem adierunt, ac demum Arimino prodierunt Anconem. audierant enim Logothetam cum aliis Græci Imperatoris nunciis ibi obuerſari, verbo vt milites aduerſus Gulielmum regem contraherent, re verò vt maritimas Marchiæ

illius vrbes in deditionem adducerent. atque eos grauiter increpitos, & terrore iudicij de maieſtate perculſos in Græciam redire iuſſerunt, ac ſe Mutinam receperunt. Eodem tempore Pontifex legatos duos Henricum, & Iacynctum Cardinales ad leniendam idonea epiſtolæ interpretatione Friderici iracundiam deſtinauerat. Hi Ferrariam progreſsi, cum legatos regios Mutinæ ſubſtitiſſe audirent, ad eos iter flexerunt, ac cauſſam legationis expoſuerunt, eiſq. relictis Ferrariam, & inde Veronam, ac demum in vallem Tridentinam proceſſerunt. & quanquam ſecuritatis cauſſa ſecum epiſcopum Tridentinum habebant, tamen vnà cum ipſo epiſcopo à Friderico, & Henrico Comitibus prædæ dulcedine ductis capti, ſpoliati, atque in cuſtodias traditi ſunt. verùm mox ab Henrico Baioariæ, & Saxoniæ Duce liberati ad Fridericum in campis Auguſtæ caſtra adhuc habentem peruenerunt, atque ab eo in colloquium admiſsi litteras ei Pontificis reddiderunt. quarum hæc erant verba: *Poſteaquam vniuerſalis Eccleſiæ Dei, ipſius voluntate, procurationem accepimus, eo honore te ſemper affecimus, qui ſtudium tuum erga nos in dies accendere vehementius debuit. Quare magno dolore tulimus, quòd cum duos Cardinales de primoribus, & tui maximè ſtudioſis ad voluntatem tuam, quam alienatam à nobis eſſe audiebamus, explorandam miſiſſemus, longè ſecus, quàm debebas, eos acceperis. Ceterùm audiuimus, te verbo* beneficij, *quod erat in litteris noſtris, rurſus eſſe offenſum. quod facere te non oportuit, licèt enim hoc* beneficij *nomen apud alios in alia ſignificatione ſumatur, tamen accipiendum fuit in eam, in quam nos accepimus, & quam à prima inſtitutione videtur habere. Eſt enim ex bono, et facto iunctum, diciturq. non feudum, ſed bonum factum. quo modo in vniuerſo ſcripturæ ſanctæ corpore inuenitur. vbi ex beneficio Dei non tanquam ex feudo, ſed tanquam ex benedictione, & bono facto ipſius gubernari dicimur, & nutriri. Nos autem, vt ipſe optimè intelligere potes, bene adeo, atque honorificè imperialis dignitatis inſigne capiti tuo impoſuimus, vt bonum factum poſſit ab omnibus iudicari. Quare vbi verbum hoc in aliam ſignificationem detorſerunt, ij non ex merito cauſſæ, ſed ex voluntate ſua egerunt. Quod idem etiam euenit in illis:* Contulimus tibi inſigne imperialis coronæ. *quia hoc verbo* Contulimus *nihil aliud intelleximus, niſi impoſuimus. Quod autem Eccleſiaſticos homines à ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ viſitatione deterruiſti, quàm conuenienter id egeris, ipſe poſtea videris. nam ſi qua de re animus tuus erga nos erat offenſior, id per nuncios, ac litteras ſignificare debuiſti. nos autem honori tuo vt filij chariſsimi conſuluiſſemus.* His litteris lectis, & miti interpretatione expoſitis, Fridericus placatus comiter legatos accepit, atque eos de quibuſdam, quibus ſtantibus concordia ſtare non poſſet, admonuit.

quæ cum legati ad nutum eius emendatū iri pollicerentur, pacem Eccleſiæ oſculo interpoſito reddidit, atque eos lautiis regalibus donatos dimiſit. Interea Fridericus conuentum Auguſtæ peregerat, atque omnes ad ſe Germaniæ principes euocarat, & innumerabiles ex omnibus regionibus copias accerſiuerat. quæ cum maturè conueniſſent, in diuerſas partes diuiſas diuerſis ducibus, ac diuerſis itineribus in Italiam adducendas attribuit. atque ipſe circa Pentecoſten motis caſtris proſpere ſuperatis Alpibus in campos Italiæ extremo menſe Maio deſcendit. Præcedebat rex Boemiæ cum copiis ſuis. itaque primus Brixiam cum Mediolanenſibus ſentientem, atque imperium detrectantem adortus acriter oppugnare inſtituit, nec multò pòſt accedente regis exercitu agro fœdè vaſtato compulit ad deditionem. Brixianis obſidibus ſexaginta, & ingenti pecunia mulctatis pax conceſſa. Ibi Fridericus, dum Italica auxilia, atque Germanica coeuntia expectat, conuentu habito leges in caſtris obſeruandas ſeueriſsimas tulit, ac grauiſsimis pœnis ſingula crimina vindicauit. Interim aduenerunt ex Italia marchiones Montisferrati, Ateſtis, Salutiarum, Carecti, Malæſpinæ, & Capitij, præterea Ferrarienſes, Bononienſes, Patauini, Veronenſes, Vicetini, Taruiſini, Rauennates, Mutinenſes, Regienſes, Parmenſes, Mantuani, Cremonenſes, Papienſes, Laudenſes, Comenſes, Nouarienſes, Vercellenſes, Haſtenſes, Bergomates, Blanderatenſes, Etruſciq. & Vmbri. Vbi verò omnes conuenerunt, ac iuris prudentum accitus frequens affuit numerus, Fridericus aduocata concione ita verba fecit: *Imperij Romani, cuius apud nos adminiſtratio, penes vos verò, qui optimates regni eſtis, auctoritas reſidet, nemo nos pro libidine bella gerere exiſtimet, quæ & incertos euentus habent, & plurimis incommodis, detrimentiſq. carere non poſſunt. verùm dignitas Imperij, quæ impunitis rebellibus ſaluà eſſe non poteſt, nos accendit. Non igitur ego veſtris vos patrijs laribus, ſed Mediolanum exciuit. quod cum à legitimo Imperio defecerit, iuſtam belli cauſſam effecit. neque nos bellum victoriæ cupiditate, ſed pacis amore ſuſcepimus, vt malorum audacia coerceatur, & bonis fidei ſuæ merita præmia tribuantur. nam ſi per deſidiam noſtram Mediolanenſium iniuriam gladio non perſequemur, indigni erimus, qui eo accingamur, nec tam in hoc noſtra erit patientia collaudanda, quàm negligentia improbanda. Quamobrem adeſte animis, virtutemq., quam ſoletis, præſtate, vt & aduerſariorum audaciam contundamus, & Imperij à Carolo, & Othone ad noſtra vſque tempora deducti dignitatem tueamur. & quoniam non inferimus, ſed propulſamus iniuriam, iuſtum bellum cum ſumma ſpe laudis, & certa fiducia præmiorum capeſſite. atque imperatis meis ad reipublicæ vtilitatem pro viribus*

obedite.

obedite. His dictis ſumma omnes milites belli cupiditate accenſi ſunt. idq. ingenti clamore ſublato declararunt, quo proſperos euentus cœptis Imperatoris precati ſunt. Interim iuris periti Fridericum monuerunt, æquum ſibi videri, vt Mediolanenſes, licèt vulgata rebellione infames, per legitimas inducias citarentur, ne contra ius in abſentes lata ſententia videretur. legitimas verò inducias dicebant iudicis edictum vnum, deinde alterum, & tertium, ſeu vnum pro omnibus peremptorium appellatum. atque ita ex eorum auctoritate coram ſe compellari eos iuſsit. Mediolanenſes his cognitis cum tantam capitibus ſuis imminere tempeſtatem viderent, legatos ad eum homines diſertos in primis, ac prudentes miſerunt, qui primò pactione pecuniæ Friderici animum tentare, deinde gratia optimatium expugnare conati, re infecta domum ſe receperunt. Quo facto continuò à Friderico hoſtes iudicati ſunt. Qua re Mediolanum perlata conſternata metu ciuitate repente tota vrbis facies immutata eſt, mœſtitiaq. plebem, ac dolor inuaſit, continuò omnia obſidionum oppugnationumq. incommoda, atque direptionum, & incendiorum detrimenta ſibi animo proponentem. in primis mulieres horum malorum inſuetæ afflictare ſe ſe, ac manus ſupplices ad cœlum tendere, atque ſe, & paruos liberos miſerari, omniaq. horrere. Erant tamen etiam, qui propriis fortunis euerſi, ac graui ære alieno obſtricti aliorum bonis, & ocio inuidentes nouis rebus ſtudebant, atque odio ſuarum rerum permiſceri omnia cupiebant, ac propterea bellum obſtinatius ſuadebant. præterea iuuentus, quæ manuum labore victum quærens inopiam tolerabat, ſpe largitionum publicarum excita vrbanum tumultum ingrato labori præferebat. Itaque præualens eiuſmodi multitudo non tam rebus publicis, quàm ſuis conſulebat, atque erecto bellum animo expectabat, nobilibus, & melioribus hominum talium metu hiſcere non audentibus. Fridericus, poſtquam dies aliquot expectauit, dum illi aut pœnitentia ducti ad ſatisfaciendum accurrerent, aut cladis imminentis pauore perterriti propoſito decederent, exercitum ex agro Brixiano deduxit. atque ad amnem Abduam prodiit. Is fluuius Cremonenſium, & Mediolanenſium fines dirimens ſæpe atroces eorum inter ſe concurſus cohibuit, tum verò propter fluentes Alpibus niues inflatus abruptis pontibus tranſitum exercitui prohibebat. aderant etiam in vlteriore ripa Mediolanenſium circiter mille armati equites, qui ſe auxilio inundantis fluminis facilè vada, ponteſq. defendere poſſe rebantur. His tamen incommodis ſpretis, rex Boemiæ, & Dux Dalmatiæ, quanquam non ſine aliquo ſuorum detri-

mento tranſierunt, ac ſine prœlio Mediolanenſes felici ipſorum audacia perterrefactos in fugam dederunt, ac ſarcinis, & impedimentis eorum potiti ſunt. Boemus inde reliquus exercitus, pars refectis pontibus, pars inſano gurgite pertentato ſe ſe, atque ſarcinas traiecerunt. Erat non longè ab eo loco caſtrum Mediolanenſium nomine Tricium humilis in collis vertice ſitum. quod ex vna parte ab amne Abdua abluebatur, ex altera firmiſsimi muri ambitu cingebatur, turriſq. præſidio muniebatur, & ponte firmiſsimo, atque ad copioſum exercitum traiiciendum aptiſsimo erat inſtructum. hunc pontem Fridericus commodum copiis ſuis traiiciendis ratus, locum occupare contendit, atque admotis caſtris, & vexillo ſuo ante portam locato oppugnare inſtituit. oppidani pauliſper primos impetus ſuſtinuere, deinde deſperata victoria oppidum tradidere, haud malè ſecum actum eſſe rati, quòd incolumitatem in tam aduerſa fortuna retinuiſſent. Inde caſtro præſidio confirmato pridie Kal. Auguſti ad Lambrum amnem alterum eſt proceſſum. Eò cum veniſſet, repente miſerabilis conſulum, aliorumq. Laudenſium turba, lacrymarum, ac ſordium plena occurrit. ſinguli ſublatis in humeros crucibus opem, fidemq. Imperatoris implorabant. ſumma querelarum erat, ſe, vt Imperio fidem officiumq. præſtarent, patriam, ac bona ſua omnia perdidiſſe, ac ne locum quidem, vbi conſiderent, poſsidere. quamobrem precibus eum omnibus obteſtari, vt locum daret, in quo domicilium melioribus collocare auſpicijs poſſent. Friderico annuente, & bene eos ſperare iubente, montem Eghetionem, qui quattuor millibus paſſuum à Laude aberat, poſtularunt. Fridericus III Nonas Auguſti ſequentibus Laudenſibus locum exploratum proceſsit, eumq. probatum conceſsit, ac vexillo conſulibus eorum porrecto eos in poſſeſſione conſtituit, ac multis iuribus aquarum, immunitatumq. donauit. Interim Germani nobiles nonnulli operæ nauandæ, & virtutis probandæ ſtudio incitati circiter mille equitibus aſſumptis Friderici iniuſſu ad portas Mediolani prouolarunt, ac tumultu excito hoſtem ad pugnam elicuerunt. Egreſſa ſumma animorum alacritate Mediolanenſis iuuentus rem primò haſtis, deinde gladiis incerto prœlij euentu aliquot horarum ſpatio geſsit. poſtremò Germani ſuperante hoſtium multitudine circumuēti principibus amiſsis terga verterunt, atque in caſtra redierunt. Quos Fridericus grauiter obiurgatos, quòd extra ordinem iniuſſu ſuo pugnaſſent, vix precibus principum condonauit, ac grauem pœnam, ne quis in poſterum tale aliquid auderet, indixit. poſtero die, qui fuit VIII Idus Auguſti, exercitum in

rata interiectorum locorum iniquitate cum validiſsima manu aduenit. cuius conſpectu Germani erecti aciem propè inclinatam reſtituerunt, & maxima ope certamen redintegrarunt, rege ducis, & militis officium, vt in ſummis difficultatibus, obeunte. Mediolanenſes, vbi ſe multitudine hoſtium circunfuſos vim ferre non poſſe ſenſerunt, in fugam ſe coniecerunt, atque inſequentibus vſque ad portas Germanis in vrbem magno accepto incommodo refugerunt, ac poſthac cautiores in eruptionibus faciendis fuerunt. Nobiliſsima clariſsimæ vrbis obſidio fortiſsimum, ac militaris laudis ſtudioſiſsimum quemque ad præcipuum decus petendum, & nomen ſuum inſigni aliquo facinore illuſtrandum ſtimulabat. Itaque Otho Palatinus Comes cum duobus fratribus, & cohortibus ſibi attributis portam ſibi deſtinatam obſeruans, cum quadam die infrequentes circa portam ſtationes animaduerteret, fortunam tentandam ratus, ſeruos armari, atque ignem, aridæq. materiæ parare faſces iubet, & ad portam, pontemq. ſuccēdendos ſubire. Iuſsi vt erant, accedunt, atque ignem in pontem, & pontis propugnacula ſuper aggerem poſita iniiciunt. Ea re cognita ciuitas maximo timore turbata eſt, ne tecta vrbis correpta adiuuante vento flamma eodem incendio deflagrarent. itaque tumultu ex ea re in vrbe oborto inermes pariter, atque armati ad extinguendum incendium procurrerūt. Ita reſiſtentibus Germanis atrox per noctem prœlium vtrinque commiſſum, ab illis, vt incœptum abſoluerent, ab his, vt hoſtes à porta propellerent, ignemq. extinguerent. poſt horam noctis ab armis receſſum. Eodem ſtudio laudis populares Mediolanenſium tracti, vbi nacti occaſionem erant, præſtare operam patriæ nitebantur, non toto exercitu, ſed cum paucis ſagittariis exeuntes, ac Germanos incautos violantes. ad portam autem, quam obſeruabat Henricus Dux Auſtriæ, cum ſæpius laceſsiſſent, Henricus inſolentiam ſibi vltra tolerandam non arbitratus cum vniuerſis armatis, accitis etiam Vngarorum auxiliis, omni conatu portam adortus eſt. Mediolanenſes turpe rati, ſi plures paucioribus cederent, vrbe egreſsi manum cum eo conſeruerunt, ac cædem, verùm non ſine inſigni clade ſua, ingentem ediderunt. ac demum in fugam acti ſeſe intra mœnia rettulerunt. Ea cauſſa iuuenem quendam ſtrenuum, ac non minus animo, quàm manu promptum ad patrium recuperandum decus accendit. is, cum ad caſtra Imperatoris veniſſet, inſcitia equitandi Germanis obiecta, fortiſsimum quenque ſingulari certamine prouocauit. cœpitq. edoctum egregiè equum modò impetu vehementi propellere, modò adductis haben-

ris in gyrum reflectere, mox varios perplexoſq. per anfractus diſcurrere. cum diu impunè inſultaſſet, alij aliis de cauſsis ſiue timore, ſiue conſilio certamen eiuſmodi abnuentibus Albertus Tirolenſis inermis, & palefrido inſidens ſolo clypeo, & haſta munitus obuiam prodiit, ac Mediolanenſem inſolentius ſe iactantem haſta propulſum equo deiecit. Interim Fridericus omnia, quæ ad expugnandam vrbem vſui erant, prouidere, mœnia modò cum paucis, modò cum multis circuire, & qua parte impreſsionem faceret, explorare, atque omni ratione tentare, ſi incluſos poſſet ad pugnam committendam elicere. Itaque partem vnam vrbis, quæ nondum ita clauſa erat, quin ex ea pecora paſtum hoſtes emitterent, atque ipſi pro arbitrio egrederentur, magna diligentia, ne quis exire poſſet, obſepſit, atque ad Arcum Romanum oppugnandum adduxit. Hæc erat turris non longè à vallo firmiſsima ex quadratis ingentis magnitudinis lapidibus ſolido opere conſtructa, tanto artificio, vt quattuor columnis ſuſtentata Romani inſtar operis vix iuncturam aliquam compaginis indicaret, vnde Arcus etiam Romanus appellabatur. erat autem cubiculis ad quadragenos, vel amplius ſternendos lectos, atque omnibus, quæ ad obſidionem ſuſtinendam opus erant, inſtructa. præterea firmo ad id munita præſidio, ne hoſtes ea potiti omnia, quæ in vrbe agerentur, proſpicere poſſent. Hanc turrim cum eripere hoſtibus ſtatuiſſet Fridericus, nec machinis propter ſoliditatem expugnari poſſe animaduerteret, triplici ſagittariorum ordine circundedit, adeo feriendi peritorum, vt neminem in ea conſiſtere ſine vulnere paterentur. atque ita eos ad neceſsitatem deditionis adduxit. Hæc ita Radeuicus. Apud alios inuenio, Fridericum fabros ad turrim admouiſſe, eamq. vectibus, & malleis ſubruiſſe, patefactoq. aditu, cum præſidium exceſsiſſet, mangano in turrim ſubuecto, ſaxis, reliquiſq. miſsilibus totam vrbem procul inceſsiſſe, cum Mediolanenſes eos, qui turrim tenebant, duabus bricolis infeſtos haberent. Eodem tempore Cremonenſes, & Papienſes omnem priſtini odij ſui acerbitatem in Mediolanenſes pro libidine effuderunt, ac veteres iniurias vlciſci contenderunt. Nam agrum eorum ita vaſtarunt, vt vineta, ficeta, & oliueta radicitus euulſerint, atque omnia ruinis villarum atque incendiis deformarint, & in captiuos ita ſæuierunt, vt pleroſque per crudeliſsimos cruciatus necarint. Quod vbi Mediolanenſes animaduerterunt, & ipſi parem in captiuos eorum crudelitatem ſuam exprompſerunt, ac fœdiſsimè laceratos è mœnibus oſtenderunt. Interim inopia in dies ingraueſcebat, cui ſe, quòd agreſtis omnis multitudo temere in

vrbem contracta erat, oborta peſtilentia adiunxerat. Populo igitur ferro, fame, ac peſte oppreſſo variis ciuitas opinionibus agebatur. Nam multi fugam arripere ex vrbe moliebantur, alij ſeditionum auidi pro libertate, & dignitate ciuitatis citius millies ſe mortem oppetituros, quàm ſemel Germano hoſti ceſſuros aſſerebant. nonnulli verò paci ſtudentes concionem aduocandam cenſebant, ac populum de rep. conſulendum, ac periculorum terrore à belli cogitationibus abducendum. Huius autem auctor conſilij erat Vido Comes Blanderati, ciuis Mediolanenſis. qui ea moderatione, ac prudentia in hoc bello ſe geſſerat, vt æquè nobilium, ac populi gratiam obtineret. ille verò populo ad concionem vocato ſic egit: *Si veſtræ adhuc reipublicæ fidem, atque officium præſtiti, feci, quod me diuina veſtra erga me beneficia facere coegerunt. Quamobrem non vereor, ne ab aliquo vt parum veſtris rationibus deditus arguar, ſi quid veſtræ fortaſſe voluntati aduerſum dixero. Veſtra dignitas, fama, atque fortuna hucuſq. clariſſima luce fulſit. neque enim obſcurum eſt, quos, & quàm multos ad regnum Mediolanum euexerit, atque euectos ipſo dignitatis è culmine deturbarit. Nunc paullulum immutata fortuna eſt: quique ceteris imperare ſoliti eramus, ij de propria libertate nunc dimicamus. Ego igitur cedendum tempori, ideſt neceſſitati parendum cenſeo. quando rerum id viciſſitudo requirit: & licèt libertatem, ac reipublicæ dignitatem tueri honeſtum exiſtimem, tamen potentioribus, & armis præpollentibus obedire multò conſultius eſſe duco. ſiquidem qui poteſtati reſiſtit, diuino inſtituto reſiſtit. Graue ſine dubio eſt, poſt longum libertatis vſum iugum ſeruitutis accipere. verùm ſeruitutis ignominiam imperantis dignitas conſolabitur. Meliores multò nobis, ac fide, probitate, virtutibuſq. omnibus præſtantiores fuerunt patres noſtri, nec minus, quàm nos, appetentes laudis, gloriæ, & libertatis, iidem tamen tranſalpino Imperio conceſſerunt. ſi quidem Carolo, & Othoni obtemperarunt. Quamobrem optimum eſſe ſtatuo, antequam durius aliquid eueniat, animos ad pacis ſtudia inclinare, cuius impetrandæ magna in principis clementia ſpes ſita debet eſſe, ſi non vſque ad extremum arma retinuerimus; pro certo habentes, breui, quamuis machinis murorum clauſtra non perrumpantur, pro eo famem, ac peſtilentiam pugnaturas, noſq. miſerè confecturas. atque hoc ego non ignauia, ſed animaduerſione periculi cenſeo, alioquin pro vobis, & pro ſalute veſtra mortem ſubire, ac ſanguinem effundere paratiſſimus.* His peroratis alij voce, alij nutu aut aſſenſi, aut aduerſati ſunt. Meliorum tamen ſententia vicit, vt decreto facto conſules, & principes ciuitatis legati ad regem Boemiæ, Ducemq. Auſtriæ mitterentur, qui eos, vt à Friderico pacem ſibi impetrarent, orarent. miſſi legationem expoſuerunt, neque principes Mediolanenſium voluntati aliquid ab-

nuerunt. Fridericus vt Mediolanenſes pacem petere audiuit, magnum lætitiæ fructum cepit, & quòd vrbem ciuibus, ciues vrbi conſeruare diſcuperet, conſilio habito pacem ſe daturum oſtendit, atque has eius conditiones dixit: *Vt Mediolanenſes Comum, & Laudem reſtitui paterentur, neque eas poſthac vrbes oppugnarent, neque fodrum, aut tributum ab ijs in poſterum aliud vllum exigerent, & eadem frui libertate, qua ipſi vterentur, permitterent; excepta obedientia archiepiſcopi.. omnes Mediolanenſes ab ætate annorum XIIII vſque ad LXX ſacramentum apud ſe dicerent, & bona fide ſeruarent. Regiam Imperatoris reædificarent & ſartam, tectamq. tuerentur. nouem millia marcharum auri pro ſarciendis iniurijs tribus penſionibus penderent. pro his bona fide ſeruandis obſides trecentos ex capitaneis, valuaſoribus, & popularibus darent, qui archiepiſcopi, Comitis Blanderatenſis, marchionis* Montisferrati, *& trium conſulum iurato iudicio probarentur, ijq. partim in Italia, partim in Germania ſeruarentur. qui verò aut in Italia, aut in Germania eos cuſtodiendos ſuſcepiſſent, iurarent, ſe intra octo dies, poſtquam requiſiti fuiſſent, reddituros: Conſules, qui nunc eſſent, ex auctoritate Imperatoris vſque ad Kalendas Februarias primas magiſtratum obtinerent, atque in verba Imperatoris iurarent. Qui poſthac eſſent, à populo crearentur, & ab Imperatore confirmarentur, & ſi Imperator adeſſet, duo ad eum venirent, & pro ſe, ac ſuis collegis apud eum ſacramentum dicerent, & conſulatum ab eo reciperent. collegæ verò idem iusiurandum apud ciuitatem ſuſciperent. ſi legatus Imperatoris in Italia eſſet, apud eum hoc ſacramentum conciperent. Legati Imperatoris; vbi in Italiam veniſſent, in Palatio ſederent, & arbitria ad eos delata ad honorem Imperij iudicarent. Antequam exercitus à Mediolano diſcederet, captiui omnes dimitterentur regi Boemiæ, rexq. Boemiæ promitteret, ſe eos Imperatori tradituros, ſi Imperator ad concordiam redegiſſet Cremonenſes, Papienſes, Nouarienſes, Comenſes, Laudenſes, Vercellenſes cum Mediolanenſibus, & ſocijs Mediolanenſium, Derthonenſibus, Cremenſibus, & Inſulanis, ſaluis ſocietatibus Mediolanenſium; ſi non redegiſſet, captiuos veteres ſalua Imperatoris gratia reciperent. Regalia, vt monetam, teloneum, pedaticum, portus, comitatus Commune Mediolanenſium Imperatori dimitteret, neque ſibi poſthac aſciſceret. ſi quis per vim retinere vellet, Mediolanenſes omni ope vindicarent. Imperator Mediolanenſes, & Cremenſes cum penſione CXX marcharum in gratiam reciperet, atque ipſos, & amicos eorum in publico conuentu ex proſcriptis eximeret, ac captiuos nouos, vetereſque reſtitueret, ſimul obſides dediſſent, & captiuos regi Boemiæ dimiſiſſent. datis autem obſidibus, redditiſq. captiuis Imperator poſtero, aut tertio die exercitum à Mediolano deduceret, res Mediolanenſium clementia, fideq. tractaret. Has conditiones Commune Mediolani ſine dolo malo ſeruaret, modò ne iuſtum impedi-*

mentum obſiſteret. Mediolanenſibus pecuniam exigere à ſocijs ſuis omnibus liceret, exceptis Comenſibus, & Laudenſibus, & ijs, qui de Comitatu Seprienſi ſidem nuper Imperatori iuraſſent. His conditionibus acceptis Mediolanenſes hoc ordine in gratiam à Friderico recepti. Conuentu inſtituto ciuitas duobus agminibus factis ſupplex ad Fridericum proceſsit, atque ad eius pedes doloris, ac triſtitiæ plena procubuit. primum agmen clericorum fuit, qui prælatis crucibus, pedibus nudis humili habitu archiepiſcopum ſequebantur; alterum primorum ciuitatis, quos veſtibus abiectis, nudis pedibus, ſtrictos ſuper colla ferentes gladios conſules præceſſerunt. qui per media caſtra vix exiguo relicto ad tranſeundum loco inceſſere. Hos vbi Fridericus aſpexit, hilari vultu ſe lætari dixit, quòd tam claram ciuitatem Deus admonuiſſet, vt aliquando clementiam, quàm vim, experiri ſuam mallet, & licèt aſperius in eam conſulendi ſibi cauſſam dediſſet, ſe eo animo eſſe, vt volentibus, quàm coactis, malit imperitare, atque ſi hac illi à principio mente fuiſſent, multis incommodis carituros, ac plura bona fuiſſe conſecuturos. Quoniam autem Deo placuit, vim eos Imperij experiri, dandam illis operam eſſe, vt errata ſarcirent. vinci ſe potius obſequio, quàm bello, poſſe. Ad hæc illi ſummiſſo vultu, ac ſupplici voce pauca pro delicto ſuo verba fecere, ſe non hoſtili animo, neq; ad oppugnandum Imperium arma cepiſſe, ſed vt ius à maioribus ſuis aduerſus finitimas ciuitates acceptum tuerentur. ſi ſibi ab eo ignoſcatur, poſthac ſe cum fideliſsima, ac conſtantiſsima quaque erga Imperium ciuitate fide, atque officio certaturos. Recitatæ inde ſupraſcriptæ conditiones ſunt. Quibus acceptis pax confirmata eſt, vexillumq. Imperatorium victoriæ argumento in vrbe erectum. Magna in caſtris, atque in vrbe gratulatio cum propter obſidionem ſolutam, tum ob receptos & nouos, & veteres captiuos eſt facta. quos ad pedes Imperatoris longo ordine venientes noti, & propinqui manantibus præ gaudio lacrymis exceperunt. is dies VI Idus Septembris fuit. quo Beatæ Dei matris celebratur natalis. Motis inde Mediolano caſtris Modœtiam ſedem olim Italici regni perrexit, & coronam induit. idq. oppidum iampridem à Mediolanenſibus euerſum priſtino decori, ac libertati reſtituit. atque ibi, cum Mediolanenſes proſcriptorum è numero exemiſſet, Mediolanenſium, Seprienſium, Martheſanorum, aliorumq. ſacramenta fidelitatis accepit. Inde, quoniam maxima ſubigenda vrbe Italicos magna ex parte motus repreſſos arbitrabatur, principes, ac militum magnam partem domos ſuas repetere iuſsit. Veronenſes inde, & Ferrarienſes, qui officio deceſſerant, ar-

mis petiti. Veronenſes regale Gardæ caſtrum occupauerant, Ferrarienſes vetus patrimonium Mathildis circumpadanum inuaſerant. Veronenſes ipſo Atheſi repente propter ingentem æſtatis ſiccitatem vadato, atque agro, caſtriſq. direptis ipſe ad officium compulit. aduerſus Ferrarienſes Othonem Palatinum miſit, qui Pado vado ex improuiſo traiecto XL obſides dare coegit. Fridericus inde ad conſtituenda vetera Mathildis oppida venit, ac calonum, lixarum, & ſcortorum turbam, quæ emollire, atque effeminare exercitum poterat, caſtris excedere imperauit. His rebus adminiſtratis idoneum tempus gerendæ rei abiiſſe propter inſtantem hiemem arbitratus, Laudenſibus vrbem ſibi muniendam ſuſcepit, vt fidos ſocios ab impetu Mediolanenſium redderet tutos, atque eo, quo ſcripſi loco, oppidum muro à terra firmauit, cum ſatis alteram partem flumen Abduæ tegeret. atque in eam rem maximas impenſas, ac verè regias contulit. Poſtremò ſedatis, compoſitiſq. in præſens Lombardiæ tumultibus, ne quid in poſterum ſe abſente nouaretur, ſibi prouidendum ratus conuentum ad Roncalias in feſtum ſancti Martini edixit, atque eò vtriuſque regni principes euocauit. Paruere edicto cum Germaniæ, tum Italiæ proceres, affueruntq. conuentui legati Pontificis Cardinales quattuor, in primis Vido Cremenſis, Peregrinus, patriarcha Aquileienſis, archiepiſcopus Mediolanenſis, inde epiſcopi Taurinas, Albenſis, Eporœdienſis, Haſtenſis, Nouarienſis, Vercellenſis, Derthonenſis, Papienſis, Comenſis, Laudenſis, Cremonenſis, Placentinus, Regienſis, Mutinenſis, Bononienſis, Mantuanus, Veronenſis, Brixianus, Bergomas, & Concordienſis. Parmenſis morbo impeditus adeſſe non potuit, Rauennas eccleſia, Anſelmo nuper vita functo, vacabat antiſtite. præterea Duces, marchiones, Comites, atque omnium ciuitatum conſules, aut prætores, & iudices. caſtra ad Roncalias militariter more ſolito erant munita. eaq. ponte in Padum iniecto cum caſtris Mediolanenſium, & ceterorum Lombardorum erant commiſſa. Poſt triduum epiſcopos, & principes quoſdam adhibuit, & cum iis maturè de ordinanda Italia conſilia agitauit. Quarto die proceſsit in concionem, atque edito in loco conſiſtens, vt ab omnibus cōmodè conſpici poſſet, epiſcopis, & principibus circunſedentibus ita verba fecit: *Quoniam Deo placitum eſt, nos Imperij gubernacula adminiſtrare, ob eam rem, quæ ad dignitatem, & ſalutem eius pertinere videntur, curare, ac moliri omnia ſummo ſtudio, ac ſingulari vigilantia conuenit. optimè verò id actum iri arbitramur, ſi & metu ſuppliciorum improborum audaciæ reſiſtemus, & ſpe præmiorum bonos ad partem capeſſendam reipublicæ inuitabimus. neque per*

ſocordiam, aut inſcitiam noſtram aliquid de Imperij rationibus detrahi patiemur, ſiue armis, ſiue legibus reipublicæ fuerit opus. Quamobrem quando Dei beneficio armis detrectantes imperium nobis obedire coegimus, ſequitur, vt eoſdem in pace legibus etiam aſtringamus, & iura, quæ Lotharij, & Conradi noſtrorum deceſſorum incuria oblitterata, atque ab Italicis vſurpata ſunt, repetamus, ac nouis inſtitutis ſtabiliamus. quæ vt ſint vtilia, honeſta, & temporibus conuenientia, multò ante prouidere oportet. Quamobrem vos hortor, atque etiam oro, vt ſinguli quid expedire maximè reipublicæ exiſtimetis, in commune promatis. Hæc vbi dixit, pro ſe quiſque iuuenis Imperatoris ingenium, ac conſilium admirari, & facultatem orationis extollere. Itaque cum epiſcopi primùm, deinde principes, tum conſules ciuitatum rogati ſententiam eſſent, omnes archiepiſcopo Mediolanenſi, qui primus ſententiam dixerat, ſe aſſentiri dixerunt. ille verò improbata ſuperiorum regum multorum tyrannide, & collaudata Friderici iuſtitia, atque æquitate poteſtatem noui condendi iuris ei tribuerat, ac voluntatem Imperatoris pro lege habendam eſſe cenſuerat. ſequentibus inde diebus operam iuridicundo dedit, diuitum iuxta pauperumq. querelas audiuit. omneſq. controuerſias ex auctoritate ſummorum quattuor iuriſperitorum, qui in gymnaſio Bononienſi profitebantur, Bulgari, Martini, Iacobi, & Hugonis iudicare cœpit. verùm multitudine expoſtulantium, cruceſq. præferentium motus in ſingulis diœceſibus iudices conſtituit non ex ipſa diœceſi, ne gratia, aut odio corrumperetur iudicium, ſed aut ex conuentu, aut ex aliis ciuitatibus editos, eiſq. ſummum de omnibus rebus ſtatuendi arbitrium dedit. atque ita omnes lites breui temporis ſpatio terminauit. Quibus rebus perfectis tum de regni iure cōſtituendo retulit. eiuſq. rei cognitionem eiſdem Bononienſibus iuriſconſultis, atque aliis ex Lombardia adiunctis IX Kal. Decembris commiſit. VII verò Kal. Rambertum epiſcopum Fauentinum ampliſsimo, quod extat, priuilegio decorauit. Iuriſconſulti iudicarunt, Italiam Imperatori iure à Carolo Magno tradito regalia vniuerſa debere. Quo facto archiepiſcopus, & conſules Mediolanenſes partum in ciuitates imperium, atque epiſcopi, principes, & ciuitates omnes regalia omnia dimiſerunt. Hæc verò fuere ducatus, marchiæ, comitatus, conſulatus, monetæ, telonea, fodra, portus, pedatica, molendina, piſcariæ, omnis vtilitas ex decurſu fluminum proficiſcens, & terræ, propriorumq. capitum cenſus. Quibus omnibus ad fiſcum relatis tantam tamen ille benignitatem adhibuit, vt quicunque prædium ſuum legitima regum donatione probare poſſent, eos in poſſeſsione relinqueret; qui ſecus,

ſpoliaret. ex quibus ad viginti millia talenta in fiſcum annuo vectigali redacta. Iudicatum eſt etiam, in ſingulis vrbibus prætores, conſules, ceteroſq. magiſtratus aſſenſu populi per Imperatorem creari oportere, qui ſacramentum ei dicerent, ac ius ciuium, regumq. tueri ſcirent. Pro his autem recipiendis ſacramenta, & vades dati ſunt pro arbitrio Imperatoris. Tum de pace ſtabilienda conſultum, ſtatutumq. *ne ciuitas ciuitatem, priuatus priuatum oppugnaret iniuſſu regis*. edictumq. additum, *vt ſi qua ciuitas hæc iura violaret, centenas marchas auri dependeret, ſi marchio, quinquagenas, ſi Comes, quadragenas, ſi capitaneus, ſeu alius valuaſor maior, vicenas, alij verò denas vſque ad ternas: Quòd ſi ſoluendo non eſſent, per quinquennium quinquaginta millibus paſſuum longè à patria exularent*. Poſtremò de iure feudorum diligentius ſanctum eſt, de quo nullum dum apud Italos ſcriptum accuratius erat, reſq. ad inſignem iniquitatem peruenerat. Feudalium legum proœmium, nam leges ipſæ in promptu ſunt omnibus, tale fuit: *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Imperialem decet ſolertiam ita reip. curam gerere, & ſubiectorum commoda inueſtigare, vt regni vtilitas incorrupta permaneat, & ſingulorum ſtatus iugiter ſeruetur illæſus. Quapropter, cum ex prædeceſſorum more vniuerſali curiæ Roncaliæ pro tribunali ſederemus, à principibus Italicis, tam rectoribus eccleſiarum, quàm alijs fidelibus regni non modicas accepimus querelas, quòd beneficia eorum, & feuda, quæ vaſalli ab eis tenebant, ſine dominorum licentia pignori obligauerant, & quadam colluſione nomine libelli vendiderant. vnde debita ſeruitia amittebant, et bonorum Imperij noſtræ felicis expeditionis complementum minuebant. Habito igitur conſilio Epiſcoporum, Ducum, Marchionum, & Comitum, ſimul etiam Palatinorum iudicum, & aliorum procerum, hac edictali lege Deo propitio perpetuò valitura ſancimus, vt nulli liceat feudum totum, vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quomodolibet alienare, vel pro anima iudicare ſine permiſſione maioris domini, ad quem feudum ſpectare dinoſcitur. Vnde Imperator Lotharius tantum in futurum cauens, ne fieret, promulgauit.* Quin etiam legem tulit eorum, qui ſtudiorum cauſſa publica gymnaſia frequentarent, rationibus aptam. quorum numerus poſt Lotharij edictum vehementiſsimè creuerat: *Ne quis aliquam ſcholaribus iniuriam faceret, nec ob alterius cuiuſque prouinciæ delictum ſiue debitum, quod aliquando ex peruerſa conſuetudine factum eſſet, aliquod damnum eis afferret; ſi quis feciſſet, aut factum vindicare rector ciuitatis neglexiſſet, is in quadruplum mulctaretur, notamq. infamiæ ipſo iure ſubiret, ac dignitate in perpetuum careret. Si quis litem ſcholaribus ſuper aliqua re mouiſſet, huius rei optione data ſcholaribus coram domino, ſeu magiſtro ſuo, aut ipſius ciuitatis epiſcopo, quibus*

hanc

hanc iuriſdictionem daret, conueniret. Qui verò ad alium iudicem eos adducere tentaſſet, etiam ſi cauſſa iuſtiſſima eſſet, tali conatu caderet. Ex ciuitatibus autem, quæ coram principe diſceptarunt, Cremonenſes cum Placentinis grauiſſimè contendere. Ad veteres inimicitias illud acceſſerat, quòd Cremonenſes ad conuentum venientes Placentini prœlio, quod torneamentum vocabant, laceſſiuerant, ac ſecum decertare coegerant. ex quo multi ex vtraque parte ſauciati, aliquot etiam occiſi fuerant. cumq. Cremonenſes maieſtatem in eo regiam diminutam arguerent, Placentini ſe iniuriam propulſaſſe, non intuliſſe dicerent, Fridericus Placentinos, quòd cauſſam ſuam minus probarent, & regno infidi fuiſſent, condemnauit, ac pecunia multatos, vallos nuper vrbi obiectos diſcutere, turres altiores deprimere, foſſamq. vrbis explere præcepit. Quin etiam in gratia Cremonenſium iuſsit, vt Cremenſes caſtri muros deiicerent, & decurſus aquarum ad riuos ſuos redire permitterent. De Modœtiæ inde iure eſt cognitum, quod Mediolanenſes ſibi vindicabant. idq. quoniam Modœtia ſedes olim regia fuerat, ad regem pertinere ex arbitrorum ſententia iudicatum. Dimiſſo inde conuentu nuncios Conradum epiſcopum Eiſtatenſem, & Comitem Emichonem in Sardiniam, & Corſicam ad eas conſtituendas inſulas miſit, eoſq. Piſanis, & Genuenſibus commendauit. Verùm Piſanis, & Genuenſibus inſularum retinere poſſeſsionem volentibus legati non trāſmiſerunt. Qua re iratus Fridericus propius Genuenſium finibus mouit, ac Boſchum progreſſus cognito, Genuenſes nouo metu exterritos in vrbis munitione perſiſtere, legatos eorum ad ſe mitti poſtulauit, & cum eis pacem ita pepigit: *Fridericus ciuitatem Genuenſem in gratiam, ac tutelam accipit. neque delationes aduerſus eos recipiet, niſi aduerſus eos, qui vias infeſtas reddiderint, nec poſſeſſiones eorum turbabit. Populus Genuenſis fidem Friderico iurabit, ita tamen, vt ſacramento illo neque milites, neque ſtipendium dare teneatur & regalia remittet, quæ iure ad Imperatorem pertinere cognouerit. mille marchas argenti fiſco perſoluet, & à munienda vrbe ceſſabit.* Atque his rebus actis, vt exercitum recrearet, in opimis, & nondum bello tactis locis ſibi hiemandum decreuit, atque Albam in hiberna conceſſit. Bello inter Tudertinos, & Vrbeueranos exorto Hadrianus, qui adhuc Vrbeueti erat, rem extemplò compoſuit. Ceterùm annus hic ingenti ſiccitate fuit inſignis. nam cum à Kalendis Maiis vſque ad exitum ſequentis Aprilis cœleſtes aquæ nullæ fuiſſent, putei ipſi vix media hieme aliquid humoris ſuppeditarunt. Initio anni cum Fridericus Albæ Natalem Domini celebraret, nuncios in Tuſciam, & Cam-

paniam

paniam ad *fodrum* regium colligendum, & principes ad creandos in vrbibus conſules, alium aliò deſtinauit, chartulatijs, qui de regalibus, quæ fiſco acceſſerant, certa referrent, adiunctis. Veſtigalia quoque, quæ fuerant Mathildis Comitis, à Duce Velfone, ſeu quo alio diſsipata coegit. coactaq. eidem poſtea reddidit. Interim, cum in hibernis ageret, noua inter eum, & Pontificem eſt coorta diſſenſio, quæ poſt ingentia malorum concitauit incendia. Fridericus legatum ad Hadrianum miſerat, vt Vidonem Vidonis Blanderati Comitis filium Rauennæ antiſtitem in locum Anſelmi mortui lectum confirmaret, neque id impetrauerat, quòd diceret Hadrianus, Vidonem eſſe Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconum, nec propterea iniuſſu ſuo ad aliam eccleſiam fuiſſe traducendum, verùm Romana in Eccleſia prouehendum. Hadrianus contrà offenſus, quòd Fridericum ad *fodrum* in vrbibus Eccleſiæ ſubiectis exigendum miſiſſet, & epiſcopos regalia renunciare, ac ſacramentum apud ſe dicere iuſsiſſet, & Cardinales legatos ingreſſu vrbium Germaniæ arcuiſſet, litteras ſuper ea re ad Fridericum ſcripſerat doloris, atque acerbitatis plenas. quibus ſimul, ne controuerſiam Brixianorum, & Bergomatium de duorum caſtrorum proprietate inter ſe contendentium cognoſceret, propè per interdicti ſpeciem poſtularat. quas qui reddidit, illud abſurdè adiecit, quòd confeſtim ſe è conſpectu Imperatoris, & regiæ aulæ abripuit. Quo facto indignatus Fridericus graues ad eum litteras reſcripſit, ac nomen ſuum nomini eius præpoſuit, & ſingulari eum numero appellauit. Itaque incenſus, vt decuit, Hadrianus plurimùm mirari ſe ſcripſit, quòd beato Petro, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non, quantam deberet, reuerentiam adhiberet, ac rerum actarum omnium rationem popoſcit. Cui Fridericus reſpondit, ſe cum nomen ſuum pontificio antepoſuiſſet, veterem in eo conſuetudinem retuliſſe, epiſcopos, aut regalia dimittere, aut quæ Cæſaris ſunt, Cæſari tribuere oportere. Cardinalibus vrbes occluſiſſe, quòd eos animaduertiſſet, non ad prædicandum, ſed ad prædandum ſe contuliſſe. Interim qui de conuentu optimatium ad ſingulas ciuitates ad creandos conſules miſsi erant, res ex Friderici ſententia peragebant. Vnum tantùm Mediolani perincommodè cecidit, quo nouo deinde tumultu ciuitas Mediolanenſis exarſit. Rinaldus cancellarius, Otho Palatinus, Comeſq; Gozuinus Mediolanum, vt conſules deſignarent, petiuerunt. Id vbi populus ſenſit, rei indignitate permotus, quæ veteris iacturam libertatis afferret, & propterea ad ſeditionem conſternatus tanto impetu ad eorum hoſpitia oppugnanda procurrit, vt ne Comi-

tis quidem Blanderatenſis reclamantis auctoritate deterreri potuerit. Ita illi vix ſalui poſtridie infecto negotio diſceſſere. Fridericus re com perta, cum eſſet in villa Antimiaci, proceribus ſuis conuocatis extemplò nouam Mediolanenſium iniquitatem aperit, atque perfidiam eorum ſe acerrimè proſequi in animo habere, & quàm ſanctè legatorum ius colendum ſit, eos docere, oſtendit. atque ita vniuerſis ac ſingulis ei aſſentientibus edicto propoſito Mediolanenſes apud ſe legitima citatione compellat. Cum ſtatuta die legati Mediolanenſes Marnicæ, vbi erat, præſto affuiſſent, neque probabili facti ſui ratione reddita, inſuper arrogantius quoque locuti eſſent, iram Friderici vehementius acuerunt. Itaque nouo aduerſus eos deſtinato bello Beatricem coniugem, & Henricum Ducem Baioariæ, alioſq. principes Germanos in Italiam nouis cum delectibus reuocauit. ipſe arma ſpectans regionem cum paucis perluſtrare inſtituit. Cum Haſtam veniſſet, neque receptus eſſet, ira percitus vrbem, arcemq., qua ciues animos extulerant, diruit. Papia Modœtiam proficiſcens obſides Mediolanenſium ſecum quaſi canes adduxit. Seprienſi inde, & Martheſana regione adita caſtra alia inſtaurauit, alia noua conſtruxit. Inde cum Cremonam iter intendiſſet, audito Mediolanenſes Laudem ad opus reſtitutionis impediendum procedere, eò contendere occupauit, atque vrbis munitionem, vt celeriter perficeretur, Cremonenſium, Papienſium, & Nouarienſium opera vſus per ipſum Quadrageſimæ tempus adiuuit. Inde Comum profectus Comenſibus edicto antiquas ſedes, vnde à Mediolanenſibus moti fuerant, reddidit, ac ſupra vrbem arcem, in quam preſſi à Mediolanenſibus confugere poſſent, ædificauit, Inſulanoſq. qui Mediolanenſibus ſtudebant, illato armorum terrore ad ſe traductos reconciliauit Comenſibus. Inde Placentiam in die Palmarum progreſſus Placentinos pecunia regia à quibuſdam per ſpeciem latrocinij erepta alieniores factos retinuit in officio. Paſcha inde Mutinæ egit. quo peracto, in agrum Bononienſem, vbi tunc exercitus erat, proceſſit. Friderici litteris acceptis Hadrianus grauiſsimè eſt irritatus, remq. non per litteras, ſed per legatos tranſigendam ratus quattuor ad eum Cardinales deſtinauit, ac grauiſsima ad eum mandata edidit. Hi fuere Octauianus, Henricus, Villelmus, & Vido Cremenſis. qui cum eum apud Bononiam conueniſſent, vt pro re maxima poſtularunt, *Ne poſthac nuncios ad vrbem, ipſo inſciente Pontifice, mitteret, cum omnes magiſtratus S. Petri ibi cum vniuerſis regalibus eſſent; Ne à populis pontificiæ ditioni ſubiectis niſi ſuſcipiendæ coronæ tempore fodrum exigeret: Ne epiſcopis Italiæ hominio ſibi obſtringeret; Nec nuncios ſuos hoſpi-*

ſacro fonte ablutos inde ad eum, quem in cunabulis honorauerant, ad dexteram Patris ſedentem vita functos migraſſe. Erant autem corpora oſsibus,& neruis compacta, & cute adhuc arida conueſtita, vi, vt exiſtimatum eſt, balſami, quo gentilium more fuerint delibuta, ſed circulus aureus ea ambiebat, & inter ſe conſtricta tenebat, vt Gulielmus Neubrigenſis eorum temporum æqualis memoriæ prodidit. Deinde delectum quàm acerrimè habuerunt, ac III Nonas Aprilis ad Tricium, quod Germanorum tenebatur præſidio, proceſſerunt, ac machinis, ſcaliſq. admotis validè oppugnare inſtituerunt. Triduo varia fortuna pugnatum, multis vtrinque cadentibus. verùm cum præſidiarij prœliis, ac vigiliis aſsiduis fatigati vltra reſiſtere Mediolanenſibus integris in vicem pugnæ ſuccedentibus nequirent, ſpatium ingrediendi dederunt. occupato caſtro in oppidanos omnes acerbè ſæuitum. Germani cuſtodiæ traditi, oppidum direptum, atque incenſum eſt. Sunt qui ingenti vi Cæſareæ pecuniæ quoque potitos ſcribant. Ea res mirificè ad alienandos totius Lombardiæ animos valuit. Interim Fridericus die tertia Mediolanenſibus, vt ſe in iudicio ſiſterent, præſtituta iudicibus, & iuriſperitis, qui multi Bononiæ erant, adhibitis citari eos apud ſe iuſsit. & cum die dicta non affuiſſent, neque aliquis eorum abſentiam excuſaret, legatis Pontificis adhuc præſentibus, abſentes condemnauit, ac res direptioni, perſonas ſeruituti addixit, atque inde in Roncalias redit. Ibi indictum conuentum agens copias ſuas ex omnibus locis contrahit, quibus collectis hoſtili animo in agrum Mediolanenſem irrumpit, neque aut tectis, aut vitibus, aut arboribus; aut ſegeribus parcit, omnibus victus ſubſidiis ſpoliare ciuitatem volens, antequam admoueret obſidionem, ratus eos aut inopia cibariorum coactos vltro ſupplices pacem petituros, aut, ſi diutius in pertinacia perſtitiſſent, pleroſque perituros, minoreq. labore ſe eos oppreſſurum, ſi interpoſitis diebus inſtaret, quàm ſi aſsiduè premeret. Itaque omnes aditus cuſtodiri iuſsit, nequid frumenti in vrbem importaretur, grauiq. edicto, ne id fieret, interdixit. Inde lectis equitibus aſſumptis proceſsit, vt, ſi poſſet, ciues ad pugnam eliceret. neque coniectura fefellit. nam cum ad oſtentandas vires inconſultè exiſſent, ab eo partim cæſi, partim capti ſunt. Cum autem ille ab vrbe parumper abſceſsiſſet, hi eruptione facta cum quingentis equitibus, die ipſo Pentecoſtes VI Kalen. Iunias ad Laudem proceſſerunt, atque ingentem prædam auerterunt, ſed tamen clade aliqua ab epiſcopo Mantuano Carſidonio, & marchione Anconæ Garnerio inſecutis accepta. Ager totus

quadraginta dierum ſpatio peruaſtatus, caſtro etiam ſancti Ioannis, quod inexpugnabile putabatur, euerſo. Iiſdem diebus Brixiani ſocietate cum Mediolanenſibus iuncti agrum Cremonenſium populabundi inierunt. verùm à Cremonenſibus eius rei ante certioribus factis ex inſidiis conſurgentibus oppreſsi ſunt, multis captis, atque aliquot interfectis. Fridericus vaſtatis hoſtium agris, Laudem ſe retulit. Interim Mediolani creſcebat in dies inopia, atque ex inopia fames. neque ſalutis perfugium vllum oſtendebatur. Itaque Mediolanenſes ad deſperationem conuerſi, ſicut Radeuicus prodit, ſcriptor Germanus, de nece Friderici cogitarunt. atque hominem, qui per fraudem illum interimeret, Laudem miſerunt. is profectus, cum ſtultitia ſimulata caſtra Imperatoris ad Abduam ſita intraſſet, quodam die ſummo mane ſolum egredientem Fridericum de tentorio conſpicatus accurrit, & quoniam immani corpore, & robuſtiſsimis viribus erat, medium arripuit, vt in Abduam de rupe deiiceret. verùm dum Imperator renititur, funibus tentorij præpeditus procumbit. ac cubiculariis ad vocem clamantis Friderici aduolantibus comprehenditur, & ex eodem loco præcipitatur. Hoc vbi non proceſſit, Mediolanenſes octo homines, qui vrbem Laudis incenderent, ſubornarunt. quorum vnus cum intempeſta nocte opus eſſet aggreſſus, à vigilibus deprehenſus extremo ſubitò ſupplicio eſt affectus. Sub eoſdem etiam dies venit in Italiam Arabs quidam ex Hiſpania, homo magicis artibus egregiè, vt ferebatur, inſtructus, ætate ſenex, facie deformis, quippe altero oculo captus, ſocios pene viginti ſecum adducens, eo, vt fama fuit, conſilio, vt venenis Fridericum perimeret. Siquidem pretioſa munuſcula afferebat, annulos, gemmas, frena, calcaria venenis circunlita adeo præſentibus, vt ſolo tactu inficere Imperatorem, atque infectum minimo perdere momento poſſent. ſicam etiam latentem geſtabat, vt ſi quo impedimento venenum non profeciſſet, ferro negocium cogitatum conficeret. Hunc, cum in caſtra veniſſet, Fridericus forte venturi hominis multò ante certior factus eueſtigiò comprehendi, ac diligenter aſſeruari iuſsit. & cuius hortatu ad tantum facinus eſſet impulſus, quæſiuit. ſi vera dixiſſet, impunitatem promittens; ſi falſa, ſupplicia omnia intentans. Homini omnia conſtanter inficianti tormenta admota ſunt. Quæ ille deridens, denunciauit, ſe, ſi necaretur, ſecum etiam Imperatorem eſſe tracturum. Fridericus autem vanis territamentis eius contemptis, cum de ſociis eius nullum communicati ſceleris iudicium poſſet elicere, hominem extremo crucis ſupplicio interemit. III inde Idus Iunias

Mediolanenſes Cremenſibus aſſumptis, Laudem reuerterunt, ac prœlium cum Laudenſibus, & Comenſibus atrox commiſerunt. Perturbatus ea re Fridericus, ac ſimul Germanicis iam aduentantibus copiis excitatus vnà Mediolanum, & Cremam ſibi premendam exiſtimauit. Cremenſis belli cauſſam prætulit, quòd præceptis Imperatoris non paruiſſent, ac Mediolanenſibus contra Laudenſes auxilium attuliſſent. verùm multò magis voluntas apud eum Cremonenſium valuit, qui ingenti vi pecuniæ oblata ipſum ad veteres hoſtes ſuos armis vindicandos, quod per Lotharium aſſequi non potuerant, incitarunt. Hoc conſilio capto exercitum in duas partes diſtribuit, atque vnam ipſe in agrum Mediolanenſium duxit, alteram Cremonenſibus ad Cremam obſidendam attribuit. Apud Mediolanum autem cum eſſet, legati eum à ſenatu, populoq. Romano miſsi adierunt, orantes, ne paucorum improborum, atque ignobilium hominum cauſſa multos probos, ac nobiles viros perire permitteret, eoſq. præſertim, quorum occaſione ipſe Romani Imperatoris nomen ferret. Fridericus legatos benignè allocutus, ac magnificis muneribus proſequutus cum Othone Palatij Comite, & Ariberto Aquenſi præpoſito domum remiſit, mandatis editis, vt litem de ſenatu, & præfecto inter populum, Pontificemq. componerent. Hi Romam profecti comiter quidem accepti ab omnibus ſunt, verùm Romanos veteris adhuc reipublicæ ſpiritus ſuperbè gerentes nacti pari ſuperbia eluſerunt, atque inde re irrita diſceſſerunt. Omnia Fridericus expertus, ſi qua ratione poſſet Mediolanenſes ex vrbe elicere, prœliumq. conſerere, quòd res nulla ſucceſſerat, ad inſidias conuerſus, Papienſes ad mœnia populabundos adequitare, ac commiſſo prœlio certo tramite fugam arripere iuſsit, ſeque in eo cum validis cohortibus occultauit. Paruere Papienſes edicto, atque Idibus Iuliis inſultantes ad mœnia proceſſere. Ita Mediolanenſes, cum ignominiam ferre non poſſent, ex vrbe cum magna manu egreſsi, atque in inſidias à Friderico paratas inconſultò delapſi propè omnes aut capti, aut interempti, aut grauibus vulneribus ſunt confecti. Ea victoria potitus Fridericus Laudem ſe recepit. Cremonenſes autem Nonis Iulij Cremam militum corona cinxerunt, eamq. acriter obſidere inſtituerunt. Ceterùm Cremenſes firmis oppidi munitionibus, & promptis Mediolanenſium, & Brixianorum auxiliis fulti omnia obſidionis incommoda contemnebant, ſeque vt Lotharium quondam, ſic nunc Fridericum eluſuros inani iactatione fremebant. Itaque multis eruptionibus factis, quanquam validè repreſsi magna

tamen hoſtibus detrimenta dederunt, atque inter ceteros marchionem Anconæ Garnerium occiderunt. Reuerſus inde Mediolanum Fridericus, cum pabulum equorum non inuenisset, & ipſe eodem die Cremam acceſsit, ac captiuos Mediolanenſium ad terrorem eis iniiciendum produxit. XIII Kal. Auguſti Beatrix Auguſta, & Henricus Dux Bauariæ cum copiis, commeatibus, & ſtipendiis ex Germania Cremam acceſſerunt. neque ita multò poſt Velfo Princeps Sardiniæ alium exercitum quoque adduxit. Quibus ſubſidiis auctus Fridericus oppidum oppugnare conſtituit. Eius rei gratia Cremonenſes turrim altiſsimam conſtruxerunt. atque huic mangana inauditæ magnitudinis, & petrarias, gattoſq. complures adiecerunt. & Fridericus his ſimilia alia quoque multa ex eorum temporum conſuetudine fabrefecit. Hoc cognito Cremenſes haudquaquam exterriti animis ſunt. verùm cum & præſidia, & machinas in muris idoneas ſtatuiſſent, haud ægrè omnem & Friderici, & Cremonenſium impetum pertulerunt. Quin etiam poſt dies aliquot profecto Friderico, ſiue, vt ſcribit Radeuicus, Sambaſsianum ad coniugem inuiſendam, ſiue, vt refert Vrſpergenſis, ad agri Mediolanenſis reliquum peruaſtandum, ex oppido eruperunt, ac cruento cum Germanis prœlio conflixerunt. Ea re exaſperatis animis varia inde vtrinque edita ſunt crudelitatis exempla. quippe cum Germani amputatis Cremenſium capitibus fœdè ludubrij gratia quaſi pila luſiſſent, Cremenſes captiuos eorum in muros produxerunt, ac membratim dilacerarunt, &, cum illi captiuos Cremenſium, iis inſpectantibus, ſuſpendiſſent, hi reliquos eorum egerunt in crucem. Quibus rebus crudelitatis libidine exaturata, Fridericus rurſus machinas admoueri, & excitari turres præcepit. acremq. oppugnationem inſtituit. quæ haud dubiè omnibus ſumma ope nitentibus aliquem habuiſſet effectum, niſi Cremenſes muſcipulis, & foueis occultis intra vallum diſpoſitis, ac machinis incenſis, aut auerſis hoſtes fefelliſſent, aut crebris manganorum ictibus eos à muris recedere coegiſſent. qua in re tantum ardoris adhibuerunt, vt neque præſenti filiorum ſuorum obſidum periculo, quos ad manganorum ictus Fridericus oppoſuit, deterreri vlla ratione potuerint. Quin etiam XIIII Kal. Octobris proſcriptionis tabulas in eos haſce propoſuit: *Cum ob defectionem Cremenſium ipſum caſtrum Cremæ obſideremus, & cum principibus noſtris in tentorio Ducis Henrici nepotis noſtri conſideremus, conſilio, & iudicio Principum noſtrorum, & omnium Lombardorum, qui nobiſcum aderant, ipſos Cremenſes hoſtes Imperij iudicauimus, & de ipſis talem legem promulgauimus. Quoniam Crema, & omnes Cremenſes noſtro*

banno

banno ſunt illigati, ſtatuimus, & Imperiali auctoritate confirmamus, vt omnes Cremenſes, Mediolanenſes, & Brixiani, & quicunque hoc tempore Cremæ ſunt, tam feudum, quàm allodium totum amittant, & feudum ad dominos redeat. nos enim perſonas, & bona eorum publicamus. atque idem de eorum bonis, qui de eccleſijs ſunt, fiant. Interim Mediolanenſes, vt Fridericum ab oppugnatione Cremæ auerterent, cum multis millibus armatorum Minerbium oppidum ad lacum Comenſem adorti ſunt. verùm auxilio quingentorum equitum à Friderico ſummiſſo ab incœpto deſtiterunt. quin, cum domum repeterent, Gozuino Comite, qui tum Comitatum Seprienſem, & Marteſanum adminiſtrabat, à tergo inſequente oppreſsi, præda amiſſa, multiſque ſuorum deſideratis, ac ſauciis in vrbem ſe receperunt.

CAROLI SIGONII
HISTORIARVM
DE REGNO ITALIAE
Liber Tertiusdecimus.

OMNIVM calamitatum, quas ab exactis Longobardis Italia pertulit, nullæ aut maiores, aut fœdiores fuerunt, quàm quas ipſa ſacrorum comitiorum diſsidia intulerunt. quorum tria perniciosiſsima proxima patrum erat adhuc ætas experta, Honorij, Clementis, & Anacleti, qui de iure dignitatis cum Alexandro, Gregorio, & Innocentio pontificibus decertarant. Horum enim ſingula externa Germanorum arma in Italiam non ſine maxima ipſius pernicie aduocauere, primum verò, & ſecundum Imperium etiam ipſum parum ſalutari in futurum exemplo ab Eccleſia diſiunxere. Ecce autem hærente adhuc non modò in animis, ſed etiam in oculis penè omnium memoria tertij, quartum exarſit vel omnium, quæ adhuc ſcripſi, teterrimum. quo Alexandrum tertium Victor quartus inceſsit. Hoc enim non omnes ſolùm Occidentales eccleſiæ, ſed etiam regna inter ſe, ac prouinciæ, ciuitateſq. diſiunctæ ſunt. quin & Imperator propterea tam grauem, tamq. diuturnam cum Eccleſia contentionem iniuit, vt non ſolùm in præſens ciuitates inter ſe vniuerſas diſtraxerit, ſed

 etiam

etiam in eiſdem familias ipſas inexpiabili in multa ſæcula inducta diſſenſione diuiſerit. Hinc enim Gibellinorum, & Guelſorum nominibus ex vetere Germaniæ diſſenſione deſumptis exitiales Italis factiones manarunt, quæ ſub Friderico patre exortæ, neque omnino pòſt ſub Henrico filio obliteratæ, demum ſub Friderico nepote effuſius erumpentes ingentes in multos pòſt annos ſtrages in Italia edidere. Quæ hiſtoria quoniam ſtudiis ſcriptorum ſtylo haud ſecius inter ſe, quàm illi gladio, decertantium eſt corrupta, dabimus operam, vt nos reſtincto demum iam illo animorum in cauſſam incendio veritatem ex ipſis potiſsimùm rerum actis eliciamus, eamq. fideli, atque accurata opera poſteritati ad præcauendum prodamus. ac ſimul quantas calamitates Mediolanenſes, ceteriq. Italiæ populi pro tuenda libertate pertulerint, enarrare pergamus.

FRIDERICO omni ope Cremam, vt demonſtrauimus, oppugnante Hadrianus pontifex Kalendis Septembris Anagniæ moritur. Eo facto Cardinales permoti extemplò cadauer Romam retulerunt, ac pridie Nonas in templo ſancti Petri ſepeliuerunt. poſtridie verò in eodem conuocati de nouo ſubrogando Pontifice conſultarunt, verùm tertio die diductis in diuerſa ſententiis Cardinales, de quibus ſupra diximus, duos Rolandum Senenſem, olim canonicum regularem, & Octauianum Romanum pontifices deſignarunt. Rolandus à viginti tribus delectus coccineam chlamydem ſibi à ſuis cupientibus properanter iniici non eſt paſſus. Octauianus à quinque tantùm declaratus raptam auidè è manu miniſtri, vt Rolandum iure præuerteret, ipſe ſibi feſtinantius induit, atque Rolando, & Cardinalibus eius per armatos ilicò intromiſſos in arcem compulſis, à ſuis in ſede ſancti Petri conſtitutus Victoris quarti nomen aſciuit. inde ad Palatium populo ciui ſuo haud grauatè fauente deductus prompta cleri, populiq. obſequia accepit. Rolandus nouem dies cum ſuis in arce per ſenatores obſeſſus manſit. demum emiſſus ad Ciſternam Neronis inter Ariciam, & Tarracinam proceſsit. ibique XII Kal. Octobris in magna Cardinalium, epiſcoporum, abbatum, cleri, populiq., qui conuenerant, frequentia, chlamydem ritè induit, ac conſecratus Alexandri tertij nomen accepit. Ita Victore, qui nondum conſecratus fuerat, iure ſuperato, poſt octo dies, & ipſum cum ſectatoribus eius, & ſi quis manum ei conſecrarionis gratia admouere auſus fuiſſet, pœnis inferorum deuouit, atque Anagniam ſe recepit. Quarto inde Nonas Octobris Victor à paucis & ipſe epiſcopis conſecratus eadem in Alexandrum, & partem eius deteſtationis tela retorſit, ac per Otho-

nem

nem Comitem Palatinum Campaniam, & Patrimonium ſancti Petri inuaſit, & Signiæ ſubſtitit. Tum vterque ius ſuum tueri cupiens, Alexander, quod à pluribus creatus, & ante Victorem conſecratus, Victor, quòd veſte pontificia prius indutus, & tanquam pontifex cleri, populiq. ſolennibus obſequiis eſſet cultus, litteras ad Fridericum caſtra adhuc ad Cremam habentem ſcripſerunt. eumq. vt partes ſuas ſuſciperent, obſecrarunt. Erat Fridericus ab Alexandri rationibus alienus, aſperitatis eius in tuendo iure Eccleſiæ ſuperiore in legatione adhibitæ non oblitus. quam offenſionem non obſcura etiam auxerat fama, quæ percrebuerat, ipſum cum ſociis eius Cardinalibus viuente Hadriano conſpiraſſe, vt Mediolanenſes, & Gulielmum Siculum aduerſus ſe defenderent. in Victorem verò animo propendebat, quòd præter cetera facilius aliquid de iure pontificio conceſſurum confidebat, de quo cum Hadriano contendere cœperat. cum vulgò ferretur, Hadrianum, ſi paucos præterea dies ſuperuixiſſet, Friderico propterea ſacrorum communione fuiſſe, niſi ſibi ſatisfeciſſet, interdicturum. Ea de cauſſa conuentum omnium è regnis ſuis epiſcoporum Papiæ in octauam Epiphaniæ indixit, atque epiſcopos duos Pragenſem, & Ferdenſem ad Alexandrum, & Victorem miſit, qui dicerent, ſuarum virium non eſſe, vtrius iuſtior cauſſa eſſet, conſtituere. epiſcoporum iudicio ad eam rem opus eſſe, ac propterea ſe in octauam poſt Epiphaniam concilium indixiſſe. ibi quem iuſtioribus comitiis creatum eſſe certus epiſcoporum conſenſus ſtatuiſſet, eum ſe ſummo ſtudio veneraturum, atque armis, ſi opus fuerit, protecturum. proinde ambo ad diem concilio præſtitutam occurrerent. Alexander animi Friderici erga ſe non ignarus venturum ſe abnuit, adiiciens, parum æquum eſſe, vt cui iudicium à Deo in homines eſſet conceſſum, is humano iudicio ſe cōmitteret. Victor vt ad victoriam, non ad iudicium proceſſurus Friderici voluntati ſe quacunque obſecuturum ratione reſpondit. Initio inde ſequentis anni, qui fuit ſupra 1160
milleſimum centeſimus ſexageximus, Fridericus ſe per obſidionem Crema potiturum diffiſus, cui affatim rei frumentariæ foret, vim extremam adhibendam, oppugnationemq. tentandam exiſtimauit, vniuerſo præſertim id excercitu comprobante, cuius diutinæ iam tædebat ad id oppidum ſtationis, & aſperrimæ, quæ eo potiſſimum anno ſæuierat, hiemis. Itaque machinas varias, turreſq. præparat, eaſq. fortiſſimis militibus complet, ac tela, faceſq. in eos, qui intus erant, iacere iubet. Quæ cum Cremenſes quanquam maximo ſui cum detrimento repellerent, demum ad alias artes ſe contulit. opportunè

autem ipſius conſilium iuuit ſingularis quidam induſtriæ architectus omnia ipſius machinamenta eousque leui ſatis momento ludificatus. qui pecunia, vt Cremenſes ſcribunt, corruptus ad ipſum transfugit, ac turres ligneas inuſitatæ altitudinis duarum contabulationum effecit, ac pontes ex ijs in muros proiiciendos inſtituit. Quibus perfectis Fridericus, qui gattorum, briccolarumq. inanes expertus ſæpe conatus erat, vt vltimam, ſic aſperrimam oppugnationem incœpit. Gattis quippe remotis diuerſis è partibus turres has, quam proximè potuit, muris admouit, ac milites, qui in ſuperiore contabulatione locati erant, oppidanos omni miſsilium genere propellere, qui verò inferiorem tenebant, pontes, vt demonſtratum ab architecto fuerat, in muros proiicere iuſsit, ac reliquum exercitum circum muros diſpoſuit, & ſingulos, vbi proiectos ſenſiſſent pontes, ſuam quenque inuadere partem præcepit. Cremenſes vbi oppidum corona circundatum, turribusq. mœnibus admotis omnia perſonare tubis, armisq. ſenſerunt, ab animi virtute præſidium ſibi petendum exiſtimarunt. Quippe in muros ſubeuntes ex gattis ſuis pontes ſcindere, ac milites muro deiicere, & in extremo periculo fidem, officiumq. ſuum probare patriæ contenderunt. Primum, qui de ponte in vrbem deſiluit, quidam ſubitò crudeliſsimè interfecit. cuteq. capiti eius detracta in vſum capillatæ galeæ ſe ſe induit; alteri manus & pedes præciſi, & per forum fœdo repere ſpectaculo eſt permiſſum. Ipſi tamen fortiſsimo quoque ex ſuis aut amiſſo, aut ſauciato debilitati adeo ſunt, vt, anteriore murorum munitione relicta, in poſteriorem ſe rettulerint, ac tum primùm animis viribuſq. deficere, & de ſalute deſperare incœperint. Quod vbi ſenſit Fridericus, concilium, quod in octauam ab Epiphania indixerat, ne oppugnationis ardorem remitteret, in Quadrageſimam diſtulit, atque acrius oppugnare perſeuerauit. Tum Cremenſes aſsiduis prœliis, vigiliiſq. defeſsi, ac plerique vulneribus affecti, demum extremi periculi metu permoti conſilium ſui dedendi, ſi tolerabiles ferrentur conditiones, ceperunt, ac VII Kal. Februarias Peregrini patriarchæ Aquileienſis, & Baioariæ Ducis colloquium poſtularunt. Poteſtate colloquendi facta, primùm veniam errori ſuo petierunt, eo nomine crimen purgantes, quòd non Friderico, quem ſemper ante omnia coluiſſent, ſed Cremonenſibus hoſtibus ſuis acerbiſsimis reſtitiſſent. deinde poſtularunt, ne ad noxam libidini Cremonenſium traderentur. His ad conſilium Friderici delatis placuit, vt his conditionibus venia, paxq. daretur. Vt Cremenſes incolumes exirent cum iis rebus, quas vno geſtatu efferre ſinguli poſſent, Me-

diolanenſes, & Brixiani, qui intus eſſent, arma relinquerent. Poſtridie omnes egreſsi, oppidum militibus diripiendum eſt datum. Cremonenſes, & Laudenſes veteribus odiis incitati muros oppidi deturbarunt, ac foſſas compleuerunt. Germani, vbi prædæ minus, quàm ſperauerant, inuenerunt, ignem oppido multis in partibus intulerunt. Reliquis domos ſuas reuerſis, Fridericus Papiam ſe recepit. Cui ciuitas obuiam effuſa occurrit, atque ornatis templorum inſtar vrbis viis læta triumphantem excepit. Is templo adito, gratiis Deo actis, votiſq. ſolutis diuertit in Regiam, ac conuentum in ante diem IIII Nonas Februarias, qui dies erat Purificationis, indixit, ac litteras per omnes regiones de Cremenſi victoria miſit. Vbi dies Purificationis aduenit, epiſcopos, abbateſq. qui vndique ex regnis ſuis conuenerant, conuocauit, atque eis iudicium pontificiæ, quæ iactabatur, cauſſæ commiſit. Aderat in vrbe Victor, cuius cauſſa agebatur, aderat aduocatus eius non leuiſsimæ auctoritatis, Fridericus, nec quiſquam ex proceribus conuenerat, niſi aut vtriuſque amicus, aut aliqua ratione illi parti obnoxius. Itaque cum re in diſceptationem adducta, probatum teſtibus eſſet, Victorem ante Alexandrum vt pontificem, & veſte ornatum, & cultum obſequio eſſe, nemoq. eſſet, qui contradicere auderet, ſine vlla dubitatione Victor, qui præſens aderat, iure, Alexander, qui vocatus non obediuerat, vitio factus pontifex iudicatus eſt. His poſtridie Cinerum actis, ſequenti die Victor ſolemni cum pompa ab æde Saluatoris ſuburbana, vbi hoſpitabatur, ad templum maius à clero, populo, epiſcopiſq. deductus eſt. Ibi eum Fridericus pro foribus templi ſuſcepit, & deſcendentis de equo ſtrepam tenuit, & manu vſque ad altare perduxit, & humili pedem oſculo contigit, ac poſt eum Peregrinus patriarcha Aquileienſis, Vido archiepiſcopus Rauennas deſignatus, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, & principes idem fecerunt. poſtero die ſabbati Victor Alexandrum cum parte eius candelis accenſis eſt execratus, ac Gulielmum Siculum, & Mediolanenſes, quòd eccleſias, & Imperium inuaſiſſe dicerentur, ad ſatisfaciendum citauit. Quibus rebus perfectis Fridericus litteras ad reges Franciæ, Angliæ, Hiſpaniæ, ceteroſq. ſcripſit, vt acta Papienſis concilij comprobarent, &, vt Lombardiam militaribus incommodis alleuaret, principes Germaniæ laudibus, muneribuſq. ornatos cum ſuis copiis domos dimiſit. Hactenus de Friderico Radeuicus. Reliqua nos ex Italicis ferme eruere monumentis conabimur. His igitur cognitis Alexander Anagniæ ſacra deteſtatione Victorem, & Fridericum execratus litteras & ipſe ad principes, & ciuitates dedit, ac

ſiſſent, iuſtum exercitum, ac carrocium ipſum cum magno machinarum apparatu adduxerunt, ac XIIII Kal. Auguſti ſignis è regione portæ Imperialis locatis, reliquis copiis vrbem cinxerunt, atque oppugnare inſtituerunt. Verùm, cum per aliquot dies in opere verſati eſſent, mox rei difficultate, & maturo Friderici aduentu permoti deſtiterunt. Tum Laudenſes tumultuario opere munitam adhuc vrbem habentes lapideo ipſam muro, monente Friderico, ſepſerunt. primus lapis ab Alberico epiſcopo in fundamento portæ Cremonenſis eſt poſitus. Erat in regione lacus Comenſis oppidum nomine Carcanum, quod firmo Friderici præſidio cuſtoditum Mediolanenſibus, quoties in Laudenſium fines irrumperent, adhuc ſemper fuerat infeſtiſsimum. Hoc igitur ſibi expugnandum antiſtes ratus eodem menſe Brixianorum auxiliis, ac trium tribuum iuuentute educta obſidere inſtituit. Ea re cognita Fridericus ſociorum ſuorum copias ſubitò accerſiuit, ac poſtridie Nonas Auguſti acceſsit, & loci peritorum conſilio in valle Toxaria caſtra ita poſuit, vt Mediolanenſes ab omni re frumentaria intercluſerit. Id vbi ſenſere Mediolanenſes, virtute recuperandum, quod loci iniquitate amiſerant, rati, ſe ſe ad prœlium præpararunt: neque id Fridericus detrectauit. Variè vtrinque pugnatum eſt ingenti animorum ardore aliis pro ſalute, aliis pro imperio decertantibus. Tandem Fridericus ordines Mediolanenſium vi perrupit, atque ad carrocium penetrauit. ac ſolutis bobus vexillum detraxit, & contumeliæ cauſſa currum in proximam foſſam deiecit. Brixiani interea ab Vrſicino caſtro, vbi in præſidio locati fuerant, aliiq. ab Herba oppidani ſuorum periculo excitati impigre accurrerunt, ac recentes in defeſſos incubuerunt. Quorum impetu percitus Fridericus victum ſe in ipſa victoria clamans fugam capeſsit, ac Comum ſe cum paucis recipiens in arcem Baratelli aſcendit. Mediolanenſes fuſis hoſtibus, caſtriſq. captis ingenti præda potiti ſunt. Hæc V Idus Auguſti geſta. Archiepiſcopus Carcani oppugnatione omiſſa, quæ longior videbatur futura, XII Kal. Septembris domum reuertit, atque Vrſicinates, & Herbenſes, quorum opportuna præcipuè opera parta victoria eſſet, immunitate Mediolanenſi donandos curauit. Fridericus ex Baratello Papiam ſe recepit, atque amicos, vt quantum quiſque contrahere copiarum poſſet, in inſequentem annum pararent, admonuit, atque inde Cremonam ſe contulit. Incendio Mediolani in tribu Comenſi conflato, eoſq. ad Vercellinam, Ticinenſem, Romanamq. translato magnum multi ciues damnum fecerunt. Id incendium

tectis pleriſque in vrbe conſumptis coegit, vt exercitus in proxima loca hibernatum exiret, & cum multa frumenta exuſta eſſent, annona in ciuitate grauior fieret. Mediolanenſes ponte ad Pontirolum inſtaurato in Laudenſium fines impreſsionem fecere, ac multos captiuos abduxere. Velſo marchio in Tuſciam cum exercitu iniit, ac conuentu ad S. Geneſium habito, cum à ceteris, tum maximè à Piſanis, & Lucenſibus benignè acceptus eſt. Fridericus Cremona Papiam in
1161 hiberna ſe rettulit. Ineunte inde vere ad arma vtrinque reuerſum. III Idus Martij Placentini, cum Laudenſe ſi bellum depopoſciſſent, multos Laudenſium equites per inſidias oppreſſerunt. XVI Kal. Aprilis Mediolanenſes ad Caſtelleonum oppidum in comitatu Seprienſi ſitum iniuriis eorum prouocati acceſſerunt, atque omni machinarum genere oppugnare inſtituerunt. Quas dum qui intus ſunt refringere, atque incendere tentant, Fridericus rei nuncio ictus Laudem accurrit, & contracto ex proximis locis exercitu ad Lambrum amnem Caſtelleonum liberaturus proceſsit. Qua re accepta Mediolanenſes ſuccenſis machinis receſſerunt. III inde Nonas Aprilis Placentini cum Laudenſibus ad S. Mariam in Strata prœlium commiſerunt, ac præter ceteros Tricafoliam Puſterlam prætorem eorum redegerunt in poteſtatem. Interea Germani principes, qui poſt conuentum Papienſem à Friderico dimiſsi fuerant, ſiue ab eo acciti, ſiue vicem eius ſoliciti cum maximis in Italiam auxiliis redierunt. Quorum aduentu Fridericus erectus, ac ſimul promptis Italicarum ciuitatum, quæ in fide erant, auxiliis nixus, quod adhuc facere prætermiſerat, vrbem ipſam Mediolani ſibi tentandam decreuit. ratus, dum ea vrbs incolumis ſtaret, ſe haudquaquam quietam Italiam habiturum. atque ita rebus omnibus neceſſariis apparatis IIII Kal. Iunij cum vniuerſo exercitu in agrum Mediolanenſem procedit, ac ſegetes, vineaſq. toto latè percurſo agro corrumpit. Inde caſtris propius vrbem admotis in multas partes copias diuidit, atque vrbem vndique ſeptam intentiore cura obſidere inſtituit. Contra Mediolanēſes haudquaquam animis defecerunt, verùm omnia, quæ ad acrem ſuſtinendam obſidionem pertinerent, tanto ſtudio præpararunt, vt ne ſi hoſtes quidem quieſcerent, ipſi quietem acturi eſſent. ac partitis inter ſe laboribus modò ab hac, modò ab illa parte, vt cuique diſtributa munera erant, egreſsi certatim præcipuum ſibi fortitudinis, ac fidei patriæ præſtitæ decus depopoſcerunt. Clauſa vndique vrbe omnium rerum pretiis auctis magna ciuitatem caritas primum, deinde impedita cibariorum inuectione

inopia cepit. quæ mala grauiora etiam fecit ingens alieni æris, quo plerique obruti erant, magnitudo. quo ne funditus perirent, ciuitas denos, & octonos viros ad eam rem inſpiciendam legit, ex ſingulis tribubus ternos, qui magna cum cura imminentem multorum perniciem ſubleuarunt. Fridericus interea, agro ad XV millia paſſuum circunquaque vaſtato, Germanos in ſuburbana caſtra diuiſit, ac Cremonenſes, & Papienſes in ciuitates ſuas dimiſit. ipſeq. cum ala equitum Laudem ſe recepit, quò Victor cum aliquot Cardinalibus XV Kal. Iunij venerat. Ibi conuentu altero epiſcoporum, atque abbatum habito, iterum ex eorum ſententia Victorem verum, iuſtumq. pontificem eſſe pronunciauit, & archiepiſcopum cum conſulibus Mediolanenſibus, & fautores eorum epiſcopos Placentinum, Brixianumq. cum conſulibus à ſacris amouendos curauit. Patauinis, qui & ipſi fide deceſſerant, ad officium redeundi ipſæ Auguſti Kalendæ præſcriptæ. Conuentu inde peracto, oppida hincinde per menſem Auguſtum occupata, & captiui vltro, citroq. ſunt facti. Quod belli genus quàm inane eſſet, ac parum cœptis perficiendis idoneum, aliàs ſatis Fridericus expertus, obſidione iterum vrbem ſibi premendam exiſtimauit: atque ita V Idus Auguſti à Meregnano exercitum Mediolanum promouit, ac caſtra non procul ab vrbe fecit, in omnem rei bene gerendæ occaſionem intentus. Miſsi qui Mediolanenſes prouocarent, cum prœlium commiſiſſent, & ipſe eos ſubſequi maturauit, ac mox gradum referentes acrius vrgere inſtituit, veram eſſe fugam Mediolanenſium arbitratus. cum autem cupidius vſque ad Arcum Romanum eſſet progreſſus, equo fortè prolapſo corruit, vulnuſq. graue accepit. verùm à ſuis in equum repoſitus periculum mortis euaſit. Qua re perterritus iterum totum ſe ad obſidionem conuertit. atque omni ope, ne commeatus in vrbem importarentur, prouidere contendit. Eo facto Mediolanenſes fame iam vrgente permoti legatos ad Fridericum de pace miſerunt, ſed in itinere violati à Germanis ad eum peruenire non potuerunt. Appetente inde hieme ipſe ſe cum vxore Laudem recepit, vt Brixianis facultatem commeatuum in vrbem deferendorum adimeret, reliquas exercitus partes proximis circunquaque in caſtris diſpoſuit. atque vt in eandem intenti curam vigilarent, mandauit. Cremonam inde progreſſus ibi Decembrem tranſegit, itineribus cuſtoditis, ne quid à Placentinis ad leuandam obſidionem appoſitum inferretur. Quod ſi quos ei rei ſtudentes deprehendiſſet, eos præciſis manibus, aut effoſsis oculis, aut truncatis naribus domum dimiſit, vt tali fœditate ſuppli-

cii ab eiuſmodi conatu reliquos abſterreret, aut imbribus die noctuq. obiectos, ac frigore maceratos ad paciſcendam quantamcunque pro redemptione pecuniam compulit. Eodem anno Ludouicus Francorum, & Henricus Anglorum reges litteris Friderici de Victore colendo ſolicitati, cum conſilium expedire non poſſent, conuentum epiſcoporum ſuorum menſe Iulio aduocarunt, eòq. vtriuſque partis fautores Cardinales inuitarunt. Ibi cum Vido Cremenſis multa pro Victore aduerſus Alexandrum diſſeruiſſet, Gulielmus Papienſis ſurrexit, atque omnibus criminibus in Victorem reiectis, Alexandri cauſſam adeo regibus ipſis præſentibus, epiſcopiſq. probauit, vt Victorem, & partem eius epiſcopi magno conſenſu ſint deteſtati. Florebat tum ordo Ciſtertienſis, archiepiſcopis, epiſcopiſq. multis, & abbatibus pluſquam ſeptingentis, & monachorum multitudine innumerabili præditus. Hi quotannis concilium apud Ciſtertium celebrabant, & quæ è republica erant, decernebant. Itaque propoſita præſenti pontificia cauſſa publico decreto Alexandro ſe adiunxerunt, atque maximas ei parti vires addiderunt. Quibus rebus Fridericus incenſus edictum propoſuit, vt omnes Ciſtertienſis ordinis monachi, qui in regnis ſuis agerent, aut Victori ſubſcriberent, aut regnis ſuis excederent. Qua re numerus eorum ingens, relictis ſedibus ſuis, in Franciam commigrauit. Quin etiam epiſcopos multos licèt ſanctitate inſignes, quia Alexandro dediti erant, ſedibus ſuis eiecit, atque alios in eis impoſuit, &, vt conuentum iampridem ab Alexandro indictum impediret, eò intentius vias omnes, ne cuiquam epiſcopo pateret tranſitus, cuſtodiuit. Quare Alexander cum ſe concilium in Italia habere aduerſus Fridericum, Victoremq. non poſſe cerneret, ſimulq. occultas Romanorum ſæuientium inſidias vereretur, ac nimiam Friderici omnia circunquaque tenentis potentiam extimeſceret, in Franciam ad conuentum habendum proficiſci conſtituit. Itaque poſt XIII Kal. Maii, quo die ipſum Verulis fuiſſe inuenio, relicto Romæ Iulio Cardinali legato, Tarracinam ſe recepit. Inde conſcenſis Gulielmi Siculi triremibus Genuam adiit, vbi cuncta obuiam effuſa ciuitate ampliſsimum honorem accepit. Per eoſdem dies Vlricus patriarcha Aquileienſis in locum Peregrini ſublectus

1162 eſt. Ineunte inde Ianuario, cum nulla ex parte res ad victum neceſſariæ acri diligentia hoſtium ſupportari Mediolanum poſſent, eò inopiæ, neceſsitatiſq. redacti ſunt, vt canes, equoſq. comederent. Qua de re graues in vrbe tumultus, atque acerba paſsim iurgia audiebantur, cum alter alterum, omnes verò archiepiſcopum

increparent.

increparent. quaſi ille aut bello temere tanto cauſſam dediſſet, aut paci moram, atque impedimentum afferret. Qua re audita permotus archiepiſcopus ad Alexandrum Genuam ſe recepit. Ciuitas, vt legati iterum de pace ad Fridericum mitterentur, decreuit. Miſsi tres cum liberis mandatis, Oſſa Oſsius, & Albertus filius, & Anſelmus Ortus, ipſum Laude, quò receſſerat, conuenerunt, ac poteſtate dicendi impetrata, pacem petierunt, pollicentes ſe in honorem eius ſex locis muros vrbis deiecturos, foſſas completuros, ipſiq. demum dicto audientes futuros. Fridericus Germanicis principibus, ſociarumq. ciuitatum conſulibus in conſilium aduocatis ſui ſe, non eorum, arbitrij deditionem velle reſpondit. Quam conditionem legati, etſi grauiſsimam, acceperunt. Itaque deditio V Nonas Martij hac ratione perfecta eſt. Conſules ex auctoritate Conſilij Laudem ad Fridericum profecti ſtrictos gladios tenentes liberè ſe omnia, quæcunque ille imperaſſet, facturos, atque eodem quoque ciues ſuos omnes ſacramento obligaturos iurarunt. poſt biduum trecentos equites totius ciuitatis nomine triginta ſex vexilla, & claues ciuitatis detulerunt, ac præceptis eius ſe parituros iurarunt. Inde mille pedites carrocium adduxerunt, ac nonaginta quattuor alii tubas ciuitatis obtulerunt. Poſtridie Fridericus edicto Imperiali ſublato quadringentos obſides poſtulauit. ex quibus centum, & octoginta ſex ex ordine equeſtri retinuit. reliquos ad numerum conficiendum ex ipſa nobilitate exegit, atque ad ſingulas vrbis portas murum diſiici, & foſſam repleti iuſsit, quantum exercitui quadrato agmine ingreſſuto foret ſatis. poſtremò iuſiurandum à ſingulis poſtulauit. atque ei accipiendo ſex principes Germanos, ac totidem Lombardos præfecir. atque his rebus adminiſtratis Papiam ſe XV Kal. Aprilis cum Beatrice coniuge rettulit. Ibi conſilio epiſcoporum, principum, & magiſtratuum amicarum ciuitatum coacto immodicam Mediolanenſium ſuperbiam altè repetito accuſationis initio docet; quemadmodum ſe aduerſus ſuperiores Imperatores geſſerint; quibus calamitatibus Laudenſes, Comenſes, & Papienſes nulla regum habita ratione affecerint; vt ſe demũ ſæpius in ordinem redegerint, ac pacem datam violarint. eos omnium Lombardiæ ſeditionum, omnium bellorum auctores fuiſſe, eos pontifices in Imperatores acuiſſe, ac defendiſſe, & nunc vt cum maximè tueri oſtendit. His de cauſsis conſilium atrox fortaſſe, ſed ſibi neceſſarium cepiſſe concludit ad reliquam Lombardiam pacandam, atque in fide & officio continendam vrbis Mediolanenſis delendæ, populiq. ſuperbiæ, ac potentiæ com-

primendæ. Eo conſilio ab omnibus, qui aderant, approbato, poſt quatriduum conſules Mediolanenſes accerſit, iiſq. imperat, vt omnes ſexus vtriuſque ex vrbe intra octo dies emitterent, nam ſe ædificia euertere omnia velle. Conſules grauatè, ſed quia imperium recuſate non poterant, præceptis obtemperarunt. atque vniuerſos abire vrbe iuſſerunt. Ita VII Kal. Aprilis Mediolanenſes mœſti, ac ſe, fortunamq. ſuam, quòd non potius armati occubuiſſent, quàm incolumes ad eam neceſsitatem venirent, execrantes vrbe exietunt. atque alij Comum, alij Bergomum, alij Laudem, vt quiſque neceſſarios, atque hoſpites habuit, abierunt. vulgus ipſum non ſolum conſilij inops, ſed parum etiã mentis compos circum foſſas teſtitit extremum patriȩ caſum expectaturum. Erat autem fœdus, ac miſerabilis præter ceteros aſpectus mulierum, ac puerorum ingentibus omnia clamoribus, eiulatibuſq. replentium, atque opem ſurdis hoſtium auribus implorantium. Vbi exhauſta vrbs incolis fuit, Fridericus cum exercitu victore acceſsit, &, ne fidem fallere videretur, per ruinas murorum, non per portas iniuit. Inde negotio vicinis ciuitatibus id muneris ſibi præcipuè depoſcentibus dato, vrbem paucis templis ſeruatis excidit. Laudenſes ædificia portæ Orientalis diruerunt, Cremonenſes Romanæ, Papienſes Ticinenſis, Nouarienſes Vercellinæ, Comenſes Comenſis, Seprienſes, & Martheſani Nouæ. Arcus, Theatra, Thermæ, quæ ex antiqua vrbis fortuna adhuc ſupererant, deletæ. demum profana diſcuſſa omnia præter turres aliquot, & partem mœnium, quæ integra propter operis firmitatem remanſit. Templa ſpoliata, abbatiæ populatæ. Brolium, vt aiunt, ad perpetuam ſterilitatem ſale diſſeminatum. Quibus rebus perfectis ipſe Kal. Aprilis in die Palmarum Papiam receſsit, ac ptæ lætitia proximo Reſurrectionis die poſt rem diuinam factam cum vxore coronatus inceſsit, ac ſtatiuis ad ædem Saluatoris locatis ſplendidum proceribus epulum dedit. Mediolanenſibus hunc in modum ſubactis inde reliquas ciuitates, quæ aut apertè arma aduerſus ſe tulerant, aut obſcurè defecerant, aut alia ratione cum Alexandro faciebant, armis ſibi appetendas, atque ad officium redigendas exiſtimauit. Itaque poſt biduum bellum aduerſus Placentinos decreuit, idq. principes, atque prætores, & conſules amicarum ciuitatum iurare iuſsit. Ea re cognita Brixiani conſilio anteuerſo legatos ad eum miſerunt, qui nudatos tenentes gladios pacem ſupplices peterent. Data eſt ea lege, vt muris deiectis, foſsiſq. completis præfectum à ſe acciperent, & certam pecuniæ ſummam perſoluerent, ac ſecum expeditionem Romanam, Apulamq. ſuſciperent. Id

vbi ſenſere Placentini, antequam bello premerentur, conſules ad eum ſuos miſerunt, ac VI Idus Maij iiſdem ſe conditionibus obligarunt. Nonis inde Iuniis legati Genuenſium aduenere, ac ſe illius potestati iurato obſequio permiſere. claſſem ſe ei ad Kalendas Septembris daturos ad Siciliam, Apuliam, & Capuam à Gulielmo Siciliæ rege recuperandas, neque iniuſſu eius pacem facturos, atque vt hæc ciuibus, & conſulibus ſuis deinceps rata forent, operam daturos, ſpopondere. atque ab eo omnem oram à portu Monachi vſque ad portum Veneris feudi nomine ſaluo iure vaſallorum obtinuere. IIII Idus Iunii antiqua iura Henrico Carecto, Marchioni Sauonenſi, firmauit, præſentibus epiſcopis Italicis Garſedonio Mantuæ, Anſelmo Haſtæ, Arcardo Parmæ, Syro Papiæ, & Aquino Derthonæ. Idibus inde, cum adhuc apud D. Saluatoris ſederet, à conſulibus Cremonenſium aditus priuilegium tale sociæ ciuitati conceſsit: *Si, cum conſules vobis ſubrogandi erunt, nos in Lombardia fuerimus, nuncium, ſi vobis placebit, noſtrum mittemus, qui conſilio ſapientum operam dabit, vt legantur conſules ad honorem Imperij, & conſeruationem veſtræ ciuitatis, quiq. lecti erunt, à nobis inueſtituram accipient. quòd ſi trans Alpes, aut Apenninum, aut Marchiam Anconæ fuerimus, concedemus vobis, vt ad arbitrium veſtrum creetis Conſules ad obſequium Imperij, & conſeruationem veſtræ ciuitatis, ita tamen, vt vnus, aut duo ex eis ad nos loco omnium inueſtiendorum accedant, qui omnia regalia ex Imperiali manu recipient tam in vrbe, quàm extra per totum epiſcopatum veſtrum ſiue in aquis, ſiue in terris, ſiue in perſonis, prout nunc habetis, aut ante obſidionem Cremæ habuiſtis, in teloneis, pedaticis, ripaticis, fodro, moneta, banno, & omni iure regalium; præterea auctoritatem iuriſdicendi vnicuique in vrbe, & per totum epiſcopatum ex legibus, & bonis moribus ad concordiam ciuitatis, & nominatim hæc caſtra Soncinum, Sambaſsianum, Preuitunum, & Caſtrum Nouum, quod eſt in epiſcopatu Laudenſi, ea lege, vt pro his regalibus omnibus vos conſules præſentes, & futuri nobis, & ſucceſſoribus noſtris regibus, & Imperatoribus ducentas marchas argenti boni in feſto S. Martini quotannis perſoluatis. & ad nutum noſtrum nuncijs in Lombardia bona fide repræſentetis. extra quam cum Imperiale fodrum per Lombardiam, & Cremonenſem epiſcopatum exigemus. Pro fidelitate autem veſtra fodrum in vrbe veſtra, & ſuburbio eius vobis in perpetuum concedimus, ita vt ſucceſſores noſtri reges, & Imperatores hanc pactionem ratam habeant, & vos ea perpetuò teneamini. Nemo autem à vobis conſul recipiatur, niſi iuret, ſe hanc pecuniam nuncio noſtro repetente ſoluturum, & nobis, aut ſucceſſoribus noſtris fidelitatem. Qui verò initio conſulatus ſacramentum concipiet, hoc nominatim iurabit, ſe recturum po-*

pulum Cremonenſem in vrbe, & extra ad honorem, & obſequium noſtrum, & conſeruationem ciuitatis. & conſules, aliiq. iurabunt, ſe ſeruaturos fidem ſine fraude, & mandata aut per nos, aut per nuncios noſtros miniſta curaturos bona fide. Volumus etiam, vt cum nulla ciuitate coniurationem iniuſſu noſtro ineatis. & quinto quoque anno ſacramentum hoc renouari ab aliis, qui nondum ſuſceperint, curetis. Pro fideli autem opera, quam vos Cremonenſes noſtro Imperio præſtitiſtis, promittimus, nos neque milites, neque Burgenſes, qui in caſtro Cremæ habitabunt, Imperij rebelles, quos proſcripſimus, vnquam proſcriptorum numero excempturos, neque in gratiam noſtram eos, aut heredes eorum recepturos, niſi præſentibus nobis, & Conſulibus Cremonæ iurent, ſe intra Ticinum, & Abduam non habitaturos, neque in his vrbibus, & epiſcopatibus Bergomati, Brixiano, Mantuano, Parmenſi, Placentino, neque in epiſcopatu Cremonenſi, neque agro Cremenſi, niſi nos permiſerimus voluntate conſulum Cremonenſium, qui nunc ſunt, aut futuri ſunt. pagos autem, quos tenebant Cremenſes, in noſtra habebimus poteſtate, excepto caſtro, & ſuburbio Cremæ, quod vobis concedimus. Quòd ſi epiſcopus, aut ciuis aliquis Cremonenſis de aliquo eorum pagorum expoſtularit, ius ei dicemus. Præterea pagani illi omnes iurabunt, ſe parituros præceptis aut noſtris, aut nuncij noſtri ad id deſtinati. neque foſſam, neque arcem, neque vicum nouum in toto epiſcopatu Cremonenſium excitaturos, verùm perſonas, & res Cremonenſium per totum agrum ſuum ſeruaturos, neque conſilium, aut auxilium daturos, vt Crema, aut aliquod caſtrum, aut arx intra terminos Cremonenſium priuilegio deſignatos excitetur, aut reponatur, aut noua ædificetur. Quin etiam reliquas ciuitates amicas pari creandorum conſulum poteſtate affecit. Mediolanenſium autem, qui per agrum diſsipati erant, præfecturam in ſex diuiſit; & cum ſingulis præfectum Germanum imponeret, ſextæ, quæ vrbem complexa eſt, epiſcopum Leodienſem præpoſuit, eumq. maiore, quàm ceteros, auctoritate ordinatum ſummæ rerum præeſſe Mediolanenſium voluit. capitaneos, valuaſores, ſcribaſq. omnes veteres abrogauit, ac nouos inſtituit, atque apud ſe ſacramentum dicere iuſsit. Brixiæ, Bergomo, Placentiæ, Como Germanos prætores dedit, quas poteſtates Imperatorias appellarunt. Papia inde profectus luſtrandi regni gratia menſe Iunio Bononiam, quam nouo conſilio ab Alexandro cum Mediolanenſibus ſtetiſſe compererat, minitabundus acceſsit, eo animo, vt ſi Bononienſes reſiſterent, perinde in eos, atque in Mediolanenſes animaduerteret. Bononienſes, ſiue quòd ſe ad tantam belli tempeſtatem ſuſtinendam impares, atque imparatos viderent, ſiue quòd miſerabilem Mediolani cladem ante oculos ſibi proponerent, Friderico repugnare non auſi iuriſconſultos

ſuos,

ſuos, quibus ille plurimum tribuebat, obuiam ei miſerunt, ac ſe in eius auctoritate futuros, oſtenderunt. Quorum oratione placatus iiſdem, quibus ceteris, conditionibus ignouit, muris veteris, qui adhuc ſtabant, vrbis euerſis, foſsiſq. repletis. XI Kal. Iulii, cum eſſet in agro Bononienſi, atque Vlricus patriarcha Aquileienſis adeſſet, eccleſias canonicorum regularium S. Victoris, & S. Ioannis in monte liberauit à collecta, fodro, & manſionatico. Inde Bononia relicta, eundem Imolam, Fauentiam, & ad reliquas Italiæ vrbes, quæ Alexandro adhæſerant, terrorem traduxit, atque interea in agro Veronenſi Turiſendum, qui Gardam aduerſus ſe obtinebat, per legatos ad deditionem coegit. atque his rebus geſtis cuncta latè Lombardia pacata Papiam ſe retulit. Interim Alexander Genua profectus in Prouinciam, ac ſub Paſcha ad montem Peſſulanum acceſsit, magno honore à Theobaldo S. Germani Pariſienſis abbate obuiam ei à Ludouico rege miſſo exceptus, atque occurrentibus earum regionum epiſcopis conuentum Claromonte coegit, in quo Victorem, Fridericum, & factionem eorum ſacro tandem anathemate perculit. Ea re offenſus mirificè Fridericus, vt Alexandrum Francorum obſequio ſpoliaret, compoſitis Italiæ rebus, Viſontionem in Burgundiam dotalem vxoris regionem cum Victore iter inſtituit. Cum Taurinum acceſsiſſet, Piſanos, & Genuenſes nouo inter ſe bello certantes ad inducias vſque ad reditum ſuum paciſcendas adduxit. Ceterùm nouam eorum populorum diſſeſsionem hæc cauſſa contraxerat. Conſtantinopoli Piſani mercatores Genuenſes inuaſerant, atque aliquot etiam interfecerant. Quare comperta Conſules Genuenſium duodecim triremibus in portum Piſanum euecti turrim in conſpectu ciuitatis euerterant, & triremem vnà cum Conſule Piſano captam abduxerant. Piſani verò maiore numero egreſsi naues duas Genuenſium onerarias ceperant; & duodecim triremes è portu Veneris exeuntes adepti prœlio laceſsiuerant, atque ex Sardinia, & Corſica magnas prædas abegerant. Fridericus inde Viſontionem progreſſus ad Ludouicum regem miſit, rogans, vt ad ſe communis colloquii gratia ad Sagonam amnem, is olim Arar fuerat, non longè à Diuionis oppido ad feſtum Decollationis occurreret. ibi enim ſe ex communi conſilio veterem Eccleſiæ redintegrare concordiam velle. eademq. ratione reges Daniæ, Vngariæ, Boemiæ, & omnes regnorum ſuorum epiſcopos, atque abbates, vt ad eam diem ſibi præſto eſſent, admonuit. quo facto ingens eſt celeberrimi omnium concilii expectatio concitata. Ludouicus ad diem venturum ſe oſtendit; verùm iter

ing reſſus

ingreſſus, vbi accepit, Fridericum, contra, atque pacto conuenerat, ad concilium armato cum exercitu conuenire, paullulum hæſitauit. & tamen ſeruandæ fidei cauſſa ad amnem die conſtituto acceſsit. atque in medio ponte ab hora diei tertia ad nonam vſque permanſit, &, cum Fridericus nondum veniſſet, manus in flumine lauit, ac ſe fidem liberaſſe ſuam teſtatus eodem ipſo die veſpere Diuionem reuertit. Sub noctem inde aduenit Fridericus, cognitoq. Ludouicum abiiſſe, qui eum reuocarent, honoratos homines miſit. verùm, vt rediret, non potuit impetrare. Quare iratus ex Burgundia in Germaniam tranſiit, atque in Italiam Victorem, & Rinaldum archiepiſcopum Colonienſem legatum ad res moderandas dimiſit. Poſt aliquot inde dies Ludouicus, & Henricus reges ad Ligerim amnem apud Tociacum oppidum conuenerunt, atque Alexandrum eò aduenientem læti eximiis honoribus exceperunt. quippe ſtratorum officio functi pedites dextra, læuaq. frenum equi tenuere, & ad præparatum tabernaculum perduxere. atque eius auctoritate pacem inter ſe cõfirmauere. Vlricus, patriarcha Aquileienſis, cum Gradum bello eſſet adortus, à Venetis vnà cum ſeptingentis nobilibus Foroiulienſibus capitur, & Venetias perductus cum omnibus in cuſtodias conditur. Demum verò pactus, ſe quotannis duodecim porcos, & duodecim panes Duci in eiuſmodi die daturum, ipſe cum omnibus liberatur. Inſtitutum inde manſit, vt quotannis ludicrum in foro in eius rei memoriam ederetur. Poſtero anno expers ferme armorum Italia fuit.
1163 Alexander Pariſios profectus concilium Turonum in Pentecoſten indixit. rogatusq. à multis, vt Bernardum Clarauallenſem in proximo concilio in numerum Sanctorum referret, eorum ſe voluntati obſequuturum, oſtendit. verùm litteris aliorum eandem rem in aliis prouinciis celebrari poſtulantium obrutus, cum videret, omnium ſe ſtudiis ſeruire non poſſe, rem in aliud tempus diſtulit. Octo inde poſt Pentecoſten diebus frequentiſsimum in Turonibus epiſcoporum, abbatumq. concilium habuit. Ibi verò, & acta concilij Papienſis reſcidit, & ſacras aduerſus Victorem, & Fridericum deteſtationes redintegrauit. & ſeueriſsimis legibus clerum ab effuſa licentia ad Eccleſiaſticam diſciplinam formauit. atque epiſcopos, vt hæreſim Toloſæ ſerpentem coercerent, admonuit. ea verò qualis fuerit, pòſt loco magis idoneo aperietur. Ex Turonibus inde in Senonas abiit. Interim Rinaldus Lombardia, Marchia, & Tuſcia perluſtrata epiſcopos à Victore auerſos exautorauit, & amicas ciuitates in officio confirmauit. Cuius diligentiam quanquam probauit, vt qui maximè, Fride-

ricus, tamen multis de cauſis ſua intereſſe, vt in Italiam rediret, eſt arbitratus. Itaque VIII Idus Octobris vnà cum vxore, & Conrado, archiepiſcopo Moguntino, Alpes tranſgreſſus Laudem acceſsit, atque eodem mox ſe Cremona quoque Victor recepit. Vtroque præſente oſſa S Baſsiani ex Laude vetere in Nouam iam ædificiorum priuatorum, & publicorum operibus mirè nitentem graui cæremonia tranſportata. XVI. Kal. Octobris Papiam adiit, ciuibuſq. petentibus, ſed magna accepta pecunia, permiſit, vt Derthonam iterum diruerent, quam Mediolanenſes velut in communem contumeliam refeciſſent. Conradus inde oborta ſimultate à Friderico diſceſsit, atque ad Alexandrum profectus ab eo in numerum Cardinalium eſt allectus. Fridericus Decembri Menſe Modœtia, regali, vt appellat, ſede in agrum Mediolanenſem profectus eſt. Ibi per dies Natalicios 1164
Mediolanenſium precibus fatigatus captiuos eorum dimiſit. ac Moguntinam eccleſiam Conrado ademptam Chriſtiano curiæ ſuæ cancellario tradidit. Inde Ianuario menſe in Marchiam Anconitanam progreſſus in ea per menſem Februarium fuit. Fani eum Genuenſes adierunt, rogantes, nunquid Siculæ expeditionis gratia ſibi parandum eſſet. Parmam deinde reuerſum rogarunt, vt quattuor millibus marcharum acceptis, nouum regni Sardiniæ titulum inſtitueret, ideſt Bariſonem Arboreæ, quæ pars erat Sardiniæ, iudicem, appellaret regem; eum inſulam ad commoda Imperij obtenturum. Quo audito legati Piſanorum, qui aderant, iniquitatem poſtulati conqueſti ſunt, neque enim regem alienæ terræ iuſtitui conuenire. & ſe rei impedimento fore, profeſsi ſunt. Inde Laudem, Papiamq. eſt ventum. Ibi de motibus Veronenſium, Vicetinorum, Patauinorum, & Taruiſinorum cognoſcit, qui intolerandis iniuriis, quas à Comite Palatino, cui Gardam Fridericus conceſſerat, irritati, Venetis auctoribus, inter ſe coniurarant, ac conſilia de vetere repetenda libertate inierant. Itaque, ne id malum ſerperet longius, continuò legatos ad eorum conatus comprimendos miſit, atque amicarum ciuitatum magiſtratus Cremonæ, Laudis, Papiæ, Nouariæ, & Mantuæ euocauit, ac blandis verbis appellatos iureiurando, vt ſecum arma aduerſus Veronenſes, ſocioſq. ſuſciperent, obligauit. atque ita exercitu, vtcunque potuit, comparato contra eos perrexit. Huius expeditionis proſpera quidem principia fuere, firmis caſtellis aliquot in primis eorum finibus expugnatis; verùm, vbi in conſpectum hoſtium venit, exiguitate copiarum rem committere pugnæ non auſus, ſimulq. patefacta eorum, à quibus vocabatur, Veronæ coniuratione deterritus Papiam

magna

ribus onerati, &, niſi paruiſſent, pœnis atrociſsimis cruciati. Quin etiam Arnoldus Barbauara Placentiæ vndecim millibus marcharum extortis, atque æde S. Antonini argenteis omnibus ornamentis nudata, ciuitatis offenſionem veritus vrbe exceſsit, ac ſecum tabulas priuilegiorum publicas exportauit. Ad ceteras calamitates illa quoque Mediolanenſibus eſt adiuncta, quam ipſi omnium grauiſsimam iudicarunt, quòd veneranda trium Magorum corpora magna religione ab eis culta Rinaldus archiepiſcopus vrbe extraxit, eaq. Italia cedens Coloniam tranſportauit. Eodem anno Victor Cremona Lucam profectus ibi per menſem Aprilem eſt mortuus. Quod vbi factionis eius Cardinales viderunt, extemplo creando ſucceſſori, qui partes aduerſus Alexandrum tueretur, comitia habuerunt, atque ei Vidonem Cremenſem Cardinalem S. Caliſti ſubſtituerunt, qui Victorem non ſolùm ſuffragio ſuo pontificem deſignauerat, ſed etiam auctoritate, ſententiaq. defenderat. Is Paſchalis tertius appellatus, Friderici, ac factionis eius prompta ſtudia eſt conſecutus. Bariſo rex in Sardiniam vectus, cum pecuniam ſoluere non poſſet, quam à Genuenſibus ad regium faſtigium emendum mutuo accepiſſet, ab iiſdem Genuam eſt reuectus, atque in cuſtodiam, donec penderet, traditus. Alexander apud Senonas egit. atque inde diplomata eccleſijs Italiæ in fide manentibus dedit. Bononienſes Bocium præfectum, impotenter ſe gerentem, adorti de feneſtris Palatij præcipitem deturbaruut. Hiems prodigii in modum ſæuiſsima fuit. nix è cœlo lapſa vſque ad Kalendas Martias ſequentis anni ad immenſam altitudinem manſit. Eo anno Fridericus, cum in feſto Pentecoſtes frequentem epiſcoporum, abbatum, ac principum conuentum Herbipolim aduocaſſet, ex omnium ſententia ſtatuit, vt Paſchalis pro iuſto pontifice in perpetuum haberetur, & eo mortuo nemo, niſi ex eius parte, ſublegeretur, &, ſi contigiſſet, vt Fridericus ex hac vita decederet, nemo ei ſubſtitueretur, niſi ſe eam partem defenſurum iuraſſet. Iurantibus in hoc decretum ceteris ſolus Albertus Friſingenſis epiſcopus abnuit. poſt autem & ipſe coactus iurauit, ſe Paſchali obtemperaturum, quandiu Imperator partem eius foueret, & quandiu ipſe regalia poſsideret. Velſo Dux Spoletanus, marchio Tuſciæ, Princeps Sardiniæ, & dominus, (ſic enim ſe appellabat) domus Comitiſſæ Mathildis conceſsit Lucenſibus omnem iuriſdictionem, quam habebant intra ſex millia paſſuum ab vrbe Lucæ, quæ pertineret ad ius marchiæ, & domum Comitiſſæ Mathildis pro mille ſolidis Lucenſibus ſoluendis quotannis vſque

1165 (margin, beside "ſam altitudinem manſit. Eo anno Fridericus")

ad annos nonaginta. Piſani violatis induciis nauim Genuenſium eiectam ad Aſinariam inſulam compilarunt, atque apud Fridericum id factum excuſarunt, quòd Genuenſes iniuſtè in cuſtodia Bariſonem tenerent. Cum autem pax per Conradum ſacerdotem Friderici in Portu Veneris tractata conuenire non potuiſſet, res in apertum bellum euaſit. Piſani VIII Kalendas Septembris Albingaunum adorti ſubdito igne cremarunt. inde in Prouincia, in Sardinia, aliiſq. pluribus in locis certamina, prædationes, cædeſq. odio inexpiabili promiſcuè vtrinque commiſſa. Et hoc anno Lombardia, abſente in Germania Cæſare, ab armis vacua immodicis Germanorum præfectorum imperiis, tetriſque rapinis fœdè eſt lacerata. Illud autem ærumnis, ac calamitatibus optatæ affulſit lucis, quòd Ioannes Cardinalis Romæ legatus ab Alexandro Iulio mortuo ſubſtitutus ſingulari ingenii dexteritate, ac mira morum comitate populum Romanum ad partes Alexandri traduxit, ac baſilicam Vaticanam, pontificiamq. ditionem magna ex parte recuperauit, atque Alexandrum ab eis reuocandum curauit. Quibus rebus cognitis Alexander in Italiam maturè ſibi redeundum ratus, Sueſsione relicta in Prouinciam, & Montem Peſſulanum reuertit, acceptiſq. à rege Ludouico triremibus ad mare profectus conſcendit. Cum Cardinales viris fortibus, qui Hieroſolyma contendebant, aſſumptis dromonem hoſpitalis Hieroſolymitani ingreſsi Pontificem mox ſequuturum iactis in alto anchoris expectarent, præteriens prædonum claſsis dromonem inuaſit. Pontifex, cum triremi ſe ad dromonem vehi iuſsiſſet, conſpectis piratis nauigationem conuertit, atque in portum Megalonenſem refugit. Cardinales piratis acriter à dromone repulſis, Pontifice non expectato, idoneum nacti ventum abierunt, ac proſperè in Siciliam deuenerunt. poſt aliquot dies Pontifex alia parata naui conſcendit, & ſecundis ventis eodem peruenit, ſuſceptuſq. benignè à Gulielmo rege eius inde triremibus Salernum petiit. atque inde Romam acceſsit lætiſsimis animis exceptus ab vniuerſis. Cum Cardinales, & epiſcopi plerique maritimum iter pertæſi Salerno Beneuentum ſe contuliſſent, Vbertus Mediolanenſis archiepiſcopus morbo, & ætate confectus ibi deceſsit. Ei Galdinus Sala Mediolanenſis eccleſiæ archidiaconus XIII Kal. Maias ſucceſſor ab Alexandro eſt datus. Is habitu peregrini ſumpto iter ingreſſus Nonis Septembris Mediolanum peruenit. Alexander Laterano recepto Decembri menſe ipſum, cum Cardinales cooptaret, Cardinalem S. Sabinæ creauit. Proſpero Alexandri reditu tota in ſpem melioris

fortunæ

fortunæ Italia excitata continuò omnia ſua ad illum ſtudia contulit.
Dux Velſo rediit in Germaniam triſti nuncio cladis Velſonis filij à
Palatino Rheni acceptæ perculſus. Poſtero anno gliſcente inter Du 1166
cem, & Palatinum bello Fridericus conuentum Vlmam indixit.
Quippe ſecundis Alexandri ſucceſsibus, atque ipſa in fide titubante
Italia excitus, ne breui totius Italici regni poſſeſsionem amitteret,
timuit. ac propterea conſiliis agitatis nouam in Italiam expeditio-
nem decreuit. ac ſtatim Rinaldum Colonienſem, & Chriſtianum
Moguntinum antiſtites cum ingentibus copiis in Italiam maturare,
atque ſtudioſas Eccleſiæ ciuitates in Marchia, atque Etruria bello
aggredi iuſsit. atque ipſe tumultus Germanicos, in primiſq. bellum
ipſum Palatini ſedare contendit. atque indenouo ſe contrahendo,
quem ipſe duceret, exercitui tradidit. Archiepiſcopi in Italiam tranſ
greſsi populos ſolemni iureiurando adegerunt, fore, vt Paſchali di-
cto audientes eſſent, neque eius ſacramenti liberationem expoſce-
rent, aut oblatam reciperent, rectaq. in Marchiam Anconitanam
progreſsi Anconem validè oppugnarunt, atque obſidibus datis Fri-
derici imperium accipere coegerunt. Marchia conſtituta inde in
Etruriam Eccleſiæ tranſiuere, ac pluribus locis captis in primis etiam
Sutrium, & Nepet firmiſsima oppida inuaſere, atque inde in poſte-
rum annum oppugnauere.

CAROLI SIGONII
HISTORIARVM
DE REGNO ITALIAE
Liber Quartusdecimus.

SEQVENTI libro præclarum popularis concordiæ, ciuiliſque conſenſionis exemplum ad memoriam poſteritatis prodetur. Vt enim Italia nunquam acrioribus repetendæ libertatis, ac propugnandæ Eccleſiæ ſtudiis arſit, nec concordioribus aliquando animis, aut firmioribus opibus vtriuſque laudem, dignitatemq. defendit, ſic neque fructum laborum ſuorum vberiorem, nec victoriam illuſtriorem vllo tempore tulit, quàm Friderico &

Italiam, & Eccleſiam effuſis omnibus Imperij viribus oppugnante ipſa ſocietate, ac fœdere inter ſe illigata percepit. vt vnuſquiſque intelligere poſſit, quantum ad res magnas gerendas conſtans concordia, atque animorum firma conſpiratio valeat. Cuius quidem fœderis, quoniam vt exitus, ſic initia obſcuriſsima ſunt, dabimus operam, vt maximam, ſi quando vnquam aliàs, ad huius totius rationis explicationem diligentiam afferamus. id quod tabulariis ciuitatum ipſarum excutiendis, & rerum ſingularum actis inueſtigandis nos magna ex parte conſequutos eſſe putamus. Quod facilè vnuſquiſque cognouerit, qui noſtra cum aliorum ſcriptis contulerit. Verùm ad propoſitum redeamus.

Dvm lombardia, atque adeo etiam vniuerſa citerior Italia acerbis, atque intolerandis, vt diximus, præfectorum Germanorum iniuriis impunè vexatur, Fridericus, qui duos archiepiſcopos cum vno exercitu ad premendas ciuitates Eccleſiaſticas miſerat, Nouembri menſe cum altero ad ipſum petendum Alexandrum diſceſſit, ac Tridentino ſaltu ſuperato in Italiam tranſgreſſus primùm in Roncalias venit, vt ius populis diceret, deinde bello anteuerſo Laudem, vt ſedarius de illo inferendo conſilium caperet, adiit, atque ibi conuentum habere inſtituit. Hoc verò vbi ciuitates Italiæ cognouerunt, nihil optatius accidere poſſe miſeriis, calamitatibuſq. ſuis duxerunt. Itaque legatos ſingulæ, quæ ſe indigna putabant opprimi ſeruitute, ſiue ad ſpem leuandæ iniuriæ, ſiue ad ſolatium deflendæ miſerunt. Qui impetrata dicendi copia prætentis ſupplicantium more crucibus proceſſerunt, atque in hæc ferme verba locuti ſunt: *Ducenti iam propè anni, Sereniſsime Imperator, aguntur, cum nos ſæua Berengarij regis dominatione ſoluti vitam ſub illuſtri Germanorum imperio agimus. Eorum principatu nihil adhuc accidit, cur nobis pœnitendum ſit, niſi cum proximè præfectos Germanos iuſſu in vrbibus noſtris tuo recepimus. Neque enim, quod te ſcire noſtra intereſſe maximè arbitramur, rectores nos ciuitatum, ſed euerſores, neque legum, iuriſq. cuſtodes, ſed immanes, impotenteſq. prædones adepti ſumus. Quod ſi ciuitates etiam iniquis tantum imperijs premere ſatis haberent, ne nos quidem cauſſam, cur te adiremus, ſatis idoneam putaſſemus. Nunc verò non vniuerſis ſolùm ſuperbè, & inclementer inſultant, ſed ſingulis iuſtam etiam ſeruitutem iniungunt. neque vnum in nos flagitij genus admittunt, ſed diuerſis iniurijs, iiſq. intolerandis affligunt. ſiquidem nouis confictis in criminum ſpeciem cauſſis alijs bona, alijs patriam, alijs vitam eripiunt. Quo fit, vt fœda Berengarij tyrannis, qua virtute quondam exempti veſtra ſumus, ſi cum præſenti ſtatu conferatur, præclara omnibus liber-*

tas fuiſſe videatur. Quanquam quid Berengarium nominamus? Pro certo omnes habemus, triginta Duces Longobardos, quorum in his locis ſæuiſſe diram quondam immanitatem accepimus, tantum cladium per decem annos, quantum hi per biennium, noſtris haudquaquam vrbibus attuliſſe. Nam illos multis peperciſſe, quòd cum ijs vitæ communicare rationes eximio ſedis Italicæ capti ſtudio vellent, eſt veriſimile. hi verò vſqueadeo Italici nominis odio flagrant, vt non Italos ſpoliare, ſed Italiam ipſam propè ex ſuis ſedibus euellere, atque in Germaniam tranſportare videantur velle. Omnia remedia his malis te abſente, quæ potuimus, conquiſiuimus. vbi ſtudium noſtrum inane ſenſimus, obſtinata ea propè patientia hauſimus. ad extremum poſtquam ipſe in Italiam rediſti, ac lucem omnibus libertatis, ac ſalutis proximam oſtendiſti, ad te, tanquam ad Deum confugimus. opemq. à te tantis acerbitatibus, & miſerijs ſupplices imploramus. cuius non minus apud nos clementiæ, & æquitatis, quàm virtutis, & fortitudinis gloria eſt illuſtris; ea omnino mente, atque ſententia præditi, vt quæcunque poſthac patiemur, ea non præfectorum tuorum libidini ſimus, ſed tuæ voluntati, atque iudicio tributuri. Quibus rebus auditis Fridericus in vnum Alexandrum intentus bellum ex omnium ſuorum ſententia aduerſus eum decreuit, legatos, principeſq. ſuperbè repudiauit. In eodem etiam conuentu legati Piſanorum, & Genuenſium de iure Sardiniæ diſceptarunt. cumq. Piſani ſe tredecim librarum millibus ius eius ab antiſtite Moguntino præſente redemiſſe aſſererent, Genuenſes verò id in fraudem ſuam fieri non potuiſſe contenderent, Fridericus eam cauſſam deintregrò cognoſci mandauit. ac conuentu perfecto ad exercitum in Roncalias, atque inde Papiam conceſſit. vbi Aduentum Domini celebrauit. Eo anno Gulielmum regem Siciliæ mortuum Gulielmus filius annum quartum decimum agens excepit. qui Boni cognomen à moribus tulit. qui legatis ad Alexandrum miſſis eius ſe, vt beneficiarius, & Catholicus, exemplo maiorum ſuorum, futurum in fide, atque auctoritate oſtendit. Tertio inde Idus Ianuarij Fridericus Laudem repetiit. atque inde, vbi primùm conuenire exercitus potuit, Lombardis in præſens 1167
omiſsis, infeſto agmine ire Romam verſus contendit. Aemilia via iter faciens Mutinam cum veniſſet, Gerardum Rangonum ibi præfecit legatum. Inde vlciſcendæ Bocianæ necis cauſſa in Bononienſium fines tranſgreſſus agrum latè inſtitit populari. neque ante vaſtationis finem fecit, quàm obſides centum, graueimq pecuniæ ſummam dederunt. obſides Parmam in cuſtodias miſsi. Exercitu inde in duas partes diuiſo, vnam per Etruriam Lucam ad Paſchalem accipiendum, & Romam deducendum miſit, cum altera ipſe Ro-

maniolæ fines intrauit. atque ingentem pecuniæ vim populationibus, & maleficiis remittendis ab Imolenſibus, Fauentinis, Foroliuienſibus, & Foropopillienſibus extorſit, atque in iis locis per totam Quadrageſimam manſit. in Marchiam inde progreſſus Anconem, cum ne nunc quidem obtemperaret, iterum oppugnare inſtituit. Quod opus vbi ſe fruſtra tentare ſenſit, ad obſidionem ſe contulit. Dum hæc ab eo in Romania, Marchiaq. geruntur, Italici indignum eſſe, Germanicam vltra pati arrogantiam arbitrati de vindicanda libertate, & fœdere ad eam rem feriendo egerunt. Hi fuere Veronenſes, Vicetini, Patauini, & Taruiſini, qui cum veteribus incommodis conflictati, tum recenti Friderici ſuperbia irritati à virtute ſibi petendum auxilium, quod eius clementia denegauerat, cenſuerunt. Itaque Mediolanenſes, Cremonenſes, Brixianos, Bergomates, Mantuanos, Ferrarienſes, Bononienſes, Mutinenſes, Regienſes, Parmenſes, & Placentinos ex Venetorum auctoritate ſolicitarunt. miſiſq. vltro, citroq. occultè nunciis diem, & locum ad conueniendum, & conſilia de communi ſalute, ac libertate capienda dixerunt. Quibus rebus compoſitis ſingularum legati ciuitatum VII Idus Aprilis ad Puntidenſe monaſterium inter Mediolanum, & Bergomum conuenere. Ibi expoſitis, vt quiſque grauiſsimè, ac criminoſiſsimè potuit, acerbiſsimis Germanorum, quibus ad extrema redacti eſſent, iniuriis, vniuerſi in eam ſententiam conſpirantibus animis deſcenderunt, omnes potius mortis acerbitates perferendas, quàm tantas indignitates vltra eſſe patiendas. Itaque communi conſilio fœdus in hanc ſententiam percuſſerunt, ſe communibus armis libertatem eorum, quos nominaui, ſingulorum aduerſus Fridericum, & præfectos eius defenſuros, mutuaq. ad eam rem auxilia, fide Imperatori data incolumi, ſummiſſuros, atque intra certam diem communibus viribus, atque impenſis Mediolanenſes in antiquum ſolum reducturos, & ad eorum vrbem reſtituendam auxilium allaturos. Ac moderatoribus fœderis conſtitutis, ſuas quiſque domos ad paranda, quæ in rem opus erant, diſceſſerunt. Ibi conſtituta die ſingulæ ciuitates præfectos Friderici per tumultum vrbibus exegerunt. remq. publicam creatis conſulibus veterem rettulerunt. Inde vbi conſtituta inter eos dies venit, ea verò ante quintum Kal. Maias fuit, omnes armati præſto Mediolanenſibus affuerunt, eoſq. veterem in patriam, quanquam deſertam, atque deletam reſtituerunt. & quoniam, vt inquit Choniata, muris eam nunquam ſe munituros iurarant, foſsis, aggeribuſq. ingentibus confirmarunt, ita vt egregiè defendi aduerſus quencunque impetum

hoſtium poſſet. Addit idem Choniata hæc omnia pecunia à Manuele Imperatore ſuppeditata eſſe confecta, qui Friderici potentiæ inuidebat, atque Italicorum aduerſus eum animos irritare non deſinebat. Hac re perfecta cum Laudenſes maximum cœptis ſuis impedimentum allaturos viderent, niſi ad ſuas partes tranſirent, placuit eos de iungenda ſocietate ſolicitare. Id negotium Cremonenſibus propter veterem cum eis neceſsitudinem datum. Cremonenſes miſsis publicè legatis docent, quid actum eſſet, quæq., & quàm opulentę ciuitates conſpiraſſent, & quantas copias breui habituræ pro publica libertate tuenda eſſent; amaſſe ſe ſemper eos vnicè, ac pro eis ſæpe arma cepiſſe, & cum eorum hoſtibus prœlio decertaſſe; cupere nunc quoque pro vetere amicitiæ iure ſe vtiles eis ſocios eſſe. Quocirca magnopere ſuadere, vt & ipſi hoc ſe fœdere illigarent, non Friderico aduerſaturi, ſed communem libertatem aduerſus immanem præfectorum eius impotentiam tutaturi. rogare præterea, ne vnius ciuitatis odio toti Lombardiæ calamitati, atque exitio vellent eſſe. hoc vno merito poſſe cuncta præterita detrimenta ſarciri. non eadem ſemper tempora eſſe, neque æterna inter homines, & maximè vicinos manere odia oportere. Hanc legationem Laudenſes repudiarunt, innumeris ſe obſtrictos beneficiis, ac pluribus adactos ſacramentis Friderico dicentes, vſqueadeo, vt & primos, & ſecundos, qui eadem tentaturi miſsi ſunt, legatos irrito reſponſo dimiſerint. Ob eam rem fœderati, vt qui maximè, incitati communi conſilio arma Laudenſibus inferre ſtatuerunt, vt eos aut metu ad amicitiam adducerent, aut, ſi in ſimultate manere mallent, eorum vires ita debilitarent, vt parum neruorum ad nocendum haberent. Ita III Idus Maias Mediolanenſes, Cremonenſes, Bergomates, Cremenſes, Brixiani, Mantuani, & Ferrarienſes arma conſociarunt, atque exercitum in fines Laudenſium induxerunt. partitisq. inter ſe muneribus intentiore cura vrbem, & terreſtri, & nautico apparatu circunſederunt. poſtridie atrox à Cremonenſibus prœlium eſt commiſſum, tertius inde dies vaſtandis agris, & villis depopulandis abſumptus. Agreſtibus ſub aduentum hoſtium turmatim in vrbem contractis, ſubitò res frumentaria, cui nulla prouiſum erat ratione, defecit. Itaque ciuitate fame repente oppreſſa, & diurnis, nocturniſq. prœliis fatigata, neque ſpe vlla maturi ſubſidij ſuſtentata Laudenſes belli conſilium abiecerunt, veriti, ne, ſi vim vltimam expectaſſent, à Lombardis, & in primis à Mediolanenſibus, quorum ipſi præcipua exitij cauſſa fuiſſent, durius in ſe, acerbiuſq. conſuleretur. Itaque quarto die, qui fuit Idibus Maij,

volunrari ſe fœderatorũ ceſſuros dixere. Quamobrem in ſocietatem his accepti conditionibus ſunt: *Fœderatæ ciuitates agrum Laudenſem ab omnium iniuria tutum præſtabunt. vrbem, ſi bellum ingruet, mille amplius armatis proprijs ſumptibus tuebuntur. muris attollendis, ac conſtruendis auxilio erunt. Mediolanenſes poſthac decimam ab eis non exigent, libera cõmercia à vectigalibus ciuitatum, liberam Padi nauigationem permittent, pacemq. eis à Pontifice impetrabunt. Contrà Laudenſes nemini fœderatorum nocebunt. Venetos, Veronenſes, Vicetinos, Patauinos, Mediolanenſes, Taruiſinos, Mantuanos, Ferrarienſes, Parmenſes, Placentinos, et ſi qui alij huic fœderi ſe adiunxerint, bello, paceq. iuuabunt, ſalua fide Friderico Cæſari data.* Quibus rebus confectis poſtridie à Laude diſceſſum, bellumq. Tricium omne tranſlatum. Hoc enim ſuperioribus annis recuperatum Germani muniuerant, atque altiſsima, quæ adhuc extat, turri firmauerant, ibiq. theſaurum Friderici diligenti cura cuſtodiebant. Arx à Mediolanenſibus, & Bergomatibus non obſeſſa ſolùm acriter, ſed etiam ponte ſuper Abdua fabricato diu valide oppugnata eſt. Contendebant adhuc Romani vetere odio ſtimulati cum finitimis Latij populis; atque ob eam rem, licèt reclamante Alexandro, per menſem Maium Tuſculanos tumultuarijs armis inuaſerant. Præerat oppido Regino homo Germanus, à Tuſculanis, poſtquam à Rogerio rege Apulia deturbatus fuerat, accerſitus. is, cum Alexandro faueret, Romanorum tamen nimia in diripiendo agro ſæuitia exacerbatus Rinaldum, & Chriſtianum ex Nepeſino, Sutrinoq. agro acciuit. Romani acceſsione tanti exercitus haudquam exterriti ſuorum militum numero, quem maximum conſtat fuiſſe, confiſi cum Germanis, Tuſculaniſq. prœlium commiſerunt, verùm primo ſtatim concurſu fuſi, fugatiq. alij in ſyluas, alij in vrbem trepidi refugerunt, duobus millibus ab hoſtibus cæſis, ac tribus in poteſtatem eorum redactis. neque cladem per ea tempora maiorem, quàm hanc ad montem Porcum, acceperunt. Germani inde fortunæ beneficio vſi Albanis, Tiburtinis, aliiſq. ex Campania populis in prædæ ſocietatem accitis, impunè vſque ad vrbis mœnia populationibus, atque incendijs omnia permiſcentes procurrerunt. Quibus ex rebus Alexander vehementer eſt cum tota ciuitate affectus. Fridericus autem hoc nuncio excitatus continuò Anconis obſidionem vſque ad Iunium menſem protractam obſidibus, & pecunia ab Anconitanis exacta dimiſit, ac Lombardorum motus contemnens, vnumq. Alexandrum petens Romam verſus ire perrexit. ac Viterbium progreſſus Paſchalem excepit ab exercitu ſuo eò Luca perductum. Romam inde profectus in Pratis Neronianis

ad Montem Malum conſedit, ac poſtridie perrumpere Vaticanum contendit, neque familiaribus Pontificis armatis ſe ſe obiicientibus potuit. Tulit ægerrimè Fridericus, ſe in tanta rerum Romanarum iniquitate ab vnis Pontificis aulicis ſuburbio eſſe excluſum. Itaque oppugnatione conatu validiore redintegrata pulſis, qui auxilio accurrerant, Romanis Cortinam, vt vocabant, S. Petri cum porticu occupauit, eaque ſubiecto igne ſtatim incendit. Quo facto Romani exterriti alij trans Tiberim abierunt, alii baſilicam, quæ erat rebus omnibus inſtructiſsima, inſederunt. Eo cognito Fridericus circunductis ad baſilicam copiis parietem eius perfringere eſt molitus. Quod vbi aſſequi ſe niſi ſero non poſſe animaduertit, ignem in proxima ædificia intulit. Quo incendio cum baſilica ſenſim afflaretur, qui eam tenebant, metu perculſi deditionem fecerunt, ac Fridericum cum Paſchali receperunt. Id verò vbi ſenſit Alexander, noua re perturbatus extemplo è Laterano in ædes Frangipanum refugit. Poſtridie Paſchalis rem diuinam in templo fecit, ac ſequenti, qui S. Petri feſtus erat, Fridericum iterum cum Beatrice coniuge coronauit. Tum Gulielmus nouus Siciliæ rex, fideli in amicitia, & obſequio Eccleſiæ manens vrbis obſidione comperta de Pontificis ſalute ſolicitus duas ad eum triremes, & ingentem pecuniæ vim, vt ſibi conſuleret, miſit. Alexander pecuniam accepit, eamq. Frangipanibus, aliisq. amicis vrbem tuentibus diſtribuit. triremes cũ duobus Cardinalibus ad Gulielmum remiſit, eumq. quid ſibi in tanta rerum aſperitate capiendum conſilij eſſet, conſuluit. Interim Fridericus legatis ad Romanos miſsis, ſi Paſchalem reciperent, pacem ſe daturum, atque adempta omnia reſtituturum oſtendit. quam cum Romani conditionem datis obſidibus accepiſſent, ſubitò Alexander Gulielmi conſilio nocte intempeſta cum familia ſua exceſsit vrbe, atque Circeios primùm, deinde Tarracinam, tum Caietam delatus, poſtremò Beneuentum acceſsit. Quæ dum aguntur, quod religionem animis Germanorum obiicere potuit, fœda repente comitatum, exercitumq. Friderici peſtilentia per Auguſtum menſem inuaſit, quæ paucis diebus non gregarios ſolùm pleroſque milites, ſed ex ipſa etiam nobilitate præſtantiſsimum quenque abſumpſit. præter ceterós. Rinaldus Colonienſis archiepiſcopus, & Dux Fridericus, Conradi quondam regis filius, inſigni morte ſublati. Qua re Fridericus, vt par erat, permotus, Paſchali Romæ cum præſidio relicto, vrbe diſceſsit, ac Viterbium profectus obſides ibi Romanorum depoſuit. Viterbio inde Lucam, Luca Pontremulum venit. ibi à Pontremulenſibus tranſire prohibi-

tus,

tus, ac duobus millibus hominum in itinere morbi grauitate amiſsis cedere coactus iter ad mare conuertit, ac demum ope Opizonis marchionis Malæſpinæ Papiam III Idus Septembris ægrè peruenit. Interim Germani, qui Tricij à fœderatis obſidebantur, re frumentaria deficiente, & deplorato à Friderico prorſus auxilio deditionem fecerant, ac III Idus Auguſti ipſi cum oppido, & tota pecunia regia in poteſtatem conceſſerant. Quibus rebus Fridericus haud prorſus exterritus coniurationem ciuitatum ad rationem reuocauit, atque eas, quacunque in præſens ratione poſſet, vlciſci decreuit. Itaque poſtridie quàm Papiam acceſsit, aduocata concione omnes præter Cremonam, & Laudem edicto imperiali proſcripſit, ac ſexto pòſt die cum iis, quas habebat, copiis in agrum Mediolanenſem ingreſſus caſtra eorum variè oppugnare inſtituit. ſed fœderatis, qui in præſidio Laudis, & Placentiæ erant, promptum, vt cuique loco opus erat, ſubſidium afferentibus parum profecit. inde in Placentinum tranſgreſſus tectis agrorum incenſis à fœderatis pulſus haud multò meliorem fortunam eſt nactus. Bergomum inde profectus expugnatione oppidi deſperata ſuburbiis concrematis poſtridie abiit, ac demum locis earum regionum aliis, aliiſq. fruſtra tentatis exercitum in hiberna dimiſit. Rebus Friderici in dies magis, magiſq. labentibus fœderati erectiores facti Kalendis Decembris nouo hoc ſacramento ſe deuinxerunt, quod adhuc in tabulario Bononienſium reperitur: *Ego iuro, me adiuturum Venetos, Veronenſes, Vicetinos, Patauinos, Taruiſinos, Ferrarienſes, Brixianos, Bergomates, Cremonenſes, Mediolanenſes, Placentinos, Parmenſes, Mutinenſes, Bononienſes, & omnes homines, & omnia loca, quæcunque hoc fœdere tenebuntur aduerſus omnes homines, qui nobis bellum facere voluerint, aut plus facere imperarint, quàm à morte Henrici regis vſque ad Friderici in Italiam aductum fecerimus, neque alicui fœderatorum proditionem facturum, neque pacem, neque inducias, niſi ex communi conſenſu pacturum, atque hoc ſanè integro debito regi obſequio perfecturum.* Veneti præcipuo ſe ſacramento obligarunt, triremibus per Brentam, Padum, & mare auxilio affuturos. Ea res non ciuitates ſolùm in diuerſa ſtudia traxit, ſed nouas in ſingulis etiam ciuitatibus ſeditionum procellas exciuit, vt alii Eccleſiæ, alii Imperij partes aſſererent. Veronæ quidem Monticuli, & Sambonifacii; Ferrariæ Taurelli, & Adelardi fœda inter ſe factionum certamina ab hoc tempore miſcere cœperunt, ac ciuitates pro potentia ſua modò ad hanc, modò ad
1168 illam partem traxerunt. Initio inde ſequentis anni fœderati Blanderatum oppidum, cuius marchiones in Friderici partes tranſierant,

tantis opibus inuaſerunt, vt Fridericus opem ferre nequiret. Itaque, cum ſe validis Lombardorum conatibus reſiſtere non poſſe animaduerteret, ne ludibrio eis eſſet, Italiam relinquere ſtatuit, ac menſe Martio de poſſeſſione propè Lombardiæ deſperans trans Alpes abiit, fœderatis ipſum hoſtiliter vſque ad iuga Alpium inſectantibus, atque extremum agmen infeſtum habentibus. Blanderatum captum ad vicos quattuor eſt redactum. Galdinus archiepiſcopus Mediolanenſis legatus Lombardiæ à Pontifice conſtitutus præpoſito, & clericis Laudenſis eccleſiæ, qui in partes Paſchalis iurauerant, denunciauit, vt ad Alexandrum verum pontificem ſe conferrent, & nouum, qui Catholicus eſſet, epiſcopum deſignarent, niſi à ſacris arceri, & beneficiis exui vellent. Cuius illi auctoritati, etſi diu magna in vtranque partem conſilij difficultate iactati, ceſſerunt, atque Alberico deſerto Albertum præpoſitum Ripæ Alteſicæ ſubſtituerunt, ipſumq. ingenti gratulatione in vrbem introduxerunt. Friderico profecto Nouarienſes, Vercellenſes, Haſtenſes, Comenſes, Derthonenſes, Opizo marchio Malaſpina, Comites Seprienſes, Belforten ſes, & alij rebus eius in Italia deploratis ad fœderatos ſe contulerunt. Nouis horum auxiliis fœderati firmiores effecti Papienſes, & marchionem Montisferrati, qui Friderici adhuc partes tuebantur, ſtatuerunt adoriri. Vt autem impreſsionem in eos commodius facerent, nouum oppidum inter Haſtam, & Derthonem extruxerunt. idq. ad tempus foſſa, valloq. firmarunt, Mediolanenſibus in primis, ac Placentinis acriter in eius rei ſtudium incumbentibus. atque eò ſubitò ingentem ex proximis ſeptem caſtris populum traduxerunt. ea quindecim millia hominum fuiſſe dicuntur. Conſtitutum eſt etiam, vt in Friderici contumeliam ab Alexandri pontificis nomine Alexandria vocaretur. Papienſes tamen, ceteriq. Imperialis partis ſtudioſi eam aut Cæſaream à Friderico Cæſare appellarunt, aut Alexandriam quidem, ſed ad firmitudinem eleuandam Palearem dixerunt. quo nomine in hunc vſque diem vocatur. Inde tertio Nonas Maij Opizo marchio, Conſules Cremonæ, Mediolani, Veronæ, Pataui j, Mantuæ, Parmæ, Placentiæ, Bononiæ, Brixiæ, Bergomi, Laudis, Comi, Nouariæ, Vercellarum, Haſtæ, & Derthonæ, & Alexandriæ Laudenſi in oppido conuenere, ibiq. conſilio habito ſocietatis iura his conditionibus firmauere: *Ne quis hominum marchioni, aut prædictis ciuitatibus ſubiectorum contractus, aut maleficij nomine alium pro alio iudicio perſequeretur; ne exules reciperentur; ne noua pedagia, & vectigalia exigerentur; nullum pactum contra commune fœdus iniretur. ſi qua ciuitas ius non*

reddidiſſet,

Bononienſibus auxilium poſtularant. Bononienſes opportunè Faventinis irati, quia Sancaſsianum, cui ſe parſuros iurarant, invaſiſſent, haud inviti arma iunxere. Ita ex Conſilij decreto Conſules cum delecto militum robore egreſsi ad amnem Senium tribus millibus ab vrbe diſtantem proceſſerunt. Ibi cum obuios hoſtes habuiſſent, prœlium commiſerunt. Cum per aliquot horas acriter, atque incerto euentu pugnatum eſſet, tandem inclinata re Conſules Bononienſes in fugam ſe dare coacti ipſi cum quadringentis ciuibus in poteſtatem hoſtium peruenerunt. Contra Lucenſes Genuenſibus adiuuantibus prœlio altero facto Piſanos vſque ad Arnum compulere, atque alia inde per Aprilem menſem agro eorum incommoda intulere. Genuæ gliſcentes in dies tumultus inteſtini egregiè noua Conſulum prudentia ſunt compreſsi. Quippe cum in vrbe ſeditio ſæuiret, in agro verò cædes, ac latrocinia ob conſularis deſpectum poteſtatis impunè quotidie patrarentur, Conſules, vt hunc morbum ſanarent, cohortem trecentorum hominum aſciuerunt, & cum valida militum manu in agrum egreſsi quæſtiones de commiſsis maleficiis ſeuериſsimas habuerunt. quoſque admiſsi flagitij conuicerunt, variis eos ſuppliciorum, multarumq. generibus affecerunt. Inde ad vrbana mala coercenda conuerſi, ciues omnes ſacramento adegere, ſe enixè præceptis ſuis obſequuturos. Ceterùm diſcordias componere ciuiles ingreſsis magna eſt illa difficultas obiecta, quòd multi ſingulari ſe certamine prouocarant, neque ſine pugnæ commiſsione in gratiam redire ſaluo honore ſuo ſe poſſe aſſeuerabant. Qua re cognita Conſules huic incommodo ſic ſibi occurrendum putarunt. Quippe aream in platea epiſcopali parari ipſis in ſpeciem pugnatoribus præceperunt, neque interim precibus propinquorum rogantium, ne tantum effundi ciuilis ſanguinis paterentur, ſimulata obſtinatione ceſſerunt. poſtridie verò Conſilium vocauere, atque eò reliquias ſancti Ioannis Baptiſtæ ex conſenſu archiepiſcopi pertulere. Ibi cum eſſent, tum archiepiſcopus, & Conſules certatim ipſos, qui aderant, principes factionum ſummis orare precibus inſtiterunt, vt familias ſuas ſimultatibus, ciuitatem diſsidiis, vrbem cædibus liberarent. condonarent autem iniurias ſuas Conſulibus, condonarent antiſtiti, qui totius nomine ciuitatis orarent. Quod ſi ſe tantò indignos beneficio exiſtimarent, ſaltem beatiſsimi ipſius Ioannis rationem præſentis haberent, qui nobis Chriſtum ipſum humanæ pacis auctorem, & largitorem digito demonſtraſſet. cuius ſanctiſsima præcepta viderent, ne cum ipſius exitio corporis, animæq. ſuæ deſpicerent. Quibus vocibus ipſi

factionum principes victi víſqueadeo iras remiſerunt, vt extemplo lacrymantes oſcula pacis obtulerint, ac ſe redire in gratiam ſuccla-
1170 marint. Exinde Conſulibus debita eſt auctoritas attributa. Poſtero anno, qui fuit milleſimus centeſimus ſeptuageſimus, Fridericus Nataliciis Domini in Alſatia celebratis in Purificatione conuentum habuit Norimbergæ. Ibi abbates Ciſtertienſis, & Clarauallenſis profeſsi ſunt, ſe ad Alexandrum in Italiam profecturos, & res cum eo compoſituros, ſi Fridericus Bambergenſem epiſcopum ſibi concederet ſocium, qui vnus cum Alexandro ex Germanis epiſcopis ſentiebat. Non reſpuit conditionem Fridericus, vt qui Lombardos ab Alexandro deſertos ſe facilius confideret ſubacturum, atque ita omnes ire cum liberis de pace mandatis præcepit. Paſchate inde in Alſatia celebrato Henricum filium, annorum quinque puerum, regem Germaniæ legi, eundemq. per Philippum Colonienſem archiepiſcopum coronari Aquis curauit. Per Italiam ciuitates inteſtinis diſcordiis, atque odiis inexpiabilibus ſæuiere. Bononienſes accepto à Fauentinis incommodo grauius irritati bellum cum captiuorum recipiendorum, tum priſtini decoris recuperandi cauſſa maiore conatu redintegrarunt. & cum cetera accuratius, quàm antè, pararunt, tum carrocium educendum decreuerunt. Erat autem inſtitutum, ne carrocium, niſi decreto Conſilij Generalis, ac Credentiæ educeretur, atque vt ad eius cuſtodiam amplius mille quingenti legerentur, qui in exercitu ab eo non recederent, ac lorica, & ocreis ferreis muniti inſignes inſuper alabardas geſtarent, extra eorum numerum, quibus equi militiæ cauſſa eſſent imperati. Ad ceteras autem conſcriptas copias etiam cohortem validam Lombardorum adiunxerunt ex iis, qui ſuperioribus annis propter magnas continentium bellorum calamitates Bononiam commigrarant. qui cum benignè in vrbem accepti, ac multis officiis culti eſſent, officij contrà & ipſi eſſe ſui duxerunt, vt operam ſuam Bononienſibus offerrent, & ſe carrocio cuſtodes profiterentur. Cum hoc ergo apparatu Conſules Petri Gariſendus, & Aſinellus, & Rolandinus Ramponus vrbe egreſsi ad Pontem Senij, qui nunc ſancti Proculi dicitur, Fauentinorum, vt antè, exercitum inuenerunt. Ibi ardentibus vtrinque animis pugnæ nulla mora eſt facta. Primo concurſu Fauentina ſuperior eſſe acies viſa, poſtremò incumbente acrius Bononienſi mora loco, atque in fugam verſa ad vrbem ſe recepit. Ni Conſules inſidias aliquas compoſito receptui ſubeſſe ſuſpicati ſuos ab inſequendo cohibuiſſent, eodem tum impetu capi Fauentia potuit. Fauentinis in vrbem compulſis, Conſules

exercitum

exercitum mœnibus admouerunt, ac vias omnes, quibus commeatus importari poſſent, obſederunt. Quo facto tantum Fauentinis metum expugnationis iniecere, vt poſt aliquot dies legatos de pace miſerint. Conſules ex Conſilij decreto pacem his conditionibus dederunt, vt captiuos ſine pretio redderent, Rauennatibus ſatisfacerent, ac damna bello accepta reſarcirent. Ita captiuis receptis exercitum victorem cum carroccio reduxere. Ferrarienſes autem Rauennatibus Argentam oppidum ad Padum locatum illatis armis eripuerunt. Florentini item Arretinos armis adorti prœlio ſuperarunt, quoſq. captiuos fecerunt, eos ea lege, ne quando aduerſus ſe arma ferrent, reſtituerunt. Piſani, & Lucenſes terra mutuis ſe caſtrorum oppugnationibus, Genuenſes autem, & Piſani naualibus ſe detrimentis, ac prædationibus variis afflixere. quæ ſigillatim enarrare, propter eorum tenuitatem non huius eſſe videtur hiſtoriæ. Alexander, vbi legatos ad ſe de pace à Friderico mitti audiuit, obuiam Beneuento Verulas venit. atque ibi ſenatu dato Bambergenſem publicè de compoſitione agentem benignè audiuit. verùm cum rationem pactionis haudquaquam è re fœderatorum expedientem videret, re infecta dimiſit. Regino, cum ſe Tuſculi ſuſtinere non poſſe aduerſus Romanos incumbentes videret, oppidum Caliſto, qui ſe pontificem aſſerebat, permiſit. atque eius gratia Montemflaſconem in Etruria cum Germanis, qui eum tenebant, permutauit. Caliſto verò à Tuſculanis, & Reginone à Flaſconenſibus excluſo, Regino ad Alexandrum Verulas adiit, atque ei iura omnia, quæ Tuſculi habebat, dimiſit. Quibus acceptis Alexander Tuſculum petiit, ac præſentia ſua vrbem ab impetu Romanorum ſeruauit. Eodem anno Rauennæ in locum Vidonis mortui Gerardus archiepiſcopus lectus. Sequenti, in 1171
Anglia Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus, vir ſanctus, & innocens obiit. quippè cum ab exilio reductus, in quod ab Henrico rege proiectus iniuſtè fuerat, epiſcopos aliquot regis amicos auctoritate pontificia inſectaretur, à regis ſatellitibus in feſto Innocentum ad aram percuſſus. idemq. ſanctitatem vitæ ingentibus poſt mortem editis prodigiis comprobauit. Henricus, cum eius necis cauſſam in ſe conferri vulgo ſentiret, continuò legatos ad Alexandrum, qui talem à ſe ſuſpicionem auerterent, deſtinauit. Hi Alexandrum Tuſculi conuenere, ac cauſſa regis acta, ab eo, vt legatos in Angliam ad rem cognoſcendam mitteret, petiere. Alexander Cardinales duos decreuit. Pridie Nonas Februarias Sicilia tetro adeo terræmotu eſt agitata, vt ruinarum ſtrepitum Calabri quoque procul audiuerint.

Catanæ tecta omnia ad vnum procubuerunt, ac quindecim hominum millia cum epiſcopo, & monachis variis caſibus ædificiorum oppreſſi ſunt, in agro verò caſtra ſubuerſa. Leontium quoque eodem tremore labefactatum. Multis in locis terra dehiſcens, vt nouos fontes aperuit, ſic veteres nonnullos obſtruxit. mons Aetna aliqua ex parte viſus eſt ſubſediſſe. Syracuſis fons Arethuſæ veterum poetarum carminibus nobilis ex liquido turbulentus effectus ſaporem ſalſum multa maris admiſtione contraxit. Taius verò, qui de crepidine montis iuxta Caſale Sarracenorum manabat, per duas propè horas aquas continuit, deinde per vnam ſanguine fluxit. Meſſanæ mare primùm longè receſsit, deinde paullatim accedens in eam ſe altitudinem extulit, vt portas vrbis inierit. In Italia inter Lucenſes, & Piſtorienſes fœdus ictum eſt aduerſus Piſanos. iurauere Piſtorienſes, ſe ſeruaturos ciuitatem, ciueſque Lucenſes, atque eis in bello, quod gererent, auxilio peditibus, equitibuſq. per viginti dies proprio ſtipendio ſummittendis, futuros, & ſemel quotannis ad eorum arbitrium per menſem vnum centum quinquaginta equites, & ducentos pedites, ac ſagittarios totidem præbituros. Mediolanenſes optato pacis bono fruentes muros vrbis latius protulerunt, templa Sanctorum Ambroſij, Laurentij, Nazarij, & Euſebij comprehendentes, quæ ante vrbis excidium vetere murorum ambitu excludebantur. Conſules propriis impenſis foſſæ emiſſarium cum turri, archiepiſcopus Epiſcopium magnificentiore, quàm antè fuerat, opere ædificauit. Quibus rebus elata ciuitas pœna linguæ propoſita ſanxit, ne quis Friderici nomen in ſermonibus vſurparet, & Comites ſuſtulit, quos ille in caſtris proximis conſtituerat. Fridericus compertis Etruriæ tumultibus, timuit, ne aſſuetudine bellorum gerendorum, & iungendarum ſocietatum Etruſci Lombardos imitati deficerent. ac propterea Chriſtianum archiepiſcopum Moguntinum in Italiam miſit, atque ei, vt Etruriam inuiſeret, & pacatam in fide contineret, præcepit. Is traiectis Alpibus Genuam, atque inde Genuenſium præſidio Lunam, Senaſq. proceſsit. Genuenſes inde, quòd Chriſtianum recepiſſent, in Lombardorum odium incurrerunt, nec propterea annonæ facultatem obtinere ab eis, ſemeſtri conflictati penuria, potuerunt. Eodem quoque anno Genuenſes Bariſonem regem
1172 tandem cuſtodia liberarunt, atque in Sardiniam reduxerunt. Proximo, Chriſtianus omnium Etruriæ ciuitatum legatos Senas acciuit. atque apud eos de concordia agere populorum inſtituit. fuiſſe autem dicitur homo non tam manu promptus, quàm oratione grauis,

& copioſus. Ceteris ſe illius arbitrio remiſſuros iniurias, liteſque dicentibus, Piſani, & Florentini priſtina in pertinacia perſtiterunt. Itaque ambo tanquam communis ocij hoſtes ab eo proſcripti, & beneficiis Imperialibus ſpoliati ſunt. His actis bellum inde Anconitanum decreuit. quod omnium, quæ hoc tempore geſta ſunt, fuit grauiſsimum. Manuel Imperator legatos Anconem miſerat, ſiue vt ſocietatem cum eis iungeret, ſiue vt alia ratione Friderici conatis impedimentum afferret. atque eos Anconitani non ſolum receperant, ſed etiam de percutiendo fœdere pertractantes audierant. Hoc igitur vbi Chriſtianus accepit extemplo exercitum Anconem adduxit,&,vt ſibi legati traderentur, popoſcit. atque illis omnia ſe potius belli detrimenta perpeſſuros eſſe dicentibus, vrbem obſidionis cauſſa militum corona circundedit. Veneti quoque, quibus Græcorum Anconæ imperium magnopere erat inuiſum, Germanis nauale vltro auxilium præbuere, ac ſex triremibus quinque Græcorum cepere. Anconitani terra, mariq. clauſi, cum nihil inueheretur, quod creſcentem in dies leuare inopiam poſſet, in eam neceſsitatem adducti ſunt, vt carnes impuras, & coria aquà mollita comederent, & caput aſini quadraginta denariis emerent. In tanta rerum iniquitate legati concionem aduocarunt, ac populum, vt auxilia accerſeret, monuerunt; populo verò ſtudioſè facturum, ſi ſtipendij facultas ſuppeteret, reſpondente, illi, vt pecuniam mutuam ſumerent, præceperunt, Deum ipſum teſtantes, Manuelem iacturam omnem benignè reſarciturum, pecuniamq. promptè repræſentaturum. His vocibus animati ciues ingentem pecuniam à Comite Gulielmo Adelardo factionis Eccleſiaſticæ Ferrariæ principe, & Comitiſſa Brittonorij vidua fœnore acceperunt, ac magnis conductis copiis, Germanis repugnantibus, commeatus neceſſarios in vrbem intromiſerunt. Quo facto Chriſtianus ab obſidione diſceſsit. Manuel ſummiſſa pecunia damnum omne Anconitanorum cumulatè ſarciuit. Lucenſes caſtrum S. Miniatis, Fuſcanum, Viaregium, aliaq. adorti iuris ſui fecere. Piſani, & Genuenſes mutuis nauium direptionibus inter ſe colludere pertexere. Fridericus rebus Germaniæ hoc etiam anno ita occupatus fuit, vt ab ea deflectere oculos non potuerit. Alexander, cum adhuc Tuſculi eſſet, vrbis, quam tenebat Caliſtus, repetendæ cupidus, Romanis eſt pollicitus, ſe, ſi in vrbem reciperetur, rerum ſacrarum procuratione fore contentum. atque vltero reliqua remiſſurum. verùm præualente Caliſti, id eſt Imperialium, factione, ne hoc quidem potuit impetrare. Ibi XV Kal. Nouembris monaſterium S. Iuſtinæ

Patauinum in clientelam recepit. Tuſculo inde Signiam profectus eo in loco legatos ſuos ex Anglia reuerſos excepit. Cum illi legationem renunciarent, in primis ingentia, quæ ad ſepulturam Thomæ archiepiſcopi quotidie edebantur, miracula retulerunt. qua re percitus Alexander Thomam Sanctorum in numero collocauit. atque illius
1173 ab Anglis coli Natalicia iuſsit. Poſtero, Fridericus rebus domeſticis poſt multos annos compoſitis, ac re pecuniaria per ocium conſtituta, ſigna demum haudquaquam obſcura dedit, cupere ſe eos, qui aduerſus ſe in Italia coniuraſſent, vlciſci. Quoniam verò vehementius Bononienſibus, Mutinenſibus, & Regienſibus eſſe videbatur iratus, moderatores fœderis, Chriſtiano bellum in Ducatu Spoletano gerente, conuentum Mutinam indixerunt, vt de tuenda ſocietate, deq. ſuſtinendi belli rationibus conſultarent. Quod cum Alexander comperiſſet, legatos eò duos Anagnia, (nam eò ſe Signia paullo ante contulerat.) Hildebrandrum Craſſum epiſcopum Mutinenſem, & Albergonum, Cardinalem vtrumque, miſit. qui iuſſu eius ita verba fecerunt: *Non debere eos vereri, quin, ſi opus foret, arma primo quoque tempore pro ſua, atque Eccleſiæ ſalute, ac libertate reſumerent. Falli enim, ac vehementer errare, ſi quis crederet, Friderici animos, atque opes eas eſſe, quæ extitiſſent. cui enim non apparere; feroces eius ſpiritus vna cum ipſa ætate iam ſeneſcere incœpiſſe. atque vt in diuturno morbo vires eius domeſticis detrimentis afflictas magna ex parte contabuiſſe? ſine dubio, ſiquid ſuperueniſſet incommodi, ipſum non ſolum de Imperio, ſed etiam de ſalute dimicaturum. Si Itali priſtinæ libertatis memores virtutem in bellum, & conſtantiam attuliſſent, pro certo habere debere, & Deum ipſum cauſſam ſuam præſenti, vt ſæpe, numine adiuturum. neque enim verius vetus illud eſſe, Fortes fortunam adiuuare, quàm hoc nouum, Deum Eccleſiam ſuam, fautoreſq. Eccleſiæ non deſerere.* Quibus vocibus incitati moderatores VI. Idus Octobris duo ſacramenta iurarunt; vnum, ſe conſtanter ſocietatis in fide perſtituros, alterum, ſe Alexandrinos, & Lombardos inter Parmam, ac Bononiam ſitos pro viribus tutaturos. Prioris verba in Actis Mutinenſium extant in hunc modum: *Obſeruabo fœdus ictum inter ſocios Lombardiæ, Venetiarum, Marchiæ, &, ſi hoc ſacramentum ſuſceperit, etiam Romaniæ. Si quis ad Fridericum ſe contulerit, pro viribus vrbe mea eijciam, agroq. eius vaſtationem inferam, priuatim neque cum eo paciſcar, neque ad eum ſcribam, neque ad filium eius.* Hoc iurarunt Conſul, idemq. moderator Brixiæ, Placentiæ, Mediolani, Parmæ, Mantuæ, Regij, Mutinæ, & Bononiæ. Idem iurarunt Cremonenſes aliis ciuitatibus, & ipſæ inter ſe, exceptis Cremenſibus. Illi verò Cremonenſibus ſe

obligarunt.

obligarunt. Item iurarunt, ſiquis caſtrum Cremæ, aut arcem aliquam inter Abduam, & Ollium extruere vellet iniuſſu Conſulum, aut Credentiæ Cremonæ, qui tum erunt, ſe Cremonenſibus ad eam demoliendam affuturos, & bellum ea de cauſſa ſuſcepturos arbitrio Conſulum Cremonenſium, & ſe hanc pacem ad annos XL ſeruaturos, ac decimo quoque inſtauraturos. Poſterioris iuriſiurandi verba in Tabulario Bononienſium hoc pacto ſcripta ſunt: *Iuro, me equites, & pedites pro defenſione Alexandriæ imperatos daturum, multamq. impoſitam ſoluturum, & expeditionem obiturum arbitrio moderatoris Mediolanenſis, Placentini, Brixiani, & Veronenſis. & arma laturum aduerſus eos, qui oppugnabunt Bononienſes, & Lombardos inter Parmam, & Bononiam ſitos arbitrio moderatorum Cremonæ, Bononiæ, Mantuæ, Parmæ abhinc vſque ad Quadrageſimam, ita tamen, vt proxima quæque ciuitas equitatum, & peditatum ſummittat. &, ſi Parmenſibus, Mutinenſibus, Mantuanis, aliorumq. agris ab Imperatore, aut legato eius vaſtatio, aut obſidio inferetur, auxilio affuturum.* Definitum eſt etiam, quot in quæque præſidia ſagittarios ſinguli dare deberent. Eodem anno Genuenſes domeſticis vicinorum populorum tumultibus exciti aduerſus eos caſtrum Villæ francæ conſtituerunt, nec Piſanos prædationibus premere maritimis deſtiterunt. Poſtero, Alexander Bernardum abbatem Clarauallenſem monachorum Clarauallenſium precibus fatigatus, ac Bernardi ſanctitatis pia recordatione compulſus in numerum Sanctorum aſcripſit. atque hac de re litteras Anagnia XV. Kal. Februarias dedit ad proceres Gallicanæ eccleſiæ, regem Franciæ, abbates Ciſtertienſis ordinis, & Clarauallenſis, quæ extant. Chriſtianus, cum exercitum ex Marchia in Ducatum Spoletanum duxiſſet, Interamnam in partibus Eccleſiæ ſtantem expugnauit. eamq. magna ex parte ſubuertit. Inter Florentinos, & Senenſes nouum bellum exarſit. cuius cauſſam caſtrum præbuit Axiani. quod vterque ſibi populus inſita cupiditate dominationis aſciuit. Cum verò vtrinque non minus parati, quàm irati exercitus concurriſſent, Senenſes magno victi prœlio diſceſſerunt. Romaniæ aliquot populi à fœderatis ſolicitati, & ipſi in fœderis communionem venerunt. Fridericus autem de Italorum conſpirationibus, atque apparatibus monitus ingenti dolore exarſit: *Enimuero tantam inſolentiam æquo haud eſſe animo tolerandã. Si leuiter, atque indulgenter agatur, breui tota ſibi Italia fore cedendum. Si Lotharius, & Conradus acriores ſe, & promptiores in Italiæ coercenda ferocia præbuiſſent, haudquaquam ſibi tantum ad eam retinendam laborum fuiſſe, ac periculorum exhauriendum: Italiam hydra inſtar eſſe. exciſo Mediolano, quod rerum caput*

1174

eſſe videbatur, ſubitò Alexandriam, & Bononiam effudiſſe. nimirum igne non ferro domari oportere. ſi id fecerit, vt labore, ſic gloria, Herculem æquaturum. Agendum igitur, atque collatis omnibus Germanici regni viribus coniurantes populos ad gloriam, & conſeruationem Imperij contundendos. His cogitationibus excitatus ſummo inde ſtudio res conſtituere Germaniæ maturauit. ac traducto toto ad vindicandam Lombardorum contumaciam animo militares delectus maximos habuit. atque omnia ad grauiſsimum bellum gerendum neceſſaria comparauit. inde III. Nonas Septembris Henrico Duce Saxoniæ, Henrici Ducis Bauariæ filio aſſumpto, per montem Ciniſium in Italiam tranſgreſſus terrore, ac fuga omnia occurrentia loca permiſcuit. ſiquidem conſtabat inter omnes, Fridericum nunquam aliàs neque infeſtiorem, neque inſtructiorem exercitum in Italiam induxiſſe. vt qui & acerbiſſimis iniuriis irritatus fuiſſet, & Lombardorum coactas in vnum opes non niſi firmiſsimis frangi viribus poſſe, re ipſa proximè didiciſſet. Seguſio primam impreſsionem excepit. ea, cum imperium Eccleſiæ ſtudio detrectaret, euerſa eſt. Haſta inde metu expugnationis exterrita haud ægrè conceſsit in ditionem. Cremonenſes, Derthonenſes, & Comenſes conſpectum inimici ferre Imperatoris non potuerunt, ac fœderatis ciuitatibus relictis ad eum extemplo ſe retulerunt. Ille autem huius belli rationem hoc modo diſpoſuit. Chriſtianum archiepiſcopum cum ſuo exercitu ex Vmbria ad oppugnandam accedere Bononiam iuſsit. ipſe cum ſuo ſibi premendam Alexandriam ſumpſit, nimirum exiſtimans, diductis in duas longè diuerſas partes hoſtium copiis, vires eorum ad reſiſtendum fore infirmiores. Eodem igitur tempore Chriſtianus in agrum Bononienſem duxit, atque ipſe exercitum Alexandriæ admouit. Chriſtianus infeſtis hibernis, ac fœdis direptionibus hiemem in agro Bononienſi traduxit. Fridericus Alexandriam aggreſſus omni ope oppugnare inſtituit. Itaque cum medio Octobri aſsiduis per quatruor dies imbribus effuſus ſuper ripas Tanarus latè circum loca omnia reſtagnaſſet, conſtanter tamen in opere oppugnationis permanſit, ac fortiter ſæuientium etiam aquarum, quibus propè obrutus eſt, tetram luctationem ſuſtinuit. ad extremum, vbi ſe vi potiri non poſſe animaduertit, exercitu circumfuſo obſidere incœpit. ac tabernacula ad continuandam per hibernum etiam tempus obſidionem locauit. Neque verò fœderati duriſsimis Alexandrinorum temporibus defuere. Quippe Mediolanenſes copiis ſociorum aſſumptis carrocium Alexandrinorum auxilio eduxere, ac caſtra aduerſus Fridericum inter Claſtidium, & Vocheriam poſuere.

Hoc Fridericus ferre non potuit. Itaque iracundia elatus aduerſus eos proceſsit, ac prœlio extemplo conflixit. verùm acie pulſus vix incolumis Claſtidium ſe recepit. Ei prœlio Mediolanenſes, Placentini, Brixiani, & Veronenſes cum ſuis quiſque carrociis affuere. Interim res neceſſariæ Alexandriam ad ſuſtinendam hiemem ſupportatæ. Fœderatis inde domos ſuas quoque profectis, Fridericus per hiemem in Alexandriæ obſidione propè obſtinatè perſeuerauit, Alexandrinis omnia incommoda non minore conſtantia perferentibus. Ineunte inde vere Mediolanenſes, & Fridericus occulta conſilia, illi liberandæ, hic occupandæ Alexandriæ inierunt. Mediolanenſes, vt Fridericum ab obſidione Alexandriæ dimouerent, Papiam aggredi, quæ haud magno admodum tenebatur præſidio, ſtatuere. ac fœderatorum auxiliis aduocatis pridie Paſchatis in agrum Papienſem ingreſsi Bronum, & Sannazarium diruere. poſtridie verò vrbi exercitum admouere, eamq. confluentibus in dies fœderatorum copiis acriter oppugnare cœpere. Ex altera verò parte Fridericus per multos antè dies opus laborioſiſsimum inſtituerat. quippè cuniculum in vrbem tanto ſilentio egerat, vt non modò id ſentire, ſed ne ſuſpicari quidem quiſquam poſſet. verùm aperire vſque ad Paſchatis noctem diſtulerat, ratus, propter ſolemnem ſequentis diei religionem eo tempore Alexandrinos ab omni belli cogitatione fore auerſos. Vbi verò nox illa aduenit, ducentos ſtrenuos viros in cuniculum immiſit, eoſq. concubia nocte patefacto cuniculi oſtio in vrbem erumpere, ac ſtationibus portarum oppreſsis exercitum introducere iuſsit. Verùm conatus eius caſu prorſus ad irritum cecidit. Nam Alexandrini de re per excubitores nocturnos admoniti ad arma conſurrexerunt, atque egreſſos cuniculo milites per tenebras noctis adorti ſtatim fœdè contrucidarunt. cuniculoq. obſtructo ſub lucem ex portis effuſi caſtra Friderici, quæ oppidi inſtar rebus omnibus erant refertiſsima, repente ipſo nec opinante inuaſerunt, ac præda ingenti potiti caſtellum ab eo conſtructum ipſi vrbi imminens deleuerunt, atque ipſum demum Imperatorem fuga ſibi conſulere coegerunt. Is Claſtidium primùm, deinde traiecto Pado in agrum ſe ſe Papienſem recepit. ac caſtra aduerſus fœderatos ad Montembellum locauit. atque eò Piſanos, Lucenſes, Genuenſes, Florentinos, & Senenſes acciuit. &, quòd diſcordias eorum parum ſibi in præſens idoneas eſſe putabat, ad concordiam, pacemq. adduxit. Genuenſibus dimidia pars Sardiniæ eſt addicta, propter quam diu cum Piſanis fuerat decertatum. His cognitis Alexander honoris gratia epiſcopum Alexandrinis conceſsit, con-

1175 (margin, beside "Ineunte inde vere")

tumeliæ

tumeliæ verò cauſſa epiſcopum Papienſem Crucis, & palij dignitate priuauit. Cum autem Fridericus apud Papiam propè à Lombardis obſeſſus ſederet, magna rerum, conſiliorumq. difficultate afficiebatur. Videbat enim, vires hoſtium rebus bene cedentibus in dies magis augeri, ſuas verò ad cætera incommoda domeſtica etiam caſtrorum ſeditione imminui. Quippe Henricus Dux Saxoniæ religione tactus, ac pontificia, vt præ ſe ferebat, deteſtatione deterritus ab eo diſceſsit, ac ſecum magnam Germanorum partem abduxit. Quo facto Fridericus attonitus ipſum vſque ad lacum Comenſem eſt ſubſequutus. atque ibi propè ad genua accidens obteſtatus eſt, ne ſe, remq. publicam in tanta rerum iniquitate deſereret. neque aſperiora in ſe ipſe fratris filius ederet, quàm communis nominis hoſtes Itali exoptarent. Quod cum ille firmato ad diſcedendum animo concedere noluiſſet, Fridericus in caſtra reuertit. Hac re cognita Cremonenſium Conſules, qui ſe à belli communione auerterant, pacis ſequeſtres profeſsi verba de concordia intulerunt. Cuius mentionem neque Fridericus, neque Itali reſpuere, verùm vtrique litteris ad Conſules Cremonenſium miſsis rem eorum arbitrio permiſere. Itaque ſextodecimo Kal Maias, vt in Actis Mutinenſium reperitur, in agro Papienſi apud Montembellum inter caſtra Friderici, & Lombardorum res ita conuenit, vt tres viri à parte Friderici, totidemq. à parte Lombardorum legerentur, qui inſpectis litteris miſsis à Friderico, & Conſulibus ciuitatum fœderatarū ad Conſules Cremonæ de pace, & concordia inter Fridericum, & fœderatos concilianda iurarent, ſe bona fide concordiam inter Fridericum, & fœderatos compoſituros, & ſe ex vtriſque litteris, quæ ſuperuacanea, & abſurda viderentur, dempturos, & quæ neceſſaria, atque idonea, ſuppleturos, atque intra Idus Iunij arbitrium pronunciaturos. quòd ſi concordes non eſſent, vt cuncti Conſules Cremonæ arbitrium intra dies quindecim ferrent. qua re perfecta Fridericus pacem cum omnibus oſculo interpoſito inſtitueret, quam deni ex ſingulis ciuitatibus à Friderico nominati ratam fore iurarent. Quibus rebus tranſactis fœderati legatos legerunt, qui omnium nomine pacem acciperent, Icilinum à Romano, & Anſelmum à Douaria, quorum ille crudelis Icilini, hic Boſonis Cremonenſium principis, fuit pater. Poſtridie Vbertus Clementus Conſul Papiæ pro omnibus collegis ſuis iurauit, ſe inducias cum Alexandrinis pactas vſque ad Idus Iunii ſeruaturum. In eiſdem Actis ſcriptum eſt, Fridericum Icilino, & Anſelmo poſt pacem oſculo interpoſito reddidiſſe. Ceterùm Blondus hanc non pacis, ſed induciarum

pactionem appellat. induciis verò conſtitutis cœptum inde agi de pace eſſe, atque in eam rem Fridericum Papiæ conuentum habuiſſe. Ibi verò Cardinalibus tribus Alexandri nomine bona Eccleſiæ, & Lombardorum legatis iura ciuitatum proxima repoſcentibus, & Friderico concedere abnuente rem conuenire non potuiſſe. Cardinales Anagniam, legatos domos quenque ſuas re infecta reuerſos. Dum autem hæc geruntur, Chriſtianus, vt aditum Tuſcis in agrum Bononienſem aperiret, Sancaſſianum oppidum, quod VIII Idus Februarias Bononienſes trecentorum militum præſidio confirmarant, ſibi expugnandum ſuſcepit. atque ita Imolenſium, & Cæſenatum auxiliis ſeptus eò acceſsit. Verùm cum ipſum à Prendiparte Conſule Bononienſi cum trecentis equitibus, totidemq. peditibus teneri reperiſſet, difficiliorem, quàm putarat, oppugnationem nactus locum inſtituit obſidere. Interea à fœderatis ciuitatibus auxilia miſſa aduenerant, à Mediolanenſibus equites trecenti, à Veronenſibus, Brixianis, & Placentinis ſingulis totidem, à Parmenſibus quadringenti, à Ferrarienſibus ducenti quadraginta, à Regienſibus, & Patauinis ſingulis duceni, à Mutinenſibus centum, à Sophia comitiſſa Veronæ ſexaginta. Ad hæc montani euocati, & omnium, qui arma ferre poſſent, numerus ingens conſcriptus. Cum his omnibus copiis Bernardus Vedrana, & Petrus Gariſendus conſules auxilio eorum, qui in caſtro Sancaſſiani obſidebantur, profecti. Eorum aduentu cognito Prendipartes haud ſibi dubitandum putauit, quin eruptionem in hoſtem faceret, eumq. ancipitis prœlij fortuna perterrefactum obſidionem ſoluere cogeret. Neque aliter, quàm exiſtimarat, euenit. Nam eruptione repente facta Chriſtianus, ne circunueniretur, veritus non ſine aliquo exercitus ſui detrimento caſtra inde mouit, atque ad Caſellarum pagum ſe retulit. Conſules Sancaſſianum, ne ibi habendum præſidium eſſet, denuo ſuccenderunt, ac Bononiam verſus copias reduxerunt. In itinere autem equites quoſdam, quos prædatum Chriſtianus immiſerat, auidius inſequuti, cum ad Claternæ vicum veniſſent, repente præter opinionem ab equitatu Chriſtiani opprimuntur, quem ille in ſyluis quibuſdam inſidiarum cauſſa poſuerat. Ibi quanquàm fortiter pugnantes vſque ad Idicem amnem ſe receperunt, multi tamen in poteſtatem hoſtium peruenerunt. Chriſtianus caſtrum Medicinæ occupauit, & vico Vetranæ exuſto, turriq. vicanorum diruta, cùm quidquid inter caſtrum Brittorum, & pagum Ozanum, & Picciocaluum erat, villis omnibus incenſis, vaſtaſſet, caſtra ad Idicem poſuit. atque

interim inducias ad Papiam tranſactas eſſe audiuit. Ceterum re compoſita Fridericus exercitum ſtudio patriæ reuiſendæ flagrantem domum dimiſit, atque ipſe per montem Iouis auxilio Nouarienſium, ac Taurinatium in Burgundiam multis afflictatus incommodis tranſiit. Inde tranſgreſſus in Germaniam Henricum de maieſtate reum coram iuſsit adeſſe. Cum quidam principes negarent, Henricum Ducem, niſi in finibus ſuis, iudicari ab rege poſſe, ſurrexit nobilis quidam, qui quocunque Imperij in loco iudicium conſtitui de eo licere aſſeruit, idq. ſingulari ſe certamine probaturum, denunciauit: nemine autem ſe ſe certamini offerente, Fridericus Henricum ſententia lata damnauit, ac Ducatum eius Noricum Othoni, Saxoniæ Alberto attribuit. ac mox ſe ſe in Italiam rettulit, vxoreq. Comi relicta Papiam progreſſus bellum poſt exactas inducias redintegrare conſtituit. atque ob id occultè exercitum ſuum è Germania euocauit. Eodem anno Villelmus marchio Montisferrati, Villelmi marchionis filius, cognomine Longaſpatha à Balduino rege Hieroſolymitano, & cunctis regni proceribus aduocatus, Hieroſolyma prodiit, & ſororem regis cum Ioppe, & Aſcalona maritimis vrbibus nomine dotis obtinuit. Fuit princeps ea ætate in Italia nobiliſsimus: quippè cuius pater Philippi regis Franciæ eſſet auunculus, mater verò Conradi regis ſoror fuiſſet, ac Friderici Imperatoris amita eſſet. Eodem anno Parmenſes rem à Conſulibus ad prætorem Nigrum Craſſum Mediolanenſem traduxerunt, atque eo auctore carrocium conſtruxerunt. Alexander Ricardum archiepiſcopum Cantuarienſem Anagniæ conſecrauit. Mediolani Galdinus archiepiſcopus, vt hæreticos quoſdam tum præter ſolitum vehementer in vrbe furentes compeſceret, in ædem ſanctæ Teclæ ſe contulit, &, quoniam ipſe effœtis ob ſenium viribus erat, Algiſium Pirouarium Cimiliarcham rem pro ſe diuinam facere iuſsit. ac mox confeſsione ritè cum fratribus obita ambonem ante Euangelij recitationem aſcendit, ac multis verbis frequenti audiente populo hæreticorum confutare errores inſtituit. Verùm inter agendum viribus, animoq. deficiens corruit: exceptusq. à fratribus in eodem loco poſt ſacra perfecta magno cum omnium deſiderio expirauit. Comitiis inde nouo creando antiſtiti inſtitutis pars cleri archidiaconum, pars archipresbyterum legit. Cum autem tale diſsidium concordiæ ciuitatis rei eo maximè tempore ſalutari videretur obfuturum, tandem communis omnium conſenſu Algiſius Cimiliarcha eſt ſubſtitutus. Gulielmus autem Gerardo archiepiſcopo
1176 Rauennati ſuffectus. Initio ſequentis anni cum Friderici exercitus

in Italiam Alexandriæ exitio diceretur eſſe venturus, fœderatorum moderatores denuo conuenerunt, ac per menſem Ianuarium nouo hoc ſe iureiurando inter ſe deuinxerunt: *Iuro, me recturum ciuitates huiuſce ſocietatis ad defenſionem Alexandriæ, neque pacem, neque inducias cum Friderico, aut filio, aut vxore eius facturum. &, ſi exercitus eius in Italiam venerit, pro viribus exacturum, & res, atque homines ſocietatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ ſeruaturum, atque Opizonis Marchionis Malaſpinæ. Iuro etiam, me acerbum bellum Friderico, & filio eius facturum, Marchioni Montisferrati, Comitibus Blanderati, alijsq., qui ſunt, aut erunt in parte Imperatoris.* Ceterùm filius Friderici, de quo loquuntur, Henricus fuit, rex Germaniæ, vt ſupra diximus, deſignatus. qui cum annos vndecim eſſet natus, facilè, quam ætatem agere Fridericus, & Otho poſt eum nati potuerint, ideſt quàm minimè rebus gerendis idoneam, viderint ij, qui Othonem ante hæc tempora prœlio nauali cum Venetis conflixiſſe ſcripſerunt. Crebreſcente inde de aduentu exercitus Friderici rumore fœderati rurſus conuenerunt, atque eum conuocatis in vnum omnibus ciuitatum opibus accipere ſtatuerunt, firmo animi decreto, aut deleto Friderico ab duro ſe Germanorum imperio in perpetuum vindicare, aut accisis viribus æternum ſeruitutis iugum non recuſare. Mediolanenſes autem, quibus prima ipſius imminere belli tempeſtas videbatur, inuſitatos etiam ſibi adhibendos apparatus putarunt. quippè cohortes firmiſsimas duas ſcripſere, vnam nongentorum lectiſsimorum militum, qui à morte nomen inuenere, quòd antè mori, quàm hoſti in acie cedere coniurarent: alteram trecentorum fortiſsimorum iuuenum, qui carrocium armati cuſtodirent, neque hoſtes impunè inſultare permitterent. Decreuerunt etiam, vt omnes ciues in ſuas quiſque tribus diuiſi, & ſub verſicoloribus ſignis inſtructi exirent afflictæ patriæ aut extremum exitium, aut glorioſam victoriam relaturi. Eundem verò ceteri pro ſe quiſque populi ad cauſſam animum attulerunt. neque enim poſt Italiam diris exterorum impreſsionibus afflictatam tempus vllum extitit, in quo Itali veterem Romanæ virtutis, & conſtantię indolem haud prorſus in animis exoleuiſſe ſuis, apertius declararint. Exercitus inde Friderici omnibus rebus inſtructiſsimus menſe Maio in Italiam tranſiit. atque ei Fridericus ex Papienſi agro ſolis Papienſibus, & Comenſibus ſeptus occurrit, eoq. recepto ad vicum agri Seprienſis, nomine Lignanum proceſsit, eo animo, vt, ſi poſſet, Mediolanum iterum expugnaret. Quod vbi Mediolanenſes cognouerunt, occurrendum antè, quàm caſtra propius admoueret, rati,

IX Kal. Iunias cum carrocio eo, quo dixi, ordine, ſociis adiuuantibus, exierunt. atque inde ad Fridericum progreſsi tertio Kalendas prœlium fortiſsimè commiſerunt. Is erat dies, quo Sanctorum martyrum Siſinij, Martyrij, & Alexandri Natalicia colebantur. Cæterùm ante congreſſum exercituum tres columbæ ab ipſorum Martyrum altari auolauere, ac mirifico viſu in malo ipſius Carrocij conſedere. quo augurio accepto Mediolanenſes victoriam incertis animis ominati maiore ſtudio, atque alacritate prœlium inierunt. Ceterùm collatis caſtris Germani tanto ſe in eos impetu intulerunt, vt præcipites ad carrocium vſque compulerint, atque ex eo vexilla ipſa detraxerint. Ibi verò redintegrata per trecentos iuuenes pugna vtrinque fortiſsimè dimicatum. Nongenti autem annitentibus ceteris vires interim, atque animum collegere, ac ſeſe aperto, vt decreuerant, periculo deuouentes valida impreſsione facta Germanorum aciem impulere, & ſignifero Imperatoris occiſo, vexillum aquilæ in poteſtatem adduxere. Fridericus, vbi ſuam inclinantem aciem ſenſit, nulli labori ad eam ſuſtinendam pepercit, in appellandis, cohortandiſq. militibus ducis, in conſerenda manu militis officia præſtans. Dum autem modò in hac, modò in illa parte inclamat, ſolitam in prœliis ſuorum conſtantiam aduerſus rebellantes turpiter Italos repetens, ab Italo, qui conferta in acie ſtans verbi ferre contumeliam nequiit, equo ſtrenuè ſoffoſſo deiicitur. Qui caſus optatam Italis victoriam præbuit. Nam Germani amiſſa aquila Imperatorem, quia non extabat, cecidiſſe inſuper arbitrati in fugam ſe pauidi coniecerunt. nec ſolum campum, in quo pugnabatur, ſed etiam caſtra, quibus ſe tueri magna ex parte poterant, opulentiſsima reliquerunt. atque ignoratione locorum ad oppida inimicorum delati partim capti, partim occiſi ſunt, multi etiam Ticinum tranare amnem volentes cæcis eius gurgitibus hauſti. Eo prœlio deſiderati ex Germanis, & capti multi, ſed ex Papienſibus, & Comenſibus plurimi. Mediolanenſes caſtris captis prædam ingentem pepererunt, ac clariſsimo cum triumpho in vrbem ſe retulerunt. Victoria omnibus rebus, quibus effuſa ſignificari lætitia ſolet, celebrata. &, cum ſe præſenti trium Martyrum auxilio ex propicio trium columbarum augurio viciſſe opinarentur, is dies in perpetuum ciuitati feſtus decretus. Fridericus ab vxore Comi, vt mortuus, comploratus poſt quatriduum præter ſpem omnium incolumis Papiam acceſsit, ac Chriſtianum cum exercitu ex agro Bononienſi exciuit. qui prœlio paullo ante ad Medicinam commiſſo Bononienſium copias fuderat, ac multos captiuos eorum fecerat.

Hæc Friderici clades finem tandem diuturnis Lombardiæ calamitatibus attulit, ac veræ pacis cum Pontifice, & fœderatis ciuitatibus componendæ occaſionem aperuit. De qua, prout in locupletiſsimis ſcriptorum veterum commentariis inueni, exponam, ſi prius quid Sabellicus ex Venetorum ſcriptis rettulèrit, aperuero: *Externi ferè omnes*, inquit, *ex condicto hinc Alexandrum, inde Fridericum Venetias veniſſe aiunt, vbi de pace ſit actum. Veneti annales, & omnes domeſtici ſcriptores, & ex externis vnus Obbo Rauennas ignoto habitu Alexandrum Venetias delatum memorant, & diſsimulata perſonæ, quam gerebat, magnitudine tandiu humili habitu ad publicam Caritatem latuiſſe, quoad certo indice, à quo iam antea fuerat cognitus, palam, quis eſſet, ſit factum. Sunt qui tradant, ad ſordidum culinæ miniſterium, vt occultius lateret, ſe vltro demiſiſſe. Eo verò agnito à Ziano principe, & patribus in magno honore habitus eſt, & in Oliuolenſi conſtitutus. Ceterùm a Friderico cum minis repetitus, nec redditus materiam illi præbuit terra, & mari ſæuiendi in Venetos. Nam Othonem filium cum claſſe miſit aduerſus eos, quem Zianus occurrens in Iſtria ad Salbonium promontorium profligauit, ac captum Venetias duxit. Is demum ad patrem permiſſu Venetorum profectus pacem Alexandro pontifici impetrauit.* Inde paullo poſt ſubiicit: *Sed hæc non eò tendunt, vt pro confeſſo habeam, quod à multis variè traditur, neque meam fidem in his obſtringo, ſed an locum præterire debuerim, præſertim cum res Venetorum ſcriberentur. verùm damnant inuidi factum, quod ſi à me eſſet prætermiſſum, multò audacius carperent. Non poſſum tamen non mirari, quòd in Ziani Ducis ſepulchro tam inſignis victoris nulla ſiat mentio.* Hæc Sabellicus. Nos autem ex ipſis rerum, quæ apud ſingulas ciuitates inſpeximus, Actis, grauiſsimiſq. vt dixi, aliorum ſcriptorum monumentis, hoc modo rem geſtam eſſe accepimus. Fridericus accepto ad Lignanum detrimento, rei pecuniariæ inopia, hoſtium coniuratione, & ingraueſcente in dies ſuorum defectione permotus, mitiora poſthac cogitare, & ad ſynceræ pacis conſilia animum inclinare inſtituit. Occupatum autem his cogitationibus animum facilè impulere ſummi viri, & ſumma apud eum auctoritate præditi, qui bellum hoc non cum homine, ſed cum Deo geri identidem admonentes, ac præterita, & præſentia incommoda ex hoc fonte fluxiſſe omnia ſuadentes, vt de pace legatos ad Alexandrum mitteret, peruicerunt. Miſſa eſt igitur ſplendidiſsima legatio, cuius princeps erat Chriſtianus archiepiſcopus, vt in vetere Chronico rerum Moguntiacarum legitur à Conrado epiſcopo ſcripto. Hic Alexandrum Anagniæ conuenit, eiq. rite adorato nouum animum, nouamq. mentem Friderici expoſuit. iam irarum ætatis æſtu conceptam

omnem deferbuiſſe, iam ipſum præteritorum omnium pœnitere, ac veniam, pacemq. ab eo ſupplicem, vt à vero, atque catholico Pontifice, poſtulare. Ea oratione lætatus maximopere Pontifex, quæ tempori conuenire ſunt viſa, reſpondit. in primis ſe bonam eius voluntatem accipere, ac petitioni eius aſſentiri. verùm, quoniam in hoc bello duplex cauſſa agatur, vna Dei, quam ille iuſto oppugnando Pontifice oppugnarit, altera Siciliæ regis, & Lombardorum, quos ille ſua cauſſa bello vexarit, ſe non eſſe gratiam illi ſuam reſtituturum, niſi ille regi, & Lombardis ſuam reddiderit. Quo reſponſo ad Fridericum delato mox per vtriuſque partis ſequeſtres de ratione concordiæ componendæ agi eſt cœptum. Reſq. variis poſtulatis vtrinque ferendis iactata tandem pridie Kal. Auguſti ita conuenit, vt Alexander Friderico pacem, Fridericus Alexandro pacem in perpetuum, Gulielmo Siciliæ regi ad quindecim annos, Lombardis inducias in ſexennium daret. Pacis tabulæ, prout nunc etiam Anagniæ conſeruantur, hæ fuerunt: *Fridericus Imperator Alexandrum pontificem in Catholicum, & vniuerſalem Pontificem recipiet, ac debitam ei reuerentiam adhibebit, perinde ac catholici ipſius anteceſſores catholicis eius anteceſſoribus præſtiterunt, eandemq. ſucceſſoribus eius catholice ineuntibus exhibebit. Reddet veram pacem Alexandro, & omnibus ſucceſſoribus eius, & vniuerſæ Romanæ Eccleſiæ. Quæcunque poſſidet, aut tenet ſiue præfecturam, ſiue rem aliam, quam Romana Eccleſia habuit, & ipſe vel per ſe, vel per alios abſtulit, bona fide reſtituet, ſaluo omni iure Romanæ Eccleſiæ. Quaſq. poſſeſſiones reſtituet, ad eas etiam retinendas auxilio erit. Imperator, & Pontifex ad honorem, & iura Eccleſiæ, atque Imperij conſeruanda ſe inuicem adiuuabunt, Pontifex, vt benignus pater deuotum, & cariſſimum filium, & Imperatorem Chriſtianiſſimum, Imperator vt deuotus filius, & Chriſtianiſſimus Imperator dilectum Reuerendum patrem, et Beati Petri Vicarium. Quæ à tempore ſchiſmatis, vel occaſione ipſius, aut ſine ordine iudiciario Eccleſiaſticis ab Imperatore, vel ſuis erepta ſunt, eis reſtituentur. Beatrix Imperatrix recipiet Alexandrum pontificem in catholicum, & venerabilem Pontificem. Henricus rex, filius eorum, ſimiliter recipiet eum, atque ei, & catholicis ſucceſſoribus eius debitam reuerentiam adhibebit, & ſacramento eodem ſe obſtringet, quo ſe Imperator obſtrinxerit. Fridericus Imperator, & Henricus rex, filius eius, pacem veram reddent Gulielmo regi Siciliæ ad annos quindecim, ſicut per ſequeſtres pacis eſt conſtitutum. Imperatori Conſtantinopolitano, & adiutoribus Eccleſiæ Romanæ pacem reddent, nec mali quidquam referent per ſe, vel per ſuos pro opera Eccleſiæ Romanæ impenſa. De controuerſijs, quæ ante tempora Hadriani pontificis inter Eccleſiam, & Imperium verſabantur, ſequeſtres ex*

parte

parte Pontificis, & Imperatoris conſtituent. quibus mandabitur, vt eas pro arbitrio tranſigant. quòd ſi illi non conſenſerint, iudicio ſtabitur Pontificis, et Imperatoris, vel eorum, quos ipſi delegauerint. Chriſtiano cancellario Moguntinus archiepiſcopatus, Philippo Colonienſis concedetur, & pleniſſimo iure firmabitur. Primus archiepiſcopatus, qui in Teutonico regno vacauerit, Conrado auctoritate Pontificis, & auxilio Imperatoris deferetur, qui idoneus videatur. Et, qui ſe Caliſtum appellat, abbatia tribuetur. Illi, qui dicuntur eius Cardinales, loca repetent, quæ primùm habuerunt, niſi ea ſponte, & iudicio dimiſerant, et in ordinibus, quos ante ſchiſma habuerant, relinquentur. Gero nunc dictus Alberſtatenſis deponetur, & Vlricus reſtituetur. Alienationes à Gerone factæ, & beneficia data ſimiliter, & ab omnibus intruſis auctoritate Pontificis, & Imperatoris delebuntur, et ſuis Eccleſijs reſtituentur. De electione Brandeburgenſis epiſcopi, qui in Bremenſem archiepiſcopum lectus fuerat, cognoſcetur, & ſi ritè factum fuerit, ad eam eccleſiam traducetur. & quæcunque ab Aldeuino, qui nunc præeſt Bremenſi eccleſiæ, alienata ſunt, prout ritè factum viſum fuerit, eidem eccleſiæ reſtituentur. Quæ Salisburgenſi eccleſiæ tempore ſchiſmatis adempta ſunt, ei plenè reddentur. Omnes clerici ex Italia, aut alijs regionibus, quæ ſunt extra Teutonicum regnum, diſpoſitioni, et iudicio Alexandri pontificis, & ſucceſſorum eius relinquentur. Si verò Imperator rogarit pro ordinibus aliquorum, vſque ad decem, vel duodecim exaudietur. Garſidonius Mantuanus epiſcopatui quondam ſuo reſtituetur, ita vt ille, qui nunc eſt epiſcopus Mantuanus, ad epiſcopatum Tridentinum traducatur. niſi fortè inter Pontificem, & Imperatorem conuenerit, vt alius ei epiſcopatus indulgeatur. Archiepiſcopus de Sauo in archipresbyteratum quondam ſuum, & alia beneficia, quæ ante ſchiſma habuit, reſtituetur. Omnes ordinati à quondam Catholicis in Teutonico regno reſtituentur, ordinibus ſuis ita perceptis. De Argentinenſi, & Baſilienſi dictis epiſcopis, qui ordinati fuerunt à Vidone Cremenſi, in eodem regno prædicti ſequeſtres rem committent decem, vel octo hominibus, quos ipſi elegerint, qui iureiurando affirmabunt, ſe illud conſilium Pontifici, atque Imperatori daturos, quod ſe iuſtè dare poſſe ſine animæ ſuæ, atque ipſorum detrimento ſtatuerint. et Pontifex, atque Imperator eorum conſilio obtemperabit. Pontifex, et omnes Cardinales recipient Beatricem vxorem Friderici Imperatoris in Catholicam, & Romanam Imperatricem, eamq. aut Alexander pontifex, aut legatus eius coronabit, et Henricum filium eorum in Catholicum regem. Pontifex, & Cardinales pacem reddent Friderico Imperatori, & Beatrici Imperatrici, & Henrico regi, filio eorum, et omnibus adiutoribus eorum. Pontifex, et omnes Cardinales promittent, ſe obſeruaturos hanc pacem in verbo veritatis, & priuilegium condent ſubſcriptione omnium Cardinalium. & Cardinales ſcriptum prædictæ confirmationis condent ſigillis ſuis appoſitis. Pontifex ſubitò aduocato

concilio, prout ſubito aduocari potuerit, cum Cardinalibus, epiſcopis, & alijs religioſis hominibus, qui interfuerint, excommunicationem ſtatuet in omnes, qui hanc pacem violare voluerint, deinde in generali concilio. Pleriq. nobilium Romanorum, & capitaneorum Campaniæ hanc pacem firmabunt. Imperator pacem cum Eccleſia, & pacem cum rege Siciliæ ad quindecim annos, & inducias cum Lombardis à proximis Kalendis Auguſti vſque ad ſex annos, firmabit iureiurando ſuo, principumq. ſuorum, mandabitq., Lombardos, qui in parte ſua ſunt, prout in tabulis induciarum communibus eſt deſcriptum, eas inducias confirmare. Si quis verò ex parte Imperatoris has inducias iurare noluerit, Imperator præcipiet omnibus, qui in parte ſua ſunt, pro officio fidelitatis, & gratiæ ſuæ, vt nullum præſtent auxilium, & volentibus offendere, ne impedimento ſint. Siquis offenderit, culpa vacuus ſit. nec mandatum hoc renocabit Imperator, donec induciæ ſtabunt. Henricus rex, filius eius, pacem cum Eccleſia, & cum rege Siciliæ ad XV annos, & inducias cum Lombardis ad ſexennium ſcripto confirmabit, ac ſui, principumq. ſuorum ſubſcriptione. Si verò, quod abſit, Pontifex præmoriatur, Fridericus Imperator, & Henricus rex, filius eius, hanc formam pacis, & compoſitionis firmiter obſeruabunt ſucceſſoribus eius, & vniuerſis Cardinalibus, & toti Romanæ Eccleſiæ, & regi Siciliæ, & Lombardis, & ceteris, qui ſecum ſentiunt. Et ſi, quod abſit, Imperator præmoriatur, Pontifex, & Cardinales, & Eccleſia Romana prædictam pacem firmiter obſeruabunt ſucceſſori eius, & Beatrici vxori, & Henrico filio eius, & omnibus ex Teutonico regno, & ceteris adiutoribus eorum. & ſucceſſores Pontificis ſimiliter obſeruabunt. Induciarum verò tabulæ, quæ adhuc in tabulario Bononienſium extant, hæ ſunt: *Pridie Kal. Septembris MCLXXVI inter Imperatorem Fridericum, & partem eius Cremonam, Papiam, Genuam, Derthonam, Comum, Haſtam, Albam, Aquas, Taurinum, Eporediam, Albintimillium, Sauonam, Albingaunum, Caſale Sancti Euaſij, Montemuellij, Imolam, Fauentiam, Rauennam, Forum Liuij, Forum Popilij, Ceſenam, Ariminum, Caſtrocarum, Marchionem Montisferrati, Comites Blanderati, Vaſti, Marchiones Boſchi, Comites Laumelli, et ab altera parte ſocietatem Lombardorum, nempe Venetias, Taruiſium, Patauium, Vicetiam, Veronam, Brixiam, Ferrariam, Mantuam, Bergomum, Laudem, Mediolanum, Nouariam, Vercellas, Alexandriam, Caſſinum, Belmontem, Placentiam, Bobium, Marchionem Malamſpinam, Parmam, Regium, Mutinam, Bononiam, Sancaſſianenſes, Ducianos, et cetera loca ſocietatis Lombardiæ, Marchiæ, Romaniæ induciæ conſtitutæ ſunt à Kal. Auguſti vſque ad annos ſex. Iurabit Imperator, & filius eius, & ſinguli in ſuis ciuitatibus ſe has inducias obſeruaturos, nec offenſuros Cremonenſes, aut Papienſes, aut alios ex parte Imperatoris. idem iurabunt conſules,*

&

& credentiæ ciuitatum fœderatarum, aut homines quinquaginta, vbi non erunt credentiæ, aut prætores, vbi non erunt conſules, & ſi offenſio inciderit, eam emendaturos. Imperator autem iurabit, ſe per ſex annos neminem ſacramentum fidelitatis apud ſe dicere coacturum. His ita conſtitutis, quia rem ad exitum perduci non poſſe apparebat, niſi Fridericus, & Alexander in congreſſum venirent, placuit, vt ille Mutinam, hic Bononiam communis colloquij cauſſa procederent. Ita Alexander principio ſequentis anni comitantibus Gulielmo Siciliæ rege, Romualdo archiepiſcopo Salernitano, & Rogerio Comite Andriæ, & pleriſque Cardinalibus, aulico equitatu Bononiam terreſtri itinere contendere iuſſo, Anagnia, vnde X Kal. Februarias diplomata data Bononiæ apud canonicos ſancti Saluatoris leguntur, Benenentum, Beneuento Troiam, ac Sipontum, & poſtremo Veſticem petiit, quæ ad Gargani montis radices ſita eſt, qua parte orientem ſolem, & mare Adriaticum ſpectat. nec multò poſt VII Kal. Martias triremibus à Gulielmo ad id per Ionium mare tranſmiſsis conſcendit, ac Venetias verſus curſum intendit. quem cum ſæua oborta tempeſtate tenere non poſſet, ad Dalmatiæ littus delatus Iaderam adiit. Tempeſtate inde ſenita reliquam Dalmatiæ, Iſtriæq. oram prætervectus nono die, quàm ab Italiæ littore ſoluerat, Venetias appulit, atque ad monachos ſancti Nicolai diuertit. poſtero die Sebaſtiano Ziano Duce, Henrico patriarcha Gradenſi, epiſcopis multis, & ſenatu ipſo cum tota in omnem magnificentiam effuſa ciuitate occurrentibus exceptus, inq. vrbem ad Riuoaltum ad ædes Patriarchæ ea tempeſtate Venetias incolentis deductus eſt. Tum Magdeburgenſis epiſcopus, & Vormacienſis deſignatus illum Friderici nomine adierunt, atque ita dixerunt. Fridericus Imperator omnia, de quibus inter vos conuenit, explere paratus eſt, ſed Bononiæ, quam principes ſui ſuſpectam habent, vobiſcum conuenire non poteſt. quare vos oramus, vt alium locum ſibi, & vobis idoneum eligatis. Quibus Alexander reſpondit. Iampridem Fridericus per Cardinales noſtros cum Lombardis tranſegit, vt ipſe Mutinam, nos Bononiam veniremus. atque ob id ſine conſenſu Lombardorum, fratrumq. noſtrorum, qui noſtrum Bononiæ præſtolantur aduentum, locum mutare non poſſumus, nec debemus. Verumtamen vt pax tractari cœpta ad optatum exitum perducatur, nos Ferrariam primo quoque tempore accedemus, vt ibi cum fratribus noſtris abſentibus, & Lombardiæ prætoribus, ſtatuamus quod in rem communem magis eſſe videatur. Quod cum illi accepiſſent, ipſe epiſcopis, & rectoribus ciuitatum Lombardiæ

1177 (margin, beside "munis colloquij ... ſequentis")

Dominicam Paſsionis, qua ſibi Ferrarię præſto eſſent, indixit. proxima verò Dominica, quæ Lætare Hieruſalem appellatur, ipſe ad baſilicam ſancti Marci epiſcopis & Cardinalibus ſtipatus acceſsit, & poſt Euangelij recitationem ad altarę progreſſus concionem ad populum frequentiſsimum habuit. & rę diuina perfecta Roſam auream, quàm de more ſacrarat, præſenti Duci donauit, atque eadem hebdomade Venetiis euectus aduerſo Pado Ferrariam, vniuerſa propè nobilitate Venetorum proſequente, conceſsit. quò cuncti vicinarum ciuitatum populi acri ipſius viſendi, atque audiendi ſtudio incenſi confluxerant. Poſtridie verò ad eum adierunt ex parte ipſius patriarcha Aquileienſis, archiepiſcopi Rauennas, & Mediolanenſis, & eorum ſuffraganei, rectores ciuitatum cum ſuis marchionibus, & Comitibus. ex partę regis Siciliæ Salernitanus epiſcopus, & Comes Andriæ. pro Imperatore verò archiepiſcopi Moguntinus, Colonienſis, Treuirenſis, Veſontienſis, Magdeburgenſis, & Salzburgenſis cum aliquot eorum ſuffraganeis, deſignato Vormacienſi, & R. Protonotario. ac coram de loco, in quo Pontifex tutò cum Friderico conuenire poſſet, conſultare non ſine contentione cœperunt. Lombardis autem Bononiam, Placentiam, Ferrariam, Patauiumq. ferentibus, principibus verò Papiam, Rauennam, Venetiasue poſcentibus, Pontifex cum legatis Siculis Venetias hac conditione probauit, ſi Dux cum populo Veneto iureiurando interpoſito promiſiſſet, ſe non niſi ſancita pace paſſuros, vt Fridericus vrbem iniret, ac liberum, ac tutum aditum, & diſceſſum omnibus præſtituros. Legi diplomata ab eo Kal. Maij eccleſiis Bononienſi, Parmenſi, & Veronenſi, & pridie Nonas Capitulo Bononienſi, & VIII Idus præpoſito Mutinenſi Ferrariæ data. Inde VII Idus Ferraria egreſſus ſecundo Pado Venetias eſt reuerſus. quem mox vtræque partes ſunt ſubſecutæ. cum autem ambæ in conſpectu Pontificis de reconciliatione pacis diſputare cœpiſſent, magna ſuborta de regalibus, & feudis controuerſia, quòd ſine eius compoſitione pax ſtare non poterat, ea tractatio per multas inducias interpoſitas vſque ad octauam ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli perducta eſt. Eo verò die pax cum Pontifice communi principum conſenſu firmata, cum Siculo verò rege à proximis Kalendis Auguſti vſque ad XV annos. & tabulæ vtrinque ſcriptæ, ac receptæ ſunt. legi quoque reſcriptum III Kal. Iunij Venetiis ab Alexandro præpoſito Mutinenſi conceſſum. His peractis rogatu principum Alexander Friderico permiſit, vt Clodiam vſque accederet, vt proximo in loco Cardinales, & principes, qui pacem, induciaſq. tractarant, rem ipſo

præſente conficerent. Venit ergo Clodiam Fridericus. ad quem ſtatim. principes, & Cardinales ſe contulerunt, quæq. ex eius auctoritate fecerant, oſtenderunt. quæ cognita Fridericus vniuerſa probauit. & licèt ab iis, qui paci aduerſabantur, variè turbatus, rata omnia habuit. quare præſentibus illis mandauit Dedoni Comiti, & Sigibolth cubiculario ſuo, vt pacem cum Pontifice, rege, & Lombardis coram Pontifice nomine ſuo curarent. qui tactis ſacroſanctis Euangeliis ita iurarunt: *Iuro, Fridericum Imperatorem, poſtquam Venetias venerit, prædictum ſacramentum pacis Eccleſiæ, regis Siciliæ, et induciarum Lombardorum ſeruandum curaturum in anima ſua, & ſimiliter principes iureiurando deuincturum.* Quibus rebus expletis Pontifex Ducem, & populum Venetum ſacramento, quo illos adegerat, liberauit. atque vt Fridericum honorifico apparatu Venetiis exciperent, præcepit. Quare Dux præparatis ſex nauibus longis obuiam egreſſus ipſum ad monaſterium ſancti Nicolai adduxit. quo facto Alexander poſtridie ſeptem Cardinales ad eum miſit. qui Fridericum, poſtquã ſchiſmati Octauiani, Vidonis, & Ioannis, quos Victorem, Paſchalem, & Calliſtum nominarant, renunciauit, ac ſe obedientiam Alexandro præſtiturum, tanquam catholico Pontifici, eiuſq. ſucceſſoribus canonicè ineuntibus ſpopondit, vnà cum principibus eius communioni eccleſiæ reddiderunt. Inde Fridericus tanquam rectæ fidei Imperator ad conſpectum Pontificis religioſè acceſsit ex compoſito ante fores baſilicæ ſancti Marci cum epiſcopis, & Cardinalibus aſsidentis: atque inſpectantibus omnibus poſita chlamyde ſe proſtrauit, & oſculo pedibus oblato veræ pacis oſculum rettulit. Quod vbi qui aderant conſpexerunt, præ nimio animi gaudio, *Te Deum laudamus*, vocibus clariſsimis cecinerunt. ſtatimq. Auguſtus Pontificem apprehenſa dextera cum canticis, & laudibus vſque ad aram perduxit, & precatione adhibita ſubmiſſo capite, benedictionem accepit, inde hoſpitij cauſſa in ædes Ducis diuertit. Poſtridie eius diei, quo ſancti Iacobi natalicia celebrabantur, Alexander rogatus à Friderico ſacrificium facturus ad baſilicam ſancti Marci reuertit, magno Cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, aliorumq. eccleſiæ ordinum corona ſtipatus, ac clero Teutonico miſſarum introitum incinente poſt recitatum Euangelium, concionem ad populum habuit. Fridericus autem iterum ſe ad pedes eius cum principibus ſuis abiecit, aurumq. obtulit. ac perfectis ſacris ad fores proſequutus ſtrepam equum aſcendenti tenuit. cum autem freno accepto ſtratoris fungi officio vellet, Pontifex, ne vſque ad aquam modico interuallo pertraheret, volun-

tatem pro ipſa officij functione accepit. Poſtridie Imperator cum paucis Pontificem, tanquam filius patrem inuiſit: & familiares cum eo ſermones ſumma vtriuſque comitate permiſcuit. Hæc ita retuli, vt Alexander ipſe litteris mandauit, quas VII Kal. Auguſti ad abbatem Caſsinatem ex Riuoalto dedit. & prout ex commentariis aliis fide dignis accepi. V Kalendas Callıſtus ad pedes Alexandri venit, & ſe honore, quem geſſerat, abdicauit. Kalendis autem Auguſti in ædibus patriarchæ, cum regis Siciliæ legati, & Lombardorum rectores adeſſent, Imperator in conſpectu Pontificis Comiti Henrico Dedenc mandauit, vt cum Siculo pacem, cum Lombardis inducias curaret. qui ità loquutus eſt: *Iuro in animam Friderici Imperatoris, ipſum pacem cum Eccleſia in perpetuum ſeruaturum, & cum Gulielmo rege Siciliæ ad annos XV, prout in tabulis pacis continetur.* Item: *Iuro in animam Friderici Imperatoris ipſum obſeruaturum inducias ſocietatis Lombardiæ, Marchiæ, et Romaniæ, prout conſtitutæ ſunt per ſequeſtres vtriuſque partis, & vt in tabulis continetur, quæ apud Lombardos, & Cardinales ſeruantur, & ſacramento in eas principes Teutonicos adacturum.* Inde ſinguli deinceps principes in eadem verba iurarunt. nomine verò Siculi iurauit archiepiſcopus Salernitanus, & Comes Andriæ, Lombardorum verò Conſules Mediolani, prætores Placentiæ, Brixiæ, Bergomi, Veronæ, Parmæ, Regij, Bononiæ, Nouariæ, Alexandriæ, Patauij, & Vicetiæ. Recepitq. tum Fridericus Alexandrum in Catholicum Pontificem, & Alexander Fridericum in Catholicum Imperatorem, & vxorem eius in Catholicam Imperatricem, & Henricum filium eorum in Catholicum regem. Atque hæc ipſa ex litteris Alexandri ad eundem abbatem Caſsinatem Kalendis Auguſti datis, & ex tabulario Bononienſium, aliiſq. commentariis ſumpta ſunt. His actis concilium inde generale ab Alexandro Romam omnibus epiſcopis eſt indictum. Manſit inde per multos etiam dies Venetiis Fridericus. ſiquidem IX Kal. Septembris anno regni ſui XXVI, Imperij XXIII, Venetiis Gerardo epiſcopo Patauino iuriſdictiones quaſdam indulſit. Demum XV Kal. Octobris pacem epiſtola hac ad Alexandrum data firmauit: *Cum Imperatoria maieſtas à Rege regum ad hoc in terris inſtituta ſit, vt eius opera omnes homines pacis bono fruantur, nos, quos Deus in ſolio Romani Imperij collocauit, eam diligenter amplecti, & ſtudioſè conſeruare debemus. Ob id pacem Eccleſiæ, atque Imperij, prout à Principibus noſtris, & à Cardinalibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ compoſita, & inſtituta eſt, & in ſcripto Principum noſtrorum ſigillis eorum ſignato continetur, quemadmodum per interpoſitam perſonam, ex formula in ſcripto contenta, iurari iuſsimus, ſic præſenti ſcripto*

firmiter

firmiter obſeruare promittimus, confirmamus, & ratam manere in poſterum volumus. Data Venetiis, in Palatio Ducis, XV Kal. Octobris. Poſtridie verò Venetiis abiit, ac Rauennam, Rauennaq. Parmam acceſsit, atque inde has tabulas ad Alexandrum Venetias miſit: *Nos Fridericus Imperator interuentu venerabilis patris D. Alexandri pontificis, & fratrum eius Cardinalium promittimus Lombardis, Marchianis, & Romaniolis, & reliquis de ſocietate ipſorum, vaſallis noſtris, & ijs, qui debent eſſe vaſalli noſtri, nos pro fidelitate nobis non præſtita, vel opera non nauata, vel inueſtitura non petita, quandiu induciæ manebunt, neminem de ſocietate iudicaturum, aut iudicari iuſſurum, ne feudum alicui ad empturum. Actum Parmæ.* Has tabulas deinde Alexander ſigillo Impetatorio obſignaras ad magiſtros ſocietatis miſit VI Idus Octobris Venetiis ex Riuoalto. Nec multò poſt, cum Ducem muneribus multis ad dignitatem eius cohoneſtandam ampliſsimis exornaſſet, XVII Kal. Nouembris Venetorum vectus triremibus abiit, ac Sypontum ſe deuehi iuſsit. Syponto inde Troiam, & Troia Beneuentum cum proceſsiſſet, demum Caſſinate monaſterio viſitato, ſeſe Anagniam rettulit. neque enim Romam continuò adire æquum eſſe inexplorata Romanorum erga ſe voluntate putauit. Sabellicus tamen ex Venetorum item commentariis affirmat, Alexandrum, Fridericum, & Ducem Venetorum vnà Romam profectos ibi pacem confeciſſe. quod quàm alienum ſit, illi viderint, quibus hæc acta placuerint. Ceterùm Romani turpe rati, ſe ſublato Eccleſiæ diſsidio Alexandro reſiſtere, cui Fridericus Imperator altiſsimo animo præditus ſe ad pedes proſtratus obedientem exhibuiſſet, ſeptem ad eum legatos de compoſitione miſerunt. Hos benignè Alexander accepit. verùm, cum ſenatores, quos tolli Alexander inſtabat, pertinacius retinerent, in vrbem re infecta dimiſit. Decembri autem menſe cum Tuſculum prodiiſſet, iterum cum nouis mandatis legati venerunt, ciuitatis nomine poſtulantes, vt ſibi legere ſenatores liceret, ita tamen, vt antequam magiſtratum inirent, concepto ſacramento iurarent, ſe Eccleſiæ Romanę fidem præſtituros, neque aduerſus dignitatem eius aliquid molituros. Qua accepta conditione Alexander ſingulari omnium voluntate vrbem ingreſſus eſt. Alexandro Romam reuerſo tum demum priſtinum Eccleſiæ decus, auctoritatemq. reſtitutam Deo gratulans Italia iudicauit. Eodem anno Ioanna, Henrici regis Angliæ filia, ad Gulielmum Siciliæ regem, cui collocata in matrimonium fuerat, proficiſcens Genuam venit, atque à Genuenſibus honeſtiſsimè excepta eſt. Huic tantæ lætitię, quam Italia hoc anno parta demum pace affecta eſt, illud mo-

leſtiæ grauioris aſperium eſt, quod rei frumentariæ inopia laborauit. frumentum ſolidis argenteis triginta duobus in ſingulos ſextarios ſte-
1178 tit. Proximo, Fridericus Parma Genuam cum Beatrice vxore, & Henrico filio ſeſe contulit, ac per aliquot ibi dies moratus, & pro eximia ciuitatis liberalitate donis ampliſsimè cultus Mediolanum perrexit. aduentus eius à Mediolanenſibus omnibus in ſpeciem obliteratis iniuriis incredibili honore concelebratus eſt. Inde Comenſi itinere in Germaniam tranſiit, Chriſtiano archiepiſcopo ad res Italiæ moderandas, & populos in fide continendos relicto. Alexander, baſilica Lateranenſi recuperata, omnibus vrbis eccleſiis, quæ cura egere pontificia videbantur, ſubuenit, ac ciuitates Eccleſiæ ad priſtinum redigere obſequium inſtitit. præſertim verò cum videret, Chriſtianum exercitum habentem, quaſi id mandatum à Friderico haberet, enixè nimis Cæſarianæ factioni ſtudere, neque populis liberum, vtram ſequi vellent partem, arbitrium facere. atque ita epiſcopos, abbateſq. ex toto Occidente nominatim ad Concilium euocauit. Itaque ex regno Hieroſolymitano accerſiti Octobri menſe diſceſſerunt Vilhelmus Tyri archiepiſcopus Sacræ hiſtoriæ ſcriptor, Heraclius Cæſarienſis archiepiſcopus, Albertus Bethleemita, Rodulfus Sebaſtenus, Iotius Acconenſis, Romanus Tripolitanus epiſcopi, Petrus Prior eccleſiæ ſepulchri Domini, & Rinaldus abbas eccleſiæ montis Sion. Dum autem induciæ Lombardis cum Friderico fuerunt, pleræque ciuitates aut vetera inter ſe fœdera confirmarunt, aut noua iunxerunt, aut proxima caſtra in deditionem acceperunt, aut armis inter ſe ciuilibus decertarunt. Florentiæ inteſtinis laborari ſeditionibus cœptum. Nemo erat paullo opulentior ciuis, quin domeſticam turrim Italico inſtituto haberet. Harum turrium, quanquam pleræque deiectæ ſunt, non obſcura adhuc multis in vrbibus veſtigia inſpiciuntur. Florentini verò eas inter ſe ſimultates contraxerant, vt quotidie vicini cum vicinis prœlia ex turribus facerent; ſeq. tragulis, & lapidibus, quantum poſſent, inceſſerent. ac priuatæ quiſque non tam iræ indulgerent, quàm virtutis periculum facerent. Hæc peſtis per aliquot menſes ciuitatem infecit. procedente inde tempore conſuetudo mitis obtinuit, vt dimiſſo certamine mira comitate conuiuia inter ſe colerent, eaq. ferè ſermonibus de rebus à ſe geſtis in prœlio celebrarent. Chriſtianum archiepiſcopum iuſſu Friderici bellum ciuitatibus Eccleſiaſticis facientem Conradus marchio Montisferrati aduerſus eum profectus equeſtri prœlio fudit, captumq. in cuſtodiam dedit. Conradum autem Manuel ad eum vlciſcendum ſuppe-

ditata occultè pecunia impulit, Friderico iam pridem Italici imperij æmulatione infenſus. Proximo anno, vbi tempus Quadrageſimæ aduenit, Alexander Cardinalibus nonnullis allectis concilium trecentorum epiſcoporum, abbatumq. plurimorum Lateranenſi in baſilica inſtituit. ad eoſq. de Chriſtiana religione, ac republica retulit. atque vt omnes laborantis Eccleſiæ labes diligenter diſcuterent, & pro viribus remedia ad ſingulas idonea reperirent, admonuit. Qua re ſumma cum cura perfecta, concilium eſt dimiſſum. Cum autem de hæreſi Gallicana ingraueſcente mentio eſſet illata, Petrum legatum ad eam cognoſcendam, & comprimendam continuò deſtinauit. Hi Cathari, Publicani, & Patarini dicti præcipuè in Vaſconia, Albegeſio, & partibus Toloſanis emerſerant, euchariſtiam, coniugium, aliaq. Eccleſiæ ſacramenta labefactantes. Eodem anno Alexandrū Senarum ſe in patriam recepiſſe, atque ibi baſilicam vrbis conſecraſſe, Senenſium hiſtoriæ prodidere. In Italia Mediolanenſes vrbi per ocium excolendæ intenti emiſſarium ex Ticino amne iam multò antè deriuatum, ac Ticinelli nomine Papienſium agros irrigans nouo alueo iuxta Albiatum effoſſo Gozanum, & Corſicum deduxere, ac mox ad vrbem vſque nauigabile reddidere. quo facto duo maxima commoda conſequuti ſunt; vnum, quòd agros ſuos vberiores fecerunt; alterum, quòd rationem opum ex Verbano, Alpibuſq. deuehendarum inierunt. Genuenſes filiam Ludouici regis Franciæ ad ſe aductam honorificè recepere, ac triremibus ſuis Conſtantinopolim deuexere ad Alexium, cui deſponſa erat, Manuelis Imperatoris filium. Anno inde, qui inſequutus eſt, 1180 millesimo centeſimo octogeſimo, Alexander concilij ſuperiore anno perfecti decreta in primis ſalutaria diuulgauit, quorum hæc fermè ſumma fuit: *Licèt ad vitandam diſcordiam in electione Romani Pontificis prædeceſſores noſtri instituta multa ediderint, tamen quia poſt ſæpe per improbæ ambitionis audaciam grauem Eccleſia paſſa eſt ſciſſuram; nos etiam adhoc malum euitandum ex conſilio fratrum noſtrorum, & ſacri approbatione Concilij aliquid decreuimus adiungendum. Statuimus igitur, vt ſi inter Cardinales de Pontifice deligendo conuenire non potuerit, Pontifex à duabus partibus eligi poſſit. quicunque verò tertiæ partis ſuffragijs fultus ſe ſe pontificem geſſerit, communione priuatus ſit. Quod à prædeceſſore noſtro Innocentio factum eſt, innouantes ordinationes ab Octauiano, & Vidone hæreſiarchis, nec non & à Ioanne Strumienſi, qui eos ſequutus eſt, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas eſſe cenſemus. Ne quis epiſcopus eligatur, niſi annos triginta natus, & legitimo matrimonio ortus, & ſcientia commendatus. Nec minores ordi-*

nes quis ſuſcipiat, niſi vigintiquinque annos attigerit, & doctrina, moribuſq; probatus ſit. Hæreticos, qui in Vaſconia, Albegeſio, Toloſa, & alijs in locis emerſerunt, quos alij Catharos, alij Publicanos, alij Patarinos, alij alijs nominibus vocant, anathemati ſubdimus, & ne quis cum eis congrediatur, interdicimus. Rectoribus, conſulibus, prætoribuſq. ciuitatum, qui grauia eccleſijs tributa imponunt, ne faciant, indicto anathemate prohibemus. Ne laicus poſſeſſiones Eccleſiaſticas diſtribuat, presbyter, ſiue clericus qui receperit, ordine moueatur: Ne quis ferrum, aut ligna ad Sarracenos afferat, aut eis contra Chriſtianos auxilium præbeat. Qui Chriſtianos negotiantes captiuos fecerint, anathemati ſubiecti ſint. Ne monachi mercede recipiantur. Si quis exactus pro ſua receptione aliquid dederit, ad ſacros ordines non aſcendat. Teſtimonia Chriſtianorum aduerſus Iudæos recipiantur. Si Iudæi ad fidem Chriſtianam ſe contulerint, ne poſſeſſionibus excludantur. Ne quis diuerſas dignitates eccleſiaſticas, & plures eccleſias parochiales contra ſanctorum Canonum inſtituta accipiat. Innocentij, & Eugenij prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inſiſtentes deteſtabiles nundinas, quas vulgo Torneamenta vocant, vetamus, in quibus milites ex condicto conuenire ſolent, & temere congredi. unde cædes hominum, pericula animarum ſæpe proueniunt. Eodem anno Imperator Manuel moriens Alexium filium annos tredecim natum tutore Alexio Protoſebaſto inſtituto reliquit. Alexio verò tutore Latinos immodicis honoribus proſequente, Græci indignati vetera contracta ob ſacrorum differentiam odia incitarunt, atque, Andronico Manuelis patruele ex Ponto euocato, ipſum Alexium adorti de medio ſuſtulerunt, atque inde ſæuientes animis impetum in omnes Latinos, qui apud ſe verſabantur, fecerunt. Ceterum primæ iniuriæ monachis, & ſacerdotibus factæ. Ioanni ſubdiacono legato pontificio caput abſciſſum, atque ad contumeliam caudæ immundæ canis appenſum. mortuorum cadauera ſepulchris impiè violatis per vias crudeliſsimè, ac fœdiſsimè tracta. omnibus, qui xenodochio ſancti Ioannis ægri cubabant, vita ferro adempta. Pauci, quibus vitam conceſſerant, infidelibus pecunia ad ſeruitutem addicti. Harum rerum Choniata, & Gulielmus archiepiſcopus Tyrius auctores exiſtunt. Amnes Tarus, Parma, Entia aſsiduis imbribus prodigiosè inflati agrum Parmenſem ita obruerunt, vt portas ipſius vrbis obſederint. Rege Francorum Ludouico mortuo excepit regnum filius
1181 eius, Philippus. Poſtero anno Fridericus, conuiuio apparatiſsimo Moguntiæ celebrato, quo omnes regni principes inuitarat, Henricum, & Fridericum filios accinctis gladiis exornauit. Ciuitatum Italiæ varia, eaq. obſcura fortuna fuit. Genuæ peſtilentia, atque

incendio grauiſsimè laboratum. Mutinenſes ſe Bononienſibus obligauerunt, auxilio futuros in tota diœceſi contra omnes homines præter Parmenſes, & fœderatos populos, nominatim autem contra Mombellienſes, &, ſi Sancaſsianum reficere uoluiſſent, ſe equites ſuos per quindecim dies pro Communi ſuis ſumptibus ſummiſſuros. Imolenſes ad Castrum Imolæ, vbi belli ſumma conſtiterat, prœlio profligati pacem à Bononienſibus petierunt. ea verò nouis, iiſq. acerbis, quæ apud Bononienſes extant, contributionibus data eſt. Idem annus inſignis morte Alexandri pontificis fuit: is viceſimo ſecundo pontificatus ſui anno VI Kal. Septembris eſt mortuus, & in baſilica Lateranenſi ſepultus, vir acer in primis, & in ſuſcepta Eccleſiæ defenſione conſtans, inimicitiis Friderici, quas non tam moderatè exercuit, quàm fortiter ſuperauit, virtutis, memoriæq. inſignis. Iuſtis perfectis Cardinales ex lege eius proximè lata comitia habuerunt, ac poſt biduum Hubaldum epiſcopum Oſtienſem, virum vt ætate, ſic prudentia grauem, Pontificem ſublegerunt, qui, vt erat patria Lucenſis, ſic ſe Lucium tertium appellauit. Mediolani item Algiſio archiepiſcopo vita functo clerus Lambertum Cribellum archidiaconum ſubrogauit. Lucius pontifex, vt ciues ſuos Lucenſes eximio aliquo beneficio inſigniret, tantam ſibi dignitatem miſſa ad ſe legatione honeſtiſsima gratulantes, ius, Friderico aſſentiente, indulſit, vt pecuniam cuderent Tuſciæ, Marchiæ, Romaniæ, Campaniæq. communem. Idem poſtero anno cum audiſſet, 1182
Chriſtianum archiepiſcopum non longè ab vrbe morbo implicitum in magno vitæ diſcrimine eſſe, iniuriarum, quas Eccleſiæ fecerat, prorſus oblitus ad illum adiit, ac noxiis per ſolemnem confeſsionem remiſsis, viaticum præbuit, atque ipſum animam agentem reliquit. Nouo interim pontificatu nouum Romani bellum mouerunt. quæ relliquiæ veteris ipſorum cum Pontifice diſſeſsionis fuere, atque aliquot pòſt per annos ipſam haud mediocriter Eccleſiam turbauere. Quippe cladis à Tuſculanis acceptæ, nec dum ſiue pro merito, ſiue pro libidine vindicatæ recordati rurſus exercitum ad Tuſculum adduxerunt, ac ſeſe, ni deditio fieret, oppugnaturos oppidum oſtenderunt. Quod vbi Lucius cognouit, vt ſaluti Tuſculanorum, dignitatiq. ſuæ conſuleret, eam ſibi rem diſplicere, & ſe pro viribus vlturum eſſe, denunciauit. Romani tamen vetere ſuperbia incitati, ac vindictæ cupiditate accenſi mandatis, ſiue territamentis eius neglectis oppugnationem oppido admouerunt, ac Tuſculanos omnibus premere incommodis inſtiterunt. Quia re permotus Lucius, cum ſe Romanis odio, & contemptui eſſe animaduerteret, ne manens

in vrbe iacturam dignitatis pontificiæ faceret, prædeceſſorum exem-
1183 plo Roma exiit, ac Velitris, proximiſq; in locis conſedit. Inſequenti, orta inter Mutinenſes, Regienſeſq. diſcordia, quæ poſt in graue bellum erupit. Amnis eſt Sicla media inter Mutinam, & Regium via, à Plinio Gabelli nomine appellatus. cuius integrum ius ſe Mutinenſes habere Henrici ſecundi Imperatoris conceſsione profitebantur. Itaque cum Regienſes emiſſarium ex eo ad rei naualis vſum deriuare pararent, Mutinenſes ei rei ſe impedimento futuros, iuſq. ſuum armis tutaturos, denunciarunt. Qua re audita Parmenſes veteris fœderis memores ineunte Martio frequenti in concione per publicum curſorem iurarunt, ſe præceptis conſulum Mutinenſium aduerſus Regienſes parituros, neque pacem, neque inducias cum eis iniuſſu Mutinenſium pacturos, & hæc obſeruaturos, donec pax conciliaretur inter Mutinenſes, Regienſes, atque Parmenſes. Monachi Ciſtertienſes quadraginta iam ante annos in agrum Mediolanenſem profecti in Ticini ripa cum cœnobio templum fundarunt, atque à proximi vici nomine Morimundũ vocarunt. Bellum Tuſculanum à Romanis Lucio pontifice vrbe abſente continuatum. Idem annus pace à Lombardis cum Friderico facta fuit nobilitatus. Ea res quemadmodum acta ſit, pluribus videtur eſſe docendum. Affectabat eximio ſtudio Italici regni coronam Henricus, Friderici filius, vt qua omnes affecti fuiſſent, qui ante ſe regnum Germaniæ obtinuiſſent. neque bello cum Lombardis, atque adeo etiam cum Mediolano manente rationem vllam inibat, qua ad decus eiuſmodi perueniret. Itaque Fridericum patrem Conſtantiæ conuentum Martio menſe agentem rogauit, vt, quando induciæ Lombardorum in fine eſſent, rerum ſuarum ſtatum ſtabilire integra pace præſtanda Italiæ vellet. id cum ſibi ad animi voluptatem iucundum, tum verò ad tutam regni poſſeſsionem fore firmiſsimum. Cui Fridericus, Si in animum, inquit, inducere Itali poterunt, vt pacem æquis conditionibus poſcant, haud inuitus faciam, vt tuo rogatu concedam. Tum Henricus, Atqui ſi legatus, inquit, in Italiam cum liberis ſuper hac re mandatis miſeris, noli vereri, ne non ciuitates pacem vltro ſint petituræ. Qua re audita Fridericus Gulielmum epiſcopum Haſtenſem, marchionem Henricum Guercium, fratrem Theodoricum, & Rudolfum camerarium Placentiam eo nomine miſit. Id verò poſtquam ciuitates cognouerunt, exemplo legatos, prætoreſq. ſuos eodem & ipſæ diſtinarunt. Ibi pridie Kalen. Maij colloquio conſtituto legati Friderici tabulas eius protulerunt, in quibus ſcriptum erat, ſe arbitrium pacis inter ſe,

&

& ſocietatem Lombardiæ redintegrandæ eis permittere, quæque ipſi ſtatuiſſent, ea ſe rata in perpetuum habiturum. Quibus recitatis fœderati pacem his verbis poſtularunt: *Societas Lombardiæ, Marchiæ, Veronæ, & Venetiarum cupit habere pacem Friderici in hunc modum. Vt Fridericus pacem habeat cum Eccleſia Romana; & nos ciuitates Cremona, Mediolanum, Laus, Bergomum, Ferraria, Brixia, Mantua, Verona, Vicetia, Patauium, Taruiſium, Venetiæ, Bononia, Rauenna, Ariminum, Mutina, Regium, Parma, Placentia, Bobium, Derthon, Alexandria, Vercellæ, Nouaria, Opizo marchio Malaſpina, Comes de Brenone, & omnes caſtellani, & hommes, qui ſentiunt cū Eccleſia Dei, & nobiſcum accepta ab eo pace volumus facere omnia, quæ anteceſſores noſtri à morte poſterioris Henrici Imperatoris anteceſſoribus ſuis ſine moleſtia fecerunt. Hæc autem ſunt, quæ intelligimus Imperatorem habere debere, & anteceſſores eius habuiſſe, fodrum regale, & conſuetum, conſuetam paratam, cum tendit Romam coronæ cauſſa, & pacatum tranſitum, & commeatum idoneum. Pacatè tranſeat, & ſine maleficio, ſacramentum à vaſallis accipiat, omni offenſione remiſſa. Vaſalli expeditiones pro eo ſuſcipiant, vt ſolent, cum tendit Romam coronæ cauſſa.* Quibus poſtulatis cognitis Kalendis Maij legati iurarunt, ſe daturos operam, vt Fridericus, & filius eius pacem his conditionibus facerent. atque his rebus in tabulas relatis poſtridie Kalendas ipſi prætores ciuitatum tale ſacramentum inter ſe conceperunt: *Ego iuro omnibus ciuitatibus fœderatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, & Opizoni marchioni Maleſpinæ, me pacta omnia ſeruaturum, quæ in tabulis pacis continentur inter legatos Imperatoris, & ciuitatum fœderatarum conſcriptis. neque auctorem futurum, vt aliquod eorum minuatur, & præcepta moderatorum obſeruaturum à præſentibus Kalendis Maij vſque ad XXX annos, & hoc quinto quoque renouaturum, & Conſules, aut prætores, ac Credentiam meæ ciuitatis hoc iureiurando obligaturum.* Quibus rebus tranſactis protinus iidem prætores cum legatis Conſtantiam perrexere, remq. cum Friderico, atque Henrico præſentibus VII Kal. Iulias confecere. Ibi Fridericus tabulas pacis in hæc verba conſcripſit: *Fridericus Imperator, & filius eius Henricus, rex Romanorum, Lombardos, ac ſocietatem, & fautores eorum in gratiam noſtram recipimus, iniurias omnes, quibus nos prouocarunt, liberè remittentes. Itaque pacem, quam eis libenter conceſſimus, præſenti pagina iuſſimus ſubſcribi, & auctoritatis noſtræ ſigillo communiri. cuius hæc ſumma eſt: Nos Fridericus Imperator, & filius noſter Henricus, Romanorum rex, concedimus vobis ciuitatibus, locis, & hominibus ſocietatis regalia, & conſuetudines veſtras tam in vrbe, quàm extra vrbem, nempe Veronæ, & caſtro eius, ac ſuburbijs, & alijs vrbibus, ac ſuburbijs, locis, &*

*hominibus ſocietatis in perpetuum, videlicet vt in ipſa vrbe omnia habeatis,
ſicut adhuc habuiſtis, aut habetis, extra verò omnes conſuetudines noſtra vo-
luntate exerceatis, quas ab antiquo exercuiſtis, aut exercetis in fodro, nemori-
bus, paſcuis, pontibus, aquis, & molendinis, ſicut ab antiquo habuere conſue-
uiſtis, aut habetis, in exercitu, munitionibus vrbium, in iuriſdictione tam in
cauſsis criminalibus, quàm pecuniarijs intus, & extra, & in ceteris, quæ ad
commoda vrbium pertinent. Volumus, vt regalia, quæ vobis nos conceſsi-
mus, in hunc modum cognoſcantur. per epiſcopum loci, & homines tam de
epiſcopatu, quàm de ciuitate legantur viri bonæ exiſtimationis, & qui ad hoc
idonei eſſe credantur, quique neque in ciuitatem, neque in noſtram maieſtatem
odio priuato ferantur, qui iurent ſe bona fide inquiſituros, & inquiſita conſigna-
turos ea, quæ præcipuè ad noſtram excellentiam ſpectant. ſi autem huic inquiſi-
tioni ſuperſedendum eſſe putauerint, cenſum duum millium marcharum argen-
ti in ſingulos annos poſcimus. Si quis autem ſuper ijs, quæ vobis conceſsimus,
ſiue in vrbe, ſiue extra vrbem querelam apud nos detulerit, eam non accipie-
mus. Quod nos, aut noſter anteceſſor rex, aut Imperator epiſcopis, eccleſijs, ci-
uitatibus, aut alijs quibuſcunque perſonis, clericis, aut laicis ante bellum dedit,
firmum, & ratum habebimus, ſaluis ſuperioribus conceſsionibus, vt pro ea ſo-
luta nobis obſequia præbeantur, ſed non cenſus ſoluatur. Conceſsiones, quas pro
bono pacis ciuitatibus cònceſsimus in vrbibus, aut extra, illorum regalium no-
mine non intelligimus, pro quibus cenſus debeat ſolui. Priuilegia omnia, &
data, & conceſsiones, quæ in præiudicium, aut damnum vrbis, aut locorum,
aut perſonarum ſocietatis occaſione belli ad alicuius iniuriam à nobis, aut à nun-
cijs noſtris indultæ ſunt, deleantur. In ea vrbe, in qua epiſcopus priuilegio Im-
peratoris, aut regis comitatum habet, ſi conſules per ipſum epiſcopum conſula-
tum ſolent recipere, ab ipſo recipiant, ſin minus, à nobis. Eadem ratione in
ſingulis vrbibus conſules conſtituentur à nuncio noſtro, qui ſit in vrbe, aut epi-
ſcopatu, & inueſtituram accipient, & hoc vſque ad quinquennium, eo tran-
ſacto vnaqueque ciuitas à nobis recipiet, & intra quinquennium à nuncio noſtro,
ſicut dictum eſt, niſi nos in Lombardia fuerimus. Eadem obſeruentur in ſuc-
ceſſore noſtro. omnes inueſtituræ gratis fiant. Cum autem nos Imperator diſceſ-
ſerimus, aut regnum filio noſtro tradiderimus, ſimili modo à filio noſtro, aut
eius ſucceſſore inueſtituram recipietis. In cauſis appellationum ſi ſumma vigin-
ti quinque librarum imperialium exceſſerit, appellatio ad nos fiat, ſaluo iure, et
moribus Brixianæ eccleſiæ in appellationibus, ita tamen, vt non cogantur in
Alemaniam ire, ſed nos habebimus proprium nuncium in vrbibus, aut epiſco-
patu, qui de ipſa appellatione cognoſcat, & iuret, ſe bona fide cauſſas exami-
naturum, & definiturum ex legibus, & moribus ciuitatis intra duos menſes à
conteſtatione litis; Conſules, qui conſtituentur in ciuitatibus, tales ſint, qui fide-*

litatem iurauerint nobis, vel iurent, antequam conſulatum ineant. Vaſalli noſtri à nobis inueſtituram recipiant, & fidelitatem iurent, vt vaſalli. reliquis omnes vt ciues à ſexdecim annis vſque ad ſeptuaginta, niſi eiuſmodi ſint, quibus debeant, & poſsint ſine fraude ſacramenta remitti. Vaſalli, qui tempore belli, aut induciarum non poſtulauerint inueſtituram, aut debita nobis officia non præſtiterint, hac occaſione feudum non amittant. Libellariæ, & precariæ in ſuo ſtatu permaneant ex conſuetudine cuiuſque ciuitatis. Moram ſuperfluam in vrbe, aut epiſcopatu damno ciuitatis non faciemus. Vrbes muris cingere, aut exteriores munitiones conſtruere eis liceat. Societatem, quam habent, retinere, & cum voluerint renouare eis liceat. Pactiones timore noſtro factæ ſint irritæ. Pacta Placentinorum, nempe pactum pontis Padi, & fictum eiuſdem pontis, et regalium, & datum, et pactum, quod epiſcopus Hugo fecit de Caſtro Arquato, & ſi qua facta ſunt ſimilia ab ipſo epiſcopo, aut à Communi, aut ab alijs hominibus ſocietatis nobiſcum, aut cum nuncio noſtro ipſo ponte remanente remaneant cum omnibus ſuis vtilitatibus Placentinis, ita tamen vt teneantur perſoluere fictum abbatiſſæ S. Iuliæ Brixiæ. Sententiæ, quæ ex iure, & legibus, & conſuetudinibus contra aliquos de ſocietate latæ ſunt occaſione belli aut diſcordiæ irritæ ſint. Poſſeſſiones omnes, quas quiſque de ſocietate belli tempore tenebat iuſtè, ſi per vim ablatæ ſint eis, qui de ſocietate non ſint, ſine damno reſtituantur, aut ſi eas recuperauerit, quietè poſſideat, niſi per electos arbitros ad cognitionem regalium nobis aſſignentur. Opizoni marchioni omnem iniuriam, quam nobis, aut alicui partis noſtræ fecerit, poſtquam in ſocietatem venerit, vel per ſe, vel per aliquam perſonam cum ſocietate, vel defendendo aliquem de ſocietate, in gratiam recipimus. Iuriſdictionem, quam Mediolanenſes exercere conſueuerunt in comitatibus Seprij, & Martheſanæ, & Burgariæ, & in alijs comitatibus, exceptis locis quæ Bergomates nomine noſtro tenent inter Abduam, & Ollium, excepto Romano veteri, & Bariano, eam, quam nunc exercent, liberè, & quietè habeant, & poſsideant voluntate noſtra ſaluis pactis & datis, & conceſsionibus, quæ Mediolanenſes pro Communi fecerunt ciuitatibus Bergomo, & Nouariæ, & Laudi. Pacta inter ciuitates, & ſocietates quondam facta firma permaneant. nec aliquid intelligatur acquiſitum Mediolanenſibus in epiſcopatu Laudenſi præter dictas conceſsiones, ſaluo iure aquæ Lambri, ſi quod habent, aut in pedagio. Omnes de ſocietate, qui fidelitatem nobis iurabunt, in ſacramento adijcient, ſeruaturos poſſeſsiones, & iura, quæ habemus in Lombardia, & poſsidemus; extra ſocietatem iurabunt nos ſeruaturos bona fide, ſi opus fuerit, & cum ſuper hoc à nobis, aut à certo nuncio noſtro fuerint requiſiti, & ſi amiſerimus, recuperaturos, ita tamen, vt proxima quæque ciuitas hoc officio maximè teneatur, & ſi opus fuerit, aliæ ciuitates quæ ſunt in finibus Lombardiæ ſimiliter teneantur. Si qua ciuitas has conſtitu-

tiones non obſeruauerit, reliquæ teneantur bona fide ad obſeruandum compellere pace integra permanente. Nobis intrantibus Lombardiam fodrum conſuetum, & regale, qui ſolent, & debent, & quando ſolent, & debent, præſtabunt. & vias, et pontes bona fide reficient, in eundo, & redeundo commeatum idoneum, & nobis et noſtris præbebunt. decimo quoque anno fidelitates renouabunt. ſi qui ex parte noſtra ex ſuis iuſtis poſſeſſionibus expulſi ſunt, reſtituantur. Reſtituimus ſtratam Veronenſibus, & Icilinum in gratiam recipimus. Nomina vrbium, quibus gratiam noſtram reſtituimus, & præſcriptam conceſſionem fecimus, hæc ſunt. Vercellæ, Nouaria, Mediolanum, Laus, Bergomum, Brixia, Mantua, Verona, Vicetia, Padua, Taruiſium, Bononia, Fauentia, Mutina, Regium, Parma, Placentia. His autem ciuitatibns, & locis pacem, & gratiam noſtram reddimus, verùm conceſſionem non facimus, videlicet Imolæ, Sancaſſiano, Bobio, Plebi de Grabadona, Feltriæ, Belluno, Cenetæ. Ferrariæ autem gratiam noſtram reddimus, & conceſſionem facimus, ſi intra duos menſes poſt reditum Lombardorum à curia noſtra de pace præſcripta cum eis concordes fuerint. Legati autem ciuitatum hanc pacem receperunt, & in præſentia noſtra iurarunt, Mediolani, Brixiæ, Placentiæ, Bergomi, Veronæ, Vicetiæ, Paduæ, Taruiſij, Mantuæ, Fauentiæ, Bononiæ, Mutinæ, Regij, Parmæ, Laudis, Nouariæ, & Vercellarum. Hæ verò ſunt ciuitates, & loca, quæ pacem præſcriptam ſub iuramento Lombardorum nobiſcum receperunt, & eandem per ſe iurauerunt, Papia, Cremona, Comum, Aquæ, Derthona, Haſta, Cæſarea, Genua, Alba, & aliæ ciuitates, & loca, & perſonæ, quæ ſunt, & fuerunt in parte noſtra. Hæc autem ſunt nomina ciuitatum, quarum legati inueſtituram conſulatus à nobis nomine ciuitatum receperunt, Mediolanum, Placentia, Laus, Vicetia, Padua, Taruiſium, Mantua, Fauentia, Bononia, Mutina, Regium, Parma, Nouaria, Vercellæ, Bergomum. Acta anno Incarnationis MCLXXXIII. Data apud Conſtantiam in ſolemni curia VII Kal. Iulij. Quo facto ciuitates ita iurarunt. *Iuro ego me poſthac fidelem fore Friderico Imperatori, & filio eius Henrico regi, neque in conſilio futurum, vt ipſi vitam, aut regnum amittant, & ſi quem id moliri compererо, me aut Imperatori, aut regi, aut legato eorum indicaturum, auxilioq. futurum, vt regnum teneant, & ſi amiſerint, recuperent, & pacem ab ijs, & ſua parte cum ſocietate Lombardorum factam obſeruaturum, & omnes mecum habitantes mares à XVI annis vſque ad ſeptuaginta hoc ſacramento obligaturum.* Has inde tabulas ſinguli domum rettulerunt, neque quidquam ex eis à ſucceſſoribus detrahi ſumma poſthac ſemper ope contenderunt. hodieq. in omnibus ferè ciuitatū Tabulariis multis exemplis deſcriptæ reperiuntur, eaq. vulgo Pax
1184 Conſtantiæ nominatur. Poſtero Alexandrini legatos ad Frideri-

cum in Germaniam miſerunt conuentum Norimbergæ habentem, atque eum allocuti V Idus Martias hoc fœdus impetrauerunt: *Vt ciues Alexandrini omnes pro arbitrio Friderici vrbe exirent, & tandiu extra eam morarentur, quoad per ipſius legatum ſolemni more introducerentur, vt actu iſto, & ille dare, & hi accipere de manu Imperatoris patriam viderentur. vt vrbem poſthac conſtanti nomine Cæſaream appellarent; annui conſules honorem à Cæſare, cum in Italia eſſet, acciperent; ſin minus, ab eius legato, aut quinto quoque anno legatos in Germaniam ad eum petendum mitterent; bellum & pacem arbitratu Friderici facerent; Fridericus eos ab alieno imperio defenderet; Legatum in vrbe collocaret, qui cum conſulibus litium grauiorum iudicia exerceret, reipublicæ curam gereret, portorium pontis Tanari, ac reliqua vectigalia exigeret, &c, ſi auxilio egeret, id à proximis ciuitatibus peteret, Papia, Derthona, Haſta, Alba, Aquis, Caſali, & Marchionibus Vaſti, & Boſchi, & Ocimiani.*

CAROLI SIGONII
HISTORIARVM
DE REGNO ITALIÆ
Liber Quintuſdecimus.

PACE Lombardiæ reſtituta, non tamen aut Eccleſia, aut Italia ipſa prorſus ſuam eſt tranquillitatem adepta. Quippe Saladinus, princeps Sarracenorum, homo non acumine ſolum ingenij, quo ceteros illa ætate principes ſuperauit, ſed opibus etiam, ac multis rebus fortiter, ac proſperè geſtis vniuerſo Orienti iam formidandus, occupata Aegypto, demum ſe ſe in Syriam intulit, atque ipſis Chriſtianorum vrbibus infeſtius, Chriſtiani nominis ardens odio, inſultauit, haud dubie breui omnia impiorum in poteſtatem iterum redacturus, niſi vniuerſis, vt ante, armati Occidentis opibus eſſet repreſſus. Romani verò cum Tuſculanis bellum gerentes vſque adeo ipſum etiam fautorem eorum Pontificem habere odio inſtiterunt, vt contumeliæ cauſſa omnes amicos eius non grauibus ſolum iniuriis, ſed acerbis etiam cruciatibus ad dolorem inurendum afficerent. Quin etiam Fridericus Imperator cum multa ex ditione Eccle-

ſiæ oppida in Marchia, Vmbria, Etruria, & Romaniola occupata teneret, non modò non ea reſtituebat, ſed proxima quoque affectare ſe, oſtendebat. Italici verò populi partes Eccleſiæ, Imperiiq. per belli tempus aſſerere conſueti eoſdem etiam pacatis rebus animos inter ſe retinebant, ita vt, quaſi alter alterius temporibus inhiaret, vicinos ſibi quiſque populos ſacramento ad ſui conſeruationem, alterius verò perniciem obligaret. Neque verò ſolum prouinciæ hac peſte erant infectæ, ſed ſingulæ ciuitates eiuſmodi adhuc odiis, familiis inter ſe eo nomine diſsidentibus, laborabant. Ardebat præterea in pleriſque conſularis inter ſuos poteſtatis cupiditas ita, vt eius adipiſcendę cauſſa perniciosos ciere tumultus non vererentur. ea verò vulgo à priuatis, & maximè potentibus ita contemnebatur, vt cædes, latrocinia, ac grauiſsima quæque flagitia impunè ſe patrare poſſe confiderent. Cuius coercendi mali cauſſa prętorem peregrinum pleræque aſciſcere, eique ſummum in ſe imperium committere perrexerunt. eaque vna via inuenta eſt ad eos puniendos, qui aduerſus remp. aut per libidinem, aut per ſcelus, aut per ſeditionem aliquid commiſiſſent. Quibus de rebus, creſcente iam in molem opere, quàm diſtinctiſsimè poterimus, deinceps, vt cœpimus, diſſeremus.

Ceterum tumultuantibus in vrbe Romanis, atque exitium Pontifici, ni imperio cederet, intentantibus, Lucius tandem Latio egredi ſtatuit, ac, concilio Veronam indicto, cum Cardinalibus pleriſque eò iter inſtituit. Per Etruriam tranſiens Lucam patriam adiit. atque ibi baſilicam S. Martini plurimis priuilegiis honeſtauit. Inde VIII Idus venit Bononiam. ibi Ioannis epiſcopi rogatu baſilicam S. Petri, quæ inſtaurata ex incendio fuerat, conſecrauit, atque aram maximam aureo ſtragulo, multiſque ſanctis reliquiis inſignitam reliquit. Mutinam inde IIII Idus progreſſus poſtridie precibus Gerardi archiepiſcopi Rauennatis, & Ardicionis epiſcopi, & conſulum Mutinenſium, & fœderis moderatorum adductus baſilicam S. Geminiani ea forte tempeſtate perfectam magna cæremonia dedicauit, ac corpore ipſius Confeſſoris populo id in primis cupiēti oſtenſo in perpetuum quadragenariam peccatorum remiſsionem iis, qui noxiis ſuis expiari ſanctè illius Natalicia coluiſſent, indulſit. poſtridie ſub lucem, ciuitati ſalutem, atque incrementum à Deo precatus, vrbe exiit. &, cùm ad mille circiter paſſus eſſet progreſſus, quod adhuc non ſenſerat, inuiſitato ſe comitatu ſtipatum animaduertit. Erant autem hominum amplius duo millia, qui honoris, ac pietatis gratia ipſum ab vrbe pedibus proſequuti cum accenſis cereis præcedebant. Itaque ad eos conuerſus his verbis

dimiſit:

dimiſit: *Gratias agimus vobis de honore, quem nobis tam inſignem adhibuiſtis*, ac ſignans eos addidit: *Benedicta ſit terra, quam incolitis, & benedicti vos, & poſteri veſtri in perpetuum*. Cuius rei monumento Mutinenſes tabulam in pariete baſilicæ in forum vergente hanc hiſtoriam continentem, vt nunc quoque eſt, poſuerunt. Inde traiecto Pado Veronam peruenit, nec multò pòſt Fridericus quoque rebus Germaniæ per conuentum in Pentecoſte habitum conſtitutis pridie Kal. Auguſti acceſsit. Concilio conuocato, cui raro exemplo Pontifex, & Imperator intererant, de iis potiſsimùm rebus, quæ Chriſtianam ea tempeſtate premebant Eccleſiam, eſt relatum, nempe de contumacia Romanorum, bello Sarracenorum, & Romanæ Eccleſiæ ditione. Romani, vt hoſtes Eccleſiæ, diro ſenatuſconſulto notati. Chriſtianis laborantibus auxilia ſummittenda, omneſq. ad eorum, qui quondam Hieroſolyma receperunt, virtutem, pietatemq. imitandam excitandos eſſe, decretum. plus nimirum dedecoris contracturos eſſe Chriſtianos, ſi partam Sepulchri poſſeſsionem amittant, quàm gloriæ adepti ſint, cum pepererint. Lucio poſtulanti, vt Fridericus Mathildis hereditatem, ceteraq., quæ Eccleſiæ iuris teneret, reſtitueret, ille abnuit. Eidem verò petenti, vt Henricus filius rex inſignibus Auguſtalibus ornaretur, diſertè item à Lucio denegatum. atque ita exulceratis vtrinque animis concilium eſt dimiſſum. Lucius Romanos auerſatus Veronæ ſibi ſubſiſtendum putauit. Fridericus III Nonas Nouembris, adhuc in villa S. Zenonis prope Veronam fuit. Verona inde digreſſus Mediolanum acceſsit. atque ibi magno rerum apparatu Henricum filium, qui ſe ſubſequutus aduenerat, per Lambertum archiepiſcopum regem Italiæ fauentibus Mediolanenſibus coronauit.

IDEM FRIDERICVS IMPERATOR CVM HENRICO FILIO REGE.

FRIDERICO in Italiam reuerſo Imperiales in Etruria ſuſtulere animos, atque eccleſiaſticis vrbes tenentibus ſe ſe negarunt obſequuturos. Quod cum Vrbeueti præcipuè contigiſſet, Eccleſiaſtici, amicis ex proximis oppidis aduocatis, Imperiales vrbe cum ſuis familiis extruſere. Expulſi ad Fridericum confugerunt, ſeq. ab Eccleſiaſticis vrbe exactos, quia parti ipſius fauerent, docuerunt, &, vt reduceret, obſecrarunt. Fridericus, qui Vrbeuetanos Alexandro ſtuduiſſe, atque aduerſus Impe-

rium

rium libertatem aſciuiſſe meminerat, ſe non defuturum reſpondit, atque Henrico, vt cum exercitu exules, ſi opus eſſet, reſtitueret, imperauit. Henrico exercitum Vrbeuetum ducente, Vrbeuetani rebus ſuis diffiſi Romanos proceres Roma, atque ex aula pontificia vocauere, atque vrbem firmare omni munitionum genere inſtitere. Affuerunt etiam Peruſini, Florentini, Lucenſes, Eugubuni, Aſiſiates, Spoletani, Vmbri, & Marchiani. Henricus autem exulum Vrbeuetanorum, Cornetanorum, aliorumq. Imperialium auxiliis circunfuſus ingentem Germanorum exercitum in Etruriam duxit. ac Montem Politianum, Cluſium, Aquam pendentem, Vlſinios, Balneoregium, & alia obſcuriora loca primo aduentu cepit. ac demum Vrbeuetum, exercitu admoto, obſidione circundedit. Eodem anno VII Kal. Septembris Balduinus, rex Hieroſolimorum, apud Romam exercitum Saladini in fugam dedit, atque occidione occidit.
1185 & Gothifredus Eccleſiam Aquileienſem accepit. Poſtero Iſaacius Angelus Imperium iniit. & Fridericus regnum de more luſtrare, populorumq. erga ſe voluntates explorare contendit. Mediolano Cremam, Crema Placentiam, atque inde Parmam, & Parma Regium ventum. Vbique iura populorum recognita. Regii ab illuſtri Mediolanenſium legatione conuentus roganti ciuitati conceſſit, vt ſaluo Paratæ tributo, iuriſdictionem antiquam à Ticino ad Abduam obtineret cum Transabduanis oppidis ad Ollium pertinentibus, &, ne ipſe impulſu Papienſium poſthac bellum faceret Mediolanenſibus, nec Mediolanenſium Papienſibus, ſed controuerſias iudicio dirimeret, neque ſocietatem cum vlla ciuitate Lombardiæ, Romaniæ, & Marchiæ Mediolanenſibus inconſultis iniret. Alij pactum adiiciunt, vt Mediolanenſes ipſi opem ad repetenda iura Lombardiæ, Romaniæ, & Marchiæ, & nominatim ad Mathildis ditionem recuperandam afferrent. Promiſiſſe etiam Mediolanenſes à ſibi iuuenſo, conſules cum Conſilio Credentiæ, itemque omnes ciues ab ætate octodecim annorum vſque ad ſeptuaginta iuraturos, ſe opem laturos Imperio. illum verò donaſſe ciuitati regalia, quæ habebat in archiepiſcopatu Mediolanenſi, ſiue in Communibus Septii, Martheſii, Burgariæ, & aliis. Regio inde Mutinam, ac Mutina Bononiam Kalendis Aprilis proceſſit. atque inde animis Romaniolæ pertentatis Fauentiam parere recuſantem nactus obſedit, ac tandem obedire per Bertoldum Cancellarium ſuum coegit. In Etruriam inde per Iulium menſem tranſgreſſus omnibus ciuitatibus præter Piſas, & Piſtorium, quia ſuperiore bello cum Eccleſia ſenſerant, totius agri iuriſdictionem

ademit. atque ibi legatos ſuos ad ius dicendum præpoſuit. Interim Henricus Vrbeueti continuauit obſidionem, verùm Eccleſiaſticis omnibus difficultatibus impigre occurrentibus, minus opinione profecit. Hoc anno Saladinus cladem antea Chriſtianis illatam rettulit. Nam, exercitu Chriſtianorum cum magiſtro militiæ Templi deleto, Cæſaream, Tiberiadem, & Neapolim occupauit. Hanc cladem inſuper Balduini quoque regis onerauit interitus. Balduino verò ſororis eius filio nouenni puero ad regnum euecto patriarcha, & magiſter Hoſpitalis ad Lucium pontificem perrexerunt, eoq., quo in periculo res Orientis eſſent, edocto acceptis ab eo litteris ad Henricum Angliæ regem auxilium imploratum iuerunt. Septimo inde Kal. Decembris Lucius pontifex Orientalibus curis oppreſſus Veronæ eſt mortuus. Iuſtis perſolutis Cardinales conuenerunt, ac Lambertum Mediolanenſem archiepiſcopum, eundemq. Cardinalem presbyterum ſuffecerunt, ac mox conſecratum Vrbanum tertium appellarunt. Is Lucij exemplo Romanorum odio, ac tumultibus excitus Veronæ ſibi manendum putauit. Extremo anno moderatores fœderis Placentiæ conuenere, ac decimo Kal. Ianuarias pacem inter fœderatas ciuitates compoſitã hoc ſuſcepto ſacramento confirmauere: *Ego iuro omnibus ciuitatibus ſocietatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, & Opizoni marchioni Maleſpinæ, & omnibus hominibus prædictæ ſocietatis pacta ſeruaturum bona fide, prout in tabulis pacis inter legatos Imperatoris, & moderatores, ac legatos ciuitatum ſocietatis Lombardiæ compoſitis continetur, & omnia præcepta, quæ moderatores ediderint, ſeruaturum, & omnia prædicta cuſtoditurum à Kalendis Maij præſentibus vſque ad annos triginta, & quinto quoque renouaturum, & in hæc omnia iureiurando adacturum ciues meos à XVIII annis ad LXX, & conſules, aut prætores, & Credentiam meæ ciuitatis vſque ad eum terminum, qui mihi præſcriptus fuerit per moderatores ſocietatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ in hoc colloquio.* Eodem anno Milo Cardanus ad archiepiſcopatum Mediolanenſem, & Gulielmus ad Rauennatem aſcendit. Italia verò ingenti adeo terræ motu contremuit, vt eius impetu exterior pars amphiteatri Veronenſis corruerit. Fridericus poſt pacem cum Gulielmo Siciliæ rege conciliatam animum quoque ad iungendam affinitatem adiecit, atque ab eo Conſtantiam vxorem Henrico filio poſtulauit. Hæc erat Rogerii regis aui eius filia. quæ Gulielmo ſine prole moriente regnum ſecum erat Siciliæ adductura. Hanc igitur Gulielmus, poſtquam ipſe de filiis ex Ioanna vxore ſuſcipiendis deſperauit, haud grauate iam grandiorem na-

tu Henrico regi deſpondit, eumq. in ſpem regni poſt exceſſum ſuum obtinendi erexit. Itaque, cum eſſet magno comitatu in Lombar-
1186 diam ſequenti ineunte anno adducta, Fridericus eam Mediolani excepit, ac ſexto Kal. Februarias ſplendidiſsimo apparatu ſponſalia in hortis ſancti Ambroſij celebrauit. Hoc quia vulgari ſcriptorum, populorumq. opinioni repugnat, placet veterum hiſtoricorum auctoritate fulcire. Gothifredus Viterbienſis, qui ad ipſum Henricum ſcripſit, & in ipſo hiſtoriam terminauit, ſic inquit: *De domino rege Henrico, filio Domini Friderici Auguſti adhuc adoleſcente geſta non tenemus. videmus autem eius elegantiſsimam formam, laudabilem militiam, audaciam, & largitatem, beneuolentiam, pietatem, iuſtitiam, atque omnes regias virtutes, quas ex ætate adoleſcentum poſſemus optare. Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo octuageſimo ſexto, indictione quarta, VI Kalendas Februarij rex Henricus ſextus cum regina Conſtantia, filia Rogerij regis Siciliæ, nuptias glorioſas celebrauit apud S. Ambroſium, anno ætatis ſuæ viceſimo primo, anno autem regni ſui decimo ſeptimo.* & Abbas Vrſpergenſis, qui per hæc tempora vixit: *Fridericus deſponſauit Henrico, filio ſuo, Conſtantiam, filiam Rogerij quondam regis Siciliæ, quam tunc in poteſtate habebat Gulielmus, qui eam nutriuit, & ipſius nomine regnum gubernauit.* & Gulielmus Neubrigenſis Anglus, qui hoc tempore floruit: *Gulielmus, rex Siciliæ, mortuus eſt anno Domini milleſimo centeſimo octuageſimo nono. Eius conſobrina, cui eo mortuo regni competere videbatur hæreditas, regi Lombardiæ Teutonici Imperatoris filio nupſerat.* VIII inde Idus Februarias Fridericus Papiæ (nam eo ſe Mediolano contulerat) & quidem apud ſancti Saluatoris baſilicam fuit. Sponſalibus Henrici honeſtandis cum omnibus è Lombardiæ ciuitatibus legati adeſſent, Cremona non affuerunt. Eam rem vſqueadeo iniquo ille animo tulit, vt primo quoque tempore Cremam oppidum ad dolorem Cremonenſibus faciendum iuſſerit reparari. Quod opus cum impedire conati Cremonenſes eſſent, ira feruidus carroccium Mediolanenſium eduxit, & aduerſus eos, Placentinorum, Brixianorum, & Bononienſium, aliorumq. copiis vſus, proceſsit, caſtellaq. eorum Soncinum, & Manfredum armis occupata euertit. demum vrbem adortus mœnia magna ex parte diiecit, ac multos eorum captiuos abduxit. Quibus malis Cremonenſes adducti pacem per epiſcopum ſuum Sicardum, ſummæ tum auctoritatis hominem, petierunt, eamque impetrarunt. Crema ipſa foſsis, & vallis intra tres menſes munita Frixorium inde eſt Cremonenſium appellata. Cremonenſibus in gratiam receptis captiui redditi,

inſula Fulcheriæ, & caſtrum Manfredi conceſſa, & ius pecuniæ ſignandæ, qua omnes ciuitates Italiæ vterentur, indultum. Fridericus inde iuriſdictionem Mediolanenſibus auxit, conceſsis caſtris omnibus, quæ ab Abdua ad Ollium pertinebant. & filiam Gulielmo marchioni Montisferrati in matrimonium collocauit. atque Italia Henrico regi commiſſa, ſeſe in Germaniam retrulit. Profecto Italia patre, Henricus regnum adminiſtrare pro ſuo iudicio inſtitit. Itaque, cum caſtra ad Vrbeuetum adhuc Iulio ineunte haberet, Odonem de Comite, & Diaconum de Perſico nomine ciuitatis Cremonenſis agentes recepit in gratiam, iurauitq. ſe nunquam moleſtum fore Cremonenſibus propter damna, aut iniurias patri ſuo, aut ſibi illatas. Mediolanenſibus autem ius prætoris pro arbitrio creandi conceſsit, qui Comes eſſet, & ius vitæ, neciſq. haberet. Quo facto apud eos antiquum ius Vicecomitis exoleuit. Primus hoc honore Vbertus ex Vicecomitum familia Placentinus affectus eſt. Vrbeuetani ſummis rerum ad victum pertinentium anguſtiis conflictati peregrinorum, puerorum, ſenum, fœminarumq. inutilem bello turbam, & res pretioſiores ex vrbe, porta à caſtris hoſtium maximè auerſa emiſerunt, vſi auxilio Romanorum, & Peruſinorum, qui eos firmò admoto equitatu exceperunt, atque inde mœnia defendere nullam aliam ſui copiam facientes ſtatuerunt. Qua re comperta exules, qui bellum trahi deficientibus in dies pecuniis cognoſcebant, ad pacem animos inclinarunt. Germani vero, quos adhuc vrbanæ ſpes prædæ fouerat, ad agri vaſtationem, illa deturbati, ſe conuerterunt. Albericus Sala prætor Cremonæ vrbis portas ex lateribus ſtruxit, pontes impoſuit, foſſas repurgauit, & fœdus cum Parmenſibus icit, quo ſe mutuis officiis adiuturos, vſu poſtulante, iurarunt. Sequenti anno Henricus fruſtra ſe ad Vrbeuetum ſedere animaduertens cum Vrbeuetanis 1187
pepigit, vt exulibus bona ſua poſsidere, & Balneoregii, Aquapendente, & Vulſiniis eſſe liceret, atque inde ab obſidione diſceſsit. Per Auguſtum inde menſem Bononiam cum veniſſet, ciuitati patris priuilegia confirmauit. Inde, vt gratum Mediolanenſibus facetet, Comiti Sabaudiæ, à quo multa ſe illi accepiſſe detrimenta, præ ſeferebant, arma mouit. atque eorum carrocio, militibusq. eductis Villianæ caſtrum, quod eſt ſupra Taurinum, obſedit, idq. captum ſolo æquauit. Mediolanenſes in Vallem Tari profecti Carbonariam, Dezelatum, & Faſtigium, caſtra marchionis Maroelli Malæſpinæ diruerunt. Saladino in Syria ſæuiente, ac regibus Occidentis in ſubſidiis ſubmittendis ſegnius ſe gerentibus, Vrbanus pon-

pontifex, vt aliquid in Italia ageret, conſilium Venetias eundi cepit, vt Ducem ad claſſem primo quoque tempore in Orientem emittendam vrgeret. ac noua vrbis baſilica Veronæ XVII Kal. Octobris conſecrata Ferratiam verſus ire perrexit. Ibi cum ad feſtum diem S. Lucæ eſſet, triſtem ecce nuncium ex Oriente accepit: poſt Tiberiadem à Saladino captam exercitum Chriſtianum, qui frequens ad ſarcienda damna concurrerat, ineunte Iulio eſſe occidione occiſum, in primiſq. milites Templi, & Hoſpitalis inſigni probata virtute ſua deletos; Saladinum hac re bene geſta elatum Ptolemaidem inde cum aliis vrbibus, atque in primis exeunte Septembri vrbem ipſam ſanctã Hieroſolymorum adduxiſſe in poteſtatem; Crucem Domini in manus impiorum perueniſſe, & Vidonem Luſignanum regem nouum captum in cuſtodiam eſſe coniectum. Qua ex re tantum ille doloris hauſit, vt ſuſtinere non potuerit, ac Ferrariæ XIIII Kal. Nouembris mortem obierit. Hac clade conſternati Cardinales haudquaquam tamen animo defecerunt, verùm extemplo comitia nouo creando Pontifici habuerunt. ac Deo bene iuuante Albertum, Cardinalem presbyterum, Vrbani cancellarium, ciuem Beneuentanum poſtridie eius diei ſubſtituerunt. is Gregorii Octaui nomine inſignitus VIII Kalendas eſt conſecratus. Neubrigenſis prodidit, Vrbano mortuo, & Gregorio vix dum ſuffecto nuncium acceptæ cladis in aulam, quæ adhuc Ferrariæ ſedebat, eſſe perlatum; Nemo creari Gregorio acrior, ac diligentior potuit. is virtute, & pietate recuperandum, quod humana iniquitate amiſſum erat, exiſtimans poſt quatuor dies epiſtolam ad omnes Principes, populoſq. Chriſtianos dedit. cuius hæc ſententia fuit: *Nuncio cladis Hieroſolymitana accepto nos cum fratribus noſtris tanto dolore oppreſſi ſumus, vt nec quid dictu, nec quid factu opus eſſet, ſuppeteret. Quid enim atrocius audiri, aut miſerius potuit, quàm per diſſenſionem noſtrorum Chriſtianum exercitum eſſe conciſum, crucem Domini captam, Templarios, Hoſpitalarios, atque epiſcopos trucidatos, vrbem regiam cum ipſo rege in poteſtatem hoſtium conceſſiſſe? Hac verò quamuis grauiſſima ſint, non tamen adeo deſpondendi animi ſunt, vt credatur, Deum, quod ira percitus ob communia peccata euenire permiſit, non eundem placatum per miſericodiam pænitentia correcturum; & poſt lacrymas lætitiam inducturum. potuit ille quidem ſola eam terram voluntate ſeruare, ſed nos conſilij eius rationem non debemus exquirere. voluit is forſitan experiri, num quis ſit, qui oblatum tempus pænitentiæ complectatur. Quamobrem hortor omnes, vt ſe, & ſua cuſtodienda dent ei, à quo ſe, & ſua omnia receperunt, nec dimittant, ſed permittant in cæleſte horreum, quæ habent, & reponant apud eum, apud*

quem

quem ærugo, aut tinea non demolitur, nec fures ſuffodiunt, ac furantur, laborantes pro recuperatione terræ illius, in qua pro ſalute noſtra Veritas de terra eſt orta, & ſuſtinere pro nobis crucis patibulum non deſpexit. Nos eis, qui corde contrito, & humiliato ſpiritu laborem itineris huius ſuſceperint, et in pœnitentia peccatorum, & fide recta deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam, & vitam æternam pollicemur. Bona quoque, ex quo crucem aſſumpſerint, ſub Sanctæ Romanæ Eccleſiæ protectione erunt, epiſcoporum, atque abbatum in ſua cuiuſcunque ciuitate fidei commendata. neque ipſi vllam interim de ijs, quæ in ſuſceptione crucis poſſederint, donec redierint, controuerſiam patientur. Moneo verò, ne eant in veſtibus pretioſis cum canibus, atque auibus, aut alijs, quæ oſtentationi potius, aut laſciuiæ, quàm neceſſarijs videantur vſibus inſeruire, ſed modeſto apparatu, & habitu, in quo pœnitentiam potius agere, quàm inanem affectare gloriam videantur. Neque ita multò poſt, vt Piſanos cum Genuenſibus iungeret, Piſas ire intendit. Ceterùm Piſani ſuperioribus menſibus violata pace mercatores Genuenſes ex Iudicatu Caralitano Sardiniæ deturbatant, eoſq. bonis ſuis exuerant. Genuenſes autem, etſi terreſtres, maritimaſq. copias ex itinere Henrici regis rogatu reuocarant, tamen triremes decem deinde ex improuiſo in Corſicam miſerant, ac Bonifacium Piſanis ademerant. Hos igitur populos maximum ad bellùm Orientis momentum afferre poſſe Gregorius perſuaſus Parmenſi, & Bononienſi itinere Piſas, vt eos inter ſe conciliaret, proceſsit. verùm vbi eò acceſsit, morbo & ipſe intempeſtiuè oppreſſus XVII Kal. Ianuarias obiit. Eodem anno Conradus marchio Montisferrati in Syriam voti cauſſa profectus, cum Ptolemaidem, & Hieroſolyma teneri fortè ab hoſtibus inueniſſet, Tyrum iniit eamq. aduerſus hoſtes defendere inſtitit, & inſignem inter Sarracenos virum captiuum factum cum patre, qui maximo ſuperiore prœlio captus fuerat, permutauit. Fœdus nuncius Hieroſolymitanæ calamitatis, ac pia optimi Pontificis ad ſuſcipiendam Crucem hortatio cum alios principes Occidentis, tum in primis ipſum, vt decuit, Fridericum Imperatorem commouit. Itaque Orientali bello decreto conuentum principum apud Norimbergam coegit, ac leges de pace in Germania ſe abſente ſeruandas III Kal. Ianuarias pertulit. atque inde magnos toto regno delectus indixit. Eodem anno Vido in locum
Gulielmi demortui Rauennas eſt archiepiſcopus lectus. Poſtero in- 1188
eunte, Cardinales Piſis comitia pontificia habentes Paulum Scholarem, Cardinalem, ciuem Romanum menſe Decembri ſuffecerunt. extat priuilegium ab eo X. Kal. Ianuarias Piſis Eremitis Camaldulenſibus datum anno primo. Inde VIII Idus Ianuarias conſecrarunt,

ac Clementem tertium appellarunt. Hic pontificatu inito primum omnium Romanam controuerſiam, propter quam Lucius, Vrbanus, & Gregorius ab vrbe propè in exilio abſuerat, componendam putauit. ac re cum Romanis agitata haud ægrè, vt, qui ciuis Romanus erat, vt ad obſequium Eccleſiæ redirent, euicit. Ceterùm res ita conuenit, vt Romani patricium abrogarent, Senatores autem, & præfectum vrbis ita crearent, vt à Pontifice inueſtituram per mantum acciperent. Qua re compoſita ipſe Romam ingreſſus cum Cardinalibus ingenti omnium lætitia eſt receptus. Atque hunc in modum ſeditioni, quæ omnes poſt Innocentium pontifices agitauit, felix tandem eſt finis impoſitus. Diſcordia Romana ſedata, animum inde ad res Orientales, quæ omnium occupauerant curas, applicuit. Itaque exemplo Gregorij Genuenſes, & Piſanos ad compromiſſum in ſe faciendum ad duxit, atque auctoritate ſua omnem diſſidij materiam ſuſtulit. ac protinus legatis ad diuerſas terrarum partes dimiſsis rurſus Crucem indixit. Nunquam aliàs maior in Occidente armorum ardor, nunquam alacritas animorum pro re Chriſtiana recuperanda vehementior, quàm tum, Clemente Crucem denunciante, conſpecta eſt. Nam præter Fridericum Imperatorem Philippus rex Franciæ, Henricus Angliæ, & Gulielmus Siciliæ, reges, Dux Burgundiæ, multique præterea Comites populos ſuos excitarunt, ac ſe ſequi ad opus omnium pulcherrimum impetarunt. Italia verò huius laudis principatum appetens frequentiſsima cruces Vidone archiepiſcopo Rauennate, legato pontificio, miniſtrante, accepit. Veneti, Genuenſes, & Piſani claſſes maximas adornarunt. Mediolanenſes, Cremonenſes, Veronenſes, Bononienſes, Florentini, Romani, & ſinguli Italiæ populi cohortes pleniſsimas conſcripſerunt. Præcipuè verò Florentiæ Rauennas archiepiſcopus, cum IIII Nonas Februarias ad S. Donatum ſederet, infinitam nobilium, ignobiliumq. manum vltro nomina profitentem ſacris Crucibus inſigniuit. Quo ſtudio audito Fridericus rogatu Clementis Florentinis iuriſdictionem agri ſui paullò ante ademptam reſtituit. Quæ dum eximio ſtudio, pietateq. conſtituuntur, Henricus à patre profectionem parante in Germaniam euocatus Italia ceſsit, ac Truſardum in ea legatum reliquit. Eo profecto Lombardi magnificos ex ſuperiore bello
1181 gerentes ſpiritus ſtudijs, ac commodis ſuis indulgere, ſocietates confirmare, caſtra condere, atque arma tractare pro arbitrio perrexerunt. In primis autem hoc anno Mutinenſes veteris murorum ſuorum ambitu non contenti mœnia prolatarunt, foſſiſq. ſepſerunt, ac

portarum

portarum poteſtatem nobilibus ademerunt, de quibus cum popularibus ſæpe contenderant. fœdus etiam cum Parmenſibus renouarunt, quo ſe mutuis auxilijs aduerſus Regienſes adiuturos iurarunt, ita tamen, vt cum Bononienſibus ſocietatem iungere iniuſſu Parmenſium poſſent. Cremonenſes, cum Sicardus epiſcopus ad Fridericum de caſtro Manfredo reficiendo miſſus nihil impetraſſet, caſtrum alterum inchoarunt, quod ſuperbo nomine Leonem dixerunt. Sed præter cetera per hos annos inſigne fuit bellum Parmenſium, & Placentinorum. Parmenſes, cum litem, quam Placentinis de Burgo S. Domnini apud Henricum intenderant, obtinere non potuiſſent, armis agendum illo profecto rati, ſociis Cremonenſibus aſſumptis, in agrum Placentinum hoſtili impetu excurrerunt, ac caſtrum Seni, Caſtrum nouum Vicecomitum, & Caſale albinum ceperunt, eaque diruerunt. Quibus rebus permoti Placentini auxilia & ipſi Mediolanenſium acciuerunt, atque ex Cremonenſium agro Caſtrum nouum ad os Abduæ occupatum exciderunt. Hac re cognita moderatores fœderis Placentiæ conuenere, atque hanc diſcordiam componere, vt communi concordiæ inutilem, decreuere. Quippe decimo Kal. Septembris in concione pro templo maximo coacta Deoteſaluus Aduocatus Bergomas aliorum moderatorum, qui aderant, voluntate mandauit moderatori Bononienſi, Regienſi, & Parmenſi, vt Parmam irent, & moderatoribus Parmenſibus denunciarent, vt Veronæ ad conuentum ibi indictum coram moderatoribus adeſſent, parati omnia facere, quæ à moderatoribus ad negocium Placentinorum pertinentia imperarentur, neque eos offenderent, neque tranſitum alicui ad eos violandos concederent: item eadem præcepit Placentinis, vt aduerſus Parmenſes ſeruarent. Præcepit inde moderatoribus Mantuano, Veronenſi, Taruiſino, ac Vicetino, vt Cremonam procederent, eiſque mandarent, ne Placentinos offenderent. Moderatoribus vero mediolanenſi, Nouarienſi, ac Vercellenſi, vt Papienſibus conuentum à moderatoribus Veronæ indictum denunciarent, eòque eos inuitarent; item ne Placentinis nocerent, neque eis aut terræ, aut aquæ vſum interciderent. Sin minus, ſimiliter moderatores ſuis ſe eis interdicturos. Quòd ſi Parmenſes plenè præcepta non expleuiſſent, denunciauit moderatoribus, ſe eos proſcripturum, & Placentinis auxilio futurum. atque hoc idem Bonapax Brixianus ex reliquorum moderatorum auctoritate firmauit. Veronenſes Fractam, quam in finibus ſuis Salinguerra Taurellus Imperialis factionis, Ferrariæ princeps, conſtruxerant, eductis cum prætore copiis receperunt.

Annona eo anno, ac peſtilentia pariter grauiſsimè laboratum, multis vulgo morientibus, aliis ſtirpium radicibus vix ſe præ victus inopia ſuſtentantibus. Poſtero, dirum bellum inter Philippum Franciæ, &
1189 Henricum Angliæ, reges, dum ſacram expeditionem adornant, eſt ortum. quod vbi animaduertit Iacobus Auenius, vir in Francia nobilitate, ac fortitudine princeps manu militum haud exigua ſumpta maritimo itinere in Syriam properauit. ac ſtatim Ptolemaidi obſidionem cum Templariis, & Hoſpitalariis intulit. Ex altera verò parte Fridericus Imperator Friderico filio, Sueuorum Duce, aſcito IX Kal. Maij in feſto S. Georgii è Germania per Vngariam abiit, neque oraculum Ioachimi abbatis in Calabria apud monaſterium Floris eximia vaticinii laude florentis audiuit. qui ab eo de euentu expeditionis Hierosolymitanæ conſultus, nondum tempus veniſſe, quo Hieroſolyma à Chriſtianis recuperarentur, reſpondit. Eadem etiam ratione archiepiſcopus Rauennas, & Adelardus epiſcopus Veronenſis, idemq. presbyter Cardinalis, & legatus pontificius cum Veneta claſſe, atque Italicis ſignis deceſsit. cui ſe Hubaldus Lanfrancus archiepiſopus Piſanus cum quinquaginta Piſanorum triremibus iunxit. eoſq. ſubſequutus eſt Vido Spinola Genuenſium conſul ſecum paratam militum manum, ac magnam nobilitatis partem patria cum claſſe adducens. Dum autem hi in itinere ſunt, Henricus rex Angliæ pridie Nonas Iulij mortem oppetiit. cuius locum cum Ricardus, filius eius, iniſſet, pace cum Philippo rege compoſita ſacræ cum eo expeditionis communibus armis ſuſcipiendæ conſilia contulit. atque ita annus in adornando vtrinque itinere eſt conſumptus. Per eoſdem etiam dies Gulielmus Siciliæ rex, qui maria cuſtodienda, commeatuſq. exercitui Chriſtiano ſuppeditandos ſuſceperat, morte alieniſsimo tempore eſt abſumptus. Cum nulla ſtirps eius ſupereſſet, regnum Gulielmi voluntate ad Conſtantiam, Henrici regis Germaniæ vxorem, perueniebat. Verùm Siculi extemplo ſuffecere Tancredum, Rogerii Ducis Calabriæ filium, Rogerii regis nepotem ex concubina ſuſceptum, vt Hugo Falcandus ſcribit, qui ipſum vidit. Eos verò ad hoc conſilium tribus de cauſsis adductos inuenio; vna, vt extemplo regem Sarracenis obiicerent, qui multi adhuc in inſula manentes ad arma repente mortuo Gulielmo ſurrexerant; altera, ne Henricum regem haberent, à quo Germanicæ nationis odio animos auerſos gerebant; tertia, vt Pontifici gratum facerent, qui & ipſe ab Henrico animo alieno erat ob ea, quæ pater aduerſus Eccleſiam, & poſt pacem factam ipſe eius mandatq patrarat. Hæc autem vbi audiuit Henricus,

cus, extemplo Siculos bello ſe perſecuturum regni repetendi cauſſa denunciauit. atque omnes eò cogitationes ſuas intendit. Atque hæc quidem, quoniam à vulgari recentiorum ſcriptorum aliena ſententia ſunt, placet veterum teſtimonio confirmare. Neubrigenſis: *Gulielmus rex anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono nulla ſobole relicta, deceſsit. Porro eius conſobrina, cui eo mortuo regni competere videbatur hereditas Regi Longobardiæ, Teutonici regis filio, nupſerat. Verùm Siculi, Apuliq. Alemanicam execrantes ditionem, virum nobilem de ſtirpe regum priorum Tancredum cum fauore ſedis apoſtolicæ regem ſibi creauerunt. unde motus rex Longobardiæ bellum eis indixit.* Falcandus verò defleta morte Gulielmi regis, deplorat vaſtitatem inferendam à Germanis, ita demum inquiens: *Atque vtinam Conſtantia cum rege Teutonico Siciliæ fines ingreſſa perſeuerandi conſtantiam non haberet.* quibus verbis ſignificat, iam tum Conſtantiam Henrico coniugio copulatam regnum ad illum traduxiſſe. & paullò poſt loquens ad Siciliam: *Sic Conſtantia primis à cunabulis in deliciarum tuarum affluentia diutius educata, tuiſq. inſtituta doctrinis, et moribus informata tandem opibus tuis barbaros ditatura diſceſsit, & nunccum ingentibus copijs vicem improbam tibi repenſura reuertitur, vt pulcherrimæ nutricis ornatus violenter diripiat, & munditiam tuam, qua regnis omnibus antecellis, barbarica fœditate contaminet.* Eodem anno Italicæ copiæ in Syriam ſecunda nauigatione prouectæ ſe ſe Francis, qui Ptolemaidem obſidebant, iunxere, ac magno eis ad victoriam adiumento fuere. In Italia cum Cremonenſes adiuuantibus Parmenſibus Caſtrum nouum ad os Abduæ repararent, Placentini cum tumultuaria manu accurrerunt, atque vt opus impedirent, ſigna cum Parmenſibus, & Cremonenſibus contulerunt, fuſiſq. hoſtibus caſtrum iterum diruerunt. Poſtero anno Chriſtiani Ptolemaidem oppugnare tanta conſtantia inſtiterunt, vt eius rei cauſſa non aſperrima ſolùm prœlia fecerint, ſed magis etiam rei frumentariæ incōmodis conflictatis prope ad extrema redacti ſint. Ex Italicis præſulem Rauennatem cum Fauentino nominatim periiſſe, auctor eſt Monachus Florentinus, Acconenſis epiſcopus, qui hoc bellum verſibus Latinis eſt perſecutus. Interim Fridericus Imperator multis per hiemem in ditionem Græcorum detrimentis affectus tandem id die Paſchatis Boſphorum tranſijt, atque Iconio in Aſia expugnato infauſto itinere tranſijt in Armeniam. Nā caſtris ad amnem Serram poſitis, cum eſſet refrigerandi cauſſa per æſtum inconſyderatè illum ingreſſus, III Idus Iunias eſt ſubmerſus. Ingens in exercitu comploratio facta, querente pro ſe quoque, in tanto rerum conatu omnis memoriæ fortiſsimum Imperatorem non

pugnantem in prœlio occidiſſe, ſed abluentem aqua corpus extinctum eſſe. Fridericus Germanos Imperatores omnes virtute, ac gloria ſuperaſſet, ſi Othones potius in tuenda, quàm Henricos in oppugnanda Eccleſia ſibi æmulandos putaſſet. Vnicum autem Imperij vindicem meritò &, dum vixit, Italici timuerunt, & illo extincto omnis ſe quaſi triſtioris ſeruitutis metu ſolutos putarunt. Fridericus filius cadauer ſecū in Syriam vexit. quò vbi acceßit, illud Tyri ſepulturæ mandauit, atque inde ſe reliquo Chriſtianorum exercitui, qui Ptolemaidem obſidebat, adiunxit. In Italia Genuenſes, vt contentionum, quæ in petitione conſulatus exarſerant, materiam tollerent, rem ad prætorem peregrinum detulerunt, ac Manigoldum ciuem Brixianum ſpectatæ virtutis, atque prudentiæ virum acciuerunt. Mediolanenſes fœdus cum Laudenſibus percuſſere, in quo ſocietas renouata, & libera eis iuriſdictio in quibuſdam caſtris conceſſa eſt. Pax etiam in conuentu Veronenſi iuſſu Pontificis per Cardinales quoſdam inter Parmenſes, & Placentinos conciliata. Mutinenſes mirificis Bononienſium incrementis permoti caſtrum in finibus Sancęſarium muniuere. Eodem anno Philippus, rex Franciæ, & Ricardus, rex Angliæ, curſu in Syriam intento Maſſyliam nauibus aduenerunt, ac rationibus ibi rei gerendæ communicatis Philippus prior diſceßit, ac Genuam progreſſus poſt viginti dies ibi actos in feſto S. Bartholomæi Siciliam perijt, ac Meſſanæ à Tancredo rege benignè cum omnibus ſuis acceptus ibi hiemare decreuit. Ricardus inde vnum Genuæ diem moratus eodem nauigationem intendit, & cum prægrauante inſulam multitudine à rege excluderetur, armis hibernorum ſibi hoſpitium peperit. Vtrumque octuaginta naues ſequutæ legiones militum fortißimas deferentes è portu Genuenſi ſoluere.

HENRICVS REX, ET IMPERATOR.

HENRICVM autem bellum ad repetendum regnum Siciliæ in Germania molientem primùm mors patris, deinde ſeditio Germanorum oppreßit. Nam fama de obitu Friderici allata Colonienſes, & quidam alij principes res nouare, & regnum ei adimere voluerunt. verùm, poſtquam Leodienſem epiſcopum truculentius ceteris ſe gerentem de medio ſublatum viderunt, ſtatim inceptum omiſerunt, & venia petita ad Henricum ſe contulerunt. Itaque Henricus rebus omnibus breui compoſitis exercitum conuocauit, atque extremo anno cum vxore

Conſtantia Alpes traiecit. ac poſtero ineunte Cremonam aduenit, 1191
vbi Cremonenſibus proximum ius ſignandæ pecuniæ confirmauit, eoſque cum Bergomatibus iunxit. Pridie inde Idus Ianuarias Bononiam prodiit, atque in epiſcopio hoſpitatus nouum ius ciuitati cudendæ monetæ conceſsit. Primus nummus excuſſus ab vna parte Henrici, ab altera Bononiæ nomen habuit, atque Eccleſiæ Regienſi poſſeſſiones veteres affirmauit. inter ceteras Plebem Carpi, & Plebem Arbatiæ nominans, itemque Gerardo epiſcopo Patauino ſuas. Apennino inde ſuperato prodiit Piſas. Ibi Kalendis Martii fœdus cum Piſanis aduerſus Tancredum iniuit, & legatis Genuam miſsis nauale ab eis auxilium poſtulauit. Genuenſes, cum confirmationem beneficiorum Friderici patris, & noua alia obtinuiſſent, claſſem ſe ſubminiſtraturos promiſerunt. Clemens inde pontifex VIII Kal. Aprilis eſt mortuus, & poſt dies quattuor Iacynctus Cardinalis archidiaconus, ciuis Romanus, ſuffectus, ac Cœleſtinus tertius appellatus. Lucio, Gregorio, Clememtiq. haud obſcura cum Friderico, & Henico ſimultas, vt diximus, interceſſerat, quòd non ſolum bona Eccleſiæ occupata non reddidiſſent, ſed ijs beneficii nomine alienatis proxima quoque ſibi appetenda putaſſent. Sed Lucium, Gregoriumq. vitæ breuitas, Clementem verò res Orientales, & Siculæ ab eiuſmodi ineundis conſiliis auertere. Clemens certè a bHentico Auguſtalibus honoribus poſt mortem parentis ornando abhorruit. Quod cum Henricum non lateret, ne ipſe quidem in eo poſtulando, quod ægrè impetraturus eſſet, pertinacior fuit. Vbi verò Clementem mortuum, ac Cœleſtinum ſuffectum audiuit, ſiue priuata hominis gratia, ſiue opportuna Pontificis nouitate confiſus in ſpem facilè omnia obtinendi, quæ cuperet, eſt erectus. Itaque propenſioris Cœleſtini voluntatis per legatos ad eum extemplo gratulatum miſſos admonitus Romam ad Auguſtalia accipienda inſignia maturauit. Gerebant adhuc bellum atrox Romani cum Tuſculanis, vt qui ad veteres iræ cauſſas cladem proximis annis ad montem Porcum acceptam animo acerbiſſimo ferrent, nec Tuſculani aſsiduis contentionibus agitati ſpei plurimum in pontificio amplius auxilio reponebãt. Itaque poſtquam Henricum præter ſpem ad vrbem aduentare ſenſerunt, legatis obuiam miſſis ei ſe tradiderunt. atque in fidem ab eo recepti Germanicum præſidium intra oppidum ſuſceperunt. Ea re offenſi Romani ad priſtinam, qua erga Fridericum vſi fuerant, ferociam rediere. atque ei caſtra ad Vaticanum ex inſtituto habenti nunciis miſsis denunciauere, ſe, niſi ſibi Tuſculum traderet, ingreſſum Vaticani prohibituros, atque ei

coronam

coronam Auguſtalem interdicturos. Hac re audita Henricus magna eſt conſilij difficultate affectus. neque enim Tuſculanos hoſtibus prodere ſuæ eſſe dignitatis putabat, & arma cum Romanis conferre, bello Siculo, quod in manibus habebat, inutile exiſtimabat. demum media illa ſententia placuit, vt Tuſculum in manibus Pontificis poneret. Quod cum ſibi quoque placere Romani ſignificaſſent, tum omni in præſens remoto certamine Cœleſtinus XVIII Kal. Maij in die Reſurrectionis conſecratus poſtridie Henricum Imperatorem recepto Tuſculo conſecrauit. Proximæ omnes memoriæ ſcriptores tradiderunt, Conſtantiam hoc demum tempore è monaſterio Siciliæ eductã iam quinquagenariam Henrico eſſe coniugio ſociatam. quod perſpicue falſum eſſe, facile ex ijs, quæ ſunt dicta, conuincitur. Poſt quindecim inde dies Henricus exercitum in Ducatum induxit. Eo vrbe profecto Romani Cœleſtinum aggreſsi Tuſculum poſtularunt; ſeq., ni dederetur, armis recepturos denunciarunt. idq. Cœleſtinus, ne aut vetus diſcordia inſtauraretur, aut noua aliqua ipſius cum pernicie Eccleſiæ inchoaretur, conceſsit. Romani demum Tuſculum poſt tot ancipites bellorum contentiones adepti iram cohibere non potuerunt, ac vetere multorum annorum odio in Tuſculanos opibus ea tempeſtate florentes effuſo oppidum cum tectis omnibus euerterunt. neque per hæc tempora, quæ ſecum ingentia Italicarum excidia vrbium attulerunt, vrbis clades, aut tectorum diſturbatione atrocior, aut acerbo inimicorum ſæuientium odio indignior fuit. quippe lapides etiam oppidi Romam tranſlati, atque in Capitolio ad exſatiandam quotidiano hoſtilis ruinæ aſpectu iracundiam poſiti ſunt. quin etiam plerique nobilium aut membris multati, aut per ſæuiſsimos cruciatus necati ſunt. Reliqua turba aut in vicina caſtra migrauit, aut patrii amore ſoli nouas ſibi ſedes in eiſdem locis, ſed anguſtiores, humilioreſq. parauit. Henricus in Principatum ingreſſus omnia oppida Neapolim vſque modico certamine cepit. Neapolis, vt quæ ſitu, opereq. munita, nec præſidio inualido eſſet firmata, fortiter omnem incumbentium Germanorum molem excepit. Qua re permotus Henricus vrbem toto circunfuſo exercitu circunſedit, atque omni exitu, adituq. obſtructo acriter obſidere inſtituit. Itaque nono Kalendas Iunias, in caſtris cum eſſet, Vidoni Guerræ, Tuſciæ Comiti, bona, iuraq. à Friderico patre conceſſa virtutis, ac fidei eius gratia confirmauit. Per Iunium inde menſem cœlo propter immenſos calores grauiore, atque inſalubriore effecto ſæua exercitum peſtilentia eſt adorta. quæ cum maiorem partem militum abſumpſiſſet,

Henricus eſt in maximam rerum, conſiliorumq. difficultatem adductus. Auxit etiam terrorem Sol, qui IX Kal. Iulias furente peſtilentia per aliquot horas mirificè eſt obſcuratus. quam rem inſignem aliquam principibus plerunque portendere calamitatem, vulgari hominum obſeruatione comperrum eſt. Quibus rebus perculſus Henricus poſt tres menſes Neapolis ab obſidione receſsit. Fama etiam haudquaquam obſcura tenet, ipſum graui fuiſſe morbo tentatum. Genuenſes in die Aſſumptionis cum claſſe triginta trium triremium e portu euecti, ſecundum nacti ventum breui Caſtellum maris (loci id in Campania nomen eſt.) tenuere. Ibi falſo rumore decepti, Henricum apud Neapolim vi peſtilentiæ eſſe extinctum, conſilium redeundi cepere, ac ſequenti nocte Circeios venere. Eo in loco Margaritus Tancredi claſsis præfectus, cum maiore nauium numero ſuperuenit, ac Genuenſes prœlio prouocauit. Genuenſes licèt viribus impares, audacter ſeſe ad ſubeundam pugnæ aleam accinxere. quod vbi Margaritus cognouit, opinione ſua fruſtratus ſeſe conuerſa nauigatione Iſclam recepit. Genuenſes autem Ciuitatem veterem, atque inde Henrici iuſſu Genuam receſſerunt. Poſt aliquot dies Henricus Conſtantiam vxorem ad res quaſdam procurandas Caietam, & Caieta Salernum miſit. Ea Caietæ multis à latronibus contumeliis onerata, demum Salerni à Salernitanis eſt comprehenſa, & à Tancredo Panormum traducta, ibi eſt in regia cuſtodita. Henricus his de rebus animi anxius cum Germaniam repetere ſtatuiſſet, Diepoldum, qui bellum cum prouincialibus continuaret, reliquit. atque ipſe Genuam ſub ſolemne ſancti Martini receſsit, vbi varia de renouando Genuenſium ope in tempore bello conſilia volutauit. Eodem anno bellum alterum inter Lombardos eſt ortum, principio à Brixianis, & Bergomatibus, qui contentionem de finibus inſtaurauerant, inſtituto. Brixianis Mediolanenſes, Bergomatibus Cremonenſes ſtudebant. Ceterùm Cremonenſes, cum pro Bergomatibus ad Ciuitatem caſtrum Bergomatium cum carrocio conſtitiſſent, magnum incommodum acceperunt. Nam cum Idibus Iuliis traiecto amne Ollio agrum Brixianum populabundi iniſſent, ab hoſtibus oppreſsi prœlio dimicare coacti ſunt. hoſtium autem multitudine ſuperante in fugam compulſi non ſolùm carrocium amiſerunt, ſed etiam vnà cum Bergomatibus partim capti, partim flumine Ollio merſi, multi etiam ferro fœdè occiſi ſunt. Ea victoria ingentis ſpeciem triumphi victricibus ciuitatibus præbuit. Carrocij corpus Mediolanum rei geſtæ monumento trans-

latum. Brixiani malum, & nolam Brixiam deportarunt, atque ad perennem trophæi de vicinis hoſtibus parti memoriam malum in templo maximo ſuſpenderunt, nolam verò in turrim populi ſubduxerunt, atque vt in diebus Carniſpriuij publicæ lætitiæ gratia pulſaretur, inſtituerunt. Extremo anno Henricus Placentiam venit, ac duobus millibus libratum acceptis Burgum S. Domnini Placentinis attribuit. Quo facto Placentini Burgenſes apud ſe ſacramentum dicere coegere. Cremonam inde progreſſus captiuos Cremonenſes carceribus Mediolanenſium, ac Brixianorum eduxit, atque eis Roncatolum, & Ponteuicum attribuit, & cum Papienſibus, Laudenſibus, Bergomatibus, Comenſibus, & Marchione Montisferrati ſociauit. Inde, cum Brixiam veniſſet, Brixianos inſigni priuilegio decorauit: *quippe magiſtratuum iura ſuperioribus ab regibus conceſſa ſanciuit, agri iuriſdictionem per fines deſignauit exceptis ijs locis, quæ à patre ſuo alienata fuiſſent. Fodrum ſibi reſeruauit, quod dabatur regibus coronæ cauſſa Romam euntibus, & appellationes cauſſarum, prout in Tabulis Pacis excipiebantur. Promiſit, ſe ſeruaturum Brixianos contra omnes ciuitates, & homines Lombardiæ, Marchiæ, Romaniolæ exceptis Papienſibus; neque fœdus, aut ſocietatem cum ijs initurum iniuſſu conſulum Brixianorum. Contra Brixianos voluit quotannis Kalendis Martijs pro cenſu duas puri auri marchas perſoluere, eoſq. bona fide iurare, ſe ſeruaturos Imperium in ſupradictas ciuitates, & terram Comitis Mathildis: item conſules, & Credentiam ciuitatis iurare, ſe bona fide conſilium ſibi poſcenti daturos.* atque his actis in Germaniam tranſijt. Eodem anno, ineunte vere reges ex Sicilia deceſſerunt. Philippus aliquot diebus ante Ricardum profectus ad octauam Paſchatis in Syriam venit, ſeq. exercitui Chriſtiano Ptolemaidem obſidenti adiunxit. Ricardus aduerſa tempeſtate vſus in Cyprum adire compulſus eſt. cuius cum à littoribus à quodam tyranno, Chriſtiano illo quidem, ſed Saladini amico, repelleretur, impetu facto ipſum exegit, atque inſulam in poteſtatem adduxit. Inde digreſſus paucis ante ſolemne S. Ioannis Baptiſtæ diebus ventum ſecundum nactus ad exercitum Ptolemaidem obſidentem peruenit. atque eius potiſsimum auxilio Ptolemais V Idus Iulij in ditionem Chriſtianorum reuertit. Poſt quindecim inde dies Philippus cum magna omnium admiratione deceſsit è Syria, à Ricardo ſacramento obſtrictus, ſe terris, & hominibus eius vſque ad reditum eius parſurum, ac Romam aduectus pontificem adijt, & iuriſiurandi, quo ſe Ricardo adegerat, liberationem popoſcit, ſed non obtinuit. Ricardus Ptolemaide operibus, præſidioq. firmata Septembri menſe cum

reliquo

reliquo Chriſtianorum exercitu ad alias maritimas vrbes contendit, atque ad Aſſur VII Idus Septembris ſecundo prœlio cum occurrente Saladino conflixit, in quo Iacobus Auenius cecidit. Inde Ioppem ab hoſtibus deſertam inſtaurauit. Res videbatur felicem ſatis exitum habitura, ſed oborta in caſtris Chriſtianorum ſeditio, ac Conradus, marchio Montisferrati, Princeps Tyri, per dolum ſicarij cuiuſdam manu occiſus omnia perturbauit: ita hiems multis incommodis, diſsidiiſq. traducta. In locum Vidonis mortui eodem anno Rauennæ Gulielmus alter archiepiſcopus factus. Proximo, Henrico ſe in Germania continente, ac bellum Siculum animo magis, quàm viribus moliente Diepoldus in Campania multis rebus ex ſententia geſtis etiam Salernum recepit. In Lombardia verò valde tumultuatum. Brixiani ſuperbia rei bene geſtæ elati adiunctis Mediolanenſibus, Cremenſibus, Placentinis, & Mantuanis in agrum Bergomatem ſe intulerunt, & caſtra Romanum, & Cortem nouam diruerunt, ac fines omnes Bergomatium promiſcuis incendiis deformarunt. inde in Laudenſem agrum tranſgreſsi foſſam factam à Laudenſibus à Laude ad Lambrum replere conati ſunt. Quibus rebus exciti Cremonenſes, Bergomatibus, Laudenſibus, Comenſibus, & Papienſibus aduocatis armati cum nouo Carrocio exierunt, ac Laudem veterem progreſsi in fines Mediolanenſium irruperunt, eoſq. vaſtare inſtituerunt. Cum autem pridie Kal. Iulij Mediolanenſes cum valida ſociorum manu præſto fuiſſent, atrox pugna commiſſa eſt. qua victi iterum Cremonenſes fuga ſalutem petere contenderunt. Mediolanenſes, Carrocio item in poteſtatem adducto Cremonenſium alios in Abduam compulere, alios captos in cuſtodias Mediolanum miſere, quoſdam etiam in acie interemere. Inde libero campo euecti ex agro Laudenſi Zouenengum, & Cauenagum, ex Cremonenſi Carauaſium, & Soncinum igne ſubdito combuſſere. In Syria Ricardus rex munitionibus Chriſtianis Henrico Comiti traditis, tribus partibus exercitus Chriſtiani morbo, ferro, inedia, & laboris intolerantia iam conſumptis, in Cyprum diſceſsit, ac mox ad Ioppem, quam Saladinus inuaſerat, liberandam recurrit. atque induciis in triennium cum Saladino pactis, & Cypro Vidoni modo Hieroſolymorum regi donata maritimo itinere domum repetiit. Verùm ſæuioribus ventis vſus cum inter Aquileiam, & Venetias naufragium paſſus ægrè cum paucis elapſus eſſet, Decembri menſe terreſtri itineri ſe commiſit, atque habitum, ne agnitus detrimenti aliquid pateretur, mutauit. Agnitus tamen in Auſtria ab Humboldo Duce contra omnia & pietatis,

1192

& humanitatis exempla eſt capius, atque in cuſtodiam traditus. Fridericus etiam, Dux Sueuiæ, cum maiore Germanici exercitus parte peſtilentia periit. Hunc finem tertia Chriſtianorum in Syriam expeditio habuit. Memorabile autem illud in tantis calamitatibus extitit. Germani aliquot, qui in vrbe reſtiterunt, Italicorum, atque Francorum pietatis gloriam æmulati, & ipſi Hoſpitale ſanctæ Mariæ ad Teutonici generis homines recipiendos ædificarunt, eiuſq; curam militibus, qui Teutonici dicti ſunt, tradiderunt. Is tertius ſacræ militiæ ordo ad Hoſpitalarios, & Templarios additus aduerſus Sarracenos eſt inſtitutus. Sequenti anno res nulla, quæ memoriæ
1193 prodita ſit, in Regno Siciliæ geſta eſt. Cœleſtinus Vrbeuetum adijt, & ditionem fermè omnem, quam ademerat Henricus, recepit. ita Cluſium, & Mons Politianus ad fidem cum ſuis finibus redierunt, extorribus exilium iuſtum eſſe, ſancitum. præſidio vrbis equeſtris militia reſtituta. Viterbium epiſcopo decoratum Tuſcanella, & Ciuitate veteri ei eccleſię contributis. Genuę rebus ciuitatis per perditos homines ſeditioſe turbatis conſules reip. ſponte abdicarunt, & qui iuriſdictioni præerant, metu ſe domi continuerunt. Mediolani in locum Milonis archiepiſcopi Vbertus Terciagus ſuffectus eſt. Veronæ Gulielmus Oſſa prætor Prætorium Communis conſtruxit. Bononienſes ſocietatem cum Ferrarienſibus pepigerunt, iurantibus Ferrarienſibus, ſe ſeruaturos Bononienſes, ac res eorum, &, ſi quæ offenſæ incidiſſent, ſatisfacturos, neque portorium vllum ab eis exacturos rerum, quæ Ferrariam veherentur, quæ verò aliò transferrentur, id tantum, quod eſſet ex communi ſententia conſtitutum. In vrbe verò magna ſeditio concitata. Gerardus epiſcopus, qui proximo anno prætor ciuitatem ſancte adminiſtrarat, continuato in hunc annum honore rebus ſtudere nouis, ac plebem aduerſus optimates fouere inſtituit. Qua re animaduerſa nobilitas conſulum poteſtatem reſtituit, ac duodecim principes ciuitatis declarauit, qui extemplo magiſtratum inirent. His rebus actis Gerardus huius conſilij certior factus accurrit, ac magna clientum caterua ſtipatus minitari optimatibus inſtitit, ſi quid extra ordinem ageretur, in quo dignitas, auctoritaſq. ſua minueretur. Qua re conſules accenſi præſenti nobilitatis auxilio ipſum reluctantem è prætorio, foroq. cum ſuis ſatellitibus exegerunt, atque infeſta perſecutione in Epiſcopium compulerunt. ac mox cum ſuis armatis ſe defendere molientem inuaſerunt, ac multis ex vtraque parte deſideratis Epiſcopium expugnarunt: quo facto ille ſe per cloacam ex Epiſcopio, ac mox mutata veſte,

ne agnoſceretur, ex vrbe proripuit. Henricus Imperator Ricardum Anglum ab Auſtriæ Duce captum audiens Ducem, terrore armorum illato, ad eum ſibi dedendum induxit. Ita Ricardus certa pecuniæ conditione dimiſſus Henrici in conſpectum in Palmarum feſto peruenit. Philippus quoque Francus occaſionem Ricardi lædendi nactus in Nortmaniam eius ditionem inuaſit. & Ioannes frater eius prouincias Angliæ ad defectionem ſolicitauit. Henricus inde pridie Natalicia Apoſtolorum iurauit, ſe Ricardum libris centum millibus argenti ſolutis, quarum tertia pars Duci Auſtriæ deſtinabatur, liberaturum. Ea pecunia rebus etiam ſacris diuenditis in Anglia eſt exacta, & Imperatori repræſentata. In quo ille grauia Pontificis, & piorum hominum omnium conuicia ſubiit, quòd regem optimè de Chriſtiana rep. meritum, & ab expeditione ſacra reuertentem contra pontificia ſcita non ſolum in vinculis habuerit, ſed etiam non niſi grauiter multatum ſibi dimittendum putarit. Ianuario inde menſe Ricardus dimiſſus Martio Angliam incolumis attigit. Eo anno Rogerius, Tancredi regis filius poſtquam Irenem, Iſaacij Imperatoris filiam, duxerat, vita migrauit. Cuius rei dolorem Tancredus adeo acerbè tulit, vt non multis poſt diebus & ipſe finem viuendi fecerit, Gulielmo puero relicto, quem mox Sibilia mater regem Siciliæ coronandum Panormi curauit. Horum funeribus perceptis Henricus idoneum tempus repetendi regni ſibi oblatum complexus omnia parare ad expeditionem Siciliæ neceſſaria cœpit. Itaque nunciis in Italiam miſſis Truſardo legato mandauit, vt diſcordias inter Lombardiæ ciuitates componeret, Marcoaldo verò dapifero ſuo, vt Piſanos, & Genuenſes rem naualem, prout promiſerant, expedire curaret. Truſardo agente pax inter ciuitates conuenit. extant adhuc tabulæ concordiæ inter Brixianos, & Cremonenſes, ſocioſq. eorum conciliatæ in tabulario Cremonenſium. Genuenſes impulſu Marcoaldi conſulibus abdicare iuſſis rei ſummam prætori commiſerunt. Prætoris auctoritate & factionum ciuilium contentiones compreſſæ, & triremes, quas ſe daturos Henrico ſpoponderant, omnibus neceſſariis rebus inſtrui cœptæ. Idem etiam à Piſanis eſt factum. Henricus rebus omnibus, quæ opportunæ videbantur, in Germania comparatis, in Italiam venit, ac liberatis Sicardi epiſcopi Cremonenſium rogatu captiuis, menſe Iunio Genuam, emenſus Apenninum, peruenit. Ibi Genuenſes blandis verbis appellati, & promiſſis ampliſſimis, ſi eorum tenuiſſet ope Siciliam, onerati ad claſſem ornandam omni ſtudio ipſo præſente incubuerunt. Interim

1194

Bononiæ ſeditio Gerardina recrudụit. Nam factio epiſcopi ipſum pręctura, atque vrbe deiectum dolens Kalendis Iuliis, principio tumultus ab altercatione ſumpto, in nonnullos aduerſæ partis fautores inuaſit. in qua rixa multi vulnerati, nonnulli etiam cæſi ſunt. Quibus rebus impulſi conſules rurſus in Gerardum arma ceperunt, cuius potiſſimum voluntate hæc geri arbitrabantur, ac Gulielmo Malauolta conſule duce Sureſanum caſtrum, quod ille multorum præſidio obtinebat, circunſederunt, ac leui negotio potiti, Gerardo emiſſo, iniecto igne delerunt. XIII Kal. Auguſti Henricus Gerardum hunc epiſcopum, ac principem, (ſic enim vocat,) ſuum ab ſacramento calumniæ liberauit. cui rei teſtis Gulielmus archiepiſcopus Rauennas interfuit. Inde circa Idus cum Genuenſium ornatiſsima claſſe è portu Genuæ ſoluit, atque aſſumptis in itinere Piſanorum triremibus proſpero vento breui Caietam appulſus eſt. Qua ſine certamine in deditionem accepta, Neapolim inde decimo Kal. Septembris proceſſum. Neapolitani, vbi claſſem terræ admoueri, atque in ea Henricum eſſe, audiuere, ſtatim ſe imperata eius facturos ſpopondere. Neapolitanos omnes circumiectæ inſulæ imitatæ fidem, quàm arma, experiri Henrici maluere. Kalendis inde Septembris in Siciliam prouectus Meſſanam tenuit. Eo in loco Piſani cum Genuenſibus vetere ſtimulante odio perniciosiſsimè decertarunt. verùm res ſubitò per inducias Marcoaldi auctoritate compoſitæ. Catana inde, & Syracuſæ petitæ, ac demum admoto exercitu expugnatæ. Sibilia regina, cum ſe viribus imparem ad reſiſtendum videret, vnà cum Gulielmo filio, & filiabus, atque archiepiſcopo Salernitano, & fratribus eius ſe ſe in caſtellum ſitu, opereque munitum recepit, legatiſq. ad Henricum miſsis oſtendit, ſe regno ceſſuram, ſi Gulielmum filium Principem Tarenti relinqueret. Qua conditione Henricus accepta, eos omnes in fidem deditionemq. recepit. ac deinde Panormum exercitum ducere inſtitit. atque eam modico certamine expugnatam in poteſtatem adduxit. Panormus integræ præmium victoriæ fuit. Siquidem ea recepta, & Conſtantiam vxorem è cuſtodia liberauit, & regem ſe Siciliæ cum ea coronari maximo totius regni concurſu iuſsit. Hæc pridie Kal. Decembris adminiſtrata. Itaque, quod ex eius diplomatis liquet, is annos regni Siciliæ ab hoc die inſtituit. Hanc tam inſignem victoriam, tantaq. demum felicitate diuino beneficio partam, nimia inde perfidia, atque ſæuitia deformauit. Primùm enim Genuenſibus, per quos regnum erat magna ex parte adeptus, non modò promiſſa non præſtitit, ſed eos etiam beneficiis à patre tributis nudauit. Sibiliam verò cum

filio,

filio, & filiabus, & archiepiſcopo, ac fratribus III Kal. Ianuarias comprehendit. Sequenti verò anno conſpirationes aliquot aduerſus ſe populorum compertas cauſſatus, quaſi iuſtam iræ, ac crudelitatis materiam eſſe nactus, duriſsimè in omnes Tancredi amicos conſuluit. Nam Sibiliam, & archiepiſcopum perpetuo carceri deſtinauit, Gulielmo virilitatem ad ſpem ſtirpis adimendam exemit. aliquot ob fides ex ipſa regni nobilitate luminibus exuit, reliquis in vincula traditis, multis Siculis bona eripuit. Eccleſiæ aut grauiſsimis tributis, aut fœdiſsimis direptionibus laceratæ, epiſcopi vero, clericiq. vſque ad mortem excruciati. Quin etiam Romanæ in detrimentum Eccleſiæ Philippum fratrem, cui Irenem Rogerii vxorem collocauit, Ducem Tuſciæ, ac Terræ Mathildis, Marcoaldum verò Ducem Rauennæ, & marchionem Anconæ, & Conradum Spoleti Ducem conſtituit. Quibus rebus actis præpoſitis Apuliæ Diepoldo, Siciliæ verò Conrado in Germaniam cum Sibilia, filio, filiabus, archiepiſcopo, fratribus, Siculiſq. obſidibus deceſsit. ac menſe Maio in Lombardiam traiecit. Extat enim diploma, quo Henricum Mutinenſem epiſcopum, eundemq. principem, vt vocat, ſuum ſacramenti calumnia liberat, *datum VII Kal. Iunias apud Burgum S. Domnini, anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo quinto regni anno XXVII, Imperij quinto, regni Siciliæ primo.* Papiam inde progreſſum Genuenſes adierunt, atque, vt promiſſa præſtaret, rogarunt. verùm nihil æqui obtinuerunt. 1195

Tertio Kal. Auguſti legati ciuitatum fœderatarum apud Burgum S. Domnini conuocati ſacramentum hoc conceperunt: *Ego iuro omnibus ciuitatibus Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, me conceſsiones, promiſsiones, & pactiones, quæ in tabulis Pacis inter legatos Imperatoris, & moderatores, legatoſq. ciuitatum fœderatarum compoſitæ continentur, ratas habiturum.* Eodem anno Piſani tranſactis induciis, munito Bonifacio, inſignibus Genuenſes iniuriis affecere. quibus irritati Genuenſes non ſolùm Bonifacium, ſed multas etiam eis naues eripuere. Veronæ Atheſis aſsiduis imbribus auctus magna vrbi detrimenta dedit. Quin etiam, vt Diuus ſcribit Antoninus, fœdis cœli tempeſtatibus laboratum. nam præter tonitrua, imbres, fulminaq. quibus horribiliora homines non meminerant, lapides inſtar ouorum è cœlo cum pluuia deciderunt, qui arbores, viteſq., & nonnullos etiam homines afflixerunt, corui quoque, aliæq. aues per aera volantes, ac carbones accenſos roſtro ferentes, eoſq. tectis inferentes conſpecti. Iſaacio Angelo Imperatori vita functo, Alexius Angelus ſuſcepit Imperium. Sequenti inde ineunte anno Conſtantia, quæ grauida in Sicilia manſe- 1196

rat, in feſto S. Stephani Fridericum puerum peperit, qui pòſt Imperator euaſit. Henricus III Kal. Martij Templarijs militibus prædia quædam donauit. cui donationi teſtes interfuere Conradus Dux Spoleti, & vicarius regni Siciliæ, Bonifacius marchio Montisferrati, & Marcoaldus marchio Anconitanus. Eam verò donationem non ita multò pòſt Conſtantia in Sicilia confirmauit. Apponam indicem, & ſubſcriptionem diplomatis, quia mirè valere res eiuſmodi poſſunt ad multos errores ex hac hiſtoria euellendos: *Conſtantia, Romanorum Imperatrix, & regina Siciliæ. Datum Panormi anno Dominicæ incarnationis MCXCVI, menſe Martio, XIIII Indictione, regnante Domino noſtro Henrico VI, Romanorum Imperatore, & rege Siciliæ potentiſſimo; anno regni eius XXVI, Imperij quinto, Regni verò Siciliæ ſecundo*: Henricus inde in Germaniam abijt. Eo profecto Philippus Dux in Tuſcia ciuitates, quæ in fide Eccleſię erant, oppugnare, ac ſuę adiungere ditioni inſtituit. Itaque Cœleſtino piorum ſocietate ſummotus eſt. Quo minus idem in Henricum, ceteroſq., quorum opera captus archiepiſcopus erat, ſtatueretur, legari Henrici breui ſolutum iri archiepiſcopum aſſerentes prohibuerunt. Gliſcente inde inter Piſanos, & Genuenſes bello, Cœleſtinus menſe Martio Pandulfum Cardinalem Genuam miſit, vt eos ad concordiam, pacemq. redigeret. Is adhibitis Piſanis, & Genuenſibus verba de reconciliatione gratiæ in Eryce fecit. Interim Piſani occultè miſerunt, qui Bonifacium occuparent. Qua re comperta Marcellinus Drudus prætor triremes aliquot aduerſus eos eduxit. illis autem inde profectis copias ad Caralim expoſuit, & cum marchione Gulielmo, qui Caralitanum Iudicatum occuparat, prœlio decertauit, eoque ſuperato domum repetiit. Piſani inde ad Bonifacium oppugnandum reuerſi primò occurrentibus Genuenſibus ceſſerunt, deinde collecto animo conuerſa nauigatione prœlium commiſerunt. ex quo magna vtrinque clade diſceſſum eſt. Genuæ iuſſu prætoris turres priuatorum depreſſæ; quæ altius fuerant, quàm per leges licebat, ſublatæ, & ad altitudinem octoginta pedum redactæ. Ea menſura cuſtodiendæ libertati idonea viſa. Cum Mediolanenſes cum Comenſibus de quattuor plebibus contendere inſtituiſſent, adactis arbitris, plebibuſq. diuiſis XVI Kal. Octobris concordiam iniuerunt. Cremonenſes in contumeliam Cremenſium educto carrocio caſtrum munire Leonem cœperunt. Quo cognito Mediolanenſes Cremenſium impulſu aduerſus eos & ipſi cum carrocio exierunt, ſigniſq. collatis Cremonenſes fugarunt, atque eis tertium iam carrocium ademerunt. Ferrariæ Gulielmo Adelardo principe fa

ctionis Eccleſiaſticæ mortuo, ac virili ſtirpe eius gentis extincta, Marcheſella, Gulielmi fratris filia, magnarum fortunarum hæres relicta, auctore Petro Trauerſaria Rauennate rem Eccleſiaſticam Rauennæ tuente, Azoni marchioni Ateſtino matrimonio copulata eſt. Azo Adelardorum hæreditate adita principem ſe factionis Adelardorum, & Salinguerræ Taurelli inimicum prætulit, grauiaq. cum eo certamina factionis tuendæ cauſſa, vt erat vir acer, & promptus, contraxit. Florentiæ quoque à conſulibus ad prætorem rerum eſt ſumma translata. Mediolani Philippus Lampugnanus archiepiſcopus lectus. In Germania Henricus cum ſe omnium concidi maledictis ſentiret, quòd Ricardum à ſacra redeuntem expeditione captiuum habuiſſet, neque niſi grandi multatum pecunia dimiſiſſet, vt eam maculam deleret, & ipſe ſtatuit, afflictis Syriæ rebus auxilium ferre. Itaque exeunte menſe Nouembri concilio procerum laicorum, ſocrorumq. Vormaciæ habito ſenſum animi ſui nudauit, atque omnes Germanos ad eiuſmodi æmulandum decus accendit. Quin etiam, cum Germani plerique Crucem, legato pontificio præbente, ſuſciperent, & ipſe accipere voluit. verum conſilio ſuorum deterritus abſtitit, qui multo plus profuturum reip. afferebant, ſi ipſe domi manſiſſet, &, quæ exercitui proficiſcenti neceſſaria fuiſſent, opportunè ſubminiſtraſſet. Ineunte Martio iuere archiepiſcopus Moguntinus, Duces Saxoniæ, Auſtriæ, Barbantiæ, Lantgrauius Turingiæ, epiſcopi, Comiteſq. innumeri: qui in Syriam progreſsi Ioppem obſidere cœperunt. Dum autem Germani ſacra ſe in expeditione probant, Henricus omne ſtudium ad ſtatum familiæ ſuæ conſtituendum traduxit. Itaque Conrado fratre Duce Sueuiæ mortuo Ducatum ad Philippum Ducem Tuſciæ detulit, eumq. ad ſe ex Italia euocauit, & ad ſpem Imperii in Friderico filio ſtabiliendam, vt principes ipſum Germaniæ regem declararent, ac iuratam fiidelitatem obſignatis ad ſe litteris mitterent, operam dedit. atque inde in Siciliam tranſgreſſus eundem Panormi regem Siciliæ coronari, ac ſacramenta apud eum dici curauit. quo tempore Salinguerra Taurellus Azonis Areſtini opibus territus eum adiit, ac, ni opem ferret, partem Imperialem Ferraria pulſum iri denunciauit. Per autumnum inde morbum ex labore venationis Meſſanæ contraxit, quo ingraueſcente, ac perniciem vltimam minitante filii memor Philippum abſentem tutorem eius inſtituit, atque inde in feſto S. Michaelis III Kal. Octobris deceſsit è vita. Cadauer Panormum deuectum ſepulturæ mandatum eſt. Conſtantia cum Friderico puero regni adminiſtrationi ſucceſsit.

(margin: 1197, beside "Ineunte Martio")

NEMINE REGNANTE, AVT IMPERANTE.

SEQVVNTVR anni decem, quibus quæ acta ſunt, ea in noſtris rabulis nemine regnante, aut Imperante acta ſcribuntur. Huius aurem rei hæc cauſſa fuit, quòd neque Philippum, neque Othonem, qui interim de regno Germaniæ inter ſe decertarunt, legitimè, iuſteq. regnaſſe Itali iudicarunt. Ea verò cuiuſmodi contentio fuerit, deinceps demonſtrare pergamus. Henrici morte audita Eccleſiaſtici in Ducatu Etruriæ animos vſque adeo extulerunt, vt, cum Philippus Dux per eos fortè dies Montemflaſconem ex Germania reuerſus adiſſet, manu milites eius aggreſsi ſint. Philippus autem morte fratris accepta Italiam ſibi negligendam in præſens, atque vni ſtudendum Imperio ratus extemplo in Germaniam rediit. Eo anno Mediolanenſes carrocium, quod erat ſummæ expeditionis ſignum, eduxerunt, atque in agrum Bergomatem profecti caſtrum Ghiſalbæ ceperunt, idq. funditus euerterunt. & per quindecim dies Bergomatium fines, nemine reſiſtente, vaſtarunt, Cremonenſibus propter aduerſa prœlia ſociorum accurrere auxilio negligentibus. Placentini Burgenſes nouo ſibi fidei iureiurando iunxere. Genuæ Nicolaus Doria in Siciliam aduerſus prætoris mandata progreſſus, cum ab eo multaretur, ſeditionem grauem conciuit, ac demum ad eius auctoritatem reuertit. Philippus Imperium ſibi eo nomine vindicabat, quòd penes ſe Imperii inſignia à fratre accepta habebat. Itaque Natalicia Domini Haginouiæ celebrantem multi principes, atque epiſcopi adierunt, atque ei operam ſuam in eam rem obtulerunt. Sexto inde Idus Ianuarii Cœleſtinus pontifex migrauit è vita. Eo ſepulto, Cardinales ſeceſſerunt, ac diuino implorato auxilio ſummo omnium conſenſu Lotharium Anagninum ex canonico regulari Cardinalem ſuffecerunt, hominem eximia doctrinæ, ac prudentiæ laude præſtantem, neque magnitudine animi inferiorem, eumq. Innocentium tertium appellarunt. Is poſtridie litteras ad omnes Chriſtianos principes de ſua dignitate miſit, ac ſtatim de præſentis Eccleſiæ labibus opportuna inire conſilia cœpit. Primum autem omnium, cum per id tempus epiſcopi, & conſules ciuitatum Etruriæ communis aduerſus Philippum tuendæ gratia libertatis fœdus inter ſe percuſsiſſent, atque exemplo Lombardorum fœderis ipſius magiſtros, moderatoreſq. legiſſent, talem ipſe ſocietatem improbauit, quòd neque vtilis, neque honeſta Eccleſiæ eſſet, *Immo vero*, inquit, *cum Ducatus Tuſciæ ad ius, & dominium Eccleſiæ Ro. pertineat, vt priuilegijs contineri per-*

1198

ſpeximus

ſpeximus, nullam eos inter ſe ſocietatis nomine fœderis facere pactionem oportuit, niſi ſaluo per omnia iure, atque auctoritate Romanæ Eccleſiæ. Conſecratus eſt inde VIII Kal. Martias in cathedra S. Petri. quo facto Petrus præfectus vrbis acceſsit, atque in conſiſtorio Palatii Lateranenſis publice iurauit, ſe ei, & ſucceſſoribus eius, & Romanæ Eccleſiæ fidelem contra omnes homines fore, & inueſtituram ab eo præfecturæ per mantum recepit, atque in manibus eius ligium, vt vocabant, hominium fecit, poculo ab eo aureo inſignis beneuolentiæ monumento donatus. Inde, quoniam mirifice angebatur animo, quòd archiepiſcopus Salernitanus, reliquiq. captiui, obſideſq. Siciliæ adhuc in cuſtodiis in Germania tenerentur, ſcripſit ad Argentinenſem, & Spirenſem epiſcopos, vt Vecilum Bergenſem monerent, archiepiſcopum Salernitanum è cuſtodia mitteret, atque epiſcopo Sutrino, & abbati S. Anaſtaſij legatis ad id in Germaniam miſsis mandauit, vt, ſi ille auctoritati ſuæ non paruiſſet, execrationis in eum ſententiam explicarent. Monitus porro ab epiſcopo, Philippum Ducem, cui ob occupatum S. Petri Patrimonium piorum interdicta communio fuerat, in gratiam redire cum Eccleſia cupere, reſcripſit, ſi archiepiſcopum carcere liberandum curaſſet, vt ipſe illum expiaret, ſin minus, Romam venire ad piaculum accipiendum iuberet. Monuit etiam epiſcopos, abbates, principeſq. Germaniæ, vt Sibiliam, & filium, & filias, & ceteros, qui de regno Siciliæ in Germania ſeruabantur, ſolutos ad ſe traſmitterent; ſi non feciſſent, præcepit epiſcopo Sutrino, vt eos piorum communione depelleret. Quibus rebus actis animum inde conuertit ad patrimonia Eccleſiæ, quæ occupata, ac beneficii, ſiue feudi nomine donata à Friderico, atque Henrico fuerant, repetenda. cui laudi ſeruire ſuperiores pontifices vel morte immatura oppreſsi, vel curis Orientalibus, vt diximus, occupati nequiuerant. hoc & officio pontificio conuenire præcipue duxit, vt pia veterum regum beneficia tueretur, & ad lapſam conſtituendam Eccleſiam vnum pertinere maxime exiſtimauit, vt bona ei ſua recuperaret, quæ per eos adempta fuerant, qui potiſsimum conſeruare debuerant. Erant autem Marcoaldus, qui Romaniam, & Marchiam Anconitanam, Philippus qui Tuſciam, Conradus, qui Ducatum Spoletanum tenebant. Miſit ergo exercitum in Romaniam, præcepitq. Rauennati archiepiſcopo, & ſuffraganeis eius, vt Caſsidonio legato adeſſent in Exarchatu Rauennæ, & Brittonorii comitatu recipiendo; ad Marcoaldum autem, qui Eccleſiaſticorum agros in Marchia fœde populabatur, Cardinales deſtinauit duos, rogatum, vt deſiſteret, & execra-

tum

tum, ſi perrexiſſet. Cardinales profecti mandata ediderunt, &, cum is nulla ſui ratione ducta in populatione perſiſteret, etiam communione priuarunt, ea ſubſcriptione, quòd & fidem fefelliſſet, & Patrimonium Eccleſiæ inuaſiſſet, neque repetitas res reſtitueret. Quod vbi Pontifex audiuit, eam ſententiam iuſtam eſſe pronunciauit, atque eadem in Conradum intenta populos ſacramento, quo ſe illis obligarant, abſoluit. Carſidonius autem in Romaniam cum exercitu ingreſſus difficiliorem opinione expeditionem eſt nactus. nam cum ceteri populi, tum maximè Cæſenates, qui primi Romaniam ineunti occurrerunt, in pertinacia ſua ſe perſtituros, oſtenderunt. Itaque cum eos ſacrorum interdicto notaſſet, neque quidquam profeciſſet, auxilium Bononienſium aduocauit. Bononienſes ſiue vt à Pontifice gratiam inirent, cui ſemper maximè ſtuduerunt, ſiue vt Marcoaldum à ſe procul arcerent, ſubitò arma pararunt, ac delectu quàm maximo habito carrocium emiſerunt. Dux aderat ſtrenuus, atque, vt iis temporibus, rei militaris in primis peritus, prætor vrbis, Vbertus Vicecomes Placentinus. Is omnibus copiis eductis ſtatim Corbariam, Saxatellum, Montemcatinum, Arborum, Duciam, & Flagnanum, Imolenſis agri Caſtra, quòd infirmis munitionibus eſſent, primo impetu cepit, atque ſingula certa pecuniæ ſumma multauit. Quo terrore perculſi Cornetani, qui ſe paullò ante dediderant, ſponte in fidem, cum defeciſſent, reuerterunt. Inde in fines Imolenſem, Foroliuienſem, Foropopillienſem, & Brittonorienſem exercitus eſt inductus. In primis Foroliuienſium infame facinus erat. Hi enim Robertum, vrbis præfectum, rem ad Eccleſiam retrahentem populari in foro concitato tumultu miſerè interemerant. Vniuerſi tamen vaſtatione agris illata ad pacem petendã, & obſequium Eccleſiæ recipiendum adducti. ad extremum iunctis exercitibus Cæſenates quoque petiti, atque ad auctoritatem Eccleſiæ reuocati. Ciuitatibus in fidem reuerſis interdictum eſt relaxatum. Contrà verò Conradus, cum ſe diris à Pontifice deuotum execrationibus cognouiſſet eo nomine, quòd bona Eccleſiæ repetita non redderet, religione tactus longius ſibi procedendum in contumacia non putauit. verùm coram populo Narnienſi ſacramentum ſolemne concepit, ſe vniuerſam terram, quæ erat Eccleſiæ, redditurum, ac ſtatim Fulgineum, & Interamnam reſtituit, atque omnes populos ſacramento ſibi præſtito liberauit, & in poteſtate eſſe, arbitrioq. Pontificis iuſſit. cum autem vellet arcem Aſiſij reddere, Aſiſiatibus, Peruſiniſq. repugnantibus, nequiit. inde profecto in Ducatum per menſem Auguſtum Innocentio, in manibus eius

Ducatum dimiſit, atque ita ad obſequium Eccleſiæ rediit. Innocentius præfecto Ducatui Cardinali legato Spoletanos, Reatinos, Fulginates, Aſiſiates, Eugubinos, Peruſinos, Caſtellanos, & Tudertes dicto audientes eſſen, iuſsit. Quibus rebus vulgaris, Innocentius omnibus eſſe in ore, atque oculis cœpit, vt qui ſolus poſt tot annos Eccleſiam in priſtinum locum dignitatis, ac potentiæ reſtitueret, remque non vi magis, quàm pontificia auctoritate conficeret. Dum hæc in Romania, Marchia, Vmbriaq. geruntur, Lombardia variis ciuitatum tumultibus arſit. Burgenſes à Placentinis ad Parmenſes defecerunt. Hoc Placentini æquo animo non potuerunt ferre. Itaque Brixianis, Comenſibus, Vercellenſibus, Nouarienſibus, Haſtenſibus, Alexandriniſq. copiis ex fœdere aduocatis ad Burgum proceſſerunt, idque arcta obſidione circundederunt. Contrà verò Parmenſes, cum Cremonenſes, Regienſes, ac Mutinenſes ſocios ſibi præſto adeſſe ſuos iuſsiſſent, aduerſus eos mouerunt, & ſub lucem incautos, ac ſemiſomnes adorti ita conterruerunt, vt armorum, ac pugnæ obliti ſpem ſalutis in fuga ponerent. Quos Parmenſes longius inſecuti alios occiderunt, alios captiuos abduxerunt. Neque verò magis quietæ res trans Padum fuere. Veronenſes Hoſtiliam reædificare cœperunt. Hoc vbi ſenſere Mantuani, ad opus impediendum armato milite occurrerunt. Verùm prœlio ad Pontem Molinum cum Veronenſium manu conſerto, terga dare coacti ſunt. Veronæ conuentus à ſeptem ciuitatibus Tranſpadanis eſt habitus Mediolano, Brixia, Mantua, Vercellis, Nouaria, & Verona. fœduſq. omnibus belli, paciſq. communicatis rationibus ictum eſt aduerſus omnes, qui præſentem conuellere ſtatum tentarent. Comenſibus Kalendæ Septembris præfinitæ, quibus ſe hoc obſtringere fœdere poſſent. Ferrarienſes quoque cum Mutinenſibus ſocietatem, prætore Salinguerra, iunxere, iurantes, ſe ſeruaturos eſſe Mutinenſes, nec portorium ab eis aliquod exacturos. Per Nouembrem inde menſem Innocentius Conſtantiam Imperatricem, & Fridericum filium, Siciliæ reges inſtituit, litteris ad vtrumque in hanc ſententiam datis: *Quoniam regnum Siciliæ in Apoſtolicæ ſedis fide adhuc permanſit, & Rogerius quondam pater tuus, & Villelmus frater, & Villelmus nepos, reges Apoſtolicam ſedem, & prædeceſſores noſtros ſumma conſtantia coluerunt; ſimul etiam, quia ea opinione imbuti ſumus, Serenitatem veſtram eorum veſtigia firmiter ſequuturam: ob has res uobis, atque heredibus veſtris, qui, prout Villelmus frater ueſter Hadriano præ-*

deceſſori noſtro, nobis, ſucceſſoribus noſtris, Eccleſiæ Romanæ fidelitatem, & hominium voluerint exhibere, & quæ ſubſcribuntur, obſeruare, concedimus regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & principatum Capuæ, Neapolim, Salernum, Amalfim, Marſiam cum ijs, quæ ad horum ſingula pertinent, & alia, quæ tenetis à prædeceſſoribus veſtris, hominibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, iure detenta, pro quibus omnibus coram Oſtienſi epiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato, quem ad ſacramentum tuum accipiendum miſimus, fidelitatem nobis, & ſucceſſoribus noſtris iuraſti. Cum autem tu, fili, rex ad legitimam ætatem perueneris, nobis, ac ſucceſſoribus noſtris, & Eccleſiæ Romanæ fidelitatem, & ligium hominium exhibebis. cenſum verò ſexcentorum ſquifatorum de Apulia, & Calabria, quadringentorum verò de Marſia vos, & hæredes veſtros ſtatuiſtis Eccleſiæ ſoluturos. Electiones autem in regno canonicè fiant. Huius verò beneficii fructum haud ferre Conſtantia potuit. Siquidem morbum nacta haud ita multò poſt quinto Kalendas Decembris vitam reliquit, cum ipſum Innocentium Friderici pueri tutorem teſtamento inſtituiſſet. Morte Conſtantiæ nouo in Regno bello eſt occaſio patefacta. Rerum turbator Marcoaldus extitit. Ille verò per cauſſam iuris pueri conſeruandi ex Marchia exercitum in Apuliam introduxit, ac principes, qui parere recuſarunt, exiliò, fortunis, membriſq. multauit, & caſtro Sancti Germani capto, Caſsinum obſedit. Qua re accepta Innocentius, tanquam tutor pueri legitimus, & ipſe aduerſus eum exercitum deſtinauit. Dum hæc in Italia, Siciliaq. geruntur, in Germania graues tumultus ob regia comitia concitati. Nam quidam principes Adernaci conuenientes Bertoldum Ducem Zaringiæ, regem delegerunt, neque rationem ſacramenti, quo ſe Friderico obligarant, habuerunt. Alij verò in oppido Milhuſeno coacti Sueui, Saxones, Bauari, Boemi, & principes plures Rhenenſes Pilippum Ducem crearunt. ex quo ſæua inter eos eſt armorum contentio nata. Cedente inde Bertoldo Colonienſes, & Argentinenſes cum epiſcopis ſuis, & alii quidam Othonem Ducem Saxoniæ ex Anglia reuocarunt, eumq. aduerſus Philippum regem deſignauerunt. Cum autem Philippus Aquas veniſſet, eaſq. præſidio occupatas teneret, tamen ſuperueniente cum ſuis Othone, atque Aquas obſidione premente, cedere eſt coactus. Ita Adolphus, Colonienſis archiepiſcopus, regem coronauit Othonem, eum verò ritè coronatum legatus pontificius approbauit, ac Philippum Ducem iure repudiatum pronunciauit. Hoc autem cum iniuſtè factum principes quidam contenderent, Innocentius legati

partes ſui ſuſcepit, atque ita Zaringiæ Duci conquerenti reſpondit: *Obiectioni Principum reſpondentes aſſerimus, quòd legatus noſter approbando regem, et reprobando Ducem, nec electoris geſsit perſonam, vt pote qui nec fecit aliquem eligi, nec elegit; nec cognitoris, cum neutrius electionem, quod ad factum eligentium, confirmandam duxerit, aut etiam infirmandam. Exercuit autem denunciatoris officium, quia perſonam Ducis eiuſdem indignam, & perſonam regis pronunciauit idoneam, quòd ad Imperium obtinendum. Eos igitur duximus commonendos, vt à præfato Duce iuſto quidem à nobis iudicio reprobato recedant, & præfato regi non abnuant adhærere. Sunt enim notoria impedimenta Ducis, ſcilicet excommunicatio publica, periurium manifeſtum, & perſecutio diuulgata, quam progenitores eius, & ipſe præſumpſerunt in Apoſtolicam Sedem, & alias eccleſias exercere. Fuit quoque à prædeceſſore noſtro excommunicationis vinculo innodatus: quod poſtmodum recognouit, dum per nuncium ſuum abſolutionis beneficium poſtulauit. vnde patet, quòd ipſe fuit excommunicatus electus. Item contra proprium iuramentum, ſuper quo nec conſilium à Sede Apoſtolica requiſiuit, & ambitionis vitio regnum ſibi vſurpare præſumſit, cum ſuper illo iuramento prius Eccleſia Romana conſuli debuiſſet.* Quibus rebus cognitis Philippus, vt fauorem ſibi Pontificis in adipiſcendo Imperio compararet, Ducatum Tuſciæ præter Montemflaſconem dimiſit, ac captiuos Siculos cuſtodiis liberandos curauit. Ij, cum in aulam pontificiam perueniſſent, quòd luminibus capti eſſent, fœdum omnibus Germanicæ crudelitatis exemplum, & parum Philippi rebus accommodatum exhibuerunt. Eodem anno duabus eccleſijs metropolitanis vacantibus antiſtites dati, Adelbertus Rauennati, & Peregrinus Aquileienſi. Non prætereundum ſilentio exiſtimo, hæc tempora, quæ tetris hominum flagitiis, diris populorum inimicitijs, ac nefandis hæreſibus propè fuere infamia, hoc vno bono Dei beneficio floruiſſe, quòd viros aliquot cum doctrinæ magnitudine, tum vitæ integritate præſtantes tulerunt. Nam Franciſcus Aſiſias in Italia, & Dominicus Calarogenſis in Hiſpania per hoc tempus inſigni aſperitate vitæ, rerum humanarum contemptione, & verbi diuini prædicatione, hominum in ſe ora, oculoſq.
vertere incœpere. Verùm poſterò anno Cremonæ præcipuè lux in- 1199
gens ſanctitatis effulſit. Quippe Homobonus quidam ſimplicitate morum magis, quàm eruditione in ciuitate conſpicuus ex hac vita deceſsit, ac ſanctitatem ſuam poſt obitum tam multis miraculis ad ſepulturam editis confirmauit, vt Sicardus epiſcopus, homo grauiſsimus, ea re permotus Romam ſibi contendendum, atque Innocentium de omnibus diligenter edocendum putarit. Quibus rebus cognitis

Innocentius religione perfuſus ipſum in numerum Sanctorum aſcripſit, ac Cremonenſes ad eius colenda Natalicia ſcriptis, quæ adhuc extant, litteris inciraurit. Eo verò anno omnes opes ſuas ad Marcoaldum, qui vnus infeſtam habebat Eccleſiam, contulit. Itaque miſſo in Campaniam exercitu ipſum à Caſsini obſidione auertit, atque Apuliæ, Calabriæq. populos ſacramenta Friderico dicere iuſsit. & Cardinalem S. Mariæ in Porticu in Siciliam ad caput eius cuſtodiendum miſit. neque officium vllum optimi aut domini, aut tutoris, aut patris erga illum omiſit. Inde in Marchiam conuerſus nouum exercitum ex Lombardia, Tuſcia, & Marchia euocauit, moderatoreſq. Tuſciæ Romã ad ea conſultanda, quæ opus eſſent, acciuit. atque ita Marchiam adortus haud magno admodum certamine vniuerſam ad Eccleſiæ auctoritatem poſt tot annos adduxit. Quibus rebus, ac ſimul etiam metu religionis Marcoaldus adductus, demum ad officium rediit. ac per epiſcopum Oſtienſem legatum pontificis Verulis expiatus in gratiam Eccleſiæ eſt receptus. Innocentius recuperata aliquando tandem Eccleſia omnes inde curas ſuas ad res Orientales in dies vehementius collabentes ſibi ſtatuit conferendas. Dum autem Marchia à Pontifice magna totius cum Italiæ approbatione pacatur, Lombardi inter ſe accenſis ad internecionem animis contendere. Quippe Placentini acerbe ferentes, ſe à Parmenſibus non ſolum Burgi poſſeſsione nudatos, ſed etiam in fugam actos, captoſq. fuiſſe, cum Mediolanenſibus ad Burgum oppugnandum venerunt. ſed Parmenſibus cum ſociis ſuis ſubitò accurrentibus propoſitum tenere non potue runt. ceterum collatis ſignis, prœlioq. valido facto ita vtrinque diſceſſum eſt, vt ſatis appareret, ea congreſsione non extinctum ardorem eſſe pugnandi, ſed auctum. Praua percrebuerat tum in Italia conſuetudo, vt non ſolum priuati priuatos, ſed etiam populi populos ad contractas controuerſias dirimendas indicto certamine inuitarent, quod illi torneamenti nomine appellabant. quæ, vt mortalium generi exitioſa, tribus fuerat iam decretis ab Eccleſia condemnata. Tanta verò tum ſiue tractandorum armorum, ſiue virtutis experiendæ cupiditas Italicos acuit, vt contemptis legibus alter alteri eiuſmodi certamen indixerint, ſeque inter ſe ad rem ſummo diſceptandam diſcrimine prouocarint, ratus vterq., ſe vno prœlio Italis oſtenſurum, non ſolum, quantum iure controuerſiæ ſuperaret, ſed etiam, quod generoſos populos vehementius incitabat, quantum bellica virtute, gloriaq. militari præſtaret. dieq. tantæ, ac tam memorabili pugnæ indicta interim ſuas quiſque vires, copiaſq. rebus inſtruere neceſſariis inſtiit. Hæc verò

vbi

vbi Innocentius comperit, intimis animi ſenſibus doluit, imminentem nimirum populorum calamitatem proſpiciens. Itaque vt tanto malo, quoad poſſet, occurreret, literas V. Kal. Maii, quæ adhuc leguntur, ad abbatem Locedenſem ſcripſit in hanc ſententiam. *Quot ex diſſenſione, quæ ſuper Burgo S. Domnini vertitur, inter Placentinos, et Parmenſes mala contigerint, & quàm multa impendeant, nemo non videt. Nam inuicem ſanguinem ſuum ſitiunt, nec proprijs damnis, cladibuſque contenti ſunt. quin etiam totam Lombardiam ad arma ſolicitarunt, atque inter ſe in vniuerſi prælij aleam certamen improbum indixerunt. Quamobrem, vt & clades imminens arceatur, &, ſi uentum ad conflictum fuerit, immortales ciuitatum inimicitiæ amoueantur, mandamus vobis, vt cum archiepiſcopo Mediolanenſi, epiſcopis Vercellenſi, Bergomati, Laudenſi, Brixiano, Cremonenſi, Regienſi, Placentino, & Parmenſi, ad quos nos hac quoque de re ſcribimus, per te, & eos, quos ad hoc officium idoneos, ac neceſſarios eſſe duxeris, hos populos ad pacem, & concordiam redigas. Quod ſi illi in auctoritate veſtra non fuerint, per ſacrorum interdictionem in prætores, conſules, conſiliarios, & fautores intentam tam Placentinos, quàm Parmenſes ad ſubeundum iudicium noſtrum aſtringas, cureſq., vt Burgum in manibus tuis nomine noſtro aſſignent tenendum, donec à nobis eis reſtituatur, quibus viſum iure fuerit conuenire.*
Hæc, vtcunque curata ſint, parum momenti ad conceptam populorum animis rabiem comprimendam, & impendentem ciuitatibus cladem auertendam habuerunt. quam cladem Deus cœleſtis prodigii nouitate prudentibus, & diuina non negligentibus aperte portendiſſe eſt viſus. Siquidem niue per Auguſtum menſem prodigioſe è cœlo lapſa frigus per triduum hiemali ſimile ſæuiit. Spretis igitur pontificiis, cœleſtibuſq. præceptis Parmenſes, & Placentini, ſociis vtrique ſuis ſtipati IIII Idus Octobris, vt condictum fuerat, apud S. Laurentium conuenerunt, ac dato extremi prœlii ſigno magno vtrinque animorum, atque armorum ardore congreſsi ſunt. Pugnatum eſt æquo Marte à prima diei hora vſque ad veſperam ſumma non virtute ſolum, ſed etiam pertinacia, cenſentibus ſinguIis, qui loco ceſsiſſent, eos non Burgum, ſed vniuerſam bellicæ virtutis laudem, ac gloriam amiſſuros. Itaque ſuperueniente nocte defatigatione magis, quàm ſatietate pugnandi ingenti vtrinque clade ex acie receſſerunt. Per eoſdem dies Veronenſes quoque ad Padum progreſsi inuitis Mantuanis Hoſtiliam muniuerunt. Mediolani verò Vbertus Pirouanus ad archiepiſcopatum eſt euocatus. In exitu inde anni pax inter Placentinos, & Parmenſes apud Cremam Mediolanenſibus, & Brixianis ſequeſtribus eſt tranſacta.

Hæc vsqve ad annum milleſimum ducenteſimum in Regno Italiæ eueniſſe memoratu digna comperiebat, eaq. anno demum milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto è tenebris eruta in lucem, conſpectumq. prodebat Carolus Sigonius Mutinenſis, cum in Gymnaſio Bononienſi ſtudia profiteretur humanitatis: poſt autem anno MDLXXIX nouis conquiſitis veterum monumentorum, ſcriptorumq. ſubſidijs eadem multò & auctiora, & certiora, renauata opera, diuulgauit.

FINIS.

BONONIÆ,

Apud Societatem Typographiæ Bonon.

MDLXXX.

TYPOGRAPHVS LECTORI. S.

HOS XV *Hiſtoriarum de* REGNO ITALIAE *libros cum eruditiſſimo cuique maxime probatos, ac propterea in Italia, Gallia, & Germania typis ſemel, iterumq. mandatos eſſe comperiſſemus, eos & nos quoque deſcribere conſtituimus, vt* XX, *quos de Occidentali Imperio ab eodem auctore ſcriptos primi edidimus, iungeremus: atque ambas inter ſe Hiſtorias, vt ſunt tempore, et natura coniunctæ, copularemus. Quamobrem eos ab auctore obtinuimus non ſolum ab ijs, quos aliorum editiones fortè contraxerunt, erroribus repurgatos, ſed omnibus etiam in partibus multis rebus memorabilibus auctos. Neque enim fermè decennium incidit, quod notabili acceſſione aliqua inſignitum non ſit, cum ipſe Auctor multa interim regiſtra Pontificum, aliaq. monumenta ſcriptorum poſt priorem editionem aſſidua perſcrutatione inuenerit. Itaque pontificatum Ioannis* VIII *non minus obſcurum, quàm celebratum, præcipue illuſtratum inuenies ex ipſius Ioannis Regiſtro, quod Longobardicis litteris exaratum auctor Romæ apud hominem omnium doctiſſimum, atque in omni conquirenda, atque eruenda antiquitate diligentiſſimum Gulielmum Cardinalem Sirlettum, nuper Auenione repertum perlegit. Quin etiam Leonis* IX, *Gregorij* VII, *et Alexandri* III *tempora multis acceſſionibus factis renouata offendes. Pollicemur etiam, nos propediem his* XII *libros Bononienſis Hiſtoriæ attexturos. in qua præcipue continentes his temporibus Othonis* IIII, *et Friderici* II *Imperatorum magnæ res in Italia geſtæ, ſimulq. grauia Italicorum inter ſe commiſſa certamina ita explicantur, vt veteris memoriæ ſtudioſi facile habituri ſint, vbi obſcurorum illorum temporum imaginem expreſſam intueantur; quam vix quiſquam ad hoc vſque temporis adumbrauit. Atque ita continens Hiſtoriæ ſeries ab anno Chriſti ducenteſimo octogeſimo quarto vſque ad milleſimum ducenteſimum ſexageſimum quadraginta ſeptem libris incluſa, atque in ſingulos annos digeſta ex noſtra officina prodibit.*

INDEX.

QVI OMNIVM RERVM, ET VERBORVM MEMORABILIVM QVANDAM QVASI EPITOMEN SVBIICIT.

Indicantur etiam ſcriptorum monumenta, ex quibus hæc excerpta hiſtoria eſt.

Addita eſt Deſcriptio Italiæ ex Itinerario Antonini manuſcripto.

ARGVMENTVM HVIVS HISTORIAE.

DESCRIBITVR regnum Italiæ, quod inſtitutum fuit à Longobardis, inde exceptum à Francis, tum vindicatum ab Italicis, demum tranſlatum ad Germanos. In primis exponuntur ſinguli reges Longobardorum, Francorum, Italicorum, & Germanorum, & res, leges, ac mores eorum. Additur, vt cum regno Italiæ titulus Imperii in Carolo Magno à Pontifice iunctus ſit, & vt cum vtroque regnum Germaniæ ab Othone Magno conſociatum ſit, & tres coronæ ſimul ſint connexę, Germanica, Italica, & Imperialis. Deſcribuntur item ſinguli pontifices Romani, & res eorum, & ritus Eccleſię, ſchiſmata, Concilia, dignitates, ditiones, ac patrimonia. Traduntur archiepiſcopi, abbates, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & res eorum. Neque ſolum vniuerſę Italię, ſed etiam ſingularum prouinciarum, & ciuitatum ſtatus exponitur, nempe bella, ſeditiones, victorię, clades, publica ędificia, vt baſilicę, & monaſteria, item calamitates cęleſtes, vt peſtilentię, fames, diluuia, incendia, tempeſtates, eo ordine, vt quid quoque anno euenerit, demonſtretur, & nihil memorabile, quod compertum ſit, omittatur.

CAPITA INDICIS.

IMPERATORES *Orientis, Italiæ domini, & Exarchi Italiæ ab eis impoſiti, & res eorum.*

Mores ad Imperium Orientale pertinentes.

Dignitates in Imperio Orientali.

Reges Italiæ, qui ſucceſſere Imperatoribus Orientalibus, & res, ac mores eorum.

Dignitates in Regno Italiæ, vbi de feudis, & feudatarijs agitur.

De titulo Imperij Occidentalis iuncto cum regno Italiæ.

De regno Germaniæ iuncto cum regno Italiæ, & Imperio.

Pontifices Romani, qui in partem ditionis ſucceſſerunt, quam Imperatores Orientis habuerunt, & res eorum.

Hæreſes, Concilia, dignitates, ritus, bonaq; Eccleſiæ Romanæ.

Duces Foroiulienſes, qui ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.

Duces Spoletani, qui ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.

Duces, & Marchiones, qui ditionem in Etruria habuerunt, & res eorum.

Duces Beneuentani, qui ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.

Principes Capuani, qui ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.

Abbates Caſſinates, qui ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.

Comites, & Duces Apuliæ, ac Calabriæ, qui in partem ditionis ſucceſſerunt, quã Imperatores Orientis habuerunt, & res eorum.

Archiepiſcopi Mediolanenſes, & res, ac ritus eorum.

Archiepiſcopi Rauennates, & res eorum.

Patriarchæ Aquileienſes, & res eorum.

Patriarchæ Gradenſes, Duces Venetorum, & res eorum.

Italia, & prouinciæ eius.

Vrbes, Caſtra, & flumina Italiæ ordine litterarum.

Exteræ nationes, quæ Italiam inuaſere.

Vrbes Italiæ inſigniter obſeſſæ, aut expugnatæ.

Vrbes, eccleſiæ, & monaſteria condita.

Homines in numerum Sanctorum relati, aut ſpiritu vaticinij præditi.

Familiæ antiquæ Italiæ.

Catalogus verborum, rerum, ac perſonarum aliarum memorabilium ordine litterarum.

Nomina ſcripturarum, vnde eſt excerpta hiſtoria.

IMPE-

IMPERATORES ORIENTIS,

ITALIAE DOMINI, ET EXARCHI ITALIAE, ET RES, AC MORES EORVM.

Numeri annorum, non paginarum notati ſunt.

Anno Chriſti. 565.

IVSTINIANVS *Magnus, Italia de Gotthorum manibus extorta, Narſete Duce Italia relicto, moritur an. 563.*

An. 565.

IVSTINVS Imp. impulſu Sophiæ vxoris remouet Narſetem Ducem Italiæ, qui iratus aducat Longobardos in Italiam. an. 566. & Exarchum Italiæ pro Duce inſtituit. 566. ſpoliatur ab Alboino rege Venetia, Liguria, Aemilia, Tuſcia, & Vmbria. 570. 571.

Longinus *primus Exarchus Italiæ ab Imper. Iuſtino impoſitus Rauennæ conſedit. 566. prouincias ſupraſcriptas amiſit. 571. Albiſindam Roſimunda regina filiam cum theſauro ad Iuſtinum miſit. 574. Claſſem Rauennæ oppidum amiſſum fruſtra recuperare cõtendit. 582. Eutychius patriarcha Cõſtantinopolitanus hæreticus. 581.*

576.

TIBERIVS Imp. 576. frumentum mittit Romam, dum obſideretur à Ducibus Longobardis. 579.

582.

MAVRICIVS Imp. 582 Longino Exarcho ſufficit Smaragdum. 582.

Smaragdus *Exarchus. 583. Claſſem recuperare nititur. 583. Seuerum patriarcham Aquileienſem captũ in Grado, et Rauennam deductum Ioanni archiepiſcopo hæretico aſsẽtiri cogit. 587. recuperat Claſſem oppidum. 586.*

Mauricius Imp. Francos impulit contra Longobardos. 584. ſpoliatur ab Autharirege Samnio, vnde fit Ducatus Beneuentanus. 589. Gregorium pontificem arguit. 595. fauet Ioanni patriarchæ Conſtantinopolitano principatum Eccleſiæ ſibi vendicanti. 595.

Romanus *Exarchus à Mauricio Imp. miſſus. 588. bellũ intulit Agilulfo Regi non nullis oppidis ereptis. 593. Italiam à Lõgobardis lacerari paſſus eſt, atque à pace abhorruit. 591.*

Callinicus *Exarchus à Mauricio ſubſtitutus. 598. Agilulfo Regi Parmam, ac filiam, et generum ademit. 601.*

Smaragdus *iterum Exarchus à Mauricio miſſus 602. filiam, & generum Agilulfo regi reſtituit. 603.*

602.

PHOCAS Imp. 602. pacem facit cum Agilulfo rege per Smaragdum Exarchũ. 606. 609. Smaragdus Ferrariam mænibus cinxit. 606. Phocas templũ Pantheon tradit Bonifacio IIII. pontifici. 610.

611.

HERACLIVS Imp. 611. Ioannem Lemigium Exarchum in Italiã mittit. 611

Ioannes *Lemigius Exarchus inducias ſæpe renouauit cũ Agilulfo rege. 611. tumultu populari Rauennæ occiditur. 615.*

Eleutherius *Exarchus ab Heraclio*

Imp. ſūmiſſus. 615. necē Ioānis Exarchi vindicauit. Romam profectus ſummo honore excipitur, qui deinde Exarchis ſolemnis manſit. inde Neapolim progreſſus Ioannem Ducem Neapolis rebellē vltus eſt. Rauennam reuerſus tyrānidem inuadens occiſus eſt. 656.

Iſaacius *Exarchus ab Heraclio Imp. ſummiſſus. 658. Lateranenſe Patriarchium ſpoliauit. 637.*

Heraclius Imp. bellum infert Coſroi Regi Perſarum ob recuperandam crucem ablatam. 620. 622. crucem receptam 628. reportat Hieroſolyma. 629. cadit in hæreſim Monotheletarum inductus à Sergio patriarcha. 630 crucem Hieroſolymis metu Sarracenorum extraxit. 634. ſpoliatur à Rothari rege Longobardorū Alpibus Cottijs, et Opitergio vſque Taruiſium. 638. Iſaacius Exarchus victus eſt prælio ad Scultemnam à Rothari rege. 638. Mauritium chartularium ſeditionem agitantem vleiſcitur. 641.

641.

Constantinvs *Heraclij filius Imp. 641.*

641.

Constans *Imp. 642. Theodorum Calliopam Exarchū in Italiam miſit. 642.*

Pyrrhus patriarcha ſuſpectus hæreſeos Romam venit, & Catholicis ſubſcripſit. 642.

Theodorus *Calliopa Exarchus. 642.*

Conſtans *Imp. lapſus in hæreſim Monotheletarum, a Theodoro pontifice obiurgatur. 644. iratus Martino pontifici propter concilium aduerſus ſuam hæreſim conuocatum, mittit Olympium Exarchum ad cogendum eum, vt ſibi aſſentiatur. 648. Paulus patriarcha cōfirmat hæreſim Monotheletarū. 646.*

Olympius *Exarchus. 648.*

Theodorus *Calliopa Exarchus iterum. 651.*

Conſtans *Imp. mittit Theodorum Calliopam Exarchum iterum ad capiendum Martinum pontificem, et captum mittit in exilium in Pontum. 651. renouat priuilegia Ro. Eccleſiæ. 657. trāſit in Italiam contra Longobardos, & Beneuentum obſedit. 663. Romam veniens excipitur à Vitaliano pont. 663. Eccleſiam Romanā donauit. 663. templa antiqua ſpoliauit. 663. in Siciliam abijt. 663.*

669.

Constantinvs *Im. p. 669. concilium ſextum generale Conſtantinopolim conuocat ex auctoritate Agathonis pontificis contra hæreſim Monotheletarum, & ad iungendam eccleſiam Conſtantinopolitanā Romanæ. 679. epiſcopos ad concilium venientes benignè excipit. 680. capita patrimoniorum Siciliæ, et Calabriæ remittit Romanæ Eccleſiæ. 681. coegit archiepiſcopum Rauennatem obedire Romanæ Eccleſiæ. 682. & libera comitia pontificia fecit. 684.*

686.

Ivstinianvs *Imp. 686. ſcribit ad Pontificem de tabulis ſexti concilij cuſtodiendis. 686. remiſit capita patrimonij Brutiæ, & Calabriæ. 687.*

Ioannes *Exarchus miſſus à Iuſtiniano Imp. 687.*

Iuſtinianus concilium habuit contra Eccleſiaſticum ritum, & coegit legatos Pontificis ſubſcribere. 692. & propterea Sergium pont. repugnantem perſecutus eſt. 693. Ioannes Exarchus pecuniam inſolenter exigit à Sergio pont. 687.

Iuſtinianus Imp. Zachariam protoſpatharium mittit Romam ad capiendum Sergium pont. ſed fruſtra. 693.

696.

Leontivs *Imperatorē ſe fecit pulſo Iuſtiniano, & naſo eī truncato. 696.*

699.

Tiberivs *Abſimarus Leontium expulit. 698. & ſe Imperatorem fecit. 699. & Theophylactum Exarchum in Italiam miſit. 701.*

Theophylactus *Exarchus. 702.*

706.

Ivstinianvs *recuperat Imperium. 706. bello ad Rauennam facto Felicem archiepiſcopum contumacem capit. 709.*

Ioannem Tizocopum mittit Exarchum.710.

Ioannes *Tizocopus Exarchus 710. Iuſtinianus Imp. pœnitentia ductus Conſtantinum pontificem ad ſe vocat; & honorificè excipit.711. à Philippico imperio, & vita ſpoliatur.711.*

712.

Philippicus *Imp. acta cõcilij ſexti peruertit.712. hæreſim ſacrarum imaginum intulit.712. Ioannes patriarcha ei aſſenſit.712. Ioannes Exarchus occiditur a Rauennatibus.712.*

714.

Artemius *Anaſtaſius Imp. catholicus ſacram mittit ad Pontificem.714. & Scholaſticũ Exarchum in Italiã.714.*

Scholaſticus *Exarchus.714.*

716.

Theodosius *Imp. catholicus probat ſextum concilium.716.*

717.

Leo Isaurus *Imp. ſacris imaginibus infeſtus.717. Faroaldus Dux Spoleti Claſſem ademit Exarcho, & reſtituit.718. Tiberium in Sicilia res nouas molientẽ delet.718. per Paulum Exarchũ miſſum inſidiatur vitæ Gregorij II. pontificis propter ſacras imagines.723.*

Paulus *Exarchus.723. amittit Claſſem.725. Rauennam, et Exarchatum ereptum à Luitprando Rege; eumque recuperat ope Gregorij II. pont.725.*

Leo Imp. abolet ſacras imagines Conſtantinopoli.726. Rauennates Paulum Exarchum interfecerunt.726. amittit Romam, & Ducatum eius deficientem ab eo ad pontificem propter hæreſim.726.727. Quis fuerit Romanus Ducatus.727.

Eutychius *Exarchus mittitur à Leone Imperat.727 Rauennam obtinet.727 iungit ſe cum Luitprando rege, & cũ eo Romam obſidet.729*

Leo Imp. Germanum patriarcham pro imaginibus ſentientem abrogat.729. bellum infert Italiæ propter defectionem.732

741.

Constantinus *Copronymus imperauit poſt Leonem patrẽ.741 Mariam Dei genitricem negauit, atque honore ſpoliauit.741*

742.

Artabasdus *Imp. pulſo Conſtãtino.742*

743.

Constantinus *recuperat imperium capto Artabaſdo.743. ſpoliatur Rauẽna cum Exarchatu, & Pentapoli ab Aiſtulfo Rege.752. Exarchatus, & Pentapolis oppida quæ fuerint.755. Eutychius Exarchus his amiſsis Italia cedit. finemque huic magiſtratui facit. Conſtantinus conuentum contra ſacras imagines habet.754. varijs portentis agitatur.764.765.766. perſequitur cultores earum.766. inſultat in monachos.766. Apuliam, & Calabriam in Italia retinet.774.*

775.

Leo *Porphyrogenitus Copronymi filius imperat.775.*

780.

Constantinus *Porphyrogenitus Leonis filius Catholicus imperat.780. Conſtantinopolitana eccleſia redijt in concordiam cum Romana.784.*

Irene *mater Conſtantini ſcribit ad Hadrianum pontificem de concilio ſeptimo cauſſa imaginum faciendo.785.*

Conſtantinus à Carolo Magno Rege in nuptijs filiæ illuſus, Adalgiſum Deſiderij regis filium quondam Italiæ regẽ mittit in Italiam, & commiſſo cum exercitu Caroli Magni in Calabria prælio ſuperatur.788.

Irene Conſtantini mater eijcere filium volens eijcitur.789. eadẽ excæcato filio ſola imperat.797. fœdus cũ Carolo Magno facit, et connubiũ eius poſcit.802.

802.

Nicephorus *Irene abdicata imperium arripit. & fœdus cum Carolo Magno facit.802 pro Venetis cum Caroli ducibus contendit.806.*

812.

Michael *Rangabe Imp. ſancit fœdus cũ*

Carolo Magno.812.

813.

Leo *Armenius Imperat. 813. imagines ſacras perſequitur.813. fœdus ſancit cum Carolo Magno.813. & cum Ludouico Pio.815.*

821.

Michael *Balbus occiſo Leone Imperat. 821 hæreticus eſt, & ſceleratus.821.*

829.

Theophilvs *Balbi filius Imperator.829 infe‍ſtus eſt ſacris imaginibus, & monachis.829. Apulia, et Calabria vexata à Sarracenis Barrij morātibus.841*

842.

Michael *Porphyrogenitus Theophili filius Imperat.842. cultus imaginibus ſacris eſt reſtitutus.842.*

867.

Basilivs *Michaele patre occiſo imperat 867. legatos mittit ad Nicolaum pontificem de concilio generali octauo in cauſſa Ignatij patriarchæ, et Photij habendo, & habuit.868.*

886.

Leo *Baſilij filius imperat.886 bellum infert Aioni Principi Beneuentano.891. Sarraceni Apuliam, et Calabriam vexant.905.*

908.

Alexander *Leonis frater imperat.908*

909.

Constantinvs *Porphyrogenitus Leonis filius imperat.909. Romanis affuit ad Sarracenos Gariliano pellēdos.915*

922.

Romanvs *Lecapenus Imp.922. Hugonis regis Italiæ filiam habuit in matrimonio 945.*

952.

Constantinvs *Porphyrogenitus excepit Imperium.952.*

962.

Romanvs *Porphyrogenitus Imperat.962*

964.

Nicephorvs *Phocas Imper.964. ſpoliatur Apulia, & Calabria ab Othone Magno rege, & Imperatore propter perfidiam erga ſe in Theophania adhibitam. 969.*

970.

Ioannes *Zimiſces Imperat.970 hic Theophaniam tradidit in uxorē Othonis ſecundi regis, & Imp. 971.*

977.

Basilivs, & Constantinvs *Ioannis filij imperant.977. recuperāt Apuliam, & Calabriam de manibus Othonis ſecundi.979. et nouum eis magiſtratum nomine Catapanum imponunt. 982.*

1029.

Romanvs *Argyrus imperat. 1029.*

1035.

Michael *Paphlago Imper.1035. hoc imperante Normani Apuliam inuadunt. 1041.*

1041.

Michael *Calaphates Imperat.1041. exercitum ad defendendam Apuliam contra Normanos mittit.1041.*

1042.

Constantinvs *Monomachus Imp. 1042. miſit ſupplementum in Italiam contra Normanos.1042. Apulia, & Calabria ſpoliatur ab eis.1042. neque Græci quidquam poſthac rei in Italia habuerunt. Conſtantinopolitana eccleſia principatum appetens rurſus à Romana defecit ſub Leone ix. pontifice, Michaele patriarcha auctore.1053.*

1054.

Theodora *Auguſta poſt mortem mariti Imperat.1054.*

1056.

Michalel *Stratioticus Imperat.1056.*

1057.

Isaacivs *Comnenus Imp.1057.*

1060.

Constantinvs dvcas *Imperat.1060.*

1068.

Romanvs *Diogenes Imperator. 1068.*

1071.

Michael dvcas *Parapinaces Imperator. 1071.*

1081.

Alexivs *Comnenus Imper.1081. coronam à Paſchali.II. pontifice ſumere cœpit. 1112.*

1119.

Ioannes *Comnenus Imperator. 1119.*

1153.

Manvel *Imperator. 1153. pecunia Longobardos iuuat contra Fridericum regem. 1167. miſſis legatis pollicetur Alexandro* III. *pontifici ſe Gracam Eccleſiam Romanæ iuncturum, & illum Friderici bello liberaturum, ſi ſe corona Imperij Occidentalis ornaret. 1168 Anconetas tuetur aduerſus Fridericum. 1172.*

1180.

Alexivs *Imperat. 1180. Latini clerici, & monachi crudeliſſimè habiti. 1180.*

1185.

aacivs *Angelus Imp. 1183.*

1195.

Alexivs *Angelus Imp. 1195.*

MORES AD IMPERIVM ORIENTALE PERTINENTES.

Imago noui Imperatoris Romam mittebatur Conſtantinopoli. 603. 712.

Quomodo Imperator exceptus ſit Romæ à Pontifice. 663.

Quomodo Imperator Pontificem ad ſe adeuntem exceperit. 755.

Qua pompa Exarchus Romam accedens exciperetur à ciuitate. 593. & à Pontifice. 637.

DIGNITATES IN IMPERIO ORIENTALI.

Exarchus ſupra. Patricius. 674. Magiſter militum. 567. Cartularius. 567. Sacellarius. 567. 641. Spatharius. 650. 723. Prtohoſpatharius. 891. Prætor Apuliæ, & Catapanus Apuliæ, vide in Apulia. 982. Candidatus. 1041. Proloſebaſtus. 1180.

REGES ITALIAE QVI SVCCESSERE IMPERATORIBVS ORIENTALIBVS. ET RES, AC MORES EORVM.

Regnvm *Italia à Longobardis inſtitutum eſt, à Francis auctum, à Germanis legibus ad libertatem inſtructum. Regnum Italiæ idem, et Longobardum dictum. in Proœmio.*

REGES LONGOBARDI IN ITALIA.

565.

Alboinvs *Lōgobardus decimus rex Longobardorū accitus à Narſete Imperatoris Iuſtiniani Duce, venit in Italiam è Pannonia. 568. & Forum Iulium, Vicetiam, & Veronam in Venetia occupauit. 568. 569. in Liguria verò Brixiam, Laudem, Bergomum, Mediolanum, & Ticinum, ac Ticinum Regni Italici ſedem rex Italiæ primus poſuit. 570. Aemiliam, Tuſciam, & Flaminiam, & Vmbriam magna ex parte ſubegit. Ducem Foroiulienſem inſtituit, itemq. Spoletanum, & Tuſcum. 575. necatur à Roſimunda vxore. 574. mores eius. 574.*

574.

Clepho *poſt Alboinum, qui ſine filijs deceſſerat, lectus eſt Italiæ rex. potentes in vrbibus viros mulctauit. Tanetum cepit. 574. Forum Cornelij a Narſete euerſum reſtituit, & arce ornauit, quam Imolam dixit. interfectus à familiari. 575.*

575.

Dvces *triginta poſt Clephonem regem ſingulas vrbes regni tenuerunt annos. X. atque exitioſi Italiæ fuerunt, et crudeles in ciuitates, & earum epiſcopos, ac ſacerdotes extiterunt. 576. & Francorum incurſiones paſſi ſunt. 578. Etruriam, & Romam inuaſerunt. 579. Claſſem oppidum Rauennæ ceperunt. 578.*

585.

Avtharis Clephonis filius fit rex, 585. Brixillum obſedit. 585. regnum in Italia ordinauit. 585. Brixillum captum euertit. 585. iuſtitiæ opera edidit. 585. ſacra Chriſtiana, ſed Arriana ſuſcepit. 585. Iſtros ad inducias petendas adegit. 587. Francos repulit. 586. in Comacinam inſulam irrupit, & theſauros Romanorum auertit. 587. Francos irrumpentes coercuit. 588. Beneuentum capit, et Ducatum Beneuentanum inſtituit, vſque ad Rhegium procedit. 589. Theodelindam, regis Baioariorum filiam, ſibi deſpondet. ſponſam incognitus inuiſit. 589. nuptias contrahit Veronæ. 590. Francos rurſus repellit. 590. Longobardos fide Arriana baptizari mandat. 590. veneno Veronæ moritur. 590.

590.

Agilvlfvs rex a Theodelinda regina permiſſu Longobardorum legitur, cum Dux eſſet Taurinatium. 590. Catholicus fit rogatu Theodelindæ vxoris. 590. ornat eccleſias. 590. iterum rex approbatur Mediolani. 591. Captiuos à Franciis repetit, pacem impetrat. Ducibus rebellibus bellum facit. 591. Ducibus rebellibus iterum bellum facit. 592. Peruſiam recuperat. Romam obſidet. Romanos captiuos tanquam canes abducit. 594. Pacem cũ Romanis facit. 599. Fœdus cum Francis inſtaurat. 600. Ducibus rebellibus rurſus bellũ facit. 600. rurſus prouocatus ab Exarcho, ob filiam, & generum captũ bellum infert. Patauium occupat, et incendit. 601. Montem ſilicis capit. 601. Theodelinda regiam, et baſilicam S. Io. Baptiſtæ cõdit Modoetiæ. 601. rex Sclauis conductis Cremonam, et Mantuam capit, & euertit. 602. iterum pacem cum Romanis facit, die SS. Geruaſij, et Protaſij. 603. Hoc regnante Theodelinda coronam ferream regni inſigne Modoetiæ capiendam inſtituit. 601. Aldaualdum filium puerum conſortem regni aſciſcit. 604. fœdus renouat cũ Francis. 604. pacem facit cum Phoca Imp. 609. moritur. 615.

615.

Aldalvaldvs rex cum matre Theodelinda nihil egit. Epiſcopos, & Abbates donauit. 615. deſipit, & cædem Principum facit. & regno cum Theodelinda matre pellitur. 623. 624. ea moritur. 627.

624.

Arioaldvs fit rex contra Adalualdum. 624. Vt Arrianus, infeſtus eſt monachis Bobienſibus. 626. mitior fit monachis. 629. vxor eius cauſſam dicit de pudicitia. 633.

637.

Rotharis fit rex adoptatus à Gundeberga regina permiſſu Longobardorum. 637. Cottias Alpes Imperatori, patrimonium earum Pontifici adimit. Opitergiũ, & omnia vſque Taruiſium eripit Imperatori. 638. leges fert. 643.

652.

Rodoaldvs rex fit, epiſcopos Catholicos vexat 652. interficitur à Longobardo propter ſtuprum vxoris. 656.

656.

Aripertvs fit rex à Longobardis. 656. Catholicus fuit, et nihil egit. 656. Oratorium D. Saluatoris Papiæ extruxit. 657.

661.

Perthàritvs Mediolani, & Gvndebertvs Papiæ reges fratres. 661. Gundebertus Perthàritum eijcere volens, accito Grimoaldo, Duce Beneuentano, occiditur ab eo. Perthàritus metu fugit. 661.

661.

Grimoaldvs rex Cunipertum regẽ perſecutus eſt. Cunipertus regno ceſſit. reuerſus metu in Franciam abijt. Francorum regem contra Grimoaldum incitauit. 661. Grimoaldus Francos arte vicit. 662. Forum Popilij euertit. 665. leges fert. 668. Opitergium diruit. 665. Lupum, Ducem Foroiulienſem, per Hunnos deleuit. Hunnos arte expulit Foroiulio. 664. Conſtantem

Imp. de Beneuētano ducatu pellit. 667.

672.

Garibaldvs *rex. 672.*

673.

Perthiaritvs *iterum rex. 673. Cunipertum filium regni conſortem adiungit. 679. Alahim Ducem Tridētinum obſidet. 686.*

690.

Cvnipertvs *rex. 690. cum eſſet iuuenis, Ioannem Bergomatem epiſcopum illuſit, & ſanctum expertus eſt. 683. pulſus ab Alahi Duce Tridentino in Comacinam inſulam ſe contulit. 692.*

692.

Alahis *Cunipertum regno expulit. 692. regnum ſuperbè geſsit 692.*

692.

Cvnipertvs *beneficio Aldonis Brixiani regnum recuperat. 692. cum Alahi pugnat. Alahim regno pellit. Alahis diaconū pro rege interficit armatura deceptus. interficitur. 692. Cunipertus Aldonem, & Granſonem interficere cupiens mirè deſiſtit. 695. catholicus moritur. 703.*

704.

Lvitpertvs *filius rex. 704.*

704.

Ragvmbertvs *Taurinatium Dux mouet bellum Luitperto regi puero, et pellit; & fit rex. 704.*

705.

Aripertvs *ſecundus rex. 705. Luitperto, qui rex fuerat, mouet bellum. cum tutoribus eius bellat. Luitpertum interficit. tutorum filios, & conſanguineos crudeliter tractat. 705. patrimonium Alpium Cottiarum eccleſiæ reſtituit. 706. modeſtus, & iuſtus. in flumine fugiens perijt. 712.*

712.

Asprandvs *rex pulſo Ariperto. 712.*

712.

Lvitprandvs *filius rex. catholicus fuit, inſidias Rotharis propinqui vitauit. 712. Leges edidit. 713. Patrimonium Alpium Cottiarum Pontifici confirmat. 713. Oſſa S. Auguſtini infert ex Sardinia Papiam. 720. In Exarchatum irrumpit. Claſſem, & Rauennam cepit. equeſtrem ſtatuā extulit. Exarchatum occupauit. Hildebrandum nepotem Ducem Rauennæ impoſuit. qui poſt captus eſt à Paulo Exarcho recepta Rauenna. 725. Idem cepit Bononiam, & caſtra finitima. & Pentapolim. 727. Sutrium captum reddidit. 728. cum Eutychio Exarcho Romam obſedit. placatus à Gregorio II. pontifice abit. 729. viſitat templum S. Petri. 729. bellū facit Tranſemundo Duci Spoletano, & capto Spoleto Hilderi cum nepotē Ducem imponit. 738. bellum facit Greg. III. pont. quia Tranſemundum non tradidit, eiſque quattuor oppida abſtulit. & caſtris ad Vrbem poſitis, precibus Caroli Martelli Franci diſcedit. 739. Hildebrandū nepotem ſocium regni aſciſcit. 740. agrotat. 740. nouum bellum Tranſemundo Spoletum reuerſo facit. 742. cōuenius a Zacharia pontifice oppida quattuor reddit, & fœdus init cum eo. donat patrimonium Sabinenſe. 742. vlciſcitur Godeſcalcum Ducem Beneuentanum. 742. rurſus in Exarchatum contendit, et rogatus Papiæ à Pōtificē recedit. 743. moritur. 743. laudes eius. 743.*

743.

Hildebrandvs *nepos rex. priuilegium dat Mutinenſi epiſcopo. 743. pellitur regno. 744.*

744.

Rachis *Dux Foriiulij rex fit. cum Zacharia pontifice fœdus inſtaurat. 744. leges fert. 746. bellum mouet Pentapoli. Peruſiam obſidet. 749. verbis Zachariæ pontificis bello deſiſtit. 749. Limina Apoſtolorum viſitat. fit monachus Caſsinas vnà cum vxore. 750.*

750.

Aistvlfvs *rex. fœdus renouat cum Zacharia pontifice. 750. Rauennam, & Exarchatum occupat. 752. Romam ſe oppugnaturum minatur, niſi pendant tributum. 752. leges fert. 754. obſeſſus à Pipino rege Franciæ paciſcitur,*

ſe red-

ſe redditurum Exarchatum Pontifici, nec reddit.754. rurſus in Ducatum Romanum excurrit. & rurſus Papiæ obſeſſus à Pipino reuerſo è Francia coactus Exarchatum reddit.755.

756.

DESIDERIVS *Dux, Etruriæ rex, Stephani* II. *pontificis auxilio regnauit, cum Rachis exuere monachum vellet.756. Fauentiam, Caballum, & Ferrariam reddit non redditas ab Aiſtulfo.757. monaſteria fecit.758. Adalgiſum filium regem ſibi ſocium aſciuit.759. Comitia pontificia turbat.767. Romam ad viſitādā limina Apoſtolorū profectus, fraudem nectit.769. turbat comitia archiepiſcopi Rauennæ.770. ſuſcipit in fidem Carlomani filios aduerſus Carolum Magnum.772. in Exarchatum, & Pentapolim irrumpit.772. reuerentia Pontificis ex itinere Romam ſuſcepto rediit.773. edictum proponit contra Hadrianum pontificem.772. obſidetur à Carolo Magno Papiæ. & capitur vnà cum vxore amiſſo regno.774. in eo finit Longobardorum regnum in Italia. quod, quale fuerit, explicatur.774.*

Adelgiſus filius rex fugit ad Leonē Imp. 775. mouens bellum Carolo Magno necatur.788.

REGES FRANCI IN ITALIA.

774.

CAROLVS *Magnus Pipini regis filius rex Franciæ, mittit legatos ad Deſiderium regem rogatus ab Hadriano pontifice, vt ſatisfaciat pontifici.773. indicit bellum, ſuperat Alpes, obſidet eum Papiæ. 773. Italiam ſubigit. Romam profectus excipitur ab Hadriano pontifice magna pompa veneratur Pontificem, viſitat templa, cōfirmat donationem Pipini patris, donat Ducatum Spoletanum, & Tuſcum, & alia. Papiam, & Deſiderium in poteſtatem adducit. coronatur Modoetia corona ferrea à Thoma archiepiſcopo. ea cæremonia declaratur. ordinat regnum Italiæ. Exarchatum, Pentapolim, Ducatum Peruſinum, Ducatum Romanum, Tuſcanum, & Campaniam Pontifici permittit. reliqua ſibi regni Italici nomine retinet. I. Venetiam, Liguriam, Aemiliam, Tuſciam citeriorem, & Cottias Alpes. Duces liberos relinquit, ſed feudatarios. in concilio Hadriani Romæ Patricius vocatur. & priuilegium inueſtituræ epiſcoporū, et ordinandi pontificis accipit. regni limites marchionibus cōmittit. conuentus epiſcoporū, abbatum, principū inſtituit. legem Salicam in Italiam intulit. agris terminos poſuit. tributa impoſuit, foderum, paratam, manſionaticū regi aduenienti perſoluenda. eccleſiis priuilegia confirmauit.774. Rodgandum Ducem Foroiulienſem delet, Ducatum regno attribuit.776. in Italiam redit. leges fert. Pipinum filium regem Italiæ per Hadrianum pontificem coronat.781.*

781.

PIPINVS *Caroli Magni filius rex Italiæ coronatur Modoetiæ à Thoma archiepiſcopo Mediolanenſi. leges fert.781.*

Carolus Magnus rex Aragiſum Ducem Beneuentanum pontifici Hadriano infeſtū coercet armis.786.787. viſitat, & donat Caſsinas monaſterium 787. vota ſoluit Romæ ad templa Apoſtolorum.787. Thaſsilonem Baioariæ regem oppugnat.787. inimicitias cōtrahit cum Conſtantino Imp. & per Pipinum regem filium duces eius vicit in Calabria.788. coniurationem patitur Pipini filii nothi.792. Baioariam in prouinciæ formulam redegit.788. Forumiulium rurſus redegit ad Ducatū, & Henricum Ducem fecit.796. Grimoaldum Principem Beneuentanum coercet.793. concilio Francfordiæ acto hæreſim Felicianam damnat.794. prædam Hunnorum mittit Romam ad limina Apoſtolorum.796. ingenti honore excipit Leonem III. *pontificem ad ſe in Franciam venientem propter iniurias Romanorum, & audit orantem.799. & comitatū Romam remit-*

INDEX.

tit.799. In Italiam propter cauſſam eius reuerſus. 800. Henrici Ducis Foroiulienſis necem vindicat. Cadolachum Ducem imponit. Pipinum filium regem aduerſus Grimoaldum Ducem Beneuenti mittit. ipſe Romæ magna pompa excipitur, cauſſam Leonis pont. cognouit. Leonem iurātem ſe innocentem abſoluit 800. coronatur Imp. Occidentis à Leone pontifice, quem titulū ille ambiuerat. donat Eccleſiam Romanam. punit accuſatores Leonis, & leges fert, 801. à rege Perſarum colitur miſſa legatione, & elephante 801. ſcribit epiſtolam ad Pipinum regem de ſeruandis legibus, 802. cum Nicephoro Imp. per Pipinum filium pugnat. fœdus facit cum Nicephoro Imp. 802. bellum gerit in Ducatu Beneuentano per Pipinum. 801. 802. & in Corſica contra Sarracenos 806. conuētum Aquis habet de proceſſione Spiritus ſancti 809. bellum gerit cum Venetis per Pipinum 810. amittit Pipinum. qui Veronæ ſepelitur 810. ægrotans teſtamentum facit. eccleſias Metropolitanas donat. Carolum filium amittit. 811. pacem facit cū Nicephoro Imp. 810. decreto Hadriani de epiſcoporum inueſtitura renunciauit 813. Ludouicum filium conſortem Imperij aſciſcit. 813. Bernardum nepotem regem Italiæ facit. 813. 814.

813.

Bernardvs rex Italiæ coronatur ab archiepiſcopo Mediolanenſi 813. Carolus rex leges fert 813. moritur Aquiſgrani 814.

814.

Lvdovicvs Caroli filius, rex, patris teſtamentum exequitur. Catholicus eſt. cum Leone Imp. fœdus facit, et pacem cū Grimoaldo Duce Beneuentano. priuilegia renouat eccleſijs, 814. Bernardum regem mittit in Italiam, ad cognoſcendam litem inter Romanos, & Leonem pontificem 815. ex caſu laborauit, 817. coronatur Imp. à Stephano IIII. pont. Remis 816. Lotharium filium Imp. & regem Franciæ declarauit 817. priuilegium Paſchali pontifici dedit, quo Pipini, & Caroli donationem confirmauit 817. Bernardum regem coniurationis aduerſus ſe conuictū necat. qui Mediolani ſepelitur. 818. Iudithem uxorem ducit 819. Pannoniam tribus exercitibus inuaſit 820. Lotharium filium regem Italiæ declarat 822. Modoetiæ ab archiepiſcopo Mediolanenſi coronatur 822. & à Paſchali pont. Imperator 823. Lotharius rex leges fert Romæ ex auctoritate Eugenij II. pontificis 825. Ludouico patri unà cum fratribus aduerſatur propter Iudithem nouercam, & Gregorium IIII. pōtificem vexat 835. Ludouicus Lothario recōciliatur 839 moritur 840.

840.

Lotharivs rex 841. contendit de diuiſione regnorum patris cum fratribus. eaque diuidit 842. mittit Ludouicum filium in Italiam ad accipiendam coronam Imperij, & regni 844. Ludouicus in itinere ſe inſolenter gerit, Bononienſibus infeſtus 844. rex Italiæ, & Imp. coronatur à Sergio II. pontifice. 844. concilium Papiæ habet de moribus Eccleſiaſticorum, 855. diuidit Ducatum Beneuentanum inter Adalgiſum, & Siconolfum 851. Lotharius mittit Ludouicum Romam ad inquirendos auctores turbarum inter regnum, & ſacerdotium. 855. diuidit regnum filijs, fit monachus, moritur. 855.

855.

Lvdovicvs II. Lotharij filius, rex Italiæ et Imp. ſolus. 855. Nicolaum pont. inuiſit, et colit. 858. Nicolaum ad audiendum Ioannem archiepiſcopum Rauennatem orat. 860. bellum Beneuentanum cum Adalgiſo Principe ſuſcipit, quo in vita ſua exercetur, 865. in Sarracenos tendit. qui Italiam vlteriorem infeſtabant 865. Capuā inimicā delet 865. Luceriam cepit. 867. Materam, Venuſiam, Cannuſium, oc-

cupat.

cupat.868. iterum coronatur Imp. ab Hadriano pontifice.871. oppugnat Tarentum,& Ciuitatem S. Agathæ.869. Barrium captũ euertit.869. Ab Adelgiſo per fraudem obſidetur intra palatium, & pacem iurare cogitur.871. Romæ in conuentu de perfidia Adelgiſi agit,& ſacramenti religione ſoluitur. 873. Sarracenos ex Calabria pellit. 872. mouet bellum Adelgiſo per reginam Engilbergam.875. Mortuus ſepelitur Mediolani.875.

875.

Carolvs calvvs rex Franciæ.875. coronatur rex Italiæ ab Anſperto archiepiſcopo.876. coronatur Imp. à Ioanne viii. & donat Eccleſiam.876. conuentum habet ad Pontigonẽ, in quo electio ſua confirmatur.876. à Ludouico in Francia vincitur.876. accitus à Pontifice in Italiam aduerſus Sarracenos contendit cum Richilde vxore,& Vercellis cum Pontifice congreſſus recedit,& in itinere moritur.877.

877.

Carlomanvs rex Italiæ poſt Carolum Caluum.877. moritur.880.

880.

Carolvs crassvs rex Germaniæ coronatur rex Italiæ poſt Carlomanum ab archiepiſcopo Mediolani. 880. Imperator à Ioanne viii. pontifice. 881. colloquitur cum eodem Ioanne Rauẽnæ.882. fit rex Franciæ.883. Nortmanos victos dimittit.884. Nortmanis Neuſtriam in Francia habitandam concedit.887. regno Germaniæ ſpoliatur.887. et moritur.888.

Italici reges in Italia:

888.

Berengarivs Dux Foroiulienſis Carolo Craſſo mortuo decreto Hadriani pont. nixus, fauentibus Italis regnum Italiæ ſibi vindicat. 888.

Vido Dux Spoleti è Francia reuerſus, vbi regnum Franciæ obtinere non potuit,fauente factione ſua regnum Italiæ contra Berengarium regem ſibi aſſumit.888. & contracto exercitu Berengariũ vincit.889. & Romam profectus à Stephano V. pontifice Imp. coronatur.& pontifici priuilegia Pipini, Caroli, & aliorum confirmat.891. leges fert.891. iterum congreſſus Berengarium Italia pellit.891. Berengarius rex reuerſus in Italiam cum Zuendebaldo filio Arnulfi regis Germaniæ Papiam fruſtra obſedit. 891.

Vido rex Lambertum filium ſuum regem ſocium aſſumit. 891.

Berengarius rex Arnulfum regem Germaniæ adducit in Italiam. 893. & fugat Vidonem, qui moritur.894.

894.

Lambertvs rex poſt patrem Vidonem. fugat Berengarium regem.894. Formoſus pont. Arnulfum regem Romam aduocat.895. à quo obſidetur, & capitur Vrbs. Lambertus occulitur.896. Arnulfus rex Germaniæ Imp. à Formoſo pontifice coronatur per metum.896. Lambertus rex profecto Arnulfo Italiæ; Regij cum eſſet, priuilegia dedit. 896. Imperator Romæ à Stephano vi. pontifice coronatur, Arnulfo abdicato. 896. cõfirmat donationes Eccleſiæ.898 intereſt cum pont. cõcilio Rauennæ.ibi multa concedit Eccleſiæ.898. à Mangifredo Comite Mediolani,& Adelberto Lucæ Marchione vexatus eos comprimit.898. ab Hugone Manfredi filio necatur. elogium eius.898.

898.

Berengarius rex poſt Lambertum ſolus regnat, contra quem Ludouicus rex Prouinciæ aduocatur.898. quem ipſe mittit, iuratum ſe in Italiam non reuerſurum.899. inde ab eo iterum veniente pellitur. 900. in Bauariam fugit, Verona relicta. 901.

900.

Lvdovicvs rex Prouinciæ coronatur in regem Italiæ ab archiepiſcopo contra Berengarium.900.& in Imperatorẽ à Benedicto iiii. pontifice.901. Veronã, & Papiam occupat. Lombardiam, & Tuſciam luſtrat. ab Adelberto Tu-

ſciæ

ſciæ marchione regio apparatu e xcipitur.902.

902.

Berengarius rex è Bauaria reuerſus Ludouicum regem, & Imp. capit, & cæcat: 902. atque inde ſolus regnat. 902. profligatur ab Vngaris ad Brentam. 902. eoſdem pecunia data emittit ex Italia. 903. coronatur Imp. à Ioanne X. pontifice. 915. petitur inſidijs ab Adelberto Eporædia Marchione genero, qui Rodulfum regem vocauit. 920.

921.

RODVLFVS *rex Burgundia vocatus ab Italis fit Rex Italiæ contra Berengarium. 921. factio Berengarij contra eũ bellum gerit. 922.*

Berengarius rex tãdem Veronæ à Flamberto occiditur. Laudes eius. 923.

Rodulfus rex bello petitus ab Ermengarda vxore Adelberti Eporædia marchionis tranſit ad eam. & relinquitur ab Italis. 925. ſentiens vocari aduerſus ſe Hugonem Comitem Arelatenſem tendit in Burgundiam, & cum Burchardo Duce Sueuorum redit, & Burchardo ab Italis occiſo abit. 926.

926.

HVGO *rex coronatur à Lamberto archiepiſcopo. Regnum ordinat. 926. amicitiam iungit cum Henrico Germaniæ rege; & cum Romano Imp. Conſtantinopolitano. 927. coniuratis punitis timetur 927. à Papienſibus inſidijs petitus eos delet. 927. ducit Marociam feminam Romæ potentiſsimam. Alberico filio eius in faciem percuſſo Roma pellitur. 928. Lambertum fratrem marchionem Tuſciæ tollere cupit. 931. litem ſingulari certamini remittit, victus fratri oculos eruit. 931.*

932.

LOTHARIVM *filium regni ſocium ſumit. Romam oppugnat, ſed fruſtra. 932. Arnoldum Ducem Baioariæ contra ſe in Italiam vocatum repellit. 932. nam Rodulfus iterum vocatus noluit venire. 931. Alberico cõſuli Romano filiam deſpondet decipiendi eius cauſſa, dum Romam oppugnat. 932.*

Berengarius *ſecundus Berengarij ex filia nepos, Adelberti Marchionis Eporædiæ filius, gener factus Boſonis fratris Hugonis regis. 933. fugit ex Italia metu Hugonis regis. 940.*

Hugo rex Bertam Rodulfi regis viduam duxit. 936. Adeleidem filiam Lothario filio collocauit. 938. Anſcarium ſubſtulit, Berengarium fratrem eius non potuit. 939. Boſonem fratrem ſuum priuauit Marchia Tuſciæ. 935. collocat filiam Romano Imper. 945. monet in Sarracenos Fraxineti. 940.

Berengarius reuerſus colitur ab Italis. 940. poteſtatem nactus regiam diuidit dignitates, & eccleſias. 947.

Lotharius rex Hugonis filius procumbens ad pedes Mediolanenſium, orat, vt ſe retineant, ſi patrem nolunt. vterque retinetur. 947. Hugo rex cedit Italia. 947.

947.

LOTHARIVS *rex ſolus relinquitur. 163. Berengarius per cauſſam Vngarorum emittendorum pecunia vim ingentem extorquet. 949.*

949.

BERENGARIVS *mortuo Lothario rege rex cum Adelberto filio coronatur. 949. Adeleidem Lamberti regis viduam poſcit in matrimonium filij. repudiatus illam capit, & Gardæ in cuſtodiam tradit. elapſam, & Canuſſium profectam ibi obſidet. 950. pellitur ab Othone Germaniæ rege. 951.*

GERMANI REGES IN ITALIA.

951.

OTHO *rex Germaniæ Litulfum filium regem Germaniæ deſtinat. in Italiam vocatus ab Adeleide Lotharij à Berengario Canuſij obſeſſa Veronã recipit.*

Canuſsium, & Adeleidem obſidione liberat, ipſam vxorem ducit, Papiam init. 951. in Germaniam cum Adeleide reuerſus Conradum generum, qui cum Berengario pugnet, relinquit. 952. Berengarius ſibi diffidens auctore Conrado ad Othonem ſe ſupplex confert, & regnum impetrat. 952.

Otho Berengario venia, data coniuratio nem Litulſi filij, & Conradi generi patitur. 953 Villelmum filium archiepiſcopum Moguntinum in carcerem condit, quia iubebat, vt Adeleidem commatrem dimitteret. 953.

Berẽgarius in regnum reuerſus in Exarchatum pontificis irrumpit, põtificem, & epiſcopos vexat. 953. bellum facit Ducatui Spoletano pontificis. 957. Montem Feretrum, & Camerinum inſidet. 961. Adalbertus filius rex ſe contulit ad Sarracenos Fraxineti. 961.

962.

Otho vocatur iterum in Italiam à Ioanne pontifice, & Valperto archiepiſcopo, promiſsis coronis Imperij, & regni, cum eo vt ſua recuperet, & ſibi reddat. Othonem filium regem Germaniæ coronat mortuo Litulſo. 961. in Italiã trangreſſus Papiam recipit. 961. Mediolani rex Italiæ coronatur à Valperto archiepiſcopo, quem multis prædijs, & priuilegijs affecit. 961. Romam profectus excipitur honorificè. Imperator coronatur à Ioanne XII. iurat ſe Eccleſiam tutaturum, reddit oppida recepta Eccleſiæ. 962. Villam vxorem Berengarij in Inſula S. Iulij obſedit, & captam ad maritum dimiſit. 962. Rauennam recipit. Montem Feretrum obſidens aditur à legatis Ioannis pontificis neſcio quæ expoſtulantibus, & pollicetur, ſe illa purgaturum ſacramento, & ſingulari certamine. 963. Romæ conuentu habito Ioannem propter probra obiecta abdicat. Ioanni Leonem VIII ſubſtituit. & ab eo priuilegio ornatur ordinandi pontificis, & inueſtituræ epiſcoporum, atque abbatum. & Imperator iterum coronatur. 963. inde à Romanis impulſu Ioannis pont. petitus armis eos repellit. Berengarium in deditionem accipit. Gardam, & Comacinam oppugnat. Camerinum obſidet. 964. Romam obſidet, & recepta ea conuentu habito Benedictum pontificem abdicandum curat, qui fuerat contra Leonem creatus. Camerinum fugiente Adelberto in Corſicam recipit. 964. Adelbertum ex Corſica reuocatum à Lombardis, per Burchardum vicit ad Padum. 965. Italia egreſſus reuertitur aduerſus Lombardos, & Romanos rebellantes. eosq́, & in primis magiſtratus Ro. punit. 967. conuentus habet Romæ, Rauennæ, vbi Pipini, Caroli, & aliorum regum donationes Eccleſiæ Romanæ cõfirmat, in Etruria, & Veronæ. 967. Romam profectus Othonem filium coronãdum per Ioannem XIII. pontificem curat. 968. Theophaniam à Nicephoro Imp. vxorem filio Othoni poſcit. cum ad eam accipiendam miſiſſet cladem ab eo accipit. hinc bellum Apuliæ, & Calabriæ infert, eaſque Græco Imp. adimit. 968. 969. Arnulſum archiepiſcopum Mediolanenſem ad accipiendam Theophaniam ad Ioannem Imp. mittit. 971. eius ſponſalia Romæ celebrat, & à pontifice Auguſtam coronari iubet. 972. propter mortem filij & matris in Germaniam reuerſus. 972. in die Pentecoſtes eſt mortuus, vt ei à filio archiepiſcopo prædictum fuerat. elogium eius. 973. Quas cuiq́ regiones Italiæ permiſerit. ciuitates liberas, ſed tributarias fecit. Marchiones, & Comites ſibi feudatarios fecit, & quomodo. 973. bene meritos regalibus ſuis inſigniuit. priuilegia Longobardorum, Francorum, Italicorumq́ regum confirmauit. Quibus de cauſsis venire in Italiam conſueuerit. 973.

Otho II filius rex Germaniæ, & Italiæ priuilegia confirmat. 973. in Italiã venit. ius dicit ĩ Rõcalijs. 980. Romæ crudele ſuppliciũ de rebellibus Italis in cõ-

INDEX.

uiuio ſumit. vnde Sanguinarius dictus. 985. ad Apuliam, & Calabriam ſibi ereptas à Græcis recuperandas procedit. ab hoſtibus profligatus, cum fugeret, captus à piratis ſe redemit. 982. Beneuentum diruit, ab ijs deſertus in bello. oſſa S. Bartholomæi inde extracta Romam deportat, et Romæ deponit. 983. Romæ moritur. 983.

984.

*O*THO *III filius rex Germaniæ à principibus declaratur. 984. vocatus à Ioanne XV pontifice, & Landulfo archiepiſcopo Mediolanenſi venit in Italiam, & coronatur rex Italiæ. 995. Ioanni XVI. pont. mortuo Gregorium V ſubſtituit. 995. priuilegium Ioanni archiepiſcopo Rauennati confirmat. 995. Romualdum abbatem Claſſenſem facit, & colit. 995. Landulfum Principem Capuæ vlciſcitur. 996. coronatur à Gregorio V pontifice in Imp. cum Maria Auguſta. 996. Mariam Auguſtam ignis ſupplicio ob falſum necat. 996. reducit Gregor. V. pontificem à Creſcente pulſum. Marchiones facit Caua, Salutiarum, Boſchi, Ponzoni, Carecti, Buſchaq́. Malateſtam feudis donat. conuentui archiepiſcopi Rauennæ intereſt. 997. Romanos rebellantes obſidet, & in arce Creſcentem, quē contra fidē capit, & necat. 997. Tiburtibus rogatu Romualdi abbatis ignoſcit. Italiam luſtrat. 997. Gerebertum archiepiſcopum Rauennatem in pontificem legit, & Silueſtrum II nominat. donationes Pipini, Caroli, & poſterorum Eccleſiæ factas confirmat. 998. in Italiam reuerſus Capuam ex Sarracenis recepit. 1005. religione à Romualdo perfuſus, quòd Creſcentem contra fidem puniſſet, pænitentiæ cauſſa Caſſinum adit, & Garganum, & oſſa S. Paulini Beneuento Romam deportat 1001. monitus à Romualdo, vt monachum induat, nec Romam eat, proficiſcens moritur. 1002.*

Vacante regno Ardoinus Marchio Eporædienſis principum Lombardiæ ſuffragijs rex Italiæ declaratur. 1002. contra quem Arnulfus archiepiſcopus Mediolanenſis ex ſuorum ſuffraganeorum ſententia, & vetere decreto ad Henricum regem Germaniæ regnum Italiæ defert. 1002.

1002.

*H*ENRICVS *rex Germaniæ ab Arnulfo archiepiſcopo Mediolanenſi rex Italiæ declaratus, mittit Othonem Ducem contra Ardoinum, qui lectus erat à principibus, & vincitur. 1003. vocatus ab Arnulfo contra Ardoinum agros Mediolani vaſtantem, coronatur rex ab eo Mediolani. conuentum in Roncalijs habet, leges fert. 1053. coronatur Imperator Romæ à Benedicto VIII pontifice, & confirmat donationes Pipini, Caroli, & aliorum regum. & multis priuilegijs Lombardis affectis in Germaniam redit. 1014.*

Ardoinus rex abſente Henrico mouet, & Mediolanum obſidet. ius archiepiſcopi vſurpat, Haſtenſi epiſcopo facto, & Romam ad conſecrandum miſſo. mox deſperatione victoriæ monachum induit. 1018.

Henricus vocat Benedictum VIII pontificem in Germaniam ad conſecrandam baſilicam S. Georgij Bambergæ. & ob id ſe obligat cenſu annuo eccleſiæ Romanæ. 1059. profectus in Italiam, Apuliam petijt, & Pandulfum Principē Capuæ cepit. 1023. Sanatus calculo à S. Benedicto Caſsinàs Monaſteriū donat. inde in Germaniam abit. 1023. moriturus Conradum Franconiæ Ducem proponit regem. Chunigūdem vxorem reſtituit virginem. quæ pro ſancta eſt habita. 1024.

1024.

*C*ONRADVS *rex Germaniæ è familia Gibellinorum legitur rex Italiæ ab archiepiſcopo Mediolanenſi ex ſententia ſuorum. 1024. tranſit in Italiam ad coronas accipiendas. Mottenſes populares Mediolani rogatu Hereberti archiepiſcopi expugnauit. Mediolani coronatur, iterum Modoetiæ more*

Caroli Magni. inde ſucceſſores eius v-
trobique coronati. leges fert in Ronca-
lijs. 1026. Romæ coronatur Imp. à Ioã-
ne XX pontifice, vbi litem componit
inter archiepiſcopum Rauennatem, &
Mediolanenſem. 1027. Henricum filiũ
regem Germaniæ declarat. 1027. re-
dit in Germaniam. 1027. Rebellanti-
bus Lombardis in Italiam redit, rebel
les in exilium agit bonis exutos. Here
bertum archiepiſcopum vt participem
coniurationis lædit. non obedientẽ com
prehendit. vnde bello petitur à Medio-
lanenſibus duce Eliprando vicecomi-
te. 1037. Landrianum Caſtrum capit.
Mediolanum obſidet. ſuburbia incen-
dit. Eccleſiam ab Hereberto ad Am-
broſium transfert. qui dum conſecra-
retur, à D. Ambroſio gladium è cælo vi
brante terretur, & oppugnationem
relinquit. 1037. Cremonæ pontificem
excipit. 1037. in Campania Pandul-
fum Principem Capuæ Caſſinates in-
feſtantem vlciſcitur, Caſſinum adit,
& res conſtituit. inde in Germaniam.
1038.

1039.

HENRICVS II filius rex Germaniæ.
1039. petit amicitiam Hereberti ar-
chiepiſcopi. 1039. ducit Agnetẽ Picta-
uorum Comitis filiam. 1043. in Italiã
venit propter comitia pontificia vitio-
ſa. 1046. rex Mediolani coronatur.
1046. Papiæ cõuentu acto exules Lom
bardos à Conrado factos reſtituit. qui
reuerſi in humilitate remanſerunt, &
Humiliati dicti ſunt. 1046. conuentu
Sutrij acto Gregorium pontificem vitio
factum pronunciauit, & Clementem
II ſubdidit. 1046. & ab eo vnà cum
Agnete Imp. coronatur. 1047. à Roma
nis fit Patricius, & priuilegio ornatur
ordinandæ eccleſiæ, & ne ſine eo ponti-
fex cõſecretur. 1047. in Campania ca-
ſtella Caſſinatium recepit è Normanis,
& monaſterium donauit. Capuanum
Principatum Pandulfo reſtituit. Nor-
manis Apuliam confirmauit. Beneuen-
tanos per pontificem excommunicauit.
1047. conuentu in Roncalijs habito in
Germaniam rediit. 1047. Damaſum
II pont. in Germania creat. 1048. itẽ
Leonem IX. 1049. Henricum filium
Germaniæ regẽ coronat. 1054. Victorẽ
II pontificem poſtulatum dat. 1055.
cum eo conuentũ Florentiæ agit. 1055.
inde in Germania ipſo Victore præ-
ſente moritur. 1056.

1056.

HENRICVS III puer Agnete matre tu-
trice, & Giberto Corrigia legato Ita-
liam gubernauit. 1056. à Stephano
IX. pont. cum venderet eccleſias ſimo-
nia notatur. 1057. à Nicolao II pon-
tifice item notatur. 1059. Alexandro
II pont. Cadaloum oppoſuit, & Ro-
mam adduci iuſſit, & vrbem obſedit.
1061. 1062. 1063. item ab Alexan-
dro II pont. ad cauſſam de ſimonia
dicendam euocatus non parens. 1070.
itemq́; ab Hannone archiepiſcopo Colo-
nienſi. 1073. Comitia Gregorij VII
pont. inquirit. 1073. Gregorium ana-
themate ipſum propter contumaciam
perſequentem capit per Gibertum ar-
chiepiſc. Rau. Romæ. 1075. ab eodem
citatus per XXIIII. epiſcopos abrogat
ei pontificatum, & decretum mittit
Romam. 1076. Itaque priuatur à
Greg. pont. regni titulo, & iurata obe-
dientia populorum. 1076. & ob id prin
cipes ei obſequium denegarunt, &
alium regem ſublegendum decreue-
runt. 1076. iuſſus, vt Auguſtam ve-
niret ad conuentum, quo Gregorius
pont. erat venturus, acceſſit ad illum
Canuſſium. 1077. & nudis pedibus
ſupplicans ad pedes eius præſente Ma-
thilde Comite exorauit, vt anathe-
mate ſolueretur. 1077. corruptus in-
de à Lombardis redit ad contuma-
ciam priorem. 1077. à principibus ve-
rò citatus cum non adfuiſſet, titulo re
gni ab eis ſpoliatur. 1077. Rodulfus
Sueuiæ Dux ei rex ſubrogatur. quo
audito Henricus redit in Germa-
niam. 1077. & bellum cum Rodulfo
gerit. eumque prælio interficit. 1080

põtificatum per triginta epiſcopos Gregorio abrogat, & Gibertum arch. ſubrogat, quem Clemẽtem vocat. 1080. reuerſus eum Clemẽnte falſo pont. in Italiã, ciuitates inimicas debellat; vt Florentiam. 1081. Patauinis iux carrocij donat. 1081 ingreſſus Romam Capitolium occupat; propter peſtilentiam ad colles ſecedit. 1083. Roberto Viſcardo auxilio pontificis accedẽte Senas receſſit, diſcedente reuertit. & Clementem conſecrari iubet, et ab eo Imp. cum Berta coniuge cõſecratur. 1084. in Germaniam redit. 1084. Creato Vrbano pontifice, & notatus ab eo in Italiam reuerſus bellum cũ Mathilde Comite in Lombardia gerit, Mantuam, & Ferrariam ei eripit. 1091. cum Conradum filium ad ſtuprum alteri vxori ſuæ inferendum adducere vellet, illum ad defectionem impulit. 1093.

1093.

CONRADVS II Henrici filius contra patrem per nouem annos Italiam tenuit, Rogerij Ducis Siciliæ filia ducta. 1093 Henricus regni titulum adimit Cõrado filio, & tradit Henrico filio. 1099. Conradus moritur. 1101. Henricus à principibus Germaniæ ſolicitatus in cõcilio à patre defecit, et contra fornicatores, et ſimoniacos ſtatuit. 1105. contra quẽ Henricus pater contendit. & monitus ab eo, vt reſipiſceret, ſe concilio ſtaturum oſtendit. 1105. ad id monitu filij non acceſſit, ſed in caſtro Ingelehin remanſit. ibi à principibus ſpoliatus eſt regijs inſignibus, & filius exornatur. & à filio tandem victus moritur, & iacet inſepultus. 1106.

1106.

HENNRICVS IIII rex Germaniæ, & Italiæ. 1106. queritur quòd Paſchalis pont. decreto nouo inueſtituras laicis ademerit. 1107. in Italiam tranſgreſſus Nouariã expugnat. Mediolani per Chryſolaum archiepiſcopum coronam regni accipit. 1110. contra Brixianos venit rem Venetorum, & Patauinorũ componit. 1110. ad Tarum pacem cũ Mathilde Comite facit. 1110. Florẽtiæ Domini natalicia celebrat. Arretio legatos mittit ad Paſchalẽ pont. promittens, ſe inueſtituras remiſſurum, ſi ſe coronet Imp. et Romam progreſſus pontificem adorat. in templũ introductus, vt coronaretur, cum rogaretur, vt inueſtituris renunciaret, pontificem cum Cardinalibus capit. 1111. et prælio pulſus à Romanis eos vinctos trans Tyberim ducit, & minãs, ſe in captiuos animaduerſurum, Paſchalẽ concedere inueſtituras cõpellit. & facta pace ab eo coronatur. 1111. in Lombardiã reuerſus Bononiæ arcem conſtruxit. inde in Germaniam abijt. 1111. Excõmunicatus ex concilij ſententia à Paſchali ob ea, quæ geſſerat, in Italiã redit. 1116. pacẽ Bononienſibus ob arcem euerſam dat. 1116. Romã progreſſus abſente Paſchali ſe coronandũ iterum Mauricio epiſcopo Braccarẽſi, qui Burdinus dicebatur, curat. 1117 inde in Marchiam Taruiſinã ſe refert. 1117. vbi audiuit Gelaſiũ mortuo Paſchali pontifici ſuffectum, Romã accurrit, eaq; Gelaſio profugiente potius Burdinũ pont. creat, et Gregoriũ VIII vocat. 1118 inde à Gelaſij amicis principibus vrbe pellitur. 1118. Gelaſio in Francia mortuo Caliſtus ſufficitur. à quo Henricus citatus Remenſi concilio vt inueſtituris renunciet, iubetur. 1119. demũ Vormacienſi conuentu præſente legato pont. Lãberto renunciat, & pacẽ cum Eccleſia facit. 1122. & mox ſine filijs moritur. Imperium in Gibellinis defecit. 1126.

1126.

LOTHARIVS Dux Saxoniæ rex Germaniæ factus. 1126. ſe defenſorem fore Eccleſiæ profitetur 1126. cui ſe Conradus Dux Sueuiæ ex Henrici ſorore natus opponit; & rex Italiæ ab Anſelmo archiepiſcopo Modoetiæ coronatur. 1128. à Lothario ciuitates pleraſque auertit. Itaque à põtifice excõmunicatur. 1128. Lotharius occurrit Leodij Innocentio II pont. et repetitis fruſtra inueſtituris, pollicetur, ſe reducturum

illum Romam ab Anacleto antipapa pulſum, ſi ſe Imperatorem coronaturū ſpondeat. 1132. in Italiam profectus Innocentium in Laterano repoſuit. & Anacleto Vaticanū tenente, coronatur ab Innocentio in Laterano. inde in Lōbardiam, & Germaniam abijt. 1133. ad quem Conradus ſe ſe abdicans regno, acceſſit. 1133. Innocentio iterum ab Anacleto pulſo, redijt in Italiam. Cremonenſes hoſtes iudicauit. Bononienſibus, & Aemilienſibus ignouit. Lombardiam tumultuantem ad obſequium redegit. cōuentum in Roncalijs habuit. leges tulit. bellum Rogerio Anacleti fautori in Apuliam intulit. 1136. per Henricum Ducem Innocentium Romam reduxit. Apuliam bello adortus eſt. Rinaldum abbatem Caſſinatē ab Anacleto ad ſe traduxit. Beneuentum recepit, et Innocentio præſenti tradidit. Apuliam recepit. ipſe Barrio capto Melfi conuentum habuit. & cum Innocentio Ranulfum Ducem Apuliæ, atque Calabriæ fecit. 1137. Patriciatus Romani inſignia ſumpſit. 1137. eo bello à Piſanis adiutus eſt, qui Amalfi capta Pandectas iuris veteres inuenerunt. 1137. in Lombardiam reuerſus Cremonenſes vindicauit. Cremam oppugnauit. & in Germaniā proficiſcens moritur. 1137. ibi elogium eius. Sanxit, vt iudicia fierent ex legibus Romanis, lege Longobarda, & Salica abrogata. 1137.

1138.

Conradvs II. *ex Henrici ſorore natus rex mortuo Lothario per legatum pōtificis conſecratur. atque regnum ad Gibellinos redigit. 1138. & tanquam Gibellinus à Velfone Duce bello petitur. 1139. accitus à Romanis contra pontificem venire neglexit. 1144. S. Bernardum miraculis florentem in vita coluit. crucē contra Sarracenos ab eo accepit. 1147. exercitum parat in Syriam, & in Hiſpaniam contra Sarracenos. in Syria malè, in Hiſpania bene res geſta. 1147. ex Syria in Germaniā re irrita reuerſus. 1149. cum pararet iter in Italiā ad coronas accipiendas mortuus eſt. 1152.*

1152.

Fridericvs *Dux Sueuiæ Conradi fratris filius rex Germaniæ fit. 1152. Velfoni Marchiam Tuſciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, & totam terram Mathildis Comitiſſæ conceſſit. 1152. fœdus cum Eugenio IIII. pont. fecit. 1152. conuentum Conſtantiæ agens à Laudenſibus eſt oratus, vt opē ferret aduerſus Mediolanēſes, ſibi infeſtos, et mandauit Mediolanenſibus, vt Laudenſiū, & Comenſiū iniurijs abſtinerent. 1153. à Mediolanenſibus donatur cratere aureo ad reſtituendam gratiam. 1153. Mediolanenſibus mandat, vt Comenſes, & Papienſes comiter tractent. 1154. in Italiam profectus Mediolani coronatur ab Vberto archiepiſcopo. 1154. conuentum in Roncalijs habet. Populorum querelas audit. à Genuenſibus donis ornatur. 1154. in Mediolanenſem agrum profectus eos prælio vincit. Lombardiam luſtrans rebelles coercet. 1154. Haſtam incendit. 1155. Derthonem obſidet, et oppugnat. 1155. clericos eius egreſſos ſupplices repellit. vrbem expugnat. triumphum Papiæ agit. 1155. Placentiæ obſidione dimiſſa Romam tendit. 1155. Viterbij Hadrianum pont. colit, coronam Imperij petit. Romanos abſurda poſtulantes repudiat. 1155. in Vaticano ab Hadriano coronatur. 1155. Romanos ſe inuadentes profligat. & propter peſtilentiam abit. Spoletanos fodrum recuſantes expugnat. 1155. ex agro Anconitano tendit in Germaniam. 1155. inſidias à Veronenſibus patitur in ponte Atheſis trayciendo. 1155. Beatricē vxorem ducit. 1156. rediens in Italiam legatos præmittit, qui ſacramenta exigant. qui Cremonæ conuentum habuerūt, et miniſtros Manuelis Imp. Ancona expulerunt. 1157. queſtus eſt cum Hadriano pontifice, quod ſcripſiſſet, ſe ſibi coronæ beneficium contuliſ-*

ſe,& ſatisfactione accepta pacem red-
dedit.1157. s1 58. Abduam traycit.
Laudenſibus, quos Mediolanēſes euer
terant,locum ad nouam vrbem cōden-
dam concedit,1158. Mediolanenſibus
non ſatisfacientibus Mediolanum ob-
ſidione cinxit.1158. Arcum Romanū
ex vrbe cepit.1558. Mediolanenſibus
petentibus pacem dedit. & ſupplicibus
ignouit.s558. oppidum Modoetiam re
fecit. Veronenſes, & Ferrarienſes ad
officiū redegit. Laudem muniuit. con-
uentu in Roncalijs habito ex auctori-
tate ſummorum iuriſconſultorum ius
dixit.s558. iura regni per iuriſconſul
tos cognouit.1158. Principes,& ciui-
tates regalia dimittere iubet, eaque
pro arbitrio reſtituit .1158. leges fert,
vt magiſtratus ciuitatum iurent apud
Imperatorem,ne ciuitas ciuitatem in-
iuſſu regis violet,de iure feudorum,de
iure ſcholarium.1158. Placentinos cū
Cremonenſibus contendentes damnat.
Modoetiam regi adiudicat.1558. ad
fodrum exigendum miſit, & Hadria-
no pontifici diſplicuit, quòd epiſcopos
regalia renunciare iuſsit,vnde conten
tio inter eos de iure pontificatus, &
Imperij nata. s159. cum Mediola-
nenſes male nuncios ſuos accepiſ-
ſent, citauit eos, & nouo bello per-
ſequi ſtatuit. 1159. citatos condem-
nat, in agrum irrumpit, & vaſtato
eo Laudem ſe recepit. s159. Inſi-
dijs petitur à Mediolanenſibus.1159.
legatos Romam de Romanis pontifi-
ci placandis miſit, ſed fruſtra. s159.
Mediolanum, & Cremam ſimul ado-
ritur.1159. Cremenſes ſocios Medio-
lanenſium proſcribit.1159. Cremam
ipſā demū expugnat, et euertit.1160.
Papia cōuentu acto cauſſam Victoris,
& Alexandri pontificum, qui in ſchiſ
mate creati erant, cognoſcit, et pro Vi-
ctore ſententiam fert, eumque colit, &
Alexandrum repudiat.1160. Obſidet
Mediolanum, & inde repulſus recipit
ſe Papiam, & Mediolanenſibus Lau-
dem oppugnantibus reſiſtit.1160. Car
canum caſtrum defendit, carrocium
Mediolanenſium captū diſcerpit.s560
A Brixianis pulſus in arcem Baratelli
Comum ſe refert.s560. Inde iratior
agrum Mediolanenſem vaſtat, vr-
bem obſidet. conuentui Laude ha-
bito intereſt, vbi Alexander à Vi-
ctore excommunicatur. reuerſus ab
obſidione vulnus accipit, & ſe cru-
deliter gerit in captiuos. s161. Me-
diolanenſes obſeſſos, & fame mace-
ratos ſe ſe dedentes in fidem accipit.
1562. Populum vrbe emittit, vrbem
euertit.1162. Brixianos,& Placenti-
nos in deditionem accipit. Genuēſibus
ſatisfacit. Cremonenſes priuilegio do-
nat.1162. ciuitatibus amicis conſu-
les creare permittit .1162. Mediola
nenſes in ſex præfecturas diuidit. ve-
teras capitaneos,et valuaſores abroga-
uit,et nouos inſtituit. ciuitatibus hoſti-
libus pretores Germanos dedit.1562.
Bononienſibus ignouit,& Bocium præ-
torē dedit. Romaniam pacauit.s162.
excōmunicatus ab Alexandro pontifi-
ce Claromōte in Burgundiam transijt,
& vocato ad colloquium Ludouico re-
ge ipſe non affuit.1562. miſſoq; Victo
re in Italiam transijt in Germaniam.
s562. reuerſus in Italiam Laudem.
1163. à Genuenſibus rogatus Bari-
ſonem regem Sardiniæ facit. 1164.
Mantuanis, Papienſibúsque priuile-
gium dat. 1164. ſocias ciuitates ſa-
cramento obligat aduerſus rebellantes.
s564. Priuilegium dat Guidoni Guer-
ræ.1164. ad conſcribendum contra re
bellantes Lombardos exercitū in Ger-
maniā redit.s564. Herbipoli ſtatuit,
Paſchalem in locum Victoris pōtificis
creatum iuſtum eſſe pontificem.1165.
timens defectionem Italiæ,præmiſit Ri
naldum archiepiſcopum Colonienſem,
& Chriſtianum Moguntinum ad ciui
tates in officio continendas.1566. in
Italiam tranſgreſſus ius in Roncalijs
dixit,& ciuitates de auaritia præto-
rum Germanorum querentes aſperna
tus. 1566. aduerſus Alexandrū pon-

tiſicem Romam contendit. in itinere à Bononienſibus obſides accepit: Romaniam multauit, Anconã obſedit 1167. contemptis Lombardorum defectionibus dimiſſa Anconis obſidione Viterbium perrexit, & Paſchalem Romam adduxit, & Vaticani parte incenſa ingreſſus eſt cum Paſchali: à quo eſt Imperator iterũ coronatus. 1167. Romanis corruptis Alexandrum Beneuentũ ſe referre coegit. 1167. primoribus peſtilẽtia amiſſis per Etruriam Papiam ſe recipit. 1167. omnes Lombardos præter Cremonenſes, & Laudenſes proſcripſit. Lombardis qui fœdus fecerãt, illud confirmarunt. 1167. fugatus à Lombardis Italia excedit. 1168. in Alſatia Henricum filium coronat. 1170. in Etruriam Chriſtianũ mittit ad continendos in fide populos. 1171. in Italiam redit contra Lombardos. 1174. Seguſionem euertit. Haſtam ad deditionem adducit. Chriſtianum ad oppugnandam Bononiam mittit. Alexandriam obſidet. 1174. Mediolanẽſes Papiam aggreſſi ſunt, vt Fridericum ab Alexandria auerterent. 1175. is fugatur ab Alexandria. 1175. inducias facit. 1175. per Chriſtianum affligit Bononiẽſes. 1175. in Germaniam pergit. 1175. cum rediret, Lombardi ingẽtem armorum apparatum, in primiſq; Mediolanenſes fecerũt. 1176. ſummo prælio vincitur ad Lignanum à Lombardis, & Mediolanenſibus fœderatis. 1176. ob id legatos de pace ad Alexandrum pontificem Anagniam mittit. ex pacis conditionibus Venetias pergit ad Alexandrum, ipſum colit, pacem componit cum pontifice, inducias dat Lombardis in ſexennium. 1177. Inde Parmam, & Genuam adit; inde in Germaniam. 1178. Chriſtianus relictus, vt bellum Eccleſiaſticis faceret, à Conrado Marchione Mõtisferrati captus eſt. 1178. Fridericus demum Conſtantiæ pacem fecit cum Lombardis. 1183. itẽ fœdus Alexandrinis dedit. 1184. & priuilegium Mediolanenſib. 1184. ex Germania Veronam venit ad Lucium pontificem concilium agentem. Mediolani Henricum filium regem Italiæ coronauit per Lambertum archiepiſcopum. 1184. à quo Vrbeuetum obſeſſum eſt, vt imperiales reduceret. 1184. Fridericus item Regnum Italiæ luſtrat. Mediolanenſibus indulget. 1185. & Fauentiam imperium recuſantem ſubigit. 1185. poſt autem Conſtantiam Rogerij quondam regis Siciliæ filiam Henrico filio regi collocat. Mediolani ſponſalia celebrat. 1186. iterum Mediolanẽſibus priuilegiũ dat. 1186. Cremonenſes autem vexat, quia nuptijs filij non interfuerant. 1186. & in eorum offenſionem Cremam reſtituit. 1186. Poſt autem ipſis etiam Cremonenſibus parcit. 1186. Demum Italia proficiſcitur Henrico filio rege in ea relicto. 1186.

Henricus filius cum Vrbeuetanis pepigit. 1186. Fridericus ad bellum ſacrum parat iter. 1187. & cum maximo Germanorum exercitu tendit per Vngariam. 1189. & in Aſia in flumine ſuffocatur. elogium eius. 1190.

1190.

HENRICVS V rex Italiæ ſolus. 1190. *in Italiam venit contra Tancredum regem Siciliæ cũ vxore Cõſtantia. 1191. Piſanos, & Genuenſes ſocios habet. 1191. Romæ coronatus à pont. Cæleſtino III tradit illi Tuſculũ ſibi deditũ. 1191. Inde in Campaniã profectus Neapolim fruſtra obſidet. 1191. & vxore captiua facta redit in Germaniam. 1191. Ibi Henricum regem Angliæ à Duce Auſtriæ captum ad ſe deduci iuſſit: & accepta pecunia dimiſit. 1193. poſt Tãcredi regis morte audita in Italiam redit. Genua in Principatum pergit, Neapolim capit, & Panormum in Sicilia, belloque perfecto regem ſe Siciliæ coronari iubet. 1194. Sibiliam reginam comprehendit cum filio, Philippum fratrẽ Ducem Tuſciæ facit, Marcoaldum Ducem Rauennæ, & Marchionem Anconæ, & Conradum Du-*

cem

cem Spoleti. & in Germaniam tendit. 1195. Philippus Dux ſtatum Eccleſiæ infeſtat, & excommunicatur à Cæleſtino pont. 1196. Henricus mortuo Conrado fratre Duce Sueuiæ Ducatum illum ad Philippum tranſtulit, eumq; ad ſe vocauit. in Siciliã tranſgreſſus Fridericum filium Germaniæ, & Siciliæ regem conſtituit. & moritur. 1197.

1197.

INTERREGNVM decem annorum.
Philippus frater Imperium ſibi vindicat contra Othonem Saxoniæ Ducem. 1197. reddit Eccleſiæ Ducatum Tuſciæ præter Montem Flaſconem. 1198.

MORES AD REGNVM ITALIAE PERTINENTES.

HASTA dabatur inſigne regni in regno Longobardorum. 605. 740.
Quomodo legeretur, & coronaretur rex Italiæ ab archiepiſcopo Medіolanenſi poſt Carolum Magnum. 774. 962. 973.
Quomodo Franci filijs alijs regnum, alijs Imperium reliquerint. 814.
Corona ferrea regni Italiæ inſtituta à Theodelinda regina. 595. Modoetiæ cuſtodita. 605. ſumpta eſt primum Modoetiæ inſtituto Caroli Magni. 774. deinde Mediolani inſtituto Othonis Magni. 962. poſt vtrobique inſtituto Conradi. 1026. cur Palearis dicta. 1026.
Iuſiurandum regis Italiæ. 962. 973.
Quomodo rex veniret in Italiam. 973.
Quomodo exciperetur ab Italis. 973. 875.
Quomodo Veronenſes pontem ei in Atheſim facerent. 1555.
Quomodo ciuitates ſacramentum præſtarent regi. 973.
Quomodo rex conuentus haberet. 774. 973.
Quomodo rex ius diceret in Roncalijs. 973. 996.
Rex Italiæ idem erat, atque id quod poſt vſurpari captum eſt, rex Romanorum. ſic enim vocatur Henricus Friderici filius viuente patre. 1183. 973.

DIGNITATES IN REGNO ITALIAE.

DIGNITATES in regno Italiæ Longobardorum, Duces ciuitatũ, Gaſtaldij, ſiue Comites. 665. 870. Gaſtaldiatus. 865. Comes, Vicecomes, Sculdaſio, decanus regius. 956.
In regno Francorum, & Germanorum in Italia, Duces, Marchiones, Comites, Miſſi, ſiue nuncij, ſiue legati. Feudatarij omnium generum. 774.
Feuda intulit Alboinus, cum Duces inſtituit, Foroiulienſem, Spoletanum, Tuſcum, Beneuẽtanumq;. 572. eadem confirmauit Autharis. 585. conſeruata ſunt inde à ſubſequentibus, vt in ſingulis Ducibus apparet ſuo loco. Feuda reformauit Carolus Magnus cenſu, & ſacramento inſtituto. 774. Sacramentum feudatariorum ſub Carolo Magno. 774. Vaſallus, pro feudatario. 774. trãſlatio feudi inueſtitura dicta. 774. Feudatarij, ſeu Vaſalli, Duces; Comites. Capitanei, & Valuaſores ſub Carolo Magno. 774. Ducatus euertitur, cum ſingulæ ciuitates ſingulis Comitibus adminiſtrandæ dantur. 776. De feudis tulit Lotharius rex Romæ. 825. Otho Magnus feuda melius conſtituit. 973. fortiſſimis militibus regalia diſtribuit. erant autem regalia dignitates, & prædia. Dignitates: Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Valuaſores, Valuaſini. 973. ex his nobilitas in Italia emanauit. 973. Feudatarij, Vaſalli, Homines, & Fideles ijdem 973. & Ligij. 1059. Feudũ, Hominium, Homagium idem. 973. Ius feudi. 973. Qui feudum conferunt, Domini, & Seniores vocati. 973. Sacramenta feudatariorum tria. 973. Cum rex in Italiam veniſſet, cõuentum in Roncalijs habebat, feudatarios ad ſcutum in arbore ſuſpenſum vocabat. 973. ſinguli ſuos feudatarios minores vocabant. Qui ſi non affuiſſent, feudo multabantur. 973. ſi feudatarius per triduum in Roncalijs expectaſſet regẽ, abire poterat.

terat. Vexillum in feudo dando porrigebatur. 973.

Regalia abſtulit Fridericus, & pro arbitratu conceſsit. quæq; regalia ſint. 1159. 1164.

Aragiſus Dux Beneuentanus, primus ſe pro Duce Principem vocauit, vide Principes, Capuanus, Salernitanus, & alij.

In Diœceſibus feudatarij erant multi. 1107. De ſingulis feudis, Eccleſia, & Regum, require in pontificibus, & regibus.

De feudis, ſiue beneficijs tulit poſt Othonem Conradus rex. 1026. item Lotharius III rex. 1136. item Fridericus rex. 1158.

LEGES IN REGNO ITALIAE.

Leges primus tulit, & ſcripſit Rotharis rex, quas Edictum vocauit. 643. Grimoaldus rex Edictum auxit. 668. item Luitprandus rex. 713. item Rachis rex. 746. item Aiſtulfus rex. 754. Deſiderij regis Edictum. 772.

Carolus Magnus rex leges tulit. 781. itẽ Pipinus rex. 781. Iterum Carolus Magnus rex, & Imperator, 801.

Hinc factæ leges tres Italiæ Longobarda, Salica, & Romana. 774. & profitebantur Itali, qua lege viuere vellent. 825.

Lotharius rex, & Imperator item tulit. 825. Ludouicus rex, & Imperator. 855. Vido rex, & Imp. 891. Otho Magnus rex, & Imp. 891. Henricus rex, & Imp. 1013. Conradus rex, & Imp. 1026. Lotharius III rex; & Imp. 1136. Is Pandectis inuẽtis remouit legem Longobardam, & Salicam. 1137. Fridericus rex, & Imp. 1158.

DE TITVLO OCCIDENTALIS IMPERII IVNCTO CVM REGNO ITALIAE.

Titulum Imperij in Occidente renouauit Leo III pont. vt Eccleſiam muniret contra infideles, & inimicos, cuius tutelam Imperator Orientis hæreticus abiecerat, & anno 801. ab eo Imperator Auguſtus coronatus eſt Romæ Carolus Magnus. 801.

Ludouicus Pius filius rex Franciæ, & Imp. teſtamento patris, deinde coronatus Auguſtus à Stephano IIII pontifice, Remis. 816.

Lotharius filius rex Franciæ, & Imp. teſtamento patris. à Paſchali põtifice Imperator coronatur Romæ. 823.

Ludouicus II filius rex Italiæ, & Imperator teſtamento patris, & Imperator coronatus à Sergio IIII põtifice. 844. & ab Hadriano II pont. 871.

Carolus Caluus patruus rex Franciæ, & Italiæ primus ſolo beneficio pontificis à Ioanne VIII Imperator coronatus Romæ. 876.

Ludouicus Balbus filius rex Franciæ, à Ioanne VIII pontifice coronatus Imperator Trecis. 878. cum regnum Italiæ teneret Carlomanus.

Carolus Craſſus Ludouici regis Germaniæ filius, rex Germaniæ, & Italiæ coronatur Imperator à Ioanne VIII Romæ. 881.

Vido Dux Spoleti rex Italiæ, homo Italus coronatur Imper. à Stephano V pontifice. 891. Arnulfus Carlomani regis Bauariæ filius rex Germaniæ, à Formoſo pontifice vocatus in Italiam contra inimicos ſuos, per vim ſe ab eo Imperatorem inungi iuſsit. 896. Ea coronatio à Stephano VI. pontifice reſcinditur. 877. & poſt à Ioanne IX in concilio. 898.

Lambertus Vidonis filius Dux Spoleti, & rex Italiæ Imp. coronatur à Stephano VI pontifice, cum Arnulfum abdicaſſet. 896. & confirmatur à Ioanne IX in concilio. 898.

Ludouicus rex Prouinciæ, & Italiæ coronatur Imper. à Benedicto IIII pont. Romæ. 901.

Berengarius rex Italiæ, cum eſſet Dux Foroiulienſis, contra Vidonem, Lamber-

bertum, & Ludouicum coronatur Imperator à Ioanne X pontifice. 915. moritur. 921.

Vacat titulus Imperij ab anno. 923. vſq; ad annum. 962.

Otho Magnus Dux Saxonia, & rex Germania, coronatus rex Italia à Valperto archiepiſcopo Mediolanenſi, poſt coronatur Imperator à Ioãne XII. 962. inde regnum Germania, & regnum Italia cum titulo Imperij coniuncta fuerunt, quod ſucceſſoribus Othonis inſpiciendis apparet, vt ſupra ſcriptum eſt in Regibus.

MORES AD IMPERIVM OCCIDENTALE PERTINENTES.

Quomodo Imperator corona aurea coronaretur à pontifice. 805. 844. 875. 973. 1027. 1111.

Quali iureiurando Imperator coronam accepturus ſe obſtringeret. exemplo Caroli Magni. 801. Caroli Calui. 826. Ludouici Balbi. 878. Caroli Craſsi. 881. Othonis Magni. 962. & aliorum.

Anni Impery à conſecratione pontificis incipiebant. 876. 973.

Pecuniæ pauperibus pro incolumitate Impery a pontifice diſtruebantur. 898.

Quomodo Imperium ſit factum beneficium pontificis. 876. & quomodo accipienda ſit vox Beneficij, qua Fridericum Imper. & Hadrianum pont. turbauit. 1158.

DE REGNO GERMANIAE IVNCTO CVM REGNO ITALIAE, ET IMPERIO.

CAROLVS *Magnus multas Germania prouincias armis ſibi adiunxit, quarum poſt Saxoniam, Thuringiam, Franconiam, Alemaniam, qua eadem ac Sueuia erat, in poteſtatẽ redactas, Baioariam quoque ſubegit Thaſsilone Duce remoto. 788.*

Poſt mortem Caroli Ludouicus Pius filius omnia in Gallia, & Germania, & Italia obtinuit. & ante mortem diuidens ditionem paternam inter filios, Ludouico Bauariam reliquit, vt rex Bauaria vocaretur. 817.

LVDOVICVS *mortuo Ludouico Pio patre cum fratribus bellauit, atque iterum regna diuiſit. atque ita non ſolum Bauariam, ſed etiam omnia trans Rhenum in Germania obtinuit, & primus ſe regem Germaniæ vocauit. 842. & poſt mortem Lotharij fratris filij, qui Auſtraſiam obtinebat, quam ipſe Lotharingiam vocarat, partem Lotharingiæ adeptus eſt. 870. & poſt mortem Ludouici II Lotharij item fratris filij Italiæ regis, Italiam per Carolum Craſſum, & Carlomanum filios occupare, ſed fruſtra, contendit. nam Carolus Caluus frater eã obtinuit. 875 mortuus eſt anno. 876.*

CARLOMANVS, LVDOVICVS, & CAROLVS CRASSVS *filij. poſt exceſſum eius Carlomanus obtinuit Bauariam, Carantanum, Boemiam, & Morauiam, & poſt mortem Calui Italiam. 876. Ludouicus vero Franconiam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, & partem Lotharingia, Carolus vero Caſſus Alemaniam, et alteram Lotharingia partem. 876. Carlomano, & Ludouico mortuis Carolus Craſſus omnes ſuperiores ditiones obtinuit vnà cum Imperij titulo, qui adhuc cum Regno Germaniæ coniunctus non fuerat. 881.*

ARNVLFVS *Carlomani filius nothus Craſſo viuenti in regno Germania à principibus ſuffectus eſt. 887. qui vocatus à Formoſo pontifice Romam contra factionem inimicorum ſuorum, ſe coronari Imp. per vim iuſſit. inde Italia abijt. 896. quam coronationem Stephanus VI. 896. & Ioannes IX. pont. poſtea in concilio infirmarunt. 898. Lambertum regem Italia Imp. à Stephano VI pontifice cõſecratum Ioannes comprobauit. 898.*

LVDOVICVS *Arnulfi filius rex Germania poſt patrem. vltimus ex Caroli Magni*

pro-

progenie, neque rex Italiæ neque Imperator fuit. 900.

CONRADVS è Franconia, primus non hæreditatis iure, ſed principum ſuffragio rex Germaniæ factus nihil rei habuit in Italia. 911.

HENRICVS Saxoniæ, & Thuringiæ Dux item à principibus ſubſtituitur: neque rei quidquam in Italia habuit. 919.

OTHO Henrici filius Dux Saxoniæ poſt mortem patris rex Germania coronatur. 936. inde ab archiepiſcopo Mediolanenſi ad regnum Italiæ, à pontifice ad Imperij titulum aduerſus Berengariũ II vocatus venit, & regno Germaniæ regnum Italiæ, & Imperij titulum legitimè primus adiunxit, vt in regibus ſcriptum eſt.

Quomodo legeretur, & coronaretur corona argentea rex Germaniæ ab archiepiſcopo Moguntino, aut Colonienſi. 973.

Poſt Othonem rex Germania fuit rex Italiæ, & Imperator. 973.

Annus ordinationis dicebatur is, quo rex Germaniæ conſecrabatur. 1049.

Prouincia regni Germania Saxonia, Thuringia, Franconia, Alemania, Bauaria, Lotharingia, Burgundia. vt ſupra item: 1073. 1107.

PONTIFICES ROMANI, qui in partem ditionis ſucceſſerunt, quam Imperatores Orientis habuerunt; & rex eorum.

ROMA erat in ditione Iuſtini Imp. cum Longobardi venerunt in Italiam. Longinus Exarchus Italiæ à Iuſtino miſſus Romæ Ducem impoſuit. 582. Qua dignitate, & potentia Roma fuerit venientibus Longobardis. in Proemio.

Pontifex Romanus quas opes habuerit venientibus Longobardis, Quomodo lectus ſit, vbi ſedem habuerit, cui rei ſtuduerit. in Proemio.

566.

IOANNES III pontifex erat venientibus Longobardis. 566. is ad Narſetem Ducem Italiæ placãdum Neapolim adijt, iratum, quia à Iuſtino Imp. reuocabatur. 566.

575.

BENEDICTVS pont. 575. Eo ſedente Roma à XXX Ducibus Longobardis obſeſſa, atque ad ingentem rei frumentariæ inopiam redacta. Longobardi in templa, & epiſcopos Italiæ ſæuierunt. 579.

579.

PELAGIVS II pont. circumſedentibus vrbẽ Ducibus Longobardis iniuſſu Imp. eſt conſecratus. 579. Roma à Tiberio Imp. frumento Aegyptio in ſumma inopia ſuſtentata. 579. Tiberis Vrbem inundauit. 589. peſtilentia ſæuijt, qua Pelagius mortuus eſt. 590. concilium Conſtantinopolitanum infirmarat de principatu Eccleſia Conſtantinopolitana. 591.

590.

GREGORIVS apocriſarius pontificis apud Imp. Romam redijt. 583. inuitus fit pont. 590 conſecratur poſt auctoritatẽ Imp. 590. curat Romæ rem frumentariam. 590. Litaniam maiorem in peſtilẽtia inſtituit. 590. gratias agit Theodelindæ reginæ, quòd Agilulfum maritum catholicum fecerit. Arrianos pueros fidei cholicæ conciliat. 590. Imaginem Deiparæ virginis tulit in ſupplicatione pro peſtilentia. inſtituit Paſchate: Regina cæli lætare. 591. Roma obſeſſa eſt ab Ariulfo Duce Spoleti, ſed fruſtra. 591. Gregorius pont. pacem cũ Longobardis Etruriæ fecit. 592. Dialogos ad Theodelindam reginam miſit. 594. Agilulfus rex vrbem Romam obſedit. quo timore Gregorius ab Ezechielis expoſitione deſtitit, addiditq́ in canone: Vt dies noſtros. 594. increpuit Ioannem archiepiſcopum Rauẽnatem de vſu pallij extraordinario. 594. conuentum habuit epiſcoporum in Vaticano. 595. à Mauricio Imp. vt ſimplex re

prehen-

prehenſus ſe defendit. 595. contendit cum Ioanne patriarcha Conſtantinopolitano de principatu Eccleſiæ. 595. ſcribit ad Mauricium, qui fauebat Ioanni. 595. Primus ſe vocauit Seruus ſeruorum Dei. 595. mittit Auguſtinum, & Melitum ad prædicandum euangelium in Britanniam. 596. inſimulatur à Mauricio de ſupplicio Malchi Lōgobardi epiſcopi. 598. gratias agit Theodelindæ, et Agilulfo de pace facta. 599. archiepiſcopo Mediolanenſi conceſſit, vt vacāte regno Italiæ poſt XIIII dies, ex ſuorum ſuffraganeorum ſententia legeret regem, & corona ferrea Modoetiæ coronaret. 601. ſcribit ad Arichim Ducem Beneuentanum de trabibus cædendis propter tēplum. 602. ſcribit ad Phocam Imp. de afflictione Italiæ. 602. pace iterum facta cum Agilulfo in die SS. Geruaſij, & Protaſij introitum Miſſæ à pace inſtituit. 603. gratulatur Theodelindæ de filio nato, & baptizato, & gratias agit de pace facta. 603. moritur, inter Sanctos, & doctores Eccleſiæ refertur, atque Magnus vocatur. 604. & ſcribenti columba ad aures aſſedit. 604.

604.

SABINIANVS *pont. inimicus actionibus Gregorij deceſſoris ſui. 604. percuſſus leuiter à Gregorio in quiete mortuus eſt. 605.*

605.

BONIFACIVS *III pont. patriarchā Aquileienſem nuper factum improbauit, Gradenſem probauit. 605. conuentu Romæ acto ſtatuit, ne viuente pontifice ageretur de ſucceſſore. & a Phoca Imp. obtinuit, ne patriarcha Conſtantinopolitanus œcumenicum ſe vocaret, & vt Eccleſia Romana principatum obtineret. 605.*

606.

BONIFACIVS *IIII. 606. conuentu acto tulit de diſciplina monachorum. & Pantheon templū impetrauit à Phoca Imper. et dedicauit Beatæ Virgini, et martyribus. 610.*

613.

DEVSDEDIT *pontifex. 613. ſanauit oſculo ſcabioſum. 615.*

616.

BONIFACIVS *V pontifex. 616.*

622.

HONORIVS *pont. 622. fauet Adalualdo regi contra Arioaldum. 625. ſtatuit, ne Monaſterium Bobienſe eſſet ſubiectum epiſcopo. 629. eo ſedente hæreſis Monothelethatum renouata Conſtantinopoli. 629.*

637.

SEVERINVS *pont. 637. eo ſedente Lateranenſe patriarchiū ſpoliatum à Mauricio Imperatoris Chartulario, & Iſaacio Exarcho. 637. idem ſpoliatur patrimonio Alpium Cottiarum à Rothari rege. 638.*

638.

IOANNES *IIII pont. 638. conſultus ab Heraclio Imp. de vna voluntate Chriſti eum reprehendit. captiuos redemit. reliquias Sanctorum ex Dalmatia tranſtulit. 638.*

640.

THEODORVS *pont. 640. obiurgat Paulū patriarcham Conſtātinopolitanum de vna voluntate Chriſti. 644.*

647.

MARTINVS *pont. 647. conuentum habet epiſcoporum de duabus Chriſti voluntatibus. 648 inſidias propterea patitur Conſtantis Imperatoris per Olympium Exarchum. 649. iuſſu Cōſtantis Imp. à Theodoro Exarcho capitur, & Conſtantinopolim, atque inde in Pōtum in exilium mittitur. & mortuus inter Sanctos refertur. 652. 653.*

654.

EVGENIVS *pont. 654. hunc clerus Romanus ſacrificio prohibiturum ad Præfepe minatus eſt, niſi ſynodicam à Petro patriarcha Conſtantinopolitano acceptam de Chriſti voluntatibus obſcurā conſcidiſſet. 655.*

657.

VITALIANVS *pont. 657. Synodiam ad Imperatores miſit, ſe creatum pont.*

b nun-

nunciaŋs.657.& priuilegiorum confirmationem accepit.657. Maurum archiepiſcopum Rauennatem propter contumaciam à ſacris amouit. Ferrariam epiſcopo decorauit. 657. Conſtantem Imp. Romæ excepit. & ab eo donatus templa Romæ ſpoliari vidit.663.

672.

Adeodatvs pont.672.

678.

Donvs pontifex.678.

679.

Agatho pont.679. impetrauit ab Imp. vt pecunia releuaretur, quæ pro pontificis conſecratione dabatur.679.& vt archiepiſcopum Rauennatem confirmaret.concilium ſextum agi contra monotheletas iuſsit,& legatos miſit Conſtantinopolim.680.

682.

Leo II pont.682.conſecratur primus à tribus epiſcopis, cum ante ab vno conſecrari mos eſſet.682.inter Sanctos refertur.683.

684.

Benedictvs II pont.684. obtinuit ab Imper.Conſtantino,ne auctoritas Imp. in conſecrando pontifice expectaretur. 684.

685.

Ioannes V pont.685.

686.

Cono pont.in ſchiſmate creatus.686.aurum clero legauit.687.

687.

Sergivs pontifex in ſchiſmate creatus. 687.noluit ſubſcribere concilio Iuſtiniani Imper. & in eius offenſionem eſt lapſus.691. conflauit aurea ornamenta, vt pecuniam penderet Ioanni Exarcho inſolenti.687. iuſſus eſt capi per Zachariam protoſpatharium, ſed fruſtra.693.

701.

Ioannes VI pont. 701. Giſulfum Ducem Beneuentanum in Campaniam progreſſum precibus retrocedere coegit.704.

705.

Ioannes VII pont. 705. patrimonium Alpium Cottiarum ab Ariperto rege recepit.706.

707.

Sisinivs pont.707.

708.

Constantinvs pont.708. accitus à Iuſtiniano Imp. vt cum eo de rebus Eccleſiæ colloqueretur, Conſtantinopolim, atque inde in Bithyniam profectus eſt, atque ingentibus honoribus exceptus, inprimisq; ab Imperatore ipſo eximie cultus, quo cum Nicomediæ eſt collocutus. 711. Romam inde reuerſus conuentum habuit pro cultu ſacrarum imaginum retinendo, & Philippicum Imperatorem, qui Iuſtiniano ſucceſſerat, primum earum oppugnatorem damnauit, & propterea ne nummi, aut imago eius Romæ reciperentur, prohibuit. 712.

716.

Gregorivs II pontifex. 716. conuentum item habet Romæ pro ſacris imaginibus. Luitprandum regem ad confirmandum ſibi patrimonium Alpium Cottiarum adducit.716. Petronacem ad inſtaurandum Caſſinas monaſterium, & monachos reducendos mittit. 759. alterum conuentum habet contra oppugnatores ſacrarum imaginum, cuius rei cauſſa inſidias patitur à Leone Imperatore earum perſecutore, et ſe tuetur contra exercitum Exarchi auxilio Longobardorũ è Tuſcia. 723.724. Rauenna inde à rege Luitprãdo ipſi Leoni adempta, dat operã vt auxilio Venetorum recuperetur, cũque ipſi Leoni recuperat..725. Eundẽ Leonem in hæreſi perſiſtentẽ accuſat apud Italicos, et indignum oſtendit, cui à populis pareretur.725. Italicos tamẽ aduerſus Leonẽ incenſos, atq; ei Imperiũ abrogare volẽtes cohibet.726. ſeuiente ſubinde illo Italos ſacramẽto ſoluit, ne illi pareant..726. quo facto Roma cum Ducatu Romano ad illum defecit.727. Ea de cauſſa Eutychius Exarchus

Luit-

Luitprandum regem ad vrbis, & pontificis obſidionem adduxit. quem Gregorius in caſtrus conuenit, & oratione habita ab obſidione remouit. 729. moritur glorioſè. 731.

731.

GREGORIVS *III pontifex. 731. ſcribit de colendis imaginibus ad Leonē. 731. & conuentum pro eis habet. 732. Gregorium II imitatus Leonem hereticum excommunicat. 732. Transemundum Ducem Spoletanū dedititium contra Luitprandum ſeruat. 738. Cum autem eum non redderet, à Luitprando in vrbe obſidetur, & auctoritate Caroli Martelli maioris domus Franciæ ſe interponentis liberatur. 739.*

741.

ZACHARIAS *pontifex III. adit Luitprandum regem ad Interamnam caſtra habentem, vt ab eo quattuor oppida ex Ducatu Romano erepta repeteret, & benigne, atque honorifice exceptus impetrat: 742. primusq; omnium pontificum fœdus facit cum Longobardo rege. 742. Reuerſus Romam gratias agit Deo. 742. Luitprando Rauennam vexante, rogatu Rauennatium acceſsit ad eum Papiam, eoq; ne vexaret Exarchatum orato voti compos factus eſt. 743. inde mortuo Luitprando fœdus renouauit cum Rachi rege. 744. Caſsinas monaſterium inſtauratū conſecrauit. abbatem priuilegio decorauit. 748. Rachim ad Peruſiam bellum gerentem in caſtris adijt, & bellum diſſuaſit. 749. ac monachum vt indueret impulit. 750. Chilpericum regem Francorū depoſuit propter ignauiam populis ſacramento ſalutis, & Pipinum Caroli Martelli filium ei ſuffecit. 750.*

752.

STEPHANVS *pont. mortuus antequam conſecraretur. eius ratio non habetur. 752.*

STEPHANVS *II pont. 752. fœdus firmat cum Aiſtulfo rege. 752. Eo vero exarchatum, & Pentapolim oppugnante, quæ adhuc erāt Imperatoris, Conſtantinum Imperatorem orat, vt opem ferat, ſed fruſtra. 753. Aiſtulfo poſt Exarchatum, & Pentapolim capta Romam contra fœdus obſidente, & tributum graue imperante ſupplicationem habet, in qua fert imaginem Saluatoris. 753. Romam inde venire pergente contendit ad Aiſtulfum Papiam oratum, vt deſiſtat. vbi non impetrauit, pergit in Franciam ad Pipinum regem imploratum auxilium, & ſummo honore excipitur. 753 ibi conſecrat Pipinum regem Franciæ, & filios. 754. & ægrotat. 754. Pipinus ei obſequutus, & cum eo in Italiam profectus Aiſtulfum Papiæ obſidet, & data pace cogit, vt Exarchatum, & Pentapolim dimittat, eaq; pontifici tradat. 755. ita ad Ducatum Romanum Exarchatus, & Pentapolis acceſsit Eccleſiæ. pontifex Exarchatum gubernandum dedit archiepiſcopo Rauennati. 755. inde cum Deſiderio regi ad regnum obtinendum auxilio fuiſſet, cum eo fœdus ſanxit. 757.*

757.

PAVLVS *pontifex. 757. firmat fœdus cum Deſiderio rege, nec vexatur ab eo. 757.*

767.

CONSTANTINVS, & PHILIPPVS *vitio pontifices fiunt, & abdicant. ſed non ſine turbatione eccleſiæ. 767. 768.*

768.

STEPHANVS *III pontifex. 768. conuentu habito infirmat acta duorum falſorum pontificum Conſtantini, & Philippi, & cultum ſacrarum imaginum tuetur. 769.*

772.

HADRIANVS *pontifex fit. 772. Deſiderius rex in Exarchatum, & Pentapolim Eccleſiæ irrupit, & oppida quædam cepit. ad quem Hadrianus legatos miſit, vt ea redderet. 752. quo non impetrato mittit ad Carolum Magnum Pipini filium regem Franciæ auxilium petitum. 752. Deſiderio regi ad viſitanda limina Apoſtolorum*

aſtutè accidēti claudi iubet fores.773.
Carolus Magnus in Italiam profectus
Deſiderium Papiæ obſedit. Romam ad
Hadrianū progreſſus, et magno honore
exceptus confirmat Eccleſiæ donatio-
nem à Pipino patre factam Exarcha-
tus, & Pentapolis. ipſeq́; Corſicam,
Sardiniā, Siciliam, Spoletanum Duca-
tum, & Tuſcum adiecit. 774. Re-
uerſus ad obſidionem Papiam cum De
ſiderio in poteſtatem redegit, & re-
gem ſe Italiæ coronari ab archiepiſco-
po Mediolauenſi iuſſit. Inde iterum
Romam acceſſit. Hadrianus conuen-
tu habito eum Patricium fecit, & epi-
ſcoporum inueſtituras & pontificis or-
dinationem conceſſit. cui iuri ille re-
nunciauit.774 Conſtantinopolitanam
eccleſiam ad concordiam cum Roma-
na redegit, legatisq́; miſſis ad conciliū
ſeptimum generale Niceæ cultum ſan-
ctis imaginibus, & cruci conſeruauit.
787. inundationi Tiberis inuſitata
ſubuenit.791.

796.

LEO *III pontifex. munera ad Caro-*
lum mittit. 796. à Romanis laſciuire
incipientibus, & pontificis dominatum
reſpuentibus captus, & multatus eua-
ſit.799. ea de cauſſa profectus in Fran
ciam ad Carolum magno honore exci-
pitur. atque iniurijs Romanorum ex-
poſitis opem implorat. 799. ibi à Ro-
manis accuſatur. Quare Carolus eum
Romam remittit. 799. & mox ad cauſ
ſam cognoſcendam accedit. 800. Leo
à Romanis honeſtiſsime exceptus.799.
mox in conuentu epiſcoporum præſen-
te Carolo purgauit ſe ſacramento, &
abſolutus eſt. 800. ob id coronat Ca-
rolum Magnum Occidentis Imperato-
rem Auguſtum renouato poſt CCC an
nos titulo. 801. Poſt pergit iterum in
Franciam ad Carolum inueſtigato mi-
raculo ſanguinis Chriſti Mantuæ.
804. Poſt mortem Caroli iterum vexa-
tus à Romanis defenditur à Ludoui-
co rege. 815.

816.

STEPHANVS *IIII pontifex. In Franciam*
profectus Ludouicum Pium Impera-
torem Remis conſecrauit, & donatus
ab eo Romā repetijt, & moritur. 816.

817.

PASCHALIS *pontifex. 817. Huic Ludo-*
uicus, rex confirmauit donationem Pi-
pini, & Caroli, quæ extat. 817. Lotha-
rium Ludouici filium regem Impera-
torem Romæ coronauit. 823. oneratus
crimine cædis ſe purgat ſacramento
apud Ludouicum. 823.

824.

EVGENIVS *II pontifex. 824. lex lata à*
Lothario rege Romæ permiſſu pontifi
cis, vt ad vitandos tumultus pontifex
non niſi præſentibus legatis regis con-
ſecraretur. 825.

827.

VALENTINVS *pontifex. 827.*

GREGORIVS *IIII pontifex eodem anno*
factus, legato regis ex lege Comitia
eius inquirente. 827. perrexit in Fran
ciam ad conciliandam concordiam in-
ter Ludouicum regem, & filios. 833.
Commemorationē omnium Sanctorum
in Kalendas Nouēbris tranſtulit. 835.
à Lothario Rege, quia patri fauerat,
vexatur. 835.

844.

SERGIVS *II pontifex. 844. eo ſedēte Sar*
raceni baſilicam Apoſtolorum Romæ
ſpoliarunt. 846. Ludouicū II Romæ re
gem, & Imperatorem coronauit. 844.

847.

LEO *IIII pontifex. baſiliſcum homi-*
nes occidentem verbo interimit. incen-
dium in Vrbe extinguit. 847. baſili-
cam à Sarracenis expilatam exorna-
uit. 848. muros vrbis refecit. 849. Ca-
ietanos, Neapolitanos, & Amalfitanos
contra Sarracenos accendit, & ſacro
Chriſti corpore exceptos in prælium di
mittit. 849. rex Angliæ regnum ei tri-
butarium fecit. 851. Vaticanum vbi
baſilica S. Petri eſt, muniuit. 850
& vrbem Leoninam vocauit, ac con
ſecrauit. 855. petit à Ludoui-

eo rege, ut lex Romana valeat. mortuus inter Sanctos refertur. 855.

855.

BENEDICTVS III pontifex creatus in ſchiſmate. 855.

858.

NICOLAVS pontifex. 858. viſitat Ludouicum regem in caſtris ad urbem. 858. viſitatur ab eo, & colitur. 858. mittit legatos Conſtantinopolim ad cognoſcendam cauſſam Ignatij patriarchæ depoſiti, & Phocij contra leges ſubſtituti. 860. qui officio parũ rectè functi ſunt. 861. Ioannem archiepiſcopum Rauennatem ſuffraganeos Aemiliæ opprimentem, & alia contra leges agentem dignitate priuat, & ad cauſſam eam cognoſcendam conuentum Romæ habet. 861. cauſſam Lotharij regis Lotharingiæ de adulterio uxoris, & diuortio facto cognoſcit. conuentum habet in Laterano contra Phocium. 865. mortuus Magnus vocatur.

867.

HADRIANVS II pontifex. 867. conſecratus non expectatis legatis regis ſe purgat. 867. legatos mittit ad cõciliũ octauum generale in cauſſa Ignatij, & Photij, & ſacrarum imaginum. 868. Lotharium regem accuſatum de adulterio, & repudio uxoris ad purgationem admittit, & purgationis cauſſa partẽ Euchariſtiæ ei offert. 869. Ludouicum regem iterum coronauit Imperatorem. 871.

872.

IOANNES VIII pontifex. 873. Rauennæ de rebus Eccleſiæ cõuentum agit. 874. Comites Tuſculanos Romæ potentiſſimos Imperij titulum poſt Ludouicum ſibi poſtulantes repudiat. eumque Carolo Caluo regi Franciæ Ludouici patruo, præſertim vero ab eo cultus, impertit. 876. ob id patitur eorum inſidias. 876. Neapolim contra Sarracenos contendit. 876. confirmat conſecrationem Imperialem Calui factam Romæ. accerſit eum cauſſa reip. et colloquitur cum eo Vercellis. 877. ubi Richildem uxorem eius Auguſtam cõſecrat. 877. capitur inde à Comitibus Tuſculanis, & elapſus confugit ad Ludouicum Balbum Calui filium Franciæ regem. Trecis conuentum habet, in quo anathema aduerſus inimicos ſuos confirmat. Formoſum epiſcopum Portuenſem aduerſarium ſuum dignitate eccleſiaſtica ſpoliat. 878. Balbum ipſum Imperatorem coronat. Romam reuerſus contra Sarracenos proficiſcitur. 878. Mortuo Balbo Caroliũ Craſſum regem Franciæ, & Italiæ Imperatorẽ coronat. 881. cum eo Rauennæ congreditur in conuentu. 882. Ab hoc tempore corrumpi cœpit eccleſia per Simoniacos, & Nicolaitas. 883.

882.

MARINVS pontifex. 882. Eo ſedente ciuitas Romana per Comites Tuſculanos familiam in urbe potentiſſimam in duas factiones diuiſa eſt, quæ deinde Comitia pontificia perturbarunt, unde multæ offenſiones ſequutæ ſunt, quæ veteri diſciplinæ plurimum obfuerunt. 883.

884.

HADRIANVS III qui antea Agapitus, pontifex. 884. A Comitibus Tuſculanis impulſus decretum fecit, ut pontifex conſecrari poſthac ſine legatis regijs poſſet, & ut regnum Italiæ, & titulus Imperij Italicis principibus traderetur. 884.

885.

STEPHANVS V pontifex. 885. Purgationem ex parte ſuſtulit; quæ fiebat candenti ferro, & feruenti aqua. 885. Vidonem hominem Italicum, Italiæq́; regem, Imperatorem conſecrauit. & ab eo confirmationem donationis Pipini, Caroli, & Ludouici accepit. 891.

891.

FORMOSVS contra Sergium Comitem Tuſculanũ pontifex primus ex aliena eccleſia, erat enim Portuẽſis epiſcopus, creatur. 891. oppreſſus inde à Comitibus Tuſculanis aduocat auxilio

Arnulſum regem Germaniæ. Arnulſus vrbem obſedit, eaq; capta ſe met à pontifice Formoſo Imperatorem coronari coegit. 896.

896.

BONIFACIVS *VI pontifex ex parte Comitum Tuſculanorum intra dies xv mortuus. 896.*

STEPHANVS *VI pontifex ex parte Comitum Tuſculanorum eodem anno creatus conuentu habito acta Formoſi pontificis infirmauit. dum conuentus habetur factioſi cadauer Formoſi ſepulchro extraxerunt, & in Tiberim proiecerunt. 896. idem Arnulſum Imperatorem vitio creatum pronunciauit, & loco eius Lambertum Vidonis filium regem Italiæ Imperatorem coronauit. baſilica Lateranenſis terræmotu corruit. 896.*

897.

ROMANVS *pontifex ex aduerſa parte. 897. cauſſam Formoſi defendit, & Stephani acta damnauit. 897.*

THEODORVS *II ex eadem parte eodem anno pontifex creatus. Item Formoſi cauſſam defendit, & omnes ab eo initiatos ordinibus reſtituit. 897.*

897.

IOANNES *IX ex eadem parte pontifex creatus 897. conuentum Rauennæ habuit præſente Lothario Imperatore. in quo item Arnulſi imperialem conſecrationem, vt metu extortam reſcidit, & tamen Lambertum confirmauit. Violatores ſepulchri Formoſi damnauit. Formoſum ritè factum pontificem declarauit. rurſus ad vitanda ſchiſmata ne conſecratio pontificis ſine legatis regijs fieri poſſet, conſtituit. 898.*

899.

BENEDICTVS *IIII ex parte Comitum Tuſculan. pontifex. 999. Ludouicum III regem Italiæ coronauit Imperatorem. 901.*

904.

LEO *V pōtifex, poſt xl. dies à Chriſtophoro abdicare coactus. 904.*

CHRISTOPHORVS *à ſe factus, & à Sergio abdicare coactus. 904.*

SERGIVS *III eodem anno pōtifex, is qui cum Formoſo contenderat. 904. baſilicam Lateranenſem refecit, & pinxit. 906.*

911.

ANASTASIVS *III pontifex. 911. Berengario regi gratificatus Papienſem epiſcopum priuilegijs crucis, vmbellæ, & aſſeſsionis ornauit. 911.*

913.

LANDO *pontifex. 913.*

914.

IOANNES *X pontifex. 914. Berengarium regem Italiæ coronauit Imperatorem. 915. Sarracenos Gariliano expulit. 916. vexatur ab Alberto marchione Comite Tuſculano. 925. interficitur à factioſis vrbis dominatum affectantibus. 928.*

928.

LEO *VI pontifex. 928. Hugo rex Italiæ per nuptias Marociæ, quæ fuerat vxor Alberti, Roma potitur, & ſubito ab Alberico Comite Tuſculano Alberti filio eÿcitur. 928. Hoc tempore Romani mutarunt remp. creatis conſulibus, ex quibus fuit Albericus. 928.*

STEPHANVS *VII pontifex eodem anno ex parte Comitum Tuſculanorum. 928.*

930.

IOANNES *XI Alberici conſulis frater pontifex. 930. Hugo rex Romam obſedit, ſed fruſtra, Alberico eam tuente. 932.*

935.

LEO *VII pontifex. 935.*

937.

STEPHANVS *VIII pontifex. 937. interficitur à factione Alberici conſulis. 941.*

941.

MARINVS *II pontifex. 941.*

945.

AGAPITVS *II pontifex. 945. monachos Teano Caſsinum redire iuſsit. 947. Rauenna, & alijs Eccleſiæ ditionibus ſpoliatus à Berēgario II. rege vocat Othonem Germaniæ regem auxilio. 955.*

INDEX.

956.

Ioannes XII factus eſt pontifex potentia Alberici patris Comitis Tuſculani; cum eſſet admodum iuuenis. 956. & ipſe quoque oppreſſus à Berengario vocauit Othonem, & Imperij coronam ſe daturum promiſit. 960. Berengarius mortuo Duce Spoletano Ducatum ad Eccleſiam pertinentem inuaſit. 957. Othonem in Italiam contra Berengarium progreſſum Romã honorificè excepit, atque Imperatorem coronauit 962. inde liberatus Berengario fauere cœpit, & Adelbertum filium eius Italia regem è Fraxineto Romam aduocauit. 963. Accuſatus inde à clericis de vitæ probris in conuẽtu præſente Othone deponitur. 963.

963.

Leo VIII depoſito Ioanne fit pontifex. 963. Othoni regi reſtituit priuilegium ordinandi pontificis, inueſtitura epiſcoporum, & abbatum. 963. inde reuerſo in vrbẽ Ioanne, et Romanos contra ſe incitante ipſe ceſſit. 964.

Benedictvs V Ioanni mortuo à Romanis ſubſtituitur contra Leonem. Otho iratus vrbem obſidet, & ingreſſus Leonem reſtituit, Leo conuentu habito Benedictum abdicauit. 964.

965.

Ioannes XIII ex epiſcopo Narnienſi pontifex Leoni ſubſtituitur. 965. profecto Italia Othone comprehenſus à Romanis Petro præfecto vrbis, et decarchonibus libertatem affectantibus cuſtodia, & ad Pandulfum Capuæ principẽ confugit. 965. ibique Capua epiſcopum archiepiſcopum fecit. 966. Otho autem reuerſus ſeditioſos puniuit, & in conuentu Rauennati Ioanni pontifici Rauennam de Berengario receptam reſtituit, & donationem Exarchatus, & Pentapolis à Pipino, & Carolo factam confirmauit. 967. Ioannes Thedaldum Ferrariæ marchionem inſtituit. 970. Othonem Othonis filium Auguſtum, et Theophaniam vxorem Auguſtam coronauit. 972.

972.

Benedictvs VI pontifex. 972. à Cinciocine Rom. libertatem ciuitati moliente comprehenſus in carcere mori coactus eſt. 974.

974.

Donvs II pontifex pro libidine Romanorum creatus ſtatim moritur. 974.

Bonifacivs VII pontifex eodem anno Dono ſuffectas pulſus à Comitibus Tuſculanis. fugit cum ſacro theſauro. 974.

Benedictvs VII eodem anno à Comitibus Tuſculanis intruſus. 974.

984.

Ioannes XIIII ex epiſcopo Papienſi. 984. afflictatus à Bonifacio VII pontifice in vrbem reuerſo obijt. 985.

985.

Bonifacivs VII iterum. 985.

Ioannes XV pontifex eodem anno. 986. Creſcens conſul Romanus eandem, quã Cincius, ciuitati libertatem quærens hunc pellit, ac mox propter Othonis III metum ex Tuſcia reuocat, & colit. 994. 995.

995.

Ioannes XVI pontifex, 995.

Gregorivs V pontifex ab Othone datus eodem anno. 995. vexatus item à Creſcente fugit ad Othonem. 996.

996.

Ioannes XVIII Hunc cum ſe archiepiſcopum Placentinum ferret, Creſcens pulſo Gregorio ſuffecit. 996. Othone vero vrbem, & arcem, ibiq; Creſcentem obſidẽte Romani eum ignominioſè proiecerunt. Creſcens Othoni pœnas dedit. Gregorius reſtitutus eſt. 997.

998.

Silvester II ex archiepiſcopo Rauennate ab Othone III datus pontifex. 998. ab eodem recepit confirmationem donationis Pipini, Caroli, Ludouici, & aliorum. 998. Vrbeueto leges dedit. Ceſenam obſedit. 1000.

1003.

Ioannes XVIII pontifex. 1003.

Ioannes XIX eodem anno pontifex.

1003. decreuit, vt qui Sardiniam, & Corſicam de Sarracenis recepiſſet, ſibi haberet. 1005.

1009.

SERGIVS *IIII pontifex. 1009. Amatum archiepiſcopum Salernitatum inſtituit. 1012.*

1012.

BENEDICTVS *VIII ex Comitibus Tuſculanis per eoſdem illatus. 1012. coronauit Henricum regem Imperatorem. & accepit ab eo confirmationem donationis Pipini, Caroli, & aliorum. 1014. profectus eſt ad Henricum in Germaniam ad conſecrandam baſilicam S. Georgij accepto cenſu annuo. 1019. cũ Henrico perrexit in Apuliam. 1023.*

IOANNES *XX Benedicti frater à Comitibus Tuſculanis creatus. 1024. Conradum regem Italia Imperatorem coronauit. 1027.*

1032.

BENEDICTVS *IX pontifex à Tuſculanis Comitibus datus. 1032. poſt XIII annum factio aduerſa ipſum pontificatu depulit. & Syluestrum III ſubſtituit. Comites vero Tuſculani Syluestro pulſo Benedictum reſtituerunt. Benedictus accepta pecunia locum Ioanni Gratiano Petrileonis filio, homini in vrbe nobiliſſimo conceſsit, qui Gregorius VI eſt appellatur. 1046.*

1046.

SYLVESTER *III. 1046.*

BENEDICTVS *IX iterum. 1046.*

GREGORIVS *VI. 1046. Hac turpitudine Comitiorum cognita Henricus II, qui tum rex erat Italiæ, è Germania in Italiam venit, & conuentu Sutrij habito Gregorium vt Simoniacum abdicauit. & Suidigerum Bambergenſem epiſcopum hominem Germanum dedit, qui Clemens II eſt vocatus. 1046.*

CLEMENS *II coronauit Henricum Auguſtum, & Agnetem vxorem Auguſtam, 1047. Idem inchoauit inſignem, ac memorabilem reformationem Eccleſiæ, quæ poſt Ioannem VIII corrupta fuerat per Simoniacos, & Nicolaitas, & factioſos Romanos comitia pontificia, ne rite fierent, prohibentes. & propterea conuentum habuit. 1047. Romani Henrico poteſtatem dederunt, vt Eccleſiam ordinaret, nec ſine eius auctoritate pontifex crearetur. 1047.*

1048.

DAMASVS *II item ab Henrico rege pontifex datus ſtatim moritur. 1048.*

1049.

LEO *IX pontifex ab Henrico rege datus, & cleri Romani ſuffragijs monitu Hildebrandi monachi cõfirmatus Clementis exemplo conuentus habuit ad reformandam Eccleſiam, Roma, Papia, Remis, Moguntia, vbi de ſimoniacis egit. 1049. in Laterano hæreſim Berengarij de ſacramento altaris damnauit. 1049. in Campania Principes ab amicitia Normanorum auertit. Caſsinas monaſterium viſitauit. Beneuentanos excommunicatione laxauit. Vercellis conuentu acto hæreſim Berengarij iterum damnauit. 1049. inde proſiſcitur ad placandum Henricum regem cum Andrea regem Vngarorum, et eccleſias quaſdam Germaniæ Henrico remittit, & pro ijs Beneuẽtum in Italia accipit. Romam reuerſus bellum contra Normanos decernit. ad bellum profectus capitur à Normanis, & cum honore dimittitur. 1052. 1053. Legatos ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam, quæ defecerat, mittit. qui ex dignitate rem confecerunt. 1053. mortuus inter Sanctos refertur. 1054.*

1055.

VICTOR *II per Hildebrandum monachum ab Henrico pontifex poſtulatur. 1055. Eccleſiam reformare pergit. Florentiæ conuentum ad id habet. 1055. conuentu in Turonibus Franciæ habito Berẽgarij hæreſim tertium damnat, mortiq; Henrici intereſt. 1056.*

1057.

STEPHANVS *IX pontifex à clero factus. 1057. reformationem Eccleſiæ continuat. primus Henricum III regem de Simonia accuſauit. & de Simoniacis,*

& clericis vxores habentibus ſtatuit.
inter Sanctos relatus.1058.

1058.

Benedictvs *X pont. à Comitibus Tuſcu*
lanis factus per vim, et pecuniã.1058.
abdicatus.1059.

Nicolavs *II pont. Benedictum X Su-*
trij abdicauit. 1059. reformationem
Eccleſiæ continuauit.1059.in Latera-
no conuentu acto decreuit de ratione
creandi pontificis, atque in primis Car
dinales aduocari, voluit.1059. contra
Nicolaitas, & Simoniacos de caſtita-
te clericorum tulit, & vendi Eccleſias
à laico prohibuit, in quo Henricum re
gem aperte notauit. hereſim Berenga-
rij de Euchariſtia rurſus damnauit.
Petrum Damiani Cardinalem Medio-
lanum ad cognoſcendam cauſſam cle-
ri cælibatum repudiantis miſit.1059.
Robertum, et Ricardum Normanos Ec
cleſiæ hoſtes in gratiam recepit, atque
illi Ducatũ Apuliæ, & Calabriæ, huic
Principatum Capuæ, confirmauit, &
fideles, ligiosq́; fecit.1059.

1061.

Alexander *II creatus ſine auctoritate*
Henrici regis, aduerſarium nactus eſt
Cadaloum ab Henrico pontificem fa-
ctum, vnde ſchiſma, & bellum ortum.
1061. Cadalous Romam, & Alexan
drum obſedit, adiutus à Lombardis,
& Henrico, et arcem occupauit.1062.
conuentu Mantuæ acto Alexander cũ
ſe ſacramento de Simonia purgaſſet,
iuſtus eſſe pontifex pronunciatur, Ca
dalous ex arce à Cincio dimiſſus, tamẽ
inſignia pontificia retinet. 1064. Ale-
xander Romæ conuentum habet de cæ
libatu clericorum.1065. Roberto Apu
liæ, & Calabriæ Ducatum confirmat.
1067. per legatum impedit diuortium
inter Henricum, & Bertam.inuehitur
in Henricum regem, & epiſcopos Si-
moniacos. Henricum Romam euocat
ad cauſſam de Simonia dicẽdã. 1070.
iterum conuentum habet Romæ contra
Simoniacos. 1072. baſilicam nouam
Caſſinatem conſecrauit. 1071. mul-
ta miracula fecit. 1072.

1073.

Gregorivs *VII pont.1073.legatum mi*
ſit ad monendum Henricum, vt obſe
queretur Eccleſiæ. 1073. & ex aucto-
ritate illius conſecratus.1073. conuen
tu in Laterano acto Simoniacos nota-
uit, clericorum connubia interdixit.
Robertum, & Normanos rurſus Ec-
cleſiam infeſtantes excommunicauit,
legatum in Germaniam contra Simo-
niacos, & coniugatos, & Henricum
regem præcipuè miſit. 1074. eam ob
cauſſam iuſſu Henrici à Giberto archi
epiſcopo Rauennate, nocte Natalis ca-
ptus eſt, ſed ſtatim à populo liberatus.
1075. ob id Henricum ad cauſſam de
Simonia dicendam Romam euocauit.
1075. & in conuentu Lateranenſi Gi
bertum, & alios Henrici fautores ex-
communicauit.1075. & priuauit Hen
ricum regio titulo, & populos ſoluit iu
rata ei obedientia.1076. cum à Germa
nis principibus conuentus ad hanc rem
Auguſtam eſſet indictus, Gregorius ro-
gatus eò iter ſuſcepit, ſed propter inſi-
dias Canuſij apud Mathildem ſubſti-
tit: atque Henricum ad pedes proie-
ctum; cum per triduum moratus eſſet,
anathemate liberauit. ſeq́; ipſum Eu-
chariſtia purgauit.1077. Henrico ad
contumaciam reuerſo, conuentu La-
teranenſi rurſus excommunicat Hen-
ricum, & fautores Henrici. reconcilia
tur Roberto, Ducatu illi confirmato.
& fauet ei bellum in Græciam molien
ti. 1078. cum Germani Rodulfum re-
gem creaſſent, cõuentu acto agit de pa-
ce illorum, fornicationibus clericorũ,
collatione Eccleſiarum, iniurijs Nor-
manorum, & anathemate Henrici.
1078. Henricum regem abdicauit, Ro
dulfum regem ſuffectum confirmauit.
1079. Populos iterum obedientia ſol-
uit.1079. ad Rodulfum coronã miſit.
1079. & Petrum Damianũ ad Rauen-
nam expiãdam.1080. donatur à Ma-
thilde ditione Lombardiæ, & Tuſcia.
1080. ab Henrico per conuentum tri-

giua episcoporum abdicatur, & Gibertus archiepiſcopus opponitur. vnde ſchiſma pernicioſum, et longum. 1080. Roma obſidetur ab Henrico, qui Gibertum adduxit, quem Clementem pont. vocauit. Qua de cauſſa Robertum ad ſui auxilium euocauit. 1083. à quo ex arce educitur pulſo Henrico, & Salernum deducitur. 1084. vbi poſt anathema inflictum Henrico, & Clementi moritur. 1085. Romani Clementem vrbe expulerunt. 1084.

1086.

Victor *III reluctans fit pontifex. 1086. deponit inſignia. eaq; reſumit rogatus. 1086. Romam profectus ædem S. Petri recuperauit, Mathildis ope vrbem iniuit, exercitu in Africam miſſo inſignem victoriam retulit. 1087. cõuentu Beneuenti habito Clementem excommunicauit. 1087.*

1088.

VRBANVS *II pont. fit. 1088. Melfi conuẽtu acto Clementem, & fautores excommunicat. Rogerium Ducem Apuliæ, & Calabriæ confirmat 1089. profecto Italia Henrico, & Conrado filio amico eam tenente, in Franciam ad conuentum Claromonte agendum iuit. in itinere Vardaſtalli, & Placẽtiæ conuentus habuit, & Eccleſiam emendauit. Claromonte bellum Sarracenis ad recuperanda Hieroſolyma indixit, & primus milites cruce ſignauit. 1095. reuerſus in Italiam Lateranum recuperat, & concilium habet de bello ſacro. 1096.*

1099.

PASCHALIS *II pontifex. 1099. conuentu acto in Laterano ſchiſma deteſtatus eſt, & Henricum excommunicauit. 1102. Clemẽte mortuo ſubinde intruſi ſunt Albertus, Theodericus, & Maginulfus. 1102. Stephanum Corſum ciuitatis turbatorem vrbe expulit. 1104. Auguſtam ad conuentum tendens Mutinæ corpus S. Geminiani trãſtulit. 1106. in conuentu Vardaſtalli ad infirmandos archiepiſcopos Rauennates contumaces, Aemiliæ epiſcopos ſubtraxit. Parmæ baſilicam conſecrauit. inde certior factus de alieno Henrici iunioris animo in Franciam iter flexit. 1106. ibi in conuentu Trecenſi Henrico expoſtulanti de inueſtituris ademptis ſpatium dedit, Romæ generali in concilio cauſſam ſuam probandi. 1107. cum Henricum Romæ honorifice excepiſſet, ab eo inde contra pacta, & fidem capitur in templo S. Petri. 1111. Cum Henricus a Romanis vrbe pulſus trans Tiberim cum captiuo põtifice abiiſſet, Paſchalis per vim conceſsit priuilegium inueſtiturarum, & pace facta eum Imperatorem coronauit. 1111. inde ab epiſcopis ea de re increpitus conuentu acto ſe purgauit, & priuilegium reſcidit, & Henricum excommunicauit. 1111. Apud Ceperanum Gulielmum Apuliæ, Calabriæq; Ducem vocauit. 1114. iterum priuilegium de inueſtituris in cõuẽtu damnauit, et Eccleſias à laico per vim dari, & accipi vetuit. 1116. Iordanẽ Mediolani archiepiſcopum Chriſolao abdicato conſtituit. 1116. iterum Beneuenti Gulielmum Ducem confirmauit. 1117. Romam repente reuerſus inimicos exterruit. 1118.*

1118.

Gelasivs *II pontifex. 1118. vexatus à Cincio Frangipane alium ſubiicere cupiente à Petro Leonis defenſus eſt. aduentu Henrici ex Marchia Taruiſina repentino Caietam profugit, & ibi conſecrationem accepit. atque Henricum, & Burdinum pontificem ab eo factum excommunicauit. 1118. Henricũ per amicos principes vrbe depulit, et inermis Romam reuerſus ad amicos diuertit fugiens Frangipanum potentiam in Franciam iter ſuſcepit, atque in itinere Genuæ baſilicam S. Laurentii conſecrauit. inde in Monaſterio Cluniacenſi in Burgundia ſubſtitit. 1118. & conuentu Viennæ acto, mortuus eſt. 1119.*

1119.

Callistvs II *Vienna pontifex factus. Henricum excommunicauit. 1119. in Italiam reuerſus Gerardum Placentinum inter Sanctos retulit. 1119. Burdinum Antipapam Sutrij capi iuſsit, & ignominioſe tractauit, quem Henricus Gregorium VIII nominauerat. 1121. demum per Lambertum epiſcopum Oſtienſem legatum, cum Henricus inueſtituras eccleſiarum remitteret, pacem cum eo fecit. atque ita Eccleſia ad concordiam cum regno poſt multos annos redacta eſt. 1122.*

1125.

Honorivs II *factus in ſchiſmate cum Cæleſtino II, qui abdicauit. 1125. inuitatus à proceribus Apuliæ, contendit aduerſus Rogerium Eccleſiæ hoſtē, & ab ijs deſertus Caſinū adijt. 1127. pace cum Rogerio facta ipſum Ducem Apuliæ, Calabriæq́; fecit. 1128.*

1130.

Innocentivs II *pont. factus eſt vna cum Anacleto II; vnde ſchiſma ortū. 1130. vrbe relicta Piſas abijt. vbi conuentu acto Anacletum excommunicauit. Genuæ inducias inter Piſanos; & Genuenſes ſanxit. Claromōte in Francia cōuentu Anacletū excōmunicauit. 1130. Aureliani à Ludouico Franciæ rege exceptus eſt, Carnoti ab Henrico Angliæ rege. Remis conuentu acto Anacletum excommunicauit, & Ludouicum iuniorem regem Franciæ coronauit. 1131. Leodij exceptus eſt à Lothario rege Germaniæ. ibiq́; anathema in Anacletum renouauit, vbiq́; S. Bernardo comite ſeptus. 1132. auxilioq́; impetrato à Lothario in Italiam reuerſus illius aduētum Genuæ expectauit. 1132. Genuæ Syrum epiſcopum, archiepiſcopum fecit. 1133. Piſas profectus item epiſcopum eorum Metropolitanū fecit, epiſcoposq́; Corſicæ eis diuiſit. & pacem inter eos compoſuit. 1133. a Lothario ſuſceptus & Romam deductus in Laterano collocatus eſt. Anacleto autem Vaticanum tenente Lotharium in Laterano coronauit Imperatorem, & rem eam pictura, & verſibus notauit. 1133. poſt Lotharij profectionē ab Anacleto vexatus, iterum Piſas acceſsit. ac conuentu acto rurſus illum excommunicauit. 1133. Rinaldum abbatem Caſsinatem renunciare amicitia Anacleti coegit. 1137. cū Lothario in Apuliam aduerſus Rogerium Anacleti fautorem tendit. & Apulia recepta, pulſoq́; Rogerio Ranulfum Apuliæ, Calabriæq́; Ducem facit. 1137. Romam reuerſus opera S. Bernardi pleroſq́; ab amicitia Anacleti auertit. 1137. Rogerium Apuliam recuperantem, & in Eccleſias ſæuientem excommunicauit. 1138. Victorem Anacleto mortuo ſuffectum per S. Bernardum ad ſe abdicandum induxit. ita ſublato ſchiſmate ab omnibus cultus eſt. 1138. concilio vocato Eccleſiam reformauit. Anacleti acta reſcidit, torneamenta ſuſtulit, Arnoldum Brixianum hæreticum vrbe pepulit. 1139. Rogerio bellum inferens captus eſt, & vt liberaretur, ipſum excommunicatione abſoluit, & regem Siciliæ, ac Ducem Calabriæ, Apuliæq́; & Principem Capuæ, vt erat factus Ab Anacleto, cōfirmauit. 1139. Tiburtes, et alios vicinos populos excommunicauit. Tiburtes Romanorum ope bello petiti Romanos fugarunt. 1152. Romani cum non impetraſſent, vt Tiburtes propterea delerentur, ab Innocentio defecerunt, & libertatem inſtituerunt 1143. Innocentius eos excommunicauit, & populum iure comitiorum pontificiorum priuauit. 1143. hæc ſeditio inde omnes pontifices fatigauit vſque ad Clementem tertium.*

1143.

Coelestinvs II. *pontifex. 1143.*

1144.

Lvcivs II *pont. 1144. Senatores Romanos in Capitolio obſedit, à Ioanne Patricio repulſus, Conradi regis auxiliū implorauit; & mortuus eſt. 1145.*

1145.

Evgenivs III *pontifex. Romanos con-*

tuma-

tumaces vitans Viterbium ſeceſsit. 1145. ibi Edeſſam à Sarracenis captam audiens crucem iterum indixit. 1145. ope Tiburtium Romanos adortus ad pacem petendam adegit, deditq́ cum eo, vt Patricium abrogarent. & in Vrbem reuertit. 1145. Rurſus ab ijs vexatus in Frãciam tendit. 1546. Mutinenſes contumaces dignitate epiſcopi priuat. 5147. humilitatem mirã præſefert. 1148. Pariſiis, & Remis conuentibus habitis Gilbertum, & Eunonem hæreticos compeſcit. 1148. Romam redit. 1148.

1153.

ANASTASIVS *IIII pontifex. 1153. quietus à Romanis fuit. 1154.*

1154.

HADRIANVS *IIII pontifex. 1154. Arnoldum hæreticum vrbe exigi à Romanis iuſsit, et ſenatoribus vrbis adminiſtrationem poſcentibus denegauit. & Vidone Cardinale ab ijs violato, relicto interdicto, Vrbeuetum abijt. 1154. Viterbij Fridericum regem excipit, & cultus ab eo Romam præcedit, et adoratus ab eo eundem inſcientibus, qui repugnaturi erant, Romanis Imperatorem coronat. 1155. in Apuliam profectus Principes ſibi ſacramento aſtringit. 1155. Beneuento obſeſſo à Gulielmo rege, eum regem Siciliæ, Ducem Apuliæ, & Principem Capuæ confirmat. 1156. ex Apulia Vrbeuetum redit. 1156. ibi regiam condidit, præſidia impoſuit, Radicoſanum muniuit. 1157. inde legatos miſit ad Fridericum de Lundonenſi epiſcopo impune capto à latronibus in Germania. beneficium coronæ ſe contuliſſe commemorans voce beneficij Germanos offendit, beneficium pro feudo interpretantes. 1157. legatis miſsis multa Friderico indixit, quibus ille ſuperbè reſpondit: fuerunt autem omnia de iure Eccleſiæ, & Imperij. 1159.*

1159.

ALEXANDER *III creatus eſt pontifex in ſchiſmate cum Victore III. Alexander ante illũ conſecratus, Victor prius veſte indutus. ad Fridericum de iure ſuo ſcripſerunt; & Victor, qui ad eum acceſſerat, cultus, Alexander, qui ire noluerat, repudiatus eſt. 1560. Victor Alexandum excommunicauit, & Gulielmum Siculum, ac Mediolanenſes citauit, quòd Eccleſias inuaſiſſe dicerentur. Alexander Victorem, & Fridericum excommunicauit, & fœdus cum Mediolanenſibus fecit. 5160. Victore in Francia reprobato, Alexander in Franciam abijt. & Genuæ in itinere cultus eſt. 5561. Concilio Claromonte acto Victorem, Fridericum, & eorum factionem excommunicauit. 1162. cultus eſt à Ludouico Franciæ, & Henrico Angliæ regibus. 1162. concilium in Turonibus habuit, & inimicos excommunicauit. 1163. Victore Lucæ mortuo Paſchalis III à factione ſubſtitutus. 1164. Alexandri legatus Ioannes Cardinalis populum Romanum ad partes Alexandri traduxit. 1165. ob id Alexander è Francia reuertit, & ope Gulielmi regis Siciliæ Romam peruenit. 1165. Romani ad Mõtem Porcum funduntur à Tuſculanis. 5167. Alexander metu Friderici aduentantis, & Paſchalem deducentis Beneuentum abijt. 1567. ibi Manuelis Imp. poſtulata coronam petentis, & Alexandrum moleſtia Friderici liberaturum ſe pollicentis, repudiauit. 1168. Romani Albam adoriuntur. 1168. Paſchali a Friderico Romæ collocato, & mortuo Caliſtus III ſuffectus. 1169. Alexander Verulis pacem à Friderico oblatam, quia inutilis erat Lombardis, repudiauit. 1170. legatos miſit in Angliam ad inſpiciendam necem Thomæ archiepiſcopi. 1171. Caliſto Vrbem tenẽte à Romanis non eſt acceptus. 1172. Signiæ Thomam archiepiſcopum inter Sãctos rettulit. 5172. et Bernardum abbatem. 1174. Alexandrinis epiſcopum dedit, & Papienſem epiſcopum pallij, ac crucis dignitate ſpoliauit. 1175. Ricardum archiepiſcopum Cantuarienſem cõſecrauit. 1175. per legatos à Frideri-*

co de pace rogatus annuit, conditionibus, quæ extant. 1176. Venetias ad pacem faciendam contendit Gulielmi regis Siculi auxilio, & tempeſtatem patitur. à Sebaſtiano Ziano Duce honorificè excipitur. 1177. diuertit in Riuoaltum ad ædes patriarchæ Gradenſis. 1177. rē diuina in baſilica S. Marci peregit roſam ſacratam Duci donauit. 1177. Ferrariam ad colloquiū tendit, & mutato conſilio Ferraria Venetias rediit. 1177. pacis ſacramenta à legatis Friderici accepit. 1177. à Friderico cultus eſt. Pax iurata. Fridericum in gratiam recepit. 1177. Venetiis Beneuentum rediit. 1177. Pace facta cum Romanis urbem ingreſſus eſt. 1177. Eccleſiam reformare ingreſſus concilium in Laterano habet, & decreta proponit. 1180. moritur. 1181. ibi elogium eius.

1181.

Lvcivs *III pont. 1181. Romani Tuſculū iterum oppugnant. 1182. Lucius à Romanis neglectus Velitras abiit. 1182. Veronam ad concilium tendens, Bononiæ baſilicā S. Petri, & Mutinæ S. Geminiani conſecrauit. benignè cultus à Mutinenſibus cum cum luminaribus proſequutis. 1184. Veronæ præſente Friderico Imper. concilium habuit. 1184.*

1186.

Vrbanvs *III pont. Veronæ creatus. 1186.*

1187.

Gregorivs *VIII pont. Hieroſolymis à Saladino captis crucem tertium Chriſtianis indixit. 1187.*

1188.

Clemens *III pont. cum Romanis pacem fecit, ac ſeditioni, quā cœperat ſub Innocentio II, finem impoſuit. crucem itē indixit. 1188.*

1191.

Coelestinvs *III pontifex. coronauit Henricū V Imp. & Tuſculum ab eo acceptū tradidit Romanis. qui illud euerterunt. 1191. partem ditionis Eccleſiæ ereptam ab Henrico recepit. 1193. Philippum Ducem Tuſciæ Eccleſiæ infeſtum excommunicauit. 1196.*

1198.

Innocentivs *III pont. fœdera Etruſcorum, qui in ditione Eccleſiæ erant, improbauit. 1198. captiuis, qui apud Hēricum ex regno Siciliæ tenebātur, conſuluit. 1198. Philippo regi piaculum impoſuit. 1198. Romaniā ex manibus Marcoaldi, Ducatū Spoletanū ex manibus Conradi extorſit. 1198. Conſtantiam, et Fridericum puerum Siciliæ reges, Apuliæ, & Calabriæ Duces, & Capuæ Principes cōfirmat. 1198. Conſtantia moriente tutor pueri Friderici relinquitur. 1198. defendit legatum ſuū, qui Philippum regem reprobauerat, et Othonem probauerat. 1198. Marcoaldum in gratiam pueri Friderici ex Apulia expulit. 1199. Placentinos, & Parmenſes inter ſe decertantes componere ſtuduit. 1199.*

Haereses in ecclesia natae.

Eorvm, *qui tria capita Chalcedonenſis concilij non accipiebant. 585. 587.*

Arrianorum idest qui Chriſtum eiuſdem cum patre ſubſtantiæ negabant, ſub Authari. 585. & Rothari regibus renouata. 638.

Monotheletarum. i. qui unam in Chriſto voluntatem ponebant. 629.

Iconomachorum. i. qui ſacras imagines oppugnant. 712.

Nicolaitarum, ideſt qui connubia communicabant, à Nicolao vetere eius auctore. 1046.

Simoniacorum, ideſt qui eccleſias nundinabantur. 1047.

Berengarij de euchariſtia. 1050. 1056. 1059.

Arnoldi Brixiani de Bonis cleric. 1139. 1154.

Gilberti Porrectani de Trinitate. 1148.

Eunonis, qui item. 1148.

Felicis Orgellitani epiſcopi de Chriſto filio Dei adoptiuo. 792.

Toloſana Catharorum, Publicanorum, & Patarinorum de ſacramentis. 1179.
Autocephaliæ .i. epiſcopi, qui ſe caput eccleſiæ facit. 648.
De proceſsione Spiritus ſancti. 809.
Schiſmata etiam, vnde ſacrorum anathematum contemptus ortus eſt, ad hæreſes referuntur. 1102. 1137. Eà vero quæ, & quot fuerint ex pontificibus colligi poſſunt, quorum quattuor in primis Eccleſiam perturbarunt, Cadaloi contra Alexandrum II. Giberti contra Gregorium VII, Anacleti contra Innocentium II, Victoris contra Alexandrum III. hæc .n. regnum cum ſacerdotio commiſerunt, remq́ ad arma deduxerunt. Ceterũ omnes hæreſes, ac perturbationes Eccleſiæ conuentib. & concilijs habendis ſublata ſunt: Concilia vero interim hæc fuerunt.

CONCILIA AD REFORMANDAM ECCLESIAM.

Conuentus epiſcoporum in Mariano de tribus capitibus Chalcedonenſis concilij. 588.
Concilium Gregorij Magni pontificis in Vaticano de abuſibus. 593.
Concilium Agathonis pont. Romæ de monotheletis. 679. & Manſueti archiepiſcopi Mediolanenſis Mediolani de eadem re. 679.
Concilium generale ſextum Conſtantinopoli in Trullo de monotheletis ſub Agathone. 680 eius imago in porticu Vaticana depicta. 712.
Concilium Aquileiæ à Sergio pont. conuocatum, vt eccleſia Aquileienſis tria capita concilij Chalcedonenſis acciperet. 896.
Concilium Conſtantini pontificis de cultu ſacrarum imaginum retinendo. 712.
Concilium Gregorij II pontificis de eodẽ. 716. & alterum. 721.
Concilium Greg. III pont. de eadem re. 731.
Concilium Stephani III de eadem re, & de ſchiſmate. 769.
Concilium Hadriani pontificis de honoribus Caroli Magni Romæ. 774.
Conuentus præſente Carolo de hæreſi Feliciana. 792.
Concilium Hadriani ſeptimum generale de cultu imaginum Nicea cœptum ſub Irene. Conſtantinopoli perfectum. 842.
Concilium Leonis III Romæ, de cauſſa ipſius Leonis præſente Carolo. 800.
Concilium Papienſe præſente Ludouico rege de moribus Eccleſiæ. 855.
Concilium Nicolai pont. Lateranenſe contra Ioannem archiepiſcopum Rauennatem Epiſcopos Aemiliæ opprimentem. & alterum contra Photium patriarcham. 861.
Concilium generale VIII ſub Hadriano II Conſtantinopoli de Ignatio, & Photio, de ſacris imaginibus. 868.
Concilium Ioannis VIII põtificis Rauennæ de neceſsitatibus Eccleſiæ. 874.
Conciliũ Trecẽſe præſente Ioanne VIII de neceſsitatibus Eccleſiæ. 878.
Concilium Pontigonenſe item. 878.
Concilium Stephani VI pont. quo pontificatus Formoſi, & Imperium Arnulfi reſcinditur. 896.
Concilium Ioan. IX Rauennæ præſente Lamberto Imper. de abuſibus eccleſiæ. 898.
Concil. Leonis VIII pont. præſente Othone contra Benedictum antipapam, qui abdicauit. 964.
Concil. ſub Henrico II Sutrij aduerſus Gregorium VI pont. qui abdicauit. 1046.
Clementis II Romæ de reformatione eccleſiæ. 1047.
Leonis IX multa de eadem re. 1049. & de hæreſi Berengarij. 1050.
Victoris II Florentiæ. 1055. & in Turonibus de reformatione eccleſiæ 1056.
Nicolai II Romæ de electione pontificis. 1059. item de celibatu clericorũ, ſimoniacis; & Berengario. 1059.
Alexandri II Mantuæ contra Cadaloum antipapam, qui abdicatus eſt. 1064.

Romæ contra Nicolaitas hæreticos. 1065. alterum contra Simoniacos. 1072.
Gregorij VII Romæ contra Simoniacos, & Nicolaitas. 1074. item contra Henricum regem Simoniacum, & contumacem. 1076. 1078. item Salerni. 1085.
Victoris III Beneuenti contra Clementem antipapam. 1087.
Vrbani II Melfi contra Clementem antipapam. 1089. Vardastalli; Placentiæ de moribus ecclesiæ. 1094. Claromonte, & Romæ, de bello sacro. 1095. 1096.
Paſchalis II Romæ cõtra ſchiſma. 1102. Vardaſtalli contra archiepiſcopum Rauennatem eccleſiam Rom. vexantem. 1106. Trecis de moribus Eccleſiæ. 1107. Romæ, ne eccleſiæ laicis vendantur. 1110.
Gelaſij II Viennæ de moribus eccleſiæ. 1119.
Calliſti II Viennæ. item 1119. item Romæ de comprobanda pace factâ cum Henrico per legatos ſuos Vormaciæ. 1123.
Innocentij II Piſis contra Anacletum antipapam. 1130. Claromonte item. 1130. Remis. 1131. Piſis. 1134. Romæ de reformatione eccleſiæ ſchiſmate ſublato. 1139.
Eugenij III Pariſiis, & Remis de moribus & hæreticis. 1147. 1148.
Alexandri III Claromonte contra ſchiſmaticos. 1162. item in Turonibus. 1163. Romæ poſt ſchiſma de reformatione eccleſiæ. 1179.
Lucij III Veronæ præſente Friderico Imperatore de moribus, & rebellibus Romanis. 1184.

DIGNITATES ECCLESIAE ROMANAE.

Pontifex, ſiue Epiſcopus Romanus. Presbyter. 687.
Archipresbyter, Presbyter Cardinalis.
Diaconus, Archidiaconus. 687.
Diaconus Cardinalis, Subdiaconus.
Primicerius. 753. 767. 823. 798.
Secundicerius. 768.
Silentiarius. 753. Scriniarius. 770.
Protoſcriniarius. 905. Vicedominus. 785. Apocriſarius, ſiue reſpõſalis, i. qui nunc nuncius. 578. Defenſor. 732. Primus defenſor. 772. Referẽdarius. 772.
Nomenclator. 765. 821. Notarius. Protonotarius. 755. Sacellarius. 798. Cubicularius. 799.

RITUS AD PONTIFICEM PERTINENTES.

Quomodo legeretur, & conſecraretur põtifex, elici poteſt ex electione Pelagij. II. 579. Gregorij primi. 590. Leonis II, qui primus à tribus epiſcopis conſecratus eſt, cum ante ab vno tãtum Oſtienſi conſecraretur. 682. Sergij. 687. Eugenij II. 824. Gregorij IIII. 827. Hadriani II. 867. Formoſi. 891. Damaſi II. 1048. Leonis IX. 1049. Victoris II 1055. Stephani IX. 1057. Nicolai II, et decreto eius: 1059. Greg. VII 1073. Victoris III. 1086. Vrbani II. 1088. Gelaſii II. 1118. Innocentij II. 1130. Alexandri III. 1159.
Quomodo pontifex exciperetur, & coleretur ab Imp. & rege, elicitur ex hiſtoria Luitprandi regis, & Zachariæ pont. 742. Stephani II, & Pipini regis. 753. Caroli regis, & Hadriani pont. 774. eiuſdem, & Leonis III. 799. Ludouici II, & Sergij II. 844. eiuſdẽ, & Nicolai. 858. Henrici IIII, & Paſchalis II. 1111. Friderici regis, & Hadriani IIII. 1155. eiuſdem, & Victoris. 1160. regis Franciæ, & Alexandri III. 1163. Friderici Imp. & Alexandri III. 1177.
Quomodo pontifex exciperetur à Romanis, ex Leone III. 799. ab alijs, ex honore à Mutinenſibus Lucio III habito 1184. & à Venetis Leoni IX. 1050. & Alexandro III. 1177.
Quomodo pontifex exciperet regem, aut Imperatorem, aut Exarchum. exẽplũ

Eleutherij Exarchi. 616. Vitaliani pont. Conſtantem Imperatorem excipientis.663. Hadriani Carolum Magnum regem excipientis. 774. Leonis III eundem excipientis. 800. Sergij, & Ludouici. 844. Nicolai, & Ludouici. 865. Paſchalis II, & Henrici IIII. 1111. Hadriani IIII, & Friderici.1155. Alexandri,& Friderici.1177.

Pōtifex pecunias pauperibus pro incolumitate Imperatoris diſtribuebat. 898.

DITIONES, ET BONA ECCLESIAE ROMANAE.

Dvcatvs *Romanus, cuius pars erat in Etruria, pars in Latio,ſiue in Campania populis ab Imperatore Leone Iſauro hæretico ad pontificem deficientibus,cum ſoluti ſacramento à pontifice Gregorio II fuiſſent, ad Eccleſiam peruenit.*

Pentapolis,cuius pars Marchia Anconitana, itemq́ Exarchatus, qui etiam Romania, & Romaniola, erepta à Pipino Francorum rege Aiſtulfo regi,qui ea ademerat Orientali Imperatori,tradita ſunt Eccleſiæ,ac deinde confirmata à Carolo Magno filio, & Ludouico Pio,& ſucceſſoribus eorum, vt apparet in ſingulis.

Ducatus Spoletanus,& Tuſcus, Sardinia,& Corſica acceſſere donatione Caroli Magni, & confirmatione Ludouici Pij,& aliorum. Ditio Comitiſſa Mathildis acceſſit teſtamento eius.

Feudum Ducatus Apulia,& Calabriæ, & Principatus Capuæ initum eſt à Nicolao II, & deinceps ab alijs.

Feudum regni Siciliæ initum eſt ab Anacleto II Antipapa, confirmatum ab Innocentio II pontifice, & deinceps ab alijs.

Eccleſia Rom.habuit patrimonia per omnes prouincias. eaq́ pontifex per rectorem patrimonij, qui dicebatur, gubernauit. cuius rei hæc in hac hiſtoria exempla traduntur.

Gregorius pont.ſcripſit de frumento Romam mittendo ad rectorem patrimonij Siciliæ.592.Idem ſanxit, ne rectores patrimoniorum prædijs vrbanis, aut ruſticis titulos fiſcali more imprimerent. 595. Conſtantinus ducenta capita patrimoniorum Siciliæ, & Calabriæ annona releuauit. 681. Iuſtinianus Imperator ducenta capita releuauit, quæ cuſtodes patrimonij Bruttiæ, atque Lucaniæ quotannis pendebant. 683. Cono pontifex rectorem Patrimonij Siciliæ Conſtantinum Diaconum fecit 687. Rotharis rex patrimonium Alpium Cottiarum pontifici ademit. 638.idq́ Aripertus rex reſtituit.706. quod item Luitprandus confirmauit. 716. Idemq́ patrimonium Sabinenſe ademptum reſtituit, Anconitanū vero, Narnienſe, Auximas, & Numanas cum Valle agri Sutrini Magna vocata donauit.742.patrimoniū Tuſciæ.752. Hadrianus pont.in epiſtola inquit. Et patrimonia,quæ à Longobardis detinebantur, brachio forti eidem Eccleſiæ Carolus Magnus reſtituit,cuius eſſe dignoſcebantur. 774. Ludouicus Pius conceſſit Paſchali pontifici patrimonia ad ſe pertinentia Beneuētanum,Salernitanum,Calabriæ ſuperioris,& inferioris,& Neapolitanū.817. Nicolaus pont.petijt ab Imperatore, vt patrimonium Calabriæ,& Siciliæ ſibi redderetur.860. Henricus rex promittit, ſe pontifici patrimonia redditurū. 1111. Rogerius rex Siciliæ patrimonijs Eccleſiæ in Caſſinati, & Beneuentano agro imminebat.1137.Patrimonium Eccleſiæ in Etruria à Victore antipapa occupatum. 1159. idem à Philippo rege occupatum eſt. 1198. Patriarchium Lateranenſe erat refertum donis datis à regibus,& Imperatoribus.637.

DVCES FOROIVLIENSES, qui ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.

Forvmivlivm *oppidū olim à Iulio Caſare con-*

re conditum, venientibus in Italiam Lōgobardis propter euerſam Aquileiā Venetiæ prouinciæ caput erat. 568.

Alboinus rex Longobardorum capta Aquileia, & Foroiulio, et circumiectis oppidis Giſulfum nepotem Fori Iulij collocauit, atque eam prouinciam in formulam Ducatus redegit, qui Foroiulienſis eſt dictus. 568.

GISVLFVS *Dux primus Fori Iulij. cum defeciſſet ab Agilulfo rege, mox in fidē rediit. 601. prælio interfectus eſt à Cacano Hunnorum in Ducatum irrumpente. Forum Iulium proditione Romilda vxoris eius captū Romilda proſtituta, & palo ſuffixa. 615.*

TATO, *&* CACO *Giſulfi filij abeunte Cacano Forum Iulium tenuerunt. 615. à Gregorio Patricio Opitergium aduocati dolo necati ſunt. 616.*

GRASVLFVS *Giſulfi frater Dux. 661.*

AGO *Dux ſubſtitutus ab Ariperto rege. 661.*

LVPVS *Dux ſubſtitutus à Grimoaldo rege. 663. cum Grimoaldum regem prodidiſſet, eiuſdem iuſſu à Cacano Hunnorū aduocato oppreſſus eſt. 663.*

VECTARVS *à Grimoaldo rege Dux ſuffectus. 664.*

LANDARVS *Dux. 695.*

RODOALDVS *Dux. 695.*

ANSFRIDVS *pulſo Rodoaldo. 695.*

ALDO *Ansfridi frater. 695.*

FERDVLFVS *Dux. ſuffectus à rege Luitprando, à Sclauis in Forum Iulium irrumpentibus interemptus. 705.*

CORBOLVS *Dux. ſuffectus à rege Luitprando. 705.*

PEMMO *Dux. 705. ſuffectus à rege Luitprando. is Sclauos irrumpentes repreſſit. iterum contra Sclauos pugnauit. 718. Caliſtus patriarcha pulſus Aquileia à Sclauis, Amatorem epiſcopū Fori Iulij depulit, vt ipſe ibi habitaret, vbi Dux ſedem haberet. Pemmo Dux ob id Caliſtum in mare præcipitare voluit. Pemmonem autem rex Luitprandus Ducatu ſpoliauit, & Ducatum Rachiſio filio eius tradidit. 737.*

RACHIS *Pemmonis filius, qui poſtea fuit rex. 738. in Sclauos profectus eos fugauit. 738. adiuuit Luitprandum regē in bello contra Transemūdum Ducem Spoletanum. 742.*

ANSELMVS *Dux. 750. fit monachus, & monaſterium Nonātulæ condit in diœceſi Mutinenſi. 752.*

PETRVS *Dux. 751.*

RODGANDVS *Dux ſub Deſiderio rege, atque poſt Deſiderium victum à Carolo Magno victore relictus. 774. cum rebellaſſet deletus eſt. 776.*

Ducatus XII *Comitibus diuiſus eſt, & in Prouinciæ formam redactus. 796.*

HENRICVS *Dux à Carolo Magno ſublatis Comitibus conſtitutus. 796. à Tarſaticenſibus occiſus. 799.*

CADOLACHVS *Dux a Carolo Magno datus. 800.*

BALDERICVS *Dux. 819. huic ſe Carniolenſes tradiderūt. 820. Eo propter ignauiam à Ludouico Pio Imperatore Ducatu ſpoliato Ducatus, ſiue Marchia Foroiulienſis iterum* XII *Comitibus diſtribuitur. 828.*

BERENGARIVS *Eberardi filius marchio Foroiulienſis à Carolo Caluo rege conſtitutus. 876. is poſtea fuit rex Italiæ, & Imperator.*

BERENGARIVS *Berengarij ex filia nepos rex. 934. Marchia Foroiulieſi ab Othone Magno ſpoliatus. 952.*

HENRICVS *Bauariæ Dux Othonis Magni frater, ab Othone, Dux cōſtitutus. 952.*

HENRICVS *Henrici filius Dux Bauariæ, qui poſtea fuit rex Italiæ. 984.*

DVCES SPOLETANI, QVI ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.

SPOLETVM, *cuius antiquitatis, & dignitatis quōdam fuerit. 571. Captum fuit ab Alboino rege Longobardorum, atque vicina regio in Ducatus formulā redacta, & Spoleti Dux Faroaldus impoſitus. 571.*

FAROALDVS *Dux primus Spoleti. Claſ-*

ſem opp. Rauennæ cepit. 578. miraculum Spoleti editum aduerſus hominē Arrianum. 585.

ARIVLFVS *Dux Romam obſedit. Camerinum cepit. huic licet gentili in prælio S. Sabinus martyr affuit. 591. Rauennates vexauit. 602. Callinicum, & Smaragdū Exarchos ab oppugnando Agilulfo rege auertit. 602.*

TEVDOLAPIVS *Faroaldi filius Dux. 604.*

ZOTHO. *Dux. ſuffectus a rege Ariperto. 661.*

TRANSEMVNDVS *Dux à Grimoaldo rege ex Comite Capuæ factus. 663.*

FAROALDVS *Transemundi filius vna cū fratre Volchila. 712. Claſſem oppidum occupauit, & reddidit. coactus a filio Tranſemundo abdicauit, & clericum ſefecit. 718.*

TRANSEMVNDVS *Faroaldi filius. 718. Gregoriū II pont. defendit ab impetu Pauli Exarchi, qui iuſſu Leonis Imp. ipſum tollere de medio nitebatur. 724. cum defeciſſet à rege Luitprando, oppreſſus ab eo confugit ad Gregorium III pontificem. & poſt Ducatu à rege ſpoliatus eſt. 738.*

HILDERICVS *Luitprandi regis nepos ab ipſo Luitprando ſubſtitutus. 738. occiſus eſt à Tranſemundo priore Duce, recuperato Ducatu. 739.*

TRANSEMVNDVS, *iterum Dux. ſpoliatus eſt iterum Ducatu à Luitprando rege, & clericus eſſe iuſſus eſt. 742.*

ASPRANDVS *Luitprandi regis nepos, ab ipſo rege ſubſtitutus. 742. Spoletani veniente in Italiam Carolo Magno ſe dedidere pontifici Hadriano. is Hildebrando Ducem dedit. 773.*

HILDEBRANDVS *Dux à pontifice datus. Ducatus Spoletanus à Carolo Magno pontifici Hadriano confirmatus. 774. Hildebrandus Dux à Carolo Magno cōfirmatus. 774. Carolum coluit. 779. Pipino regi affuit contra Conſtantinū Imperatorem Ducatum Beneuentanū inuadentem. 788.*

VINIGISVS *Dux ſubſtitutus. 799. Leonem III pont. ab inſidijs Romanorum conſeruauit, et Spoletū perduxit. 799. Bello Beneuentano affuit. 800. Luceriæ præſidio impoſitus eſt. iuſſu Bernardi regis Romanos à pontifice vexando auertit. 815. Monachum induit. 822.*

SVPPO *ex Comite Brixiæ Dux ſuffectus à Ludouico Pio rege. 822.*

ADELARDVS *ex Comite Palatij Dux Spoleti ſubſtitutus à Lothario rege. 824.*

MAVRINGVS *ex Brixiæ Comite Dux ſuffectus à Lothario rege. 824.*

VIDO *Dux. 846. Lambertus Dux frater eius 865. Lambertus, & Vido fratres Duces. 876.*

VIDO *Lamberti filius Dux à Carolo Caluo rege confirmatus. 876. is poſt regnū Italiæ arripuit contra Berengarium. & Imp. eſt conſecratus à pontifice Stephano V. 891.*

LAMBERTVS *Vidonis filius, qui & ipſe rex Italiæ fuit contra Berengarium, & Imperator conſecratus à Stephano VI pontifice. 896.*

BONIFACIVS *Vbaldi filius Marchio Spoleti à Rodulfo rege factus. 922.*

THEOBALDVS *Marchio. Beneuētano Principi affuit contra Græcos. 933.*

ANSCARIVS *Berēgarij iunioris frater marchio ab Hugone rege factus. 934.*

SARLIO *Dux Anſcario ſuffectus ab Hugone rege. 939. 958.*

BERENGARIVS *ſecundus rex pulſo Sarlione. 958. Otho Magnus à pontifice vocatus ipſum pepulit. 964.*

Ducatus Spoletanus ab Othone Magno pontifici dimiſſus eſt. 973.

GOTHIFREDVS *poſt multos annos Dux Tuſciæ maritus Mathildis Ducatus Spoleti titulum tulit.*

VELFO *à Friderico rege Ducatu Spoleti donatus. 1152. 1165.*

Spoletani erga Fridericum regem contumaces in eius odium incurrerunt. Spoletum ab eo euerſum, incenſum, direptum. 1155. is bellum in Ducatu Spoletano geſſit contra pont. 1173.

HENRICVS *V rex Conradum Spoleti Ducem inſtituit. 1195. Conradus ab Innocentio III pontifice excommunicatus*

ceſsit Ducatu. 1198. ita ad Eccleſiam poſt varios tumultus redyt.

DVCES, AC MARCHIONES Tuſciæ, qui ditionem in Italia habuerunt,& res eorum.

TVSCIAE *ditiones tres fuere, vna quæ Ducatu Romano continebatur, altera, quæ Ducatu Tuſciæ Longobardorum, tertia, quæ regno Italiæ attributa eſt.*

Prima quæ Ducatu Romano includebatur, poſt ordinationem à Iuſtino Italiæ factam hæc oppida complexa eſt, Portum, Centum cellas, Cære, Bledam, Maturanum, Sutrium, Nepet, Caſtellum Galleſij, Ortam, Polimartiũ, Ameriam, Tudertum, Peruſiam, & tres inſulas Maiorem, Minorem, Pulvenſem, & Lacum, Narniã, & Ocriculos. 817. Hæc cum Ducatu Romano ab Imp. Orientis peruenit ad pontificem Gregorium II populis ſacramento ſolutis, & propter hæreſim ab eo deficientibus. eaq́; à Carolo Magno, & Ludouico Pio confirmata, & ſucceſſoribus eorum, vt dictum eſt.

Secunda, quæ Duces habuit, hæc oppida complexa eſt, Caſtrum Felicitatis, Orbitum, Balneoregium, Ferenticaſtrum, Viterbium, Marchiam Tuſcanam, Populonium, Soanam et Roſellas. 774. Gregorius I pont. pacem cũ Longobardis Etruriæ fecit. 595. Tato Dux Etruriæ nominatur. 631. Longobardi ex Tuſco Ducatu opem tulere Gregorio II pont. contra Exarchum. 724. Longobardi Tuſciæ nominantur in legib. Luitprandi, & Rachis regum. 713. 746. Longobardi Tuſciæ Bledenſes affligunt ex Romano Ducatu. 772. Deſiderius Dux Tuſciæ, qui poſtea rex, multa oppida in Etruria condidit, atque inſtaurauit. 773. Hæc regio erepta Longobardis, donata eſt à Carolo Magno Hadriano pontifici, & poſt confirmata à Ludouico Pio. 817. Vrbevetani conſules creare cæperunt. 975. Ioãnes XV Roma à Creſcente pulſus in hanc regionem ſe retulit. 994. item Gregorius V. 996. Syluester II Vrbeuetum reformauit. 1000. Eugenius III Roma fugiens Viterbium ſeceſsit. 1145. Hadrianus verò IIII Vrbeuetum. 1154. & Viterbij Fridericum excepit. 1155.

Hæc regio poſt à regibus pontificiæ ſedis inimicis vexata fuit, inprimisq́; à Friderico. Lucius III pontifex petijt à Friderico, vt Mathildis hæreditatem, ceteraq́; quæ iuris Eccleſiæ teneret, reſtitueret, & ille abnuit. 1184. Henricus Friderici filius rex Vrbeuetum oppugnauit. 1184.

PHILIPPVS *ab Hẽrico V rege fratre Dux Tuſciæ factus eſt, & terræ Mathildis. 1195. qui ciuitates Tuſciæ Eccleſiaſticæ expugnauit. 1196. inprimis Montemflaſconem cepit. 1197. Epiſcopi, & ciuitates Tuſciæ Eccleſiaſticæ more Lombardorum fœdus contra Philippũ Ducem fecerunt inſcio pont. quod Innocentius III pontifex improbauit, ius Eccleſiæ imminui putans, atque ita ſcripſit. Ducatus Tuſciæ ad ius, & dominium Eccleſiæ Romanæ pertinet, vt priuilegijs continetur. 1198. Ducatus Tuſciæ, vbi eſt Monsflaſco S. Petri patrimonium dictum eſt. 1198. Philippus Dux Ducatum Tuſciæ Eccleſiaſticæ dimiſit pontifici præter Montemflaſconem. 1198.*

Tertia pars Tuſciæ, quæ regno attributa fuerat, oppida habuit Lucam, Florentiam, Piſas, Piſtorium, Volaterras, Arretium. poſtquã diu regibus paruit, demum in Ducatus, aut Marchiæ formulam redacta eſt, qui Marchiones Tuſciæ, ſiue Lucæ dicti ſunt. Hi vero fuerunt.

ADELBERTVS *Tuſciæ, ſiue Lucæ Marchio. anno 887. moliens bellum Lamberto regi capitur ab eo. 898 liberatur à Berengario rege. 899. Berengario fauet ad repellẽdum Ludouicum regem, qui vocabatur à Lombardis. 899. à Berta vxore inſtigatus Ludouicum vo*

cat contra Berengarium.900 eumq́ re gio apparatu excipit Lucæ.902 Sergio fauet ad adipiſcendum pontificatum. 904. Viuente Adelberto Sigifridus anno 896 ex agro Lucenſi in Regienſem migrauit, Parmamq́ occupauit.

VIDO *Adelberti filius in Marchia à Berengario rege confirmatur.917. per nuptias Marociæ ad dominatum Romæ aſpirat.926.*

LAMBERTVS *Vidonis frater. 930. Hunc ex eadem matre Berta natum, qua Hugo rex natus erat, Hugo ipſe timens ſuſtulit, & Marchiam Boſoni fratri germano tradidit.931.*

BOSO *Dux. cum iniquus eſſet Hugoni regi fratri, ab eo comprehenſus eſt cum vxore Villa muliere auariſsima, & Marchia ſpoliatus.935.*

HVBERTVS *Marchiam Tuſciæ ab Hugone rege obtinuit.935.*

Atho Sigifridi filius Comitis Parmenſis Sigifrido patri ſucceſsit.945. hic in matrimonio Hildegardem habuit, quæ Comitis, Marchionis, & Ducis titulum tulit, & ab ea Marchiam Tuſcia accepit.945.

ATHO *Sigifridi filius. Canuſium in collibus Regienſibus condidit, & Monaſterio decorauit, quod brachio S. Apollonij ornauit, à Gothifredo filio epiſcopo Brixiano accepto.945. Canuſij Adelaidem reginam defendit contra Berengarium II, & ab Othone Magno liberatus eſt obſidione.951. 953. moritur. relictis filijs Thedaldo, & Sigeberto. 964.*

TEDALDVS *Athonis filius Comes, Marchio, & Dux.964. à Ioanne XIII pontifice Ferrariæ Marchio fit, atque ibi arcem condit. 970. Mantuæ Marchio inſtituitur ab Othone.980.*

Sigebertus frater eius Marchio Ateſtis fit ab Othone Magno.967.

Tedaldus monaſterium S. Benedicti conſtruit in agro Mantuano.980.

BONIFACIVS *filius Canuſij Comes, Parma, Mantua, & Ferraria marchio, & Dux Tuſcia potentiſsimus. 1007. Richildem vxorem ducens, à marchionibus Lombardiæ petitus ſe defendit ad Cuulium, & Conradum fratrem amiſit.1011. Beatricem alteram vxorem Conradi regis filiam duxit; ſponſalia magnifice fecit.1037. Parmenſes, qui dapiferum Conradi necarant, puniuit.1038. ab exulibus ad Spinetam interfectus.1052.*

BONIFACIVS *puer, & Beatrix mater. 1052. Beatrix Gozeloni Lotharingiæ Duci nupſit, & Mathildem filiam Gothifredo Gozelonis filio collocauit. Qui poſtea Ducis Spoletani, & Tuſciæ titulum geſſit.1053.*

GOTHIFREDVS *maritus Mathildis, quæ mortuo Bonifacio fratre hæres erat. 1055. cum Stephano IX pontifice fratre ſuo in Tuſcia de rebus Eccleſiæ egit. 1058. Nicolaum II pontificem Florentiæ creatum è Tuſcia Romam deduxit. 1059. Eundem cum Mathilde in ſchiſmate contra Cadaloum defendit.1062. Mantuæ apud Mathildem concilium actum eſt de ſchiſmate Cadaloi.1064. Idem ab Alexandro è Tuſcia accitus proceſsit contra Iordanem Principem Capuanum, & obijt. 1065.*

MATHILDIS VIDVA *cum Beatrice matre. qua Piſis ſepulta eſt.1065. ad vtramque ſcripſit Gregorius VII pont. de ſua electione.1073. Mathildis Concilio Lateranẽſi interfuit Gregorij VII. 1074. Gregorius occurrens Henrico III ad concilium Canuſij apud Mathildem ſubſtitit. & Henrico regi pænitenti piaculum impoſuit, & anathemate liberauit.1077. & Mathildis præſidio Romam redijt. 1077. Mathildis diſceſsit ab Azone marchione Ateſtino ſecundo marito decreto Gregorij. ditionem ſuã Lombardiæ, & Tuſciæ teſtamento Ec Eccleſiæ reliquit. 1080. Vrbanum II pont. ſe defenſuram profeſſa, Velfoni Bauariæ Duci nupſit. & ſtatim ab eo diſceſsit. 1088. reſiſtit Henrico III contra pontificem venienti, & Mantuam, ac Ferrariam amiſit.1090. Ca-*

ſtella

ſtella Mutinenſia defendit. 1092. Vrbanum II ad concilium Claromontem euntem Canuſij excepit. 1094. Ferrariam ante aduentum Henrici IIII recuperauit 1101. cum eo veniente pacē fecit. 1110. Mantuā recepit. 1111. Mantuanos rebellantes cōpreſit. 1114. Mortua ſepelitur in monaſterio S. Benedicti in agro Mantuano. elogiū eius. Ex eius hæreditate Parma, ac Mantua ad Henricum regem peruenit. Ferraria iure feudi ad Eccleſiam rediji. Caſtra Lombardiæ contentioſa fuerunt. Tuſciæ Dux factus eſt Conradus. 1126.

CONRADVS *Dux Tuſciæ poſt Mathildē. Podium, et Noſſanum Lucenſibus Conſulibus tradit. 1126.*

VLRICVS *Marchio Tuſciæ. 1144.*

VELFO *à Friderico rege Dux Spoleti, & Marchio Tuſciæ factus, Princeps Sardiniæ, et totius terræ Comitiſſæ Mathildis. 1152. Capitanei ex agro Mutinēſi iurant, ſe ſeruaturos Mutinenſes ſaluis ſacramētis eorum, qui Velfoni Duci ſpopondiſſent, ſi Comitiſſæ Mathildis patrimonium recepiſſet. 1156. Velfo vectigalia Mathildis Comitiſſæ diſſipauit, quæ Fridericus collecta ei reddidit. 1159. inter Fridericum, & Hadrianum pontificem cōuenit, vt Fridericus poſſeſſiones Eccleſiæ Romanæ, & tributa Ferrariæ, Maſſæ, Ficaroli, totius terræ Comitiſſæ Mathildis, terræ ab Aquapendente Romam, Ducatus Spoletani, Inſularum Corſicæ, & Sardiniæ reſtitueret. 1159. Velfo Princeps Sardiniæ. 1159. Velfo in Tuſciam ingreſſus à Piſanis, & Lucenſibus accipitur. 1160. Velfo Dux Spoletanus, Marchio Tuſciæ, Princeps Sardiniæ, & Dominus domus Comitiſſæ Mathildis cōceſſit iuriſdictionem Lucenſibus intra ſex millia paſſuum, quæ pertineret ad ius Marchiæ, & domum Comitiſſæ Mathildis. 1165. rediit in Germaniam ex Italia. 1165.*

DVCES BENEVENTANI,

QVI DITIONEM IN ITALIA HABVERVNT.

BENEVENTVM *Samnij caput vna cum toto Samnio ereptum eſt ab Anthari rege Longobardorum Mauricio Imperatori, et in formulam Ducatus redactū, Duxq́ ei impoſitus eſt Zotho. 589.*

ZOTHO *primus Dux Beneuenti. Monaſterium Caſſinaſs incendit. 589.*

ARICHIS *Dux. 598. ad hunc S. Gregorius pont. ſcripſit de trabibus ad templi inſtaurationem cædendis. 602.*

AIO *Dux. 648. à Sclauis irrumpentibus interemptus. 649.*

RODOALDVS *Sclauos repulit, & Ducatum inuaſit. 649.*

GRIMOALDVS *Rodoaldi frater. 651. qui regem Italiæ ſe fecit Perthari to, & Gundeberto regibus pulſis. 661.*

ROMVALDVS *Grimoaldi regis filius. 661. obſeſſus à Conſtante Imperatore Beneuenti liberatur à Grimoaldo patre. Tarentum, & Brunduſium capit. 695.*

GISVLFVS *Dux Campaniæ fines ingreſſus reuerentiā pontificis recedit. 704.*

ROMVALDVS *Dux. 707.*

GISVLFVS *Romualdi filius puer à Luitprando rege remotus. 733.*

GREGORIVS *Dux impoſitus à Luitprando rege. 733.*

GODESCALCVS *Dux Gregorio mortuo à Beneuentanis iniuſſu regis ſuffectus. 739. pulſus à Luitprando rege. 742.*

GISVLFVS, *quem Luitprandus remouerat, iterum ab eo ſubſtituitur. 742.*

ARAGISVS *Deſiderij regis gener. 762. relictus à Carolo Magno victore. 774. Primus ſe pro Duce Principem appellauit. 786. cum in ditionem Eccleſiaſticam irrupiſſet, à Carolo Magno bello petitus, ceſſit. 787.*

GRIMOALDVS *Aragiſi filius Prīceps. 788. defecit à Carolo, & coercetur armis per Pipinum regem. 793. pacem fecit. 812. Pacem firmauit cum Ludouico Pio. 814. Corpus S. Ianuarij martyris Beneuentum deportatum. 818.*

SICO

Sɪᴄᴏ *Grimoaldo occiſo Principatum occupat.818. Oſſa S.Bartholomei ex Liparis Beneuentũ translata.839. Sicopolim,qua & Capua noua,condit.856.*

Sɪᴄᴀʀᴅᴠꜱ *Siconis filius. 839.*

Aᴅᴇʟɢɪꜱᴠꜱ *Sicardo occiſo.840.*

Sɪᴄᴏɴᴏʟꜰᴠꜱ *Sicardi filius contra Adelgiſum.840.*

Hi Sarracenos in Italiam, alter contra alterum aduocarunt.841. Quare Lodouicus II rex Principatum inter vtrumque diuiſit, & Adelgiſum Beneuenti, Siconolſum Salerni Principem conſtituit. 851. Adelgiſus inſtigauit Sarracenos Barrij, vt Capuanũ agrũ diriperent.865. iterum.869. Ludouicum regem apud ſe hoſpitantem perfide obſedit, & iurare pacẽ coegit.871. bello ab eo petitus in Corſicã aufugit, & poſt rediji.873.

Aɪᴏ *Adelgiſi filius.874.ab amicitia Græcorum ſe remouit, & totam ſibi prouinciã vindicauit. 887. à Leone Imp. pulſus.891.*

Simbaticius pro Imperatore.891.

Georgius Patricius p Imperatore. 891.

Vɪᴅᴏ *Dux.895.*

Aᴅᴇʟɢɪꜱᴠꜱ *Dux.899.*

Aᴛʜᴇɴᴠʟꜰᴠꜱ *Capua gaſtaldeus Principatũ Beneuenti,et Capua inuaſit.899. Sarracenos Gariliani fatigauit.899. cum Ioanne X conſilium eorum pellendorum habuit.914.*

Lᴀɴᴅᴠʟꜰᴠꜱ, & Aᴛʜᴇɴᴠʟꜰᴠꜱ *Athenulfi filij Beneuẽti,et Capua Principes. Landulfus auxilio Ioanni X pontifici fuit ad Sarracenos Gariliano deijciendos. 915. adiutus eſt in bello cõtra Græcos à Theobaldo Duce Spoletanorũ,in quo captiuos teſtibus multarunt.933. ipſe cum Athenulfo fratre Principe Capua monaſteriũ Capuanum monachis Caſſinatibus ademit.947.*

Pᴀɴᴅᴠʟꜰᴠꜱ, & Lᴀɴᴅᴠʟꜰᴠꜱ *fratres defecerunt ab Othone Magno, & bello ab eo petiti, Pandulfus Athenulfum filiũ obſidem pacis dedit, quem Otho in Germaniam miſit.968. Otho II Oſſa S. Bartholomæi Beneuento Romam induxit. 983. idem à monachis Caſſinatibus cum Athenulfo filio quõdam Othonis obſide accerſitus, & Athenulfus abbas factus.1011. Henricus II rex Beneuentanus propter illatas iniurias per pontificem communione priuandos curauit.1047. Beneuentum Leoni IX pontifici tradidit.*

Rᴏᴅᴠʟꜰᴠꜱ *Princeps à Leone IX pontifice inſtitutur.1053.*

Lᴀɴᴅᴠʟꜰᴠꜱ *Princeps.1071.*

PRINCIPES CAPVANI, QVI DITIONEM IN ITALIA HABVERVNT.

CAPVA *erepta à Longobardis Imperatori Orientali eſt, cum Beneuentanus Ducatus eſt inſtitutus. bello Grimoaldi regis Beneuentano contra Conſtantem Imperatorem Comitem habuit. Is fuit Transemũdus, qui propter operã egregie nauatã gener à Grimoaldo aſcitus, & Dux Spoletanus eſt factus.663.*

Aʀᴀɢɪꜱᴠꜱ *Princeps Beneuentanus Capua ſpoliatus eſt à Carolo Magno, & pace facta in integrum reſtitutus.787.*

Gʀɪᴍᴏᴀʟᴅᴠꜱ *Princeps Beneuentanus,et Capua dominus. Ludouicus Pius cum parte Campania donat Capuam pontifici.817.*

Sɪᴄᴏ *Princeps Beneuentanus, & Capua dominus Sicopolim i. Capuam nouam condidit.856.*

Sɪᴄᴀʀᴅᴠꜱ *Princeps Beneuenti Capua dominus.*

Aᴅᴇʟɢɪꜱᴠꜱ *Sicardi occiſo.*

Sɪᴄᴏɴᴏʟꜰᴠꜱ *Sicardi filius primus Princeps Capua hoc modo factus. Landulfus Capua gaſtaldio defecit ab Adelgiſo, & Siconolſum Sicardi filium Principem Capua fecit.840. Adelgiſus, & Siconolſus inter ſe contendentes Sarracenos in Italiam aduocarunt. Quorum auxilio Adelgiſus Capuam,et Siconolfi regionem afflixit.841. Siconolſus Beneuentum oppugnauit.842.unde Romam venit, cum Ludouicus II Im-*

perator eſt conſecratus, & quæ petijt ab eo, impetrauit. 844. Sarraceni Bario, quod occuparant, egreſsi, Beneuentum, ipſo, qui vocauerat, Adelgiſo deſpecto, affluxerunt. ea de cauſſa Ludouicus rex Principatum inter eos diuiſit, & Adelgiſum Beneuenti, Siconolfum Salerni, & Capuæ Principem declarauit. 851.

SICONOLFI *filius Princeps Salerni, et Capuæ. Ludouicus rex contra Sarracenos venit, & propter perfidiam Capuanorum parum profecit, ac propterea Siconolfi filium Principatu Salerni ſpoliauit eumq́; Aidemario tradidit. 854. Cum Capua, quæ & Sicopolis dicebatur, 30 ante annos in monte Triflisco ædificata ſæpius incendio cõflagraſſet, Lando Comes, & Landulfus epiſcopus alteram ad Pontem Caſulini conſtruxerunt. 856.*

Adelgiſus Beneuẽti Princeps Sarracenos ad affligendam Capuam immiſit, eaq́; à Teleſia, & Boniani gaſtaldionibus defenſa eſt. 865.

Ludouicus rex contra Sarracenos profectus, Capuam recepit, & propter perfidiam deleuit. 865.

Ludouicus rex aduerſus Sarracenos venit, & Capuam cum Sarracenis ſentientem obſedit, & ad extremam neceſſitatem adduxit. & Sarracenos è præſidio depulit. 871.

Capuani expulſo Landulfo epiſcopo Landenulfum hominem vxore præditum, & neophytum ſuffecerunt. ex ea re orta ſeditione pontifex illum in Capua vetere, hunc in noua conſecrauit. 877.

PANDENVLVS, *qui Capuæ præerat, cum pontificis in fide maneret, Caietam illo concedente ſibi ſubiecit. 877.*

ATHENVLFVS *Capuæ gaſtaldeus Principatum Capuæ, & Beneuenti inuaſit. 899. Priuilegium dat abbati Caſsinati. 910.*

LANDVLFVS, & ATHENVLFVS *filij Capuæ Principes. 915. Landulfus Athenulfo patre mortuo, quo cum Ioannes X conſilium communicarat de Sarracenis Gariliano pellẽdis, ei bello affuit. 915. monaſterium Capuanum monachis Caſsinatibus ademerunt. 947.*

PANDVLFVS. *965. Ioannem XIII pontificem ad ſe confugientem excepit. ob id Ioannes Ioannem Pandulfi fratrem archiepiſcopum Capuæ inſtituit. 966. itẽ iuuit Othonem Magnum contra Græcos. & cum Otho ſecundus contra eoſdem veniret, mortuus eſt. 982.*

LANDVLFVS, & ATHENVLFVS *Pandulfi filij in prælio contra Græcos ſub Othone II ceciderunt. 982.*

LANDENVLFVS *filius cum Aloara matre ab Othone II confirmatus. 992. & à Capuanis occiſus. 996.*

LAIDVLFVS *Landenulfi frater à Capuanis ſubſtitutus. 996.*

AIDEMARIVS *ab Othone III conſtitutus pulſo Laidulfo, quòd necis fratris conſcius fuiſſet. 996. à Capuanis expulſus. 997.*

LANDVLFVS *Pandulfi Beneuentani Principis filius à Capuanis ſubſtitutus expulſo Aidemario. 997. Otho III Capuam à Sarracenis occupatam recepit. 1002.*

PANDVLFVS *Pandulfi Principis Beneuentani filius, Athenulfi abbatis Caſsinatis frater. vterque Apulos rebellantes aduerſus Græcos iuuit. 1016. Normanos hoſpites primus recepit. 1016. inde metu ad Græcos defecit. 1020. Propterea ab Henrico rege captus, & Principatu ſpoliatus eſt. 1023.*

PANDVLFVS *ex Comite Teaneſi Princeps Capuæ ab Henrico rege factus. 1023.*

PANDVLFVS *à Conrado rege liberatus Pandulfo Teaneſi exacto iterũ Principatum recepit. 1027. Monaſterio Caſſinati omnia, quæ potuit, detrimenta intulit. 1029. Propterea à Conrado rege Capua pulſus eſt. 1038.*

GVAIMARIVS *Princeps Salernitanus Princeps Capuæ factus à Conrado rege, pulſo Pandulfo. 1038.*

PANDVLFVS *abdicante Guaimario tertiũ Princeps. 1047.*

LANDVLFVS *Pandulfi filius. 1052.*

RICARDVS *Normanus Comes Auerſanus*

Panaulfo Principe mortuo, & Landulfo filio deſpecto, Capuam turribus exceptis cepit. 1052. Huic Eccleſiaſticam ditionem vexāti Nicolaus II pontifex Principatum Capuanum in feudum dedit. 1059. Ricardus portis Vrbis Capua in poteſtatem adductis ſe cū Iordane filio Principem Capuæ declarauit. 1061. Patriciatum vrbis ambiuit. 1065 aduerſus eum Eccleſiæ infeſtum Alexander II pont. Gothifredū Tuſciæ Ducem adduxit. 1065. Roberto Viſcardo fratri Salernū oppugnanti affuit. 1076. excommunicatur à Gregorio VII pontifice. 1079.

IORDANES Ricardi filius pontifici gratificatus Roberto Viſcardo hoſtis factus eſt, & reconciliatus. 1079. Henricus IIII rex Iordani Principatum confirmauit. 1083.

RICARDVS Iordanis filius Rogerij Ducis armis Capuæ Princeps confirmatus. 1093.

ROBERTVS Princeps. 1118 iurauit apud Caliſtum Pontificem. 1120. Huic Rogerius Siciliæ Comes, & Apuliæ Dux Principatum eripuit. 1130. reſtitutus à Lothario rege, & Imperatore. 1137. & confirmatus ab Innocentio II pontifice. 1137.

ROGERIVS iterum Capuam Roberto ademit. 1137.

AMPHOLSVS Rogerij filius, ipſo viuente patre. 1140.

GVLIELMVS Malus Rogerij filius, qui & Siciliæ rex. 1158.

ROBERTVS Surrentinus ope Hadriani pontificis, pulſo Gulielmo. 1155.

GVLIELMVS Malus iterum compoſteris ſuis Apuliæ Ducibus, vt in iis dictum eſt.

ABBATES CASSINATES, QVI DITIONEM IN ITALIA HABVERVNT.

MONASTERIVM Caſſinas anno Chriſti 528 S. Benedictus monachorum legiſlator conſtruxit, & poſſeſſionum multitudine, & ſororis ſuæ Scholaſticæ, & ſuo corpore venerandum reliquit. 589.

BONITVS abbas V à S. Benedicto. Eo ſedente Zotho Dux Beneuentanus monaſterium incendit. Bonitus & monachi cum legibus, & pretioſiore ſupellectile, & libra panis, & menſura vini Romā profugiunt, & à Pelagio II pontifice ſedes ad patriarchium Lateranenſe habuerunt, ibique per CXXX annos ſedēt. 589. Gregorius pontifex in concilio Lateranenſi ſtatuit, ne abbas Caſſinas dilapidare bona monaſterij. ne quis niſi monachus; & à monachis abbas legi poſſit, & alia. 595.

Gregorius II pontifex Petronacem ciuem Brixianum ad inſtaurādum Caſſinas monaſteriū miſit, qui monachos vndecunque contraxit, & monaſteriū condidit, et abbas lectus diſciplinam S. Benedicti excitauit anno 720.

PETRONAX Caſſinas abbas VI à S. Benedicto. Carlomannus Pipini regis Franciæ frater monachus Caſſinas factus. 748. monaſterium à Petronace abbate abſolutum ſub Zacharia pontifice. Eccleſia conſecrata à Zacharia pontifice, et donata & priuilegio monaſteriū decoratum, vt ſoli ſedi pontificiæ eſſet ſubiectum. vt abbas Caſſinas ſupra omnes abbates ſederet, & ante alios ſententiam diceret. vt monachi ex corpore ſuo abbatem crearent, & conſecrandum pontifici darent. vt abbas ordinationes inire, altaria ſacrare, chriſma à quolibet epiſcopo accipere poſſet. 748.

Rachis rex monachus Caſſinas factus. 750. Carolus Magnus Caſſinas monaſterium religionis cauſſa viſitauit, & poſſeſſiones ei priuilegio confirmauit. 787.

Sarraceni cum alia monaſteria Campaniæ vaſtaſſent, Caſſinas exundante imbre ſubito flumine adire non potuerunt. 847. Adelgiſus, & Siconolfus Principatu Beneuentano inter ſe diuiſo ſtatuerunt, Monaſterium S. Bene-

INDEX.

dicti, & S. Vincentij ad ſe non pertinere, quia ſub tutela Imperatorũ eſſent. 851.

BASSACIVS *Abbas Caſsinas. 857.*

BERTARIVS *Abbas Caſsinas. 857.*

Magnitudo rerum in Campania gerendarum effecit, vt ſcriptor hiſtoria etiã Comitiorum abbatum Caſsinatũ poſthac meminerit. 857.

Bertharius abbas periculum à Sarracenis imminens contemplatus Monaſterium muniuit, & oppidum conſtruxit, quod Ciuitatem S. Benedicti vocauit. 857. idem Sarracenos pecunia data ab excidio monaſterij auertit. 865.

Ludouicus II contra Sarracenos profectus Caſsinum adijt, & à Berthario honorificè exceptus eſt, & votis factis monaſterium viſitauit, ac priuilegia confirmauit. 865.

Sarraceni monaſterium Caſsinas incenderunt. Monachi Teanum confugerunt, Bertharius abbas crudeliſsimè ante aram eſt trucidatus. 884.

LEO *abbas. hic monaſteriũ Caſsinas poſt 27 annos inſtaurare cœpit, & priuilegia ab Athenulfo Principe Capuano, & Beneuentano, & Guaimario Salernitano popoſcit, neque tamen Teano adhuc ſe mouit. 910.*

IOANNES *abbas Monachos Teano Capuã traduxit, atque Eccleſiam Caſsinatẽ refectam à Leone ornauit. 916. Homines Caſsinates ab Vngaris capti, & magna theſauri parte redempti. 936.*

BALDOVINVS *abbas à Marino pont. leges monaſterij, et baſilicam S. Pauli ſuburbanam, & ab Hugone, & Lothario regibus de tuta poſſeſſione priuilegium impetrauit. 943. Cum Principes Capuæ monaſterium Capuanum monachis Caſsinatibus ademiſſent, Agapitus põtifex mandauit, vt Caſsinũ redirent. 947. Otho III rex Caſsinum religionis cauſſa adijt, & donauit. 1001*

Eccleſia Caſsinas terræmotu quaſſata. 1004. Ioannes abbas Rotundulũ nepotem ſuũ abbatẽ ſibi ſubſtituit. 1011.

Monachi Athenulfum Pãdulfi Beneuẽtani Principis filium eligunt. 1011.

ATHENVLFVS *abbas 1015. Dattum Apulum recipit, qui Apuliam ad libertatem vocauit. 1016. ab Henrico rege exactus, quòd Datti necis cauſſa fuiſſet. 1023.*

THEOBALDVS *abbas præſente Conrado rege lectus. 1023. Henricus in ſomnis, audiuit à S. Benedicto corpus ſuum eſſe Caſsini. 1023.*

Conradus rex monaſterium ab iniurijs Pandulfi Principis Beneuentani ſeruauit, cum Caſsinũ adijſſet. 1038.

RICHERIVS *abbas Arcem S. Agathæ cepit. 1039. Normanorum metu monaſterium deſerere voluit. Normanos ad templum accedentes cepit, amiſſaque omnia recuperauit, & Normanorum caſtra inuaſit, atque eos profligauit. 1045. Leo IX pontifex Caſsinũ adijt, & ibi rem diuinam fecit in feſto Apoſtolorum. 1050.*

FRIDERICVS *abbas Cardinalis factus 1057. Victor pontifex confirmauit vsũ ſandaliorum, & aliorum inſignium nuper à Leone IX conceſſum. inde põtifex factus, & Stephanus IX vocatus Deſideriam abbatem ſublegit. 1057.*

DESIDERIVS *abbas Cardinalis factus. 1059. baſilicam nouam magnificam inchoauit 1066. quam Alexander II Põtifex cõſecrauit. 1071. ab Henrico IIII excõicato vocatus acceſſit, et ius ſuũ egregiè defendit. 1083. põtifex factus eſt victor III vocatus. 1085.*

Gregorius VII pontifex Caſsinum venit. 1084.

Vrbanus II pontifex Caſsinum adijt, & in ſomnis certior factus eſt de præſentia corporis S. Benedicti. 1090.

BRVNO *abbas, & epiſcopus Signinus, pontificem Paſchalem II in faciẽ arguit, quòd priuilegium malum dediſſet Hẽrico regi. 1111.*

ODERISIVS *abbas ab Honorio pontifice increpitus. 1125.*

SENIORECTVS *abbas Honoro II pont.*

conſecratus iurare noluit. 1127. Anacletũ contra Innocentium II coluit. 1130. is cũ monaſterium in Anacleti Antipontificis, & Rogerij Ducis poteſtate teneret, iuſſus eſt Innocentio, & Lothario obedientiam praſtare, et cum non faceret, Monachorum regio ab eo defecit. 1137.

RINALDVS *abbas in locum Senioreti ſublectus ab Anacleto ſe conſecrari voluit. 1137. & iuſſus eſt Innocentio, & Lothario obedire, & accitis auxilijs ſe facturum negauit. huic Abbatiam Henricus Lotharij nomine confirmauit, ſi in eius fide manſiſſet. 1137. vocatus ad conuentum Melfiam, & iurare obedientiam iuſſus negauit, cum diceret monachos non iurare, qua de re diſputatum eſt, multisq́ verbis factis tandem iurauit, & pacem cum Innocentio fecit. inde damnatus eſt. monachis abbatis ſublegendi ius permiſſum cum eo vt pontifici Beneuentum eunti prandium darent. 1137.*

GVILALDVS *abbas ſuffectus. metu factionis aduerſa diſceſsit. 1137.*

RINALDVS *alius. 1137. Rogerius Dux Apulia recepta Apulia Caſsinas Monaſterium expilauit. 1138. Innocentius III Marchoaldum à Caſsini obſidione depulit. 1198.*

COMITES, ET DVCES

APVLIAE, ET CALABRIAE,

qui ditionem ſibi pepererunt, quam Imperatores Orientis habuerant.

APVLIA, *& Calabria quiete ab armis Longobardorum manſerunt in poteſtate Imperatoris Orientalis vſque ad Carolum Magnum, qui eas non attigit. 774. Carolus Magnus cum præfectis Imperatoris Conſtantini, & maximè Adelgiſo Deſiderij filio quondam rege Italia bene pugnauit, Conſtantino irato, quòd filiam ſibi in matrimonium negaſſet. 788.*

Sarraceni Apuliã vexarunt. 840. Sarraceni Campania monaſteria expilarunt. 847. Sarraceni Barrium in Apulia occuparunt, cum ad id vſque temporis littora tantum Italia incurſaſſent. & per XXX annos Apuliam, & Calabriam infeſtam habuerunt. 841. 854.

Ludouicus II ad Luceriam Apulia oppidum, quod Sarraceni occupauerãt, pugnans victus. deinde eam recepit, & Barrium primum fruſtra oppugnauit. 867. Inde cepit. 869. & Tarentum, quod item ab eis tenebatur, tentauit: Hac Baſilio Imperatore volente, & iuuante acta. 870. Otho Magnus iratus Nicephoro Imperatori, quod nuncios ſuos, quos ad Theophaniam ſponſam accipiendam miſiſſet, interfeciſſet, Apuliam, & Calabriam ei armis ademit. 969.

Baſilius, & Conſtantinus Imperatores Apuliam, & Calabriam Othoni II eripuerunt. 979.

Otho II has prouincias recuperaturus acceſsit, & captus prælio euaſit, ac nihil profecit. 982. Imperator Orientis Apulia, & Calabria pro Pratore impoſuit nouum cum ſummo imperio magiſtratum nomine Catapanum. 982. 1016.

GREGORIVS *Apulia, & Calabria Catapanus. 1005. Barrium à Gregorio Catapano aduerſus Sarracenos ope Venetorum defenſum. 1006. Hoc tempore Catapanata regio Apulia à Catapano dicta ob multa oppida condita, Troiam, Draconarium, Florentinum. 1016.* MELVS, *&* DATTVS *Apuli Catapani ſuperbiã non ferẽtes duces Barrienſibus ad depellẽdam Græcorum ex Apulia dominationem fuerunt. 1016. ſed à Barrenſibus proditi ſunt. Melus ad Pandulfum Principem Capuanum confugiens opera vſus eſt quorundam militum Normanorum, qui nuper ex Normania Francia venerant, & apud Pandulfum diuertebant. 1016.*

INDEX.

Evbaganvs Apuliæ Catapanus. Melus cũ Bubagano dimicãs victus eſt. 1019 Henricus I rex ad Apulos defendendos aduerſus Græcos venit, & Troiam cepit. 1023. Sergius Magiſter militũ Neapoli pulſus a Pãdulfo Teanenſi. 1029. Rainulfus Normanos Comes Auerſæ factus à Sergio, recuperata illius ope Neapoli. 1032.

Maniacvs Apuliæ Catapanus. 1039. Tãcredi Normani filij, qui nuper è Normania aduenerant. Gulielmus, Drogo, & Hunfridus auxilio fuerunt Maniaco Catapano Siciliam de Sarrecenis recuperanti. 1039.

Dvclianvs Apuliæ Catapanus. 1040. Ardoinus Lombardus a Maniaco Catapano ignominia affectus ope Ranulfi Normani Auerſæ Comitis, qui XII ei duces Normanos dedit, Apuliam inuaſit. & Ducliani Catapani exercitũ fudit. 1041.

Exavgvstvs Apuliæ Catapanus à Conſtantino Monomacho Imper. miſſus. Hic victus eſt à Normanis, & captus, atque Apulia Græcis erepta, & inter Normanos diuiſa. Melfis in communi relicta. principes diuiſionis fuere Ranulfus Comes Auerſæ, & Tancredi filij Gulielmus, Drogo, Gunfridus, Ricardus, Rogerius, & Robertus Viſcardus. 1042.

Gvlielmvs Comes Apuliæ appellatus. 1042. Normani Caſſinatibus infeſti eſſe cœperunt. 1045.

Drogo Apuliæ Comes frater Gulielmi in gratiam abbatis Caſſinatis receptus. 1046.

Hvnfridvs poſt Drogonem fratrem Apuliæ Comes Eccleſiaſticam ditionem inuadit. 1051.

Ricardvs Hũfridi frater Auerſæ Comes Capuam præter iures occupauit. 1052 Leo IX pont. cum Hunfrido, Ricardo, & Roberto Normanis fratribus contendens captus eſt. 1053.

Baielardvs Hunfridi filius Comes Apuliæ.

Robertvs Viscardvs Hunfrido fratre mortuo, & Baielardo filio eius exacto Apuliæ Comitatum inuaſit, & Rhegio, Calabria, & Troia Apuliæ oppido capto, vltro ſe Ducem Apuliæ, & Calabriæ appellauit, & Eccleſiæ ditionem vexauit. à Nicolao II pontifice, vt deſiſteret, feudatarius factus, et Dux Apuliæ, & Calabriæ inſtitutus. 1059. confirmatus ab Alexandro II. 1067. Salernum cepit. 1076. excommunicatur ob id à Gregorio VII pontifice. 1077. deinde recõciliatur. 1078. bellum Græco Imperatori intulit. è Græcia euocatus Gregorium VII ab Henrico obſeſſum ex arce eduxit, & Salernum perduxit. 1084.

Rogerivs Roberti filius. 1087. ab Vrbano II. Dux Apuliæ, & Calabriæ confirmatur. 1089. Paſchalem II pontificem adiuuat. 1100. moritur. 1111.

Gvlielmvs Rogerij filius, à Paſchali II Dux Apuliæ, et Calabriæ confirmatus. 1114. iuuit Gelaſium põtificem. 1118. iurauit apud Caliſtum II pontificem. 1120.

Rogerivs Rogerij Roberti fratris filius Siciliæ Comes Apuliam, & Calabriam Gulielmo Duci eripuit. 1123. confirmatur ab Honorio II pontifice. 1128. Roberto Capuæ Principatum eripuit; & ſe regem Siciliæ vltro vocauit, atque ad Anacletum Antipapam tranſiens, ab illo rex Siciliæ, Dux Apuliæ, & Calabriæ, & Princeps Capuæ inueſtitus eſt. 1130. Capua, & Apulia à Lothario rege, & Imp. vnà cum Innocentio II pontifice bellum inferẽte pulſus. 1137.

Ranvlfvs homo Germanus à Lothario Imp. & Innocentio II pont. inſtitutus. 1137.

Rogerius rex Apuliam recuperauit. 1137 & Ranulfo mortuo, & Reginone fratre eius pulſo Melfiam, & Barrium expugnauit. 1138. ab Innocentio II pontifice bello oppreſſus, cum ipſum cepiſſet, coegit eum, vt ſe regem Siciliæ, Ducem Apuliæ, & Calabriæ, et Principem Capuæ confirmaret. 1139.

Gvlielmvs *Malus Rogerij filius.1153. ab Hadriano IIII pontifice ob contumaciam armis oppreſſus, adiuuante Manuele Imperatore.1155. bello vexatus in Apulia ab Hadriano, & Manuele. 1155. omnia recuperat. & ab eo rex Siciliæ, Dux Apuliæ, & Calabriæ, & Princeps Capuæ confirmatur. 1156.*

Gvlielmvs *Bonus. auxilium affert Alexandro III pontifici contra Fridericum Imperatorem. 1167. cum eo pacẽ fecit Fridericus in* xv *annos.1176. Conſtantiam Rogerij quondam regis filiam in matrimonium dedit Henrico V regi filio Friderici. 1185. moritur. 1189.*

Tancredvs *Rogerij Ducis Calabriæ filius nothus, Rogerij quondam regis nepos, à Siculis rex ſubſtituitur.1188. petitur bello ab Henrico rege propter vxorem Conſtantiam. 1191. moritur. 1194.*

Gvlielmvs *filius cum Sibilia matre. bello petitus ab Henrico rege capitur vnà cum matre, & virilitate ſpoliatur.1194.*

Henricvs *V rex Italiæ, & Siciliæ Friderici filius, & maritus Conſtantiæ reginæ.1194.*

Fridericvs *filius puer à patre coronatus, & poſt mortẽ patris vnà cũ matre Conſtantia, tutore Innocentio III pontifice.1197.*

ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSES, ET RES EORVM.

MEDIOLANVM *populo Romano vigente Galliæ Ciſalpinæ caput, eandem ſub Imperatoribus retinuit dignitatem. Primus eius epiſcopus Barnabas Chriſti diſcipulus. addidit dignitatem vrbi honos eccleſiæ metropolitanæ, D. Ambroſio epiſcopo inſignita eſt. Venientibus in Italiam Longobardis afflicta erat bello ſuperiore Gothorum. in proœmio capta eſt ab Alboino primo rege Longobardorum in Italia. 570.*

Honoratvs *archiepiſcopus profugit ex urbe Genuam ſub aduentum Alboini regis.570.*

Fronto *archiepiſc: 572. Alboinus Dux Mediolani ſub* xxx *Ducibus. 575.*

Lavrentivs *archiepiſcopus 581. Mediolanum fruſtra obſeſſum eſt à Francis bellum rogatu Imperatoris Longobardis facientibus. 590. Mediolani Agilulfus rex confirmatur. 591.*

Constantivs *archiepiſcopus.593. Gregorius pontifex ſanxit, vt vacante regno Italiæ archiepiſcopus Mediolanenſis conuocaret ſuffraganeos ſuos, & regem legeret, ac coronaret. 601.*

Adeodatvs *diaconus Eccleſiæ, lectus à clero archiepiſcopus Agilulfo Longobardo, quem rex ediderat, à pontifice reprobato, eſt confirmatus.600. Mediolani in Circo Agilulfus rex Adalualdum filium regem coronauit Italiæ. 604.*

Asterivs *archiepiſcopus.628.*

Fortis *archiepiſcopus. 657.*

Ioannes *Bonus archiepiſcopus.659. Pertharitus rex diuiſo regno cum fratre Mediolani ſedem poſuit.661.*

Antoninvs *archiepiſcopus.669.*

Mavricilivs *archiepiſcopus.672.*

Ampelivis *archiepiſcopus.674.*

Mansvetvs *archiepiſcopus conuentum ſuffraganeorum habuit, & decretum de duabus Chriſti voluntatibus miſit ad ſextum Concilium generale Conſtantinopolim contra Monotheletas. 679.*

Benedictvs *archiepiſcopus. Epiſcopi Papienſis conſecrationem ad ſe traducere fruſtra tentauit.715.*

Theodorvs *archiepiſcopus.735.*

Natalis *archiepiſcopus.749.*

Arsfridvs *archiepiſcopus.752.*

Stabilis *archiepiſcopus. 752.*

Laetvs *archiepiſcopiſcopus. 755.*

Thomas *archiepiſcopus.770. hic coronauit Carolum Magnum victorem regem Italiæ impoſita corona ferrea Modoetiæ. 774. & Pipinum Caroli*

INDEX.

filium.781.ſanxit Carolus, vt archiepiſcopus Mediolanenſis ex decreto vetere Gregorij pontificis, ius legendi regis haberet, & Modoetiæ corona redimiret. hinc archiepiſcopi, & ciuitatis creſcere potentia cœpit.774.
PETRVS archiepiſcopus.798.Bernardum Pipini filium regem Italiæ coronauit.813.
OBERTVS archiepiſcopus.855.
ANSELMVS archiepiſcopus.815. Lotharium Ludouici Pij filium regem Italiæ coronauit Modoetiæ.822. Particeps coniurationis Bernardi regis contra Carolum Magnum.827.
BONVS archiepiſcopus.829.
ANGILBERTVS archiepiſcopus.834.
ANGILBERTVS alter archiepiſcopus.834. hic ab Eccleſia Romana defecit, nec per multos poſt annos archiepiſcopi Mediolanenſes in auctoritate pont. fuerunt.844.
TADO archiepiſcopus.867.
ANSPERTVS archiepiſcopus.875. Carolum Caluum regem Italiæ coronauit.876. item Carolum Craſſum.880.
ANSELMVS II archiepiſcopus.888. Mediolanenſes metu Arnulfi regis ſe dedunt Berẽgario regi.894.Mangfredus Mediolani Comes Lamberto regi aduerſus ab eo necatus eſt.898.
LANDVLFVS archiepiſcopus.902.
ANDREAS archiepiſcopus.904.
ATHO archiepiſcopus.911.
GARIBERTVS archiepiſcopus.918.
LAMBERTVS archiepiſcopus.920. iratus Berengario regi repetẽti à ſe hominem captum, Rodulfum regem Burgundiæ aduerſus eum vocauit.920. iratus Rodulfo, Hugonem Comitem Arelatenſem ad regnum Italiæ aduerſus eum vocauit.925. Burchardum Ducem Sueuiæ auxilio Rodulfi profectum Mediolanenſibus minantem interficiendũ coronauit.926. Hugonem regem coronauit.926.
HILDVINVS archiepiſcopus ab Hugone rege factus.926.
ARDERICVS archiepiſcopus, ab Hugone rege factus.940.Berengarium II aduerſus Hugonem regem acciuit.947. Mediolanenſes Berengarium pro rege coluerunt, viuente, & præſente Hugone, & Lothario regibus.947.
ALDEMARVS à clero archiepiſcopus factus.947.
MANASSES à Berengario archiepiſcopus contra Aldemarum factus.947.
VALPERTVS archiepiſcopus à clero contra Manaſſem Aldemaro ſubſtitutus.953. Berengarij, & Adelberti regum iniurijs prouocatus, vnà cum Agapito pontifice auxilium Othonis Magni, Germaniæ regis implorat.955. iterum ad eum confugiens eadem petit, & regni coronam promittit.960. eundem in Italiam profectum Mediolani coronat. & donatur ab eo Comitatu Parabiagi, Seprij, & Bazariæ, & Marchia Marthefii.965. eundem Romam ad coronam Imperij à pontifice accipiendam comitatur.962. Hinc Eccleſia, ac vrbis Mediolanenſis potẽtia magis eſt aucta. Concilio Lateranenſi contra Ioannem XII pontificem affuit.963. Bonicius Scroſatus homo è plebe, Dux Mediolani impoſitus ab Othone.970.
ARNVLFVS Bonicij Ducis filius archiepiſcopus, ab Othone Valperto ſubſtitutus.971. miſſus legatus ad Ioannem Imperatorem de Theophania poſcenda, retulit ſerpentem æneum.971. archiepiſcopi miniſtri commemorantur.973. archiepiſcopus nomen Comitis ferebat, & ius per vicecomitem exercebat.973.
GOTHIFREDVS archiepiſcopus, ab Othone II datus.975.
LANDVLFVS Bonicij Ducis filius, archiepiſcopus ab Othone III aduerſante populo datus.900. Pulſus à populo, patre occiſo, Othonis auxilium implorauit.inde pace cum ciuibus facta, ad eos ſibi obſtringendos, bona Eccleſiæ eis feudi nomine diſtribuit, & Capitaneos inſtituit. Capitanei ea bona

aliȷs communicarunt, qui Valuaſores vocati ſunt. Idem tres fratres ſuos, Capitaneos fecit, Carcani, Pironani, Meregnani. unde familiæ horum nomi num dimanauerunt. Moriens cœnobium S. Celſo Martyri conſtruxit, ac dicauit. 993. Mediolanenſes, Ducis magiſtratu abrogato, Conſules creare cœperunt. 990.

ARNVLFVS *Arciagus, archiepiſcopus ab Othone III rege datus. 999 is mortuo Othone, ſine filiȷs, regnum ad Henricũ Germaniæ regẽ detulit. 1002. regemq́ Mediolani coronauit. 1013. Cum epiſcopus Haſtẽſis, qui ab eo ſacrabatur, officio deſtitiſſet, ſibi parere coegit. Comes ditionum Hugonis, & Berengariȷ Comitum rebellium, ab Henrico rege pronunciatus eſt. Cremonenſes hoſtes armis ad officium redegit. 1015.*

HERIBERTVS *Arciagus archiepiſcopus ab Henrico rege datus, & ab eo iure Laudenſis Epiſcopi inueſtiendi donatus. 1019. Laudẽſes Epiſcopum à ſe accipere nolentes, armis parere coegit. 1025. Mediolanẽſes pleroſq́ feudis ſpoliauit, qui Mottenſes dicti ſunt. armis ab ȷs petitus eos per Conradum regem Germaniæ domuit. 1025. Conradum regem Italiæ Mediolani, & Modoetiæ coronauit. ipſumq́ Romæ coronandum pontifici obtulit. Qua de re cum Heriberto archiepiſcopo Rauennate contendit. 1027. in conuentu ad Roncalias Papienſem epiſcopum ſe præſente crucem præferẽtem coercuit. ſuſpectus coniurationis initæ cum Lombardis, a Conrado rege iure epiſcopi Laudenſis legendi priuatus eſt, & ob contumaciã in carcerem conditus. Inde elapſus bellum unà cum Mediolanenſibus Conrado intulit et obſeſſus in urbe eſt. 1037. Dum Ambroſius et à Conrado ſubtectus ſacrabatur, S. Ambroſius è cœlo minari Conrado eſt viſus. 1037. Conrado Italia abeunte arma aduerſus Ambroſium ſublectum parans, Carrocium inſtituit. 1038. cum Henrico II rege pacem fecit. 1039. Ortam ſeditionem inter nobilitatem, et plebem è Credentia cum ſedare non poſſet, Vrbe receſſit. 1041. Ea ſeditione nobiles vrbem obſederunt, & auxilium ab Henrico II rege poſtularunt. Lanzo Curtius populi præfectus à nobilibus in vrbem reuerſis in exilium proiectus eſt. 1042.*

VIDO *Valuaſorius archiepiſcopus ex nobilitate ab Henrico II rege datus. 1045. Henricum regem, Mediolani coronauit. 1046 Exules Mediolanenſes, quos Conradus fecerat, ab Henrico reſtituti monachi Humiliati facti. 1046 Vido contendit de præſeſſione cũ Humfrido archiepiſcopo Rauennate. 1047. Mediolanenſes Papienſibus bellum faciunt Epiſcopum non accipientibus, & Paraſium euertunt. 1047. Eccleſia Mediolanenſis auctore Vidone archiepiſcopo repudiauit decreta Stephani IX pontificis, de cœlibatu, & ſimonia. 1058. Arialdus clericus Landulfum Cottam populi præfectũ impulit ad eã rem oppugnandam. Vnde grauis ſeditio nata. 1058. Vido archiepiſcopus ex ſuffraganeorũ ſuorum ſentẽtia ſtatuit, uxores habendas eſſe. 1058. Petrus Damiani legatus a Nicolao II pontifice miſſus Vidoni, & clero piaculum impoſuit, atque ad obſequium iurandum induxit. 1059. clero inde cœlibatum non ſeruante eodem Arialdo impellẽte ſeditio renouata. 1060. Pro Landulfo cauſſam ſuſcepit Erlembaldus frater eius. 1060. aduerſus eos Alexander II pontifex pronunciauit. 1065. Itaque Mediolanenſes Cadaloo Alexandri aduerſario ad obtinendam ſedem Romanam ſtuduerunt. 1062. Alexander victo in Concilio Cadaloo iterum aduerſus eos pronunciauit. 1064. Arialdus occiſus, Erlembaldus fugatus. 1066. Vido cum impetum Erlembaldi factionis ſuſtinere non poſſet, ſe abdicauit. 1067.*

GOTHIFREDVS *Caſtellioneus ab Henrico III datus, ab Alexando pontifice re*

pro-

probatus eſt. 1067. Caſtelionum, quod erat Gothifredi ab Erlembaldo obſeſſum. 1067 Mediolanum caſu incenſum, quod Caſtillionenſe incendiũ appellatum. 1071.

ATHO *archiepiſcopus contra Gothifredũ à pontifice datus. 1072.*

THEOBALDVS *Caſtilionens archiepiſcopus ab Henrico III datus pro Gothifredo, qui non recipiebatur. 1075. ita tres vno tempore erant archiepiſcopi. Theobaldus, cum Giberto archiepiſcopo Rauennate affuit Henrico contra Gregorium VII pontificem. 1077 moritur. 1084.*

ANSELMVS *à Raude archiepiſcopus ab Henrico III datus à Gregorio VII. improbatur. 1084.*

ARNVLFVS *ab Henrico datus, nec legitimè conſecratus in monaſterium ſe abdidit. 1092. Vrbanus. II pontifex Claromontem pergens Mediolanum venit, ſeditionem ſuſtulit, Eccleſiam in gratiam recepit, Arnulfum ex monaſterio eductum pallio decorauit. 1095.*

ANSELMVS *Valnaſorius archiepiſcopus. 1096. ad bellum ſacrum cum Lombardis profectus. 1096. ibi Otho Vicecomes Eliprandi filius Voluce Duce hoſtium interfecto inſigne Viperæ retulit, & familiæ, & patriæ decus. 1099. Anſelmus Conſtantinopoli mortuus. 1100.*

CHRYSOLAVS *archiepiſcopus à parte Henrici datus. 1100.*

IORDANES *Clinius archiepiſcopus à parte pontificia datus. 1100. Mediolano rurſus incenſo lex lata, ne quis flante vento ignem in ædibus haberet. 1105. Incendium nouum nuptiarum cauſſa in ædibus excitatum exilium domino attulit. 1106. Mediolanenſes auxilio fuere Derthonenſibus contra Papienſes eoſque in ſe irrumpentes vicere & captiuos fecere. 1108. Mediolanenſes fœdus iungunt cum Brixianis. 1109. & Cremonenſes profligant, & Cremonam captam incendunt. 1109. Chryſolaus Mediolani coronauit Henricum IIII. regem. 1110. Mediolanenſes Laudenſes afflixerunt. 1111. in Concilio Lateranenſi Paſchalis pontifex Iordanem archiepiſcopũ. confirmauit, Chryſolaum abrogauit. 1116. Iordanes bellum intulit Comenſibus. Quod à Mediolanenſibus deinceps per ſex annos vario euentu geſtum eſt. 1120. 1121. 1122.*

ANSELMVS *Puſterla archiepiſcopus factus, cũ Bernardus abbas Claraualenſis eccleſiã oblatam accipere noluiſſet. 1123. Comi oppugnatio continuata. 1124. Comum captum, & euerſum eſt. 1127. Conradum regem contra Lotharium coronauit. 1128. & propterea ipſe cum populo excommunicatus eſt. 1128. & dignitas abrogata. 1130. Anſelmus ad Anacletum aduerſarium Innocentij II. pontificis ſe contulit. 1130. Mediolanenſes Papienſibus bello facto eos in cãpo Maconago profligarunt. 1131 iterũ ad Martinengũ cæciderũt, agro late vaſtato. 1132.*

RIBALDVS *arch. Anſelmo repudiato ſubiectus. 1134. eo auctore Mediolanenſes veniam ab Innocentio. II. pont. & Lothario rege petierunt. 1134. & à Bernardo abbate Clarauallenſi piaculum receperunt. & ipſi ſummos honores habuerunt. 1134. iterum ab Eccleſia deficiunt, & à Bernando arguuntur 1136.*

VBERTVS *Pirouanus arch. 1144. Martinus Turrianus Mediolanenſis ad bellum ſacrum profectus. 1147. martyrio coronatus. 1148. Mediolanenſes cum Cremonenſib. bellantes Carrociũ amittunt. 1150. accuſantur apud Fridericum regem iniquitatis in ſe à Laudenſibus. 1153. redimunt gratiã Friderici muneribus, & promiſſione coronæ. 1153 Vbertus archiepiſcopus Fridericum regem coronat extra vrbẽ Mediolani. 1154. à Friderico exercitu in eos inducto comprimuntur. 1154. Profecto Friderico Derthonam ab ipſo euerſam inſtaurant. 1156. Du-*

ces, & ſocios Friderici Papienſes profligant. Papiam affligunt. 1550. Laudenſes aſperius tractant. 1156. Fridericus reuerſus Mediolanenſes citatos hoſtes pronũciat. Caſtra ad vrbem mouet. vrbem obſidet. 1158. vrbs deſcribitur. 1158. res in obſidione præclare geſta. 1158. Arcum Romanũ demolitur. 1158. Agrum vaſtat. Mediolani fames ingens, & peſtilentia populum ad deditionem compellit. 1158. Poſt aliquot menſes eiſdem nuncios regios aſpernatis nouum bellum indicit. 1159. Mediolanenſes ſuburbana ædificia deſtruunt, vt vrbem muniant, & trium Magorum oſſa inueniunt. 1159. Fridericus in agrum eorum irrumpit. 1159. Laude inſidijs petitur ab eis. 1159. & Cremam Mediolanenſium ſociam oppugnat, & euertit. 1160. Mediolanenſes fœdus iungunt cum Alexandro III pont. cui Fridericus erat inimicus. 1160. Fridericus ad Carcanum Carrocium Mediolanẽſib. eripit, & ope Brixianorum ab eis fugatur. 1560. incendio in Vrbe ſuborto res Mediolani turbatæ. 1160. Vrbs interclusa, ne cõmeatus importaretur. 1565. in prœlio equus Friderico ſuffoditur. Mediolanẽſes liberã deditionẽ ſui fecerunt. 1562. Vrbe emiſsi, alij alio ſe conferunt. Vrbs euertitur. Ager in ſex præfecturas diuiditur. Erolium ſale ſeritur. 1162. Mediolanẽſes miſere à præfectis Germanis affliguntur. 1164. ſacris oſsibus trium Magorum ſpoliantur. 1164.

Galdinvs Sala archiep. 1165. Mediolanenſes cum Lombardis fœdere ſe iungunt aduerſus Fridericum. 1167. Laudenſes vi ad ſe traducunt. 1567. Galdinus archiepiſcopus legatus Lombardiæ ab Alexandro conſtitutus. 1168. Mediolanenſes fœdus rurſus iurant. 1573. Vrbem augent, & muniunt, & ornant. 1175. Alexandriæ obſeſſæ à Friderico adſunt. Papiam obſident. 1575. inducias cum Friderico abeunte faciũt. 1175. Galdinus moritur concionans contra hæreticos. 1175.

Algisivs Cimiliarcha archiepiſcopus. 1596. Mediolanenſes ſummo prœlio confligunt cum Friderico ad Lignanũ, & fugant. & cadunt exercitum eius die S. Siſinij. 1176. inducias in ſex annos faciunt cum Friderico. 1576. Vrbem operibus excolunt. 1179.

Lambertvs Cribellus archiepiſc. 1181. Mediolanenſes pacem Conſtantiæ cum Friderico faciunt. 1183. priuilegio à Friderico ornantur. 1581. Lambertus archiep. Henricum V Friderici filium regem Italiæ coronauit. fit pontifex, & Vrbanus III vocatur. 1185.

Milo Cardanus archiepiſcopus. 1185. Fridericus ſponſalia Conſtantiæ Henrico filio nuptæ Mediolani celebrauit. 1586. Mediolanenſibus ius pro arbitrio creandi Prætoris conceſsit. 1187. Mediolanenſes Cremonenſibus Carrocium ademerunt. 1591. iterum. 1191.

Vbertvs Terciagus archiepiſcopus. 1592. Mediolanenſes tertium Carrocium ademere Cremonenſibus. 1596.

Philippvs Lampugnanus arch. 1196.

Vbertvs Pirouanus archiepiſcopus. 1599.

RITVS ECCLESIAE.

MEDIOLANENSIS.

Quomodo legeretur, & conſecraretur archiepiſcopus. 600.

Quomodo conuentus habuit. 679. 1058.

Quomodo regem Italiæ coronauit. 774. 813. 876.

Quomodo regem in Imperatorem coronandum obtulit. 962.

Quomodo ius per Vicecomitẽ dixit. 973.

Quomodo feuda donauit. 992. 1026.

Dignitates Eccleſiæ Mediolanenſis quæ, & quot. 973.

Feudatarij eiuſdem. 973.

ARCHIEPISCOPI RAVENNATES, ET RES EORVM.

Vrbs Rauennæ cuius antiquitatis, po-

tentiæ, ac dignitatis fuerit.

Eccleſia Rauennas, cuius dignitatis fuerit, à quo inſtituta, & ornata fuerit. in proœmio.

Longinus Exarchus Italiæ à Iuſtino Imperatore ad gubernādam Italiam miſſus ſedem præfecturæ Rauennæ poſuit more ſuperiorum Imperatorum. item.

IOANNES *III archiepiſcopus erat, cum Longobardi venerunt in Italiam. Longinus Exarchus claſſem Rauennæ oppidum amiſit. 578. De origine eius oppidi. 578. Claſsis à Smaragdo Exarcho recuperatur. 587.*

Ioannes deficit à Romana Eccleſia, & tria capita Concilij Chalcedonenſis nō accepit. 585. contendit cum Gregorio pontifice de vſu pallij. 594.

MARINIANVS *archiepiſcopus. 595. pallio donatur à Gregorio pontifice. 595.*

IOANNES *IIII arch. 632. Rauennates in multu populari Ioannem Lemigium Exarchum occidunt. 615.*

IOANNES *V archiepiſcopus. 618.*

BONVS *archiepiſcopus. 630.*

MAVRVS *archiepiſcopus deficit à Romana Eccleſia, neque conſecrationem, neque pallium ab ea accipere vult, & in hæreſim autocephaliam incidit. 648. Vitalianum pontificem excommunicauit. 657.*

REPARATVS *archiepiſcopus. 672.*

THEODORVS *archiepiſcopus. 677. redegit eccleſiam Rauennatem ad obſequium Romanæ, & ſe ſubiecit Agathoni pontifici 678. 679. legatum pro ſe miſit ad ſextum Concilium. Conſtantinus Imperator ſtatuit, vt archiepiſcopus Rauennas Romæ à pontifice ſacraretur. 682.*

DAMIANVS *archiepiſcopus. 688. à Sergio pontifice conſecrationem accipit. 688.*

FELIX *archiep. 708. contumax aduerſus pontificem, cum cautiones in ſcrinio factas non ſeruaret. Itaque à Iuſtiniano Imp. Rauenna per Theodorum Exarchum obſidetur, et Felix capitur, Conſtantinopolimq́; mittitur, atque ex cæcatur. 709. idem poſt redit ad eccleſiam & pontifici obſequiū reddit. 715. Luitprandus rex Claſſem, & Rauennam cepit. Paulus Exarchus eam recepit. 725.*

IOANNES *VI archiep. 736. Aiſtulfus rex Rauennam capit Euthychio Exarcho. 752.*

SERGIVS *archiepiſcopus. 752. Pipinus rex Francorum eripit Rauennam Aiſtulfo regi, et tradit pontifici. 755. Hūc Stephanus II pont. Exarchum Rauennæ fecit, poſtquam ab Aiſtulfo Pipini beneficio recepit. 755.*

LEO *archiepiſcopus contra Michaelem à Deſiderio rege intruſum. 770.*

IOANNES *VII archiepiſcopus. 773.*

GRATIOSVS *archiepiſcopus. 773.*

IOANNES *VIII archiepiſcopus. 776.*

VALERIVS *archiepiſcopus. 809.*

MARINVS *archiepiſcopus. 810. Stephanus IIII pont. Rauennam profectus populo Sandalia Chriſti oſtendit. 816.*

PETRONAX *archiepiſcopus. 825.*

GEORGIVS *archiepiſcopus. 835. in Franciam profectus interfuit prælio regum Francorum. 844.*

DEVSDEDIT *archiepiſcopus. 847.*

IOANNES *IX. 850. inſolentia abuſus eſt in ſuffraganeos Aemiliæ. itaq; à Nicolao II pont. conuentu Romæ habito damnatus eſt. 859. & dignitati reſtitutus. 861. Rauennæ conuentus actus à Ioan. VIII pont. 874. item alter præſente Carolo Craſſo rege. 882.*

ROMANVS *archiepiſcopus. 885.*

DOMINICVS *archiepiſcopus. 888.*

IOANNES *X archiep. 897. hoc ſedēte Ioannes IX pontifex concilium Rauennæ habuit præſente Lamberto Imperatore. 898.*

PETRVS *archiepiſcopus. 907.*

IOANNES *XI. 907. qui poſt pontificatum adeptus Ioannes X dictus eſt. 914.*

PETRVS *archiepiſcopus. 915. Berengarius rex Rauennam pontifici Agapito ademit. 953. Petrus archiepiſcopus in cōcilio cōtra Ioannē XII pontificem affuit. 963. Otho Magnus conuentu Romæ*

INDEX.

ćto, Rauennam Berengario ereptam Joanni XIII pont. reddidit. 967.

HONESTVS *archiep. 973. ex abbate Claſſenſi. S. Romualdum Monachum allegit. 970. conuentum Epiſcoporum de commodis Eccleſiarum habuit. 973.*

IOANNES *XII archiepiſcopus. 984. Huic Gregorius V pont. priuilegia ſuperiorum pontificum confirmauit. 996.*

GEREBERTVS *archiep. ab Othone factus. 996: qui poſt pontificatum adeptus Syluester II eſt dictus. 998. conuentum ſuffraganeorum ſuorum ad res eccleſiæ conſtituendas præſente Othone III habuit. 996.*

LEO *archiepiſcopus. 998. huic Otho Magnus veteres poſſeſſiones confirmauit. 999.*

FRIDERICVS *archiepiſcopus. 1000.*

ADELBERTVS *archiepiſcopus. 1003.*

ARNOLDVS *archiepiſcopus. 1014. Adelberti acta infirmauit, vt vitio facti. 1014.*

HEREBERTVS *archiepiſcopus. 1024. contendit cum Hereberto archiepiſcopo Mediolanenſi Romæ de offerendo Conrado in Imperatorem coronando. 1027.*

GEBEARDVS *archiepiſcopus. 1030.*

VIDGERVS *archiepi. antequam conſecraretur ab Henrico II rege dignitate ſpoliatus. 1046.*

VVNFRIDVS *arch. ab Henrico rege Vidgero ſubrogatus, cum eſſet Italiæ Cancellarius. contendit de præſeſſione in concilio cum Vidone Mediolanenſi archiepiſcopo. 1047. abdicatus eſt in concilio à Leone IX, quod cum Eccleſia Romana contenderet. 1050. reconciliatus Leoni obijt. 1051.*

HENRICVS *archiepiſcopus ab Henrico rege ſubſtitutus contra pontificem pro rege ſtetit. 1052.*

GIBERTVS *Corrigia arch. ab Henrico III factus. 1070. Gregorium VII pont. Romæ iuſſu Henrici cepit. 1075. ab Henrico III Gregor. VII. pont. pontifex opponitur. 1080.*

Vacante ſede Paſchalis II pont. pro contumacia archiepiſcoporum ſuperiorũ ſuffraganeos Aemiliæ Eccleſia Rauennati ſubtraxit Bononienſem, Mutin. Regien. Parmenſem, & Placentinum. 1106.

VALTERVS. *1118. ſedi apoſtolicæ deditus Eccleſiam Rauennatem ad obſequium Romanæ redegit priuilegio ornatus à Gelaſio II pontifice ſuffraganeos Aemiliæ à Paſchali ſubtractos recepit. 1118.*

MOYSES *archiepiſcopus. 1145.*

ANSELMVS *archiepiſcopus à Friderico rege factus. 1155.*

VIDO *Comes Blanderatenſis archi. quem Hadrianus IIII pont. rogatus à Friderico noluit conſecrare. 1159. is Victorem coluit contra Alexandrum III 1160. Ferrarienſes ademerunt Argentam Rauennatib. 1170.*

GVLIELMVS *archiepiſcopus. 1175.*

VIDO *arch. 1187. legatus pontificius bello ſacro tertio. 1188.*

GVLIELMVS *arch. 1191. Marcoaldus Dux Rauennæ factus eſt ab Henrico V rege. 1195. eadem cum tota Romania recuperata eſt per Innocentiũ III. pontificem. 1198.*

ADELBERTVS *archiepiſcopus. 1198.*

PATRIARCHÆ AQVILIENSES. ET RES EORVM.

AQVILEIA, *cuius antiquitatis, potentiæ, ac dignitatis fuerit. 564.*

Eccleſia Aquileienſis, à quo inſtituta, & ornata fuerit, & cuius dignitatis. 564.

PAVLINVS *patriarcha erat Aquileiæ venientibus in Italiam Longobardis. & relicta Aquileia in Gradum Inſulam ſe cum theſauro Eccleſiæ contulit. 568.*

PROBINVS *ſucceſſit Paulino, & habitauit in Grado Longobardis Aquileiam tenentib. 573.*

HELIAS *patriarcha. is decretum à Pelagio II pont. rettulit, vt Eccleſiæ ſedes in Gradum transferretur. 580. & epiſcoporum acto conuentu decreuit, vt*

Eccle

Eccleſia Gradenſis caput eſſet vicinarum Eccleſiarum, quod Aquileiã Longobardi gentilitate infecti tenerent. 580 idem tria capita concilij Chalcedonenſis non accepit. & eo errore tres ſuos epiſcopos imbuit. & Ioannem archiepiſcopum Rauennatem in ſuam ſententiam traxit. 585.

Severvs patriarcha. 587. cum comprobaret tria Chalcedoneuſis concilij capita, inſtinctu Ioannis archiepiſcopi Rauennatis à Smaragdo Exarcho in Grado captus, & Rauennam deductus Ioanni aſſenſit. 587. dimiſſus cum Gradum rediſſet, ab epiſcopis ſuis tanquã hæreticus repudiatus, ſe per vim aſſenſiſſe oſtendit. 588. cum iterum defeciſſet, à Gregorio pontifice Romam euocatus cauſſam dixit. 590.

Ioannes patriarcha Aquileia à clero creatus eſt, quo improbato Bonifacius pont. Candianum patriarch. Gradenſem conſtituit. ita duo facti patriarchæ, vnus Aquileiæ, cui Epiſcopi Venetia ex continenti paruerunt, alter Gradi, cui Epiſcopi Venetiæ ex inſulis, itemque Iſtria obedíuerunt. inde Aquileienſis ſemper Gradenſi fuit infeſtus. 605.

Maximvs patriarcha. 634.

Martinianvs patriarcha. 634.

Felix patriarcha. 646.

Ioannes patriarcha. 660.

Petrvs patr. 701. Sergius pont. conuentum Aquileiæ iuſſit haberi, vt ea Eccleſia tria concilij Chalcedonenſis capita approbaret. 696.

Serenvs patriarcha. 719. Huic Gregor. II pont. rogatu Luit prandi regis pallium conceſſit ſuperioribus negatum vetuitque ne bona Eccleſiæ Gradenſis inuaderet. 719.

Calistvs patr. 726. hic Aquileia à Sclauis exactus Amatorem epiſcopum Foriiulij deturbare Eccleſia ſua voluit. Quare à Pemmone Duce in cuſtodiam traditus eſt, verum mox à Luitprando rege liberatur. 737.

Sigivaldvs patriarcha. 772.

Pavlinvs patriarcha. 776. is morem intermiſſum reuocauit conuentuum habendorum, & mores Eccleſiæ conſtituit. 796.

Vrbanvs patriarcha. 801.

Maxentivs. 805. Epiſcopos Iſtriæ ab obedientia patriarchæ Gradenſis eximere conatus eſt, nec Greg. IIII pont. edicto paruit. 830.

Andreas patriar. 846. monitus eſt à Sergio II pontifice de componenda lite cũ patriar. Gradenſi. 846. interfuit concilio habito Papiæ à Ludouico II rege. 855.

Venantivs patriarcha. 856.

Hendelmarivs patr. 869. communione priuatus à Ioanne VIII pontifice, quia conuentui Rauennati non affuit. 874.

Lvpvs. patriarcha. 878.

Valpertvs patriar. cum Carolo Craſſo Romam contendit ad coronã accipiendam. 880.

Fridericvs patriarcha.. 884.

Leo patriarcha. 897.

Vrsvs patriarcha. 909.

Lvpvs patr. 932. Cum hoc Petrus Candianus Dux Venetorũ interuentu Marini patriarchæ Gradẽſis pacem fecit, ne fines Venetorum aut lite, aut armis vexaret, ſed ius ex fœdere vtrinque diceretur. 942.

Engilfridvs patr. 944. affuit in concilio Othonis Romano, in quo Ioannes XII pont. abdicatus, & Leo VIII ſubrogatus eſt. 963.

Rodoaldvs patriarcha. 964.

Ioannes patriarcha. 997.

Poppo patriar. homo Germanus ab Henrico rege ſubſtitutus. 1016. Henrico regi affuit in bello Apulo.. 1023. Gradenſem Eccleſiam ſibi ſubijcere Henrici fauore tentauit. 1023. ac Grado occupata omnia ſacra violauit. 1024. Gradus à Venetis inde recepta. 1025. Herebertum archiepiſcopum Medíolani à Conrado cuſtodiẽdum accepit. 1037. impetrato priuilegio de ſubiectione Gradenſis Eccleſiæ Gradum incendit,

&

et ſacra abſportauit.1043. inde eo mortuo omnia per Venetos reſtituta ſunt. 1043.

EBERARDVS *patriarcha.1043. interfuit concilio Lateranenſi Clemẽtis II. pont. de reformatione Eccleſiæ.1047. cõtendit de præſeſſione cum archiepiſcopis Rauennate, & Mediolanenſi.1047.*

GOTOPOLDVS *patriarcha.1049.*

RAVENGERIVS *patriarcha.1066.*

SIGEHARDVS *patriarcha ab Henrico III rege factus.1068.*

HENRICVS *patriarcha.1077.*

FRIDERICVS *patriarcha.1084.*

VLDARICVS *patriarcha.1084.*

GERARDVS *Germanus patriarcha.1113. abdicatus ab Honorio II pont. quia Conrado regi ſchiſmatico adhæreret. 1130.*

PEREGRINVS *patriar.1130. cum Lothario rege pro Innocentio II contra Anacletum antipapam ſtetit. 1137. coluit Victorem pontificem contra Alexandrum III pontificem. & pro Friderici parte ſtetit.1160.*

VLRICVS *patriar.1161. victus à Venetis, & captus paciſcitur, ſe daturum quotannis* XII *porcos, &* XII *panes. 1162.*

GOTHIFREDVS *patriarcha.1184.*

PEREGRINVS *patriarcha.1198.*

PATRIARCHAE GRADENSES, DVCES VENETORVM, ET RES EORVM.

VENETI *ex proximis æſtuario urbib. Aquileia, Altino, Concordia, vt ante ſub irruptionem Gothorum, & Hunnorum, ſic demum ſub aduentum Longobardorum ad inſulas æſtuarij confugerunt.568.*

Paulinus patriar. Aquileienſis relicta Aquileia metu Longobardorum in inſulam Gradum continenti proximam ſe recepit cum theſauro eccleſiæ, eamq; ſedem eccleſiæ conſtituit, quod Longobardi gentiles Aquileiam tenerent. 568. cui ſucceſſit Probinus, deinde Helias, qui obtinuit à Pelagio II pont. vt eccleſia Gradenſis eſſet metropolis.580 Helias inde ſucceſſit Seuerus.

Giſulfus Dux Foroiulienſis mortuo Seuero per clerum Aquileienſis eccleſiæ patriarcham Aquileienſem Ioannẽ creauit, clerus vero Gradenſis Candianũ in Grado conſtituit. quem Bonifacius pont. approbauit. Ita duo patriarchæ facti Aquileienſis, & Gradenſis: Aquileienſi Venetiæ epiſcopi, Gradenſi Iſtriæ & inſularum paruerunt. Inde ſumma inter eos contentio nata. Aquileienſem reges, Gradẽſem Veneti defẽderũt. pontifices modo in hanc, modo in illam partem, ſed plerũq; in Gradenſem inclinarunt.605.

Ioannes Epiſcopus Concordiæ, vt tutior eſſet, ſedem ſuam Caprulas ad æſtuarium tranſtulit.605.

Opitergio à Rothari rege capto ciues ad æſtuaria confugerunt, atque ibi oppidũ Heracliam, nomine Heraclij Imp. tum viuentis condiderũt. Agreſtes homines eum ea contineri non poſſent, Equilium conſtruxerunt. vtraque poſt epiſcopum habuit.638.

Paulus epiſcopus Altini exemplo Ioannis ſedem Torcellum in æſtuarium contulit.638.

Paulus epiſcopus Patauinus vtrumque imitatus ſedem Metamaucum tranſtulit.638.

Lupus Dux Foroiulienſis theſauros eccleſiæ Gradenſis auertit.663.

Gregorius II pontifex decreto cauit, ne Sereuus patriarcha Aquileienſis bona Gradenſis inuaderet, cum eidem pallium conceſſiſſet.719.

Paulus Exarchus Rauenna à Luitprando pulſus ab Vrſo Duce Venetorum reſtituitur.725.

Deusdedit Dux Vrſi filius Heracliæ Ducis ſedem poſuit anno.740.

Nouus epiſcopus in Oliuola inſula, quæ Caſtellum dicitur, Hadriani pont. auctoritate conſtituitur, atque ei proxima inſula ſubijciuntur, Geminus, Rinoaltus, Luprum, & Dorſum durum

Obelerius à clero, & populo epiſcopus creatus, à Duce inueſtitus, à patriarcha Gradenſi conſecratus eſt. 774.

Mauricius Dux Ioannem filium ſibi collegam aſciuit, tumq́ primū Duos Duces Veneti habuerunt. 778.

Inter Carolum Magnum, et Nicephorū Impp. conuenit, vt Veneti inter vtrumque imperium poſiti, liberi, immunes, & ſecuri viuerent. 802.

Seditio inter Venetos exarſit. Chriſtophorum Oliuolenſem epiſcopum Ioannes patriarcha Gradenſis conſecrare noluit, à tribunis rogatus. Quare Ioannes Dux patriarchā præcipitauit: cui Fortunatus ſuffectus eſt. Fortunatus cum Obelerio Tribuno Metamauci in Franciā proficiſci ſtatuit, vt Carolum Magnum accenderet cōtra Duces, ſed ante à Ducibus pulſus eſt. Obelerius ab exulib. Venetis Dux declaratus. Fortunatus in Franciā perrexit. Obelerius Metamauco petita Ioannem, & Mauriciū Duces exegit, & ſe Ducē cū Beato, ac Valentino fratrib. fecit. Fortunatus à Carolo priuilegiū impetrauit, vt quiete Veneti degerent. 802. 803. 804. Obelerius, & tribuni Heracliā, vnde erant Ioan. & Mauricius, euerterunt. Heracliani alij Metamaucū, alij Torcellum, plerîq́ Riuoaltum petiuerunt. 805. Ioānes, et Mauricius pulſi ad Nicephorum Imperatorem cōtenderunt, Obelerius autem ad Carolum. 805. Nicephorus cum claſſe miſſa Ioānem, & Mauricium reſtituere vellet, non potuit. 806. ea de cauſſa ad Comaclū pugnatum inde eſt Nicephori, & Caroli opibus. 808.

Pipinus iuſſu Caroli patris bellum intulit Venetis, & vt Obeleriū, & Valentinū Duces reduceret, quos Beatus frater Dux tāquā Frācis amicos expulerat, et omnibus inſulis, in primisq́ Metamauco occupata, ad Oliuolā, et Riuoaltū, quò illi omnes mulieres, & facultates ſuas relicta Metamauco trāſtulerant, infeſtus acceſſit. ſed ab æſtu deſertus nihil profecit. Veneti ea occaſione ſedē in Oliuola, & Riuoalto poſuerunt, easq́ Venetias dixerunt. 810.

Oliuola epiſcopo, Riuoaltus Duci ſedes deſtinata. Angelus Particiacus Dux prætorium conſtruxit. 810.

Vrſus Venetiarum epiſcopus baſilicam S. Petri in Oliuola inchoauit. 821.

Veneti corpus S. Marci Venetias Alexandria detulerunt 828. atque ei baſilicā Ducali prætorio continentem conſtruxerunt. 829.

Ioannes Dux à Metamaucenſib. in bello contra Obelerium deſertus Metamaucum incendit, & Obelerium captum Vigliæ interemit. 830.

Maxentius patriarcha Aquileienſis epiſcopos Iſtriæ contra edictum Gregorij IIII pont. Gradenſi patriarchæ ſubtraxit. 830.

Petrus Dux auxilio fuit Imperatori contra Sarracenos Apuliā vexantes. 839.

Sergius II pont. litem inter patriarchas Gradenſem, & Aquileienſem propter eccleſias Iſtriæ ſedare conatus eſt, cum Andreas eccleſiam Aquileienſem teneret. 846.

Vrſus Dux proſperè ad Tarentum cum Sarracenis pugnauit. 874.

Lis inter Ducem, et patriarcham Gradenſem propter conſecrationem Epiſcopi Torcellani compoſita eſt. 874.

Ioannes Dux Comaclū expugnauit. 881.

Vngari anno 903 Ciuitatem Nouam, Equilium, Clodiam, & Caput aggeris incenderunt, & Albiolam, Metamaucum, Riuoaltum fruſtra tentarunt, à Petro Duce repulſi.

Petrus Candianus Dux fœdus cum Lupo patriarcha Aquileienſi fecit, vt ius vtrinq; ex fœdere diceretur, neque armis res ageretur, cum eſſet Marinus patriarcha Gradi. 942.

Petrus Candianus Ducis filius Berēgario regi affuit in expugnando Ducatu Spoletano, & Rauenna. 957.

Ioannes XIII pont. in concilio Romæ ſtatuit eccleſiam Gradenſem metropolim eſſe Venetiæ totius. 967.

Otho rex confirmat Vitali patriarchæ

Gradenſi priuilegia eccleſiæ. 973.
Veneti Petrum Cādianum Ducem in prætorio combuſſerunt, quo incēdio etiam ædes S. Marci continens conflagrauit.
Petrus Vrſeolus Dux prætorium refecit, & fœdus cum Iuſtinopolitanis renouauit. 978. poſt depoſito Ducatu monachum induit. 978.
Vitalis Candianus Dux item monachum ſe fecit 979.
Tribunus Memus Dux adem S. Georgij è regione prætorij ſitam monachis S. Benedicti dedit. 983.
Otho III Imp. confirmat priuilegia libertatis, & immunitatis, & ſecuritatis Veneto Duci. 992. Dux Venetorum Gradi, mœnia, templa, & prætorium refecit. 992.
Otho III Petrum Vrſeolum Ducis filium ex ſacro lauacro ſuſcepit, Othonemq; nominauit. 995.
Petrus Vrſeolus Dux claſſem in Iſtriam, & Dalmatiam miſit in die Aſcenſionis, vt eas contra Coruatos, & Narentanos defenderet, easq; ad imperiū Venetorum adiunxit, cum ante ſoli Iadertini parerent. Quare ſe Ducē Venetiarum, & Dalmatiæ inſcripſit. 997.
Syluester II pont. Vitali patriarchæ Gradenſi priuilegium de præſtantia eccleſia renouauit. 999. Veneti Othonem Ducem abdicatum in monaſterium incluſerunt. 1031.
Venetijs ſynodus acta epiſcoporum Gradenſis, Oliuolenſis, Torcellani, & Equilini. 1040. Veneti decretum faciunt, ne quis Dux ſibi collegam aſciſcat. 1040.
Poppo patriarcha Aquileienſis rurſus eccleſiam Gradenſem ſibi ſubijcere tentauit, & Grado occupata omnia ſacra violauit. Veneti mox Gradum receperunt. 1023. 1024. 1025.
Poppo patriarcha Aquileienſis impetrato a pont. priuilegio de ſubiectione Gradenſis eccleſia Gradum incendit, & ſacra abſportauit, quo mortuo omnia à Venetis reſtituta ſunt. 1043.
Leo IX pont. in concilio Lateranenſi epiſcopos Iſtriæ, & Venetiæ eccleſiæ Gradenſi ſubiecit. & patriarchæ Gradenſi pallium, & crucem indulſit: 1049. poſt ex Francia veniens Venetias adijt, atque honorifice à Duce exceptus, eum multis muneribus remunerauit. 1050.
Henricus III Venetias adijt, vrbem, & reip. formam cognouit, & laudauit, & monaſterijs priuilegia dedit. 1085.
Veneti bello primo ſacro affuerunt, et oſſa S. Nicolai Myrenſis retulerūt: 1098.
Alexand. II pont. Dominico patriarchæ Gradenſi principatum eccleſiæ confirmauit. 1064.
Veneti aram S. Marci tabula argentea varijs pretioſarum gemmarum generib. intertexta ornarunt. 1105.
Metamauco terræmotu ſubuerſa epiſcopus ſedem Clodiam tranſtulit. 1105.
Henricus III rex, & Imperator Venetias progreſſus mirè à Venetis honoratur. 1116.
Lombardi ex Venetorum auctoritate fœdus fecerunt contra Fridericum regem. 1167.
Veneti iurarunt, ſe Lombardis fœderatis auxilio futuros Brenta, Pado, & mari. 1168. Idem fœdus confirmatur. 1173.
Vlricus patriarcha Aquileienſis Gradum bello adortus à Venetis capitur, et quotannis XII porcos, & XII panes dare Duci cogitur. 1170.
Venetiæ pro Lōbardis ſteterūt contra Fridericū, dum induciæ pactæ ſunt. 1176.
Alexander III pont. Venetias contendit, vt ibi cum Friderico rege pacem faceret, & fecit, à Sebaſtiano Ziano Duce, & Henrico patriarcha Gradenſi exceptus, ipſum Ducem multis priuilegijs decorauit. 1177.
Veneti bello ſacro tertio claſſem miſerunt. 1188.

ITALIA,

ET PROVINCIAE EIVS.

SEX Italiæ ordinationes in hac hiſtoria

INDEX.

exponuntur.Prima Iuſtini Imp.Secunda Longobardorum.Tertia Francorū. Quarta Italicorum regū. Quinta Germanorum.Sexta Italicorum populorū.

Venientibus in Italiā Lōgobardis erat in XVII *prouincias diuiſa,de quib.ſcriptum eſt in libro, qui dicitur Notitia vtriuſque Imperij fuerunt antē hę. Venetia,Liguria, Alpes Cottia, Tuſcia, Campania,Lucania,Aemilia, Flaminia,Picenum,Valeria,Samnium,Apulia,Rhætia prima, Rhætia ſecunda,Sicilia,Corſica,& Sardinia. Quarū prouinciarum erant gubernatores trium generum Correctores, Conſulares, & Præſides. Eadem diuiſio eſt apud Paulum Diaconum his verbis.*

Italiæ *prima prouincia Venetia eſt, quæ non ſolum in paucis inſulis, quas nūc Venetias dicimus, conſtat, ſed eius terminus à Pannoniæ finibus vſque ad Abduam fluuium protenditur. Venetia autem Iſtria connectitur, & vtraq; pro vna prouincia habentur. Huius Venetiæ Aquileia caput extitit,pro qua nunc Forum Iulij, ita dictum, quòd Iulius Cæſar negotiationis forum ibi ſtatuerat,habetur. inde Vicetia,Verona, Patauium, Monsſilicis, Mantua.*

Secunda eſt Liguria,in qua eſt Mediolanum, & Ticinum, quæ Papia nuncupatur. Hæc vſque ad Gallorum fines extenditur.

Rhætia prima, & Rhætia ſecunda inter Liguriam, & Sueuiam Alemanorum, quæ Septentrionem verſus ſita eſt, inter alpes conſiſtunt, in quibus proprie Rhæti habitare noſcuntur.

Quinta prouincia Alpes Cottiæ ſunt,quæ ſic à Cottio rege, qui Neronis tempore fuit,ſunt appellata. Hæc à Liguria in Eurum verſus vſque ad mare Tyrrhenum extenditur,ab occiduo vero Gallorum finibus copulatur in Aquis, vbi aquæ calidæ ſunt,Derthona,& monaſterium Bobium, Genua quoque, & Sauona ciuitates habentur.

Sexta prouincia eſt Tuſcia,quæ habet intra ſe Circium verſus Aureliam, ab Orientis vero parte Vmbriam. in hac eſt Roma. in Vmbria vero, quæ iſtius pars ponitur, Peruſium, & lacus Clitorius, Spoletumq;.

Septima prouincia Campania ab vrbe Roma vſque ad Silarum Lucaniæ fluuiū producitur.in qua vrbes Capua, Neapolis, & Salernum.

Octaua Lucania, quæ à Silaro flumine inchoatur cū Brutia vſque ad fretū Siculum.in qua Pæſtum, Lainū, Caſsianum,Conſentia, Rhegiumq; vrbes.

Nona prouincia in Apenninis alpibus ſita eſt,quæ inde originem capiunt, vbi Cottiæ finiuntur.hę Apenninæ per mediam Italiā extēſa Tuſciam ab Aemilia,Vmbriamq; à Flaminia diuidunt. in qua ſunt ciuitates Ferronianum, Monsbellus, Bobium.

Decima prouincia Aemilia à Liguria incipiens inter Apenninas alpes,& Padi fluenta Rauennam verſus pergit. Hæc locupletibus vrbibus decoratur, Placentia, Parma, Regio, Bononia, Foro Cornelij,cuius caſtellum Imola appellatur.

Vndecima Flaminia,quæ inter Appenninas alpes,& mare Adriaticum eſt, in qua nobiliſsima vrbium Rauenna.

Duodecima prouincia Picenum habēs ab auſtro Appenninos montes, ex altera vero parte Adriaticū mare. Hæc vſq; ad Piſcariam flumen protenditur. in qua ſunt ciuitates quattuor,Firmum, Aſculum,Pinna, quæ iam vetuſtate conſumpta eſt,& Hadria.

Tertiadecima Valeria,cui eſt Nurſia annexa inter Vmbriam, et Campaniam, & Picenum: quæ ab Oriente Samnitū regionē attingit. Huius pars occidua, quæ ab vrbe Roma initium capit,Etruria dicta eſt.Hæc habet Tibur,Carſeolos,Reate,Furconium,Amiternum, regionemq; Marſorum,& eorum lacum, qui Fucinus appellatur.

Quartadecima Samnium inter Campaniam,et mare Adriaticū,Apuliamq; à Piſcaria incipiens. in hac ſunt vrbes

Teate, Aufidena, Aeſernia, Samnium, à quo tota prouincia nominatur. Et eſt harum prouinciarum caput ciuitas ditiſsima Beneuentum.
Quintadecima Apulia cum Calabria, in tra quam eſt regio Sallentina. Hac ab Occidente, & Africo habet Samnium, & Lucaniam, à ſolis vero ortu Adriatico pelago finitur. habet vrbes ſatus opulentas Luceriam, Sypontum, Canuſium, Acheruntiam, Brunduſium, Tarentum, & Hydrontum.
Sextadecima Sicilia inſula.
Septimadecima Corſica inſula.
Octauadecima Sardinia inſula.
Cum hoc ſtatu eſſet Italia, Iuſtinus Imp. gubernatorem Italiæ impoſuit, quem Exarchum Italiæ appellauit, qui nomina Correctorum, Conſularium, & Præſidum aboleuit, Romæ, ac ſingulis ciuitatibus Duces præfecit. 566. Poſt eius aduentum Flaminia, Exarchatus, & Picenum Pentapolis dicta eſt, cuius diuiſionis mentio eſt in Actis ſexti Concilij anno DCLXXX, *hoc modo.*
Epiſcopi prouinciæ Campaniæ, qui Concilium approbarunt.
TARRACINENSIS, Fundanus, Formianus, Cumanus, Miſenas, Puteolanus, Locrenſis, Neapolitanus, Nolanus, Beneuentanus, Capuanus, Veliternus, Portuenſis, Sylua candida, Nomentanus, Albanenſis.
Prouinciæ Bruttiorum, *Conſentinus, Tempſanus, Hydrontinus Tarētinus, Thurinus, Crotonenſis, Scyllacinus.*
Prouinciæ Calabriæ, *Taurianus, Torpeianus, Tempſanus, Surrentinus.*
Prouinciæ Pentapolis, *Piſaurenſis, Fanenſis, Numanas, Auximas, Anconitanus.*
Prouinciæ Tuſciæ, *Peruſinus, Tudertinus, Bleranus, Sutrinus, Metaurenſis, Nepeſinus, Falernitanus, Amerinus, Polimartienſis, Narnienſis.*
Prouinciæ Iſtriæ, *Aquileienſis; cuius ſuffraganei hi. Polenſis, Parentinus, Cenetenſis, Veientanus, aliàs Viglenſis, Tergeſtinus, Opitergienſis, Paduanus, Altinenſis. Præter hos nominātur etiā hi anno 588. Sabionenſis, qui & Vicetinus, Taruiſinus, Feltrinus, Saccilanus, Belunenſis, Iulienſis.*
Manſuetus archiepiſcopus Mediolanenſis, & ſuffraganei eius hi. *Bergomas, Laudenſis, Ticinenſis, Aquenſis, Cremonenſis, Nouarienſis, Eporædienſis, Genuenſis, Derthonenſis, Haſtenſis, Valuenſis, Albingaunenſis, Vercellenſis, Taurinas, Vintimillienſis, Lunenſis.*
Theodorus archiepiſcopus Rauennas, & ſuffraganei eius hi. *Sarſinenſis, Cornelienſis, Bononienſis, Caſenas, Fauentinus, Fidentinenſis, Liuienſis, Placentinus, Regienſis, Mutinenſis, Parmenſis.*
In diplomate Gelaſij II pontificis anno 1118, hi ſuffraganei nominantur. Placentinus, Parmenſis, Regienſis, Mutinenſis, Bononienſis, Ferrarienſis, Adrienſis, Comaclenſis, Imolenſis, Fauentinus, Forolimienſis, Foropopilienſis, Bobienſis, Caſenas, Ficoclenſis. & anno 789. Cerutenſis, Comaclenſis, Popillienſis, Caſenas, Imolenſis, Fauentinus.
Ex tabulis donationis Ludouici Pij.
Ducatus Romanus hæc oppida complexus eſt.
Portum, Centumcellas, Cære, Bledam, Maturanum, Sutrium, Nepet, Caſtellum Galleſij, Ortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Peruſium, Narniā, Ocriculos, Signiam, Anagniam, Ferentinum, Alatrium, Patricum, Fruſinonem, Tibur.
Exarchatus Rauennas hæc oppida complexus eſt.
Rauennam, Aemiliam, Bobium, Caſenam, Forumpopilly, Forumliuij, Fauentiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Gabellum.
Pentapolis vero hæc oppida complexa eſt.
Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam,

liam, Anconam, Auximum, Numanã, Aeſium, Forum Semproniј, Montem Feretri, Vrbinum, Calles, Luceolos, Eugubium Itẽ in legibus Caroli Magni ſcriptum eſt. Qui ex partibus Beneuenti, Spoleti, Romania, & Pentapolis confugium faciunt 785.
SECVNDA ordinatio Italia fuit Longobardorum, à quibus Italia magna ex parte in regni formulã redacta eſt, hoc modo.
Venetia erepta Imperatori ab Alboino rege Longobardorum, et pars eius in Ducatum Foroiulienſem redacta. 570.
Liguria erepta Imperatori ab Alboino rege, & regno attributa. 570.
Vmbria erepta Imperatori ab Alboino rege, & in Ducatum Spoletanum redacta. 575.
Tuſcia erepta Imperatori ab Alboino, pars in Ducatum Tuſcum redigitur, pars regno attribuitur, reliqua, quæ Ducatu Romano continebatur, in poteſtate remanet Imperatoris vnà cum Roma. 575.
Samnium prouincia erepta ab Authari rege Imperatori in Ducatum Beneuentanum redigitur. 589.
Alpes Cottia prouincia erepta à Rothari rege Imperatori regno Italia adiungitur. 637.
Inſtituta regni Longobardorum ſunt in Alboino, Authari, & Agilulfo regibus.
Flaminia, et Pienum, quod Longobardorum tempore ferè Pentapolis dicebatur, Ducatus Romanus, cuius pars erat in Etruria, pars in Campania. Apulia, & Calabria, remanſerunt in poteſtate Imperatoris irrumpentibus in Italiam Longobardis.
TERTIA Italia ordinatio à Francis illata eſt, hoc modo.
Ducatus Romanus peruenit ad Gregoriũ II pontificem, cum Romani defeciſſent ab Imperatore Leone Iſauro propter hæreſim, ſacramento à pontifice liberati, & poſt à Carolo Magno victore confirmatus eſt.
Flaminia, quæ etiam Exarchatus appellari poſt aduentum Lõgobardorum cœpta eſt, erepta ab Aiſtulfo rege Imperatori, & pontifici Romano tradita victoria Pipini regis Francorum, & confirmata à Carolo Magno, & Ludouico Pio, eadem Romania vocari cœpta.
Pentapolis erepta Imperatori ab Aiſtulfo rege, & recuperata à Pipino rege Francorum, & tradita pontifici. 817. 861.
Ducatus Spoletanus à Carolo Magno partus pontifici, ad quem defecerat, firmatus eſt.
Venetia, Liguria, Alpes Cottia, Aemilia, & pars Tuſcia, quæ regno Longobardorum continebantur, eadem victoria Caroli Magni regno Italia conſeruata. 774. 802. 781. 1173. atque vno nomine Longobardia, aut Lombardia nuncupatæ.
Qua inſtituta in regnum Carolus intulerit lege. 774.
De Ducatu Foroiulienſi lege in Ducibus Foroiulienſibus.
De Spoletano in Spoletanis, & Põtificib.
De Tuſco in Tuſcis.
De Beneuentano in Beneuentanis.
De Ducatu Romano, Exarchatu, et Pentapoli in Imperatoribus, & Pontificibus.
QVARTA ordinatio regni Italia fuit ſub Italicis Craſſo rege Italiæ mortuo. ſub quibus perpetua regum, & populorum, & principum, & inter ſe ſeditiones fuerunt.
QVINTA, eaq; inſignior fuit Othone Magno rege Germania, ad regnum Italiæ, & titulum Imperij euocato. Qua inſtituta in regnum ille intulerit. 973. & deinceps.
Apulia, & Calabria, quæ ſemper in poteſtate Imperatoris Conſtantinopolitani fuerant poſt victoriam Iuſtiniani Magni, tum à Normanis occupata, vnde Comites primũ, deinde Duces Apuliæ, & Calabriæ, quos demum pontifex Romanus inueſtitura data confirmauit. multi etiam alij feudatarij

inſtituti. Beneuentum traditum ab Henrico fuit pontifici.

SEXTA *mutatio regni Italiæ fuit ſub Henrico III, & IIII, quâ ciuitates à regibus defecerunt propter hæreſim Simoniacam, et anathema contemnentē, ſacramento à Gregorio VII pontifice ſoluta, ac libertatem inſtituerunt. Res autem acta eſt in hunc modum.*

Italici, in primisq́, Lombardi externum regnum pertæſi regni, & Imperij cupiditate flagrare cœperunt ſub Carolo Craſſo rege. 884. atque ab Hadriano III pontifice ius legendi ex ſuo corpore regis, & Imperatoris obtinuerunt. 884. Cum duos inde reges creaſſent, perpetuis ſeditionibus Italiam, & Eccleſiam perturbauere, quouſque aduerſus Berengarium II regem tyrannidem exercentem Othonem Magnum regem Germania aduocauere, qui rex, & Imp. eſt deſignatus. Rurſus pœnitentia ducti ſub Othone Magno, ſub Othone II & III de regni titulo recuperando egere. 1002. item ſub Henrico, cui Ardoinum regem oppoſuerūt. Lombardi præcipue ſub Conrado arbitrij libertatem quaſiuere. ſed ab eo coerciti ſunt. Quieuere inde ſub Henrico II. ſub Henrico vero III oborto ſchiſmate ſoluti ſacramento à Gregorio VII pōtifice à rege defecere, & quaſi liberi arma tractare inſtituere. 1077. cum eodem tempore ad bellum ſacrum frequentes iuiſſent, atque victores reuertiſſent, elatiores facti in eadem contumacia perſtitere. atque inde Henrico IIII regnāte eā auxere, ita vt ſub Lothario, et Conrado pro arbitrio agere, & rēpub. ac libertatem ordinare perrexerint. à Friderico inde cum coercerentur, inter ſe coniurarunt, atque maxima contentione bellorum, & vrbium vaſtatione illum vicerunt, & pacem Conſtantiæ rebus ſuis aptam obtinuerunt. inde fœdera, & ſocietates inter ſe firmarunt. ac ſingulæ vicinas aggredi ciuitates propria parandæ potentia cauſſa inſtituerunt.

VRBES, ET OPPIDA ITALIAE.
Ex Itinerario Antonini manuſcripto.

ITER, *quod à mediolano per Picenum, & Campaniam ad Columnam, ideſt Traiectum Siciliæ ducis, m. p. m. DCCCLVI. ſic.*

Laude, ciuitas.	*m.p.m.16*
Placentia, ciuitas.	*m.p.m.24*
Fidentiola, vicus.	*m.p.m.24*
Parma, ciuitas.	*m.p.m.15*
Regio, ciuitas.	*m.p.m.18*
Mutina, ciuitas.	*m.p.m.17*
Bononia, ciuitas.	*m.p.m.25*
Foro Corneli, ciuitas.	*m.p.m.24*
Fauentia, ciuitas.	*m.p.m.10*
Caſena, ciuitas.	*m.p.m.24*
Arimino, ciuitas.	*m.p.m.20*
Piſauro, ciuitas.	*m.p.m.24*
Senogallia, ciuitas.	*m.p.m.23*
Vltra Ancona.	*m.p.m.26*
Potentia, ciuitas.	*m.p.m.16*
Caſtello Firmano.	*m.p.m.20*
Truento, ciuitas.	*m.p.m.26*
Caſtro nouo, ciuitas.	*m.p.m.12*
Aterno, ciuitas.	*m.p.m.24*
Interbromium, vicus.	*m.p.m.25*
Sulmone, ciuitas.	*m.p.m.28*
Aufidena, ciuitas.	*m.p.m.24*
Aeſernia, ciuitas.	*m.p.m.28*
Bouiano, ciuitas.	*m.p.m.18*
Super Thamarim fluuium.	*m.p.m.16*
Ad Equumtuticum.	*m.p.m.22*
Ad Matrem magnam.	*m.p.m.16*
In Honoratianum.	*m.p.m.20*
Venuſio, ciuitas.	*m.p.m.28*
Opino.	*m.p.m.15*
Ad fluuium Bradam.	*m.p.m.29*
Potentia.	*m.p.m.24*
Acidios.	*m.p.m.24*
Grumento.	*m.p.m.29*
Semunda.	*m.p.m.27*
Nerulo.	*m.p.m.16*
Summurano.	*m.p.m.16*
Capraſis.	*m.p.m.21*
Conſentia.	*m.p.m.28*
Ad fluuium Sabbatum.	*m.p.m.18*
Ad Turres.	*m.p.m.18*

Ad fluuium Angitulam. m.p.m.13
Nicotera. m.p.m.25
Ad Mallias. m.p.m.24
Ad COLVMNAM. m.p.m.14

ITER Appia ab vrbe recto itinere ad Columnam.m. p.m. CCCCLV.

Aricia. m.p.m.16
Tribus Tabernis. m.p.m.17
Appijforo. m.p.m.18
Tarracina. m.p.m.18
Fundis. m.p.m.16
Formijs. m.p.m.13
Minturnis. m.p.m.9
Capua. m.p.m.26
Nola. m.p.m.21
Nuceria. m.p.m.16
In medio Salerno ad Sarnũ flu. m.p.m.25
Ad Calorem flu. m.p.m.24
In Marcelliana. m.p.m.25
Cæſariana. m.p.m.21
Nerulo. m.p.m.33
Summurano. m.p.m.16
Caprasis. m.p.m.21
Conſentia. m.p.m.28
Ad Sabbatum fluuium. m.p.m.18
Ad Turres. m.p.m.18
Vibone. m.p.m.21
Nicotera. m.p.m.25
Ad Mallias. m.p.m.24
Ad Columnam. m.p.m.14
ITER à Capua Beneuentum. m.p.m.33

Iter à Capua Equotuticum, vbi Campania limitem habet.m.p.m. LIIII. ſic.

Caudio. m.p.m.21
Beneuento. m.p.m.12
Equumtuticum. m.p.m.22

ITER ab Equotutico per Roſcianum Rhegium. m. p.m. CCCCLXXVIII.ſic.

Sentianum. m.p.m.33
Baleianum. m.p.m.24
Venuſia. m.p.m.22
Ad Pinum. m.p.m.22
Opinum. m.p.m.32
Cælianum. m.p.m.40
Heraclia. m.p.m.28
Ad Viceſimum. m.p.m.24
Thurios. m.p.m.20
Roſcianum. m.p.m.12
Paternum. m.p.m.28
Meto. m.p.m.32
Tacina. m.p.m.24
Scylacio. m.p.m.22
Cocyntho. m.p.m.22
Succeiano. m.p.m.20
Subceſſino. m.p.m.24
Altanum. m.p.m.20
Hypporum. m.p.m.24
Decaſtadium. m.p.m.12
Rhegium. m.p.m.20

ITER ab Equotutico Hydrontum ad Traiectum.m.p.m. CCXXXV. ſic.

Eſcas. m.p.m.18
Erdonias. m.p.m.19
Cannuſio. m.p.m.26
Rubos. m.p.m.23
Bruduntus. m.p.m.11
Vria. m.p.m.12
Turribus. m.p.m.21
Egnatia. m.p.m.16
Speluncas. m.p.m.20
Brundiſium. m.p.m.19
Lupias. m.p.m.21
Hydruntum. m.p.m.25

ITER à Brundiſio Tarentum ad latus. m.p.m.XLIIII.

ITER à Nania per compendium Tarentum. m. p. m. LX.

ITER à Beneuento Hydruntum. m.p.m.CLVII.ſic.

Aeculano. m.p.m.15
Subromula. m.p.m.22
Ponte Aufidi. m.p.m.22
Venuſia. m.p.m.19
Ad Siluianum. m.p.m.20
Sublapatia. m.p.m.21
Canales. m.p.m.13
Hydruntum. m.p.m.25

ITER à Beneuenro Tarentum. m. p. m. CL. ſic.

Aeculano. m.p.m.15
Subromula. m.p.m.22
Ponte Aufidi. m.p.m.22
Venuſia. m.p.m.19
Siluium. m.p.m.20

Plera. m.p.m.13
Sublapatia. m.p.m.14
Canales. m.p.m.13
Tarentum. m.p.m.20

ITER à Tarracina Beneuentum. m.p.m. CXIII. ſic.

Fundis. m.p.m.13
Formijs. m.p.m.13
Minturnis. m.p.m.9
Teano. m.p.m.18
Allifis. m.p.m.17
Teleſia. m.p.m.25
Beneuentum. m.p.m.18

ITER à Tarracina Neapolim. m.p.m. LXXXVII. ſic.

Sinueſſa. m.p.m.44
Linterno. m.p.m.24
Cumis. m.p.m.6
Puteolis. m.p.m.3
Neapolim. m.p.m.10

ITER à Neapoli Miſenum. m.p.m. LXXIX.

Nuceria Conſtantia. m.p.m.23
Linterno. m.p.m.31
Cumis. m.p.m.6
Baijs. m.p.m.3
Miſenum. m.p.m.3

ITER ad vrbe Mediolanum. m.p.m. CDXXVIII. ſic.

Roſtrata villa. m.p.m.24
Ocriculis, ciuitas. m.p.m.25
Narnia, ciuitas. m.p.m.12
Interamna, ciuitas. m.p.m.8
Spoletio, ciuitas. m.p.m.18
Foro Flaminij, vicus. m.p.m.18
Heluillo, vicus. m.p.m.27
Calle, vicus. m.p.m.24
Foro Sempronij. m.p.m.18
Fano Fortunæ. m.p.m.16
Piſauro. m.p.m.8
Arimino. m.p.m.24
Ab Arimino recto itinere Rauennam. m.p.m.33.
Inde nauigantur ſeptem maria Altinum vſque. m.p.m.
Inde Concordiam. m.p.m.31
Aquileia. m.p.m.31
Item ab Arimino.
Caſena, ciuitas. m.p.m.20
Fauentia, ciuitas. m.p.m.24
Foro Corneli, ciuitas. m.p.m.10
Bononia, ciuitas. m.p.m.24
Mutina, ciuitas. m.p.m.25
Regio, ciuitas. m.p.m.18
Parma, ciuitas. m.p.m.18
Fidentiola, vicus. m.p.m.20
Placentia, ciuitas. m.p.m.24
Laude, ciuitas. m.p.m.24
Mediolanum, ciuitas. m.p.m.16

ITER à Mediolano Aquileiam. m.p.m. CCLXX

Bergomo, ciuitas. m.p.m.34
Brixia ciuitas. m.p.m.18
Sermione, manſio. m.p.m.22
Verona, ciuitas. m.p.m.23
Vicetia, ciuitas. m.p.m.34
Patauio, ciuitas. m.p.m.27
Altino, ciuitas. m.p.m.33
Concordia, ciuitas. m.p.m.31
Aquileia. m.p.m.31

ITER ab Opitergio Tridentum. m.p.m. CX.

Ad Cepaſias. m.p.m.28
Feltria. m.p.m.28
Auſugo. m.p.m.30
Tridento. m.p.m.24

ITER ab Aquileia Bononiam. m.p.m. CCXVI. ſic.

Concordia. m.p.m.31
Altino. m.p.m.31
Patauio. m.p.m.32
Ateſte. m.p.m.25
Anciano. m.p.m.20
Vico Variano. m.p.m.18
Vico Sernino. m.p.m.20
Mutina. m.p.m.24
Bononia. m.p.m.18

ITER à Verona Bononiam. m.p.m. CV. ſic.

Hoſtilia. m.p.m.30
Colicaria. m.p.m.25
Mutina. m.p.m.25
Bononia. m.p.m.25

ITER à Vercellis Laudem. m.p.m. LXX. ſic.

Laumello. m.p.m.25
Ticino. m.p.m.22
Laudem. m.p.m.23

INDEX.

Iter à Cremona Bononiam. m. p. m. cxii. ſic.

Brixillo. m.p.m.30
Regio. m.p.m.40
Mutina. m.p.m.17
Bononiam. m.p.m.25

Iter à Fauentia Lucam. m.p. m. cxx. ſic.

In caſtello. m.p.m.25
Anneiano. m.p.m.25
Florentia. m.p.m.20
Piſtorio. m.p.m.25
Lucam. m.p.m.25

Iter à Parma Lucam via Clodia. m. p. m. c.

Iter à Luca Romam per Clodiam. m. p. m. ccxxxviii.

Piſtorio. m.p.m.25
Florentia. m.p.m.25
Ad fines, ſiue caſas Cæſarianas. m.p.m.25
Arretio. m.p.m.25
Ad ſtatuas. m.p.m.25
Cluſio. m.p.m.12
Vulſinijs. m.p.m.30
Foro Caſsij. m.p.m.28
Sutrio. m.p.m.11
Baccanis. m.p.m.12
Romam. m.p.m.21

Iter à Roma Forum Clodij. m. p. m. xxxii.

Iter ab Arimino Derthonam m. p. m. ccxxix.

Curua Caſena. m.p.m.20
Foroliuij. m.p.m.13
Fauentia. m.p.m.10
Foro Corneli. m.p.m.10
Claterna. m.p.m.16
Bononia. m.p.m.10
Mutina. m.p.m.25
Regio. m.p.m.18
Taneto. m.p.m.10
Parma. m.p.m. 8
Fidentia. m.p.m.15
Florentia. m.p.m.10
Placentia. m.p.m.15
Camillomago. m.p.m.25
Iria. m.p.m.16
Derthona. m.p.m.10

Iter à Luca Piſas. m. p. m. xii.

Iter à Luca Lunam. m. p. m. xxxiii.

Iter via Aurelia à Roma per Tuſciam, & Alpes maritimas Arelatũ vſque m.p.m. dccxcvi.

Lorio. m.p.m.12
Ad Turres. m.p.m.10
Pyrgis. m.p.m.12
Caſtro nouo. m.p.m. 8
Centumcellis. m.p.m. 5
Martha. m.p.m.10
Foro Aurelij. m.p.m.14
Coſſa. m.p.m.25
Ad Lacum Aprilem. m.p.m.22
Saleprone. m.p.m.12
Manliana. m.p.m. 9
Populonio. m.p.m.12
Vadis Volateranis. m.p.m.25
Ad Herculem. m.p.m.18
Piſis. m.p.m.13
Papiriana. m.p.m.11
Tune. m.p.m.12
Boaceas. m.p.m.12
Bodecia. m.p.m.28
Tecolata. m.p.m.12
Delphinis. m.p.m.21
Genua. m.p.m.12
Liburna. m.p.m.36
Derthona. m.p.m.35
Aquis. m.p.m.38
Crixia. m.p.m.20
Canalico. m.p.m.10
Vadis Sabbatis. m.p.m.12
Pollupice. m.p.m.12
Albingauno. m.p.m. 8
Lacobormani. m.p.m.15
Coſtaballene. m.p.m.16
Albintimilio. m.p.m.16
Lumone. m.p.m.10
Alpe ſumma. m.p.m. 6
Hucuſque Italia.hinc Gallia
Cemenelo. m.p.m. 9
Varo flumine. m.p.m. 6
Antipoli. m.p.m.10
Ad Horrea. m.p.m.12
Foro Iulij. m.p.m.18
Foro Voconij. m.p.m.12
Mantauonio. m.p.m.12

Ad

Ad Turrem. m.p.m.14
Tecolata. m.p.m.16
Aquis Sextijs. m.p.m.15
Maſsilia. m.p.m.18
Calcaria. m.p.m.14
Foſsis Marianis. m.p.m34
Arelate, m.p.m.33

ALIVD ITER à Roma Coſſam. m. p.m. LXI. ſic.

Cære. m.p.m.15
Aquis Apollinaris. m.p.m.19
Tarquinijs. m.p.m.12
Coſſam. m.p.m.15

ITER à Roma per portum Centumcellas. m.p. m. LXIX. ſic.

In portum. m.p.m.19
Fregenis m.p.m. 9
Alſio. m.p.m. 9
Ad Turres. m.p.m. 4
Pyrgis. m.p.m.12
Caſtro nouo. m.p.m. 8
Centumcellis. m.p.m.8

Iter ab Vrbe Lauinium. m. p. m. LXVIII.

Hoſtia. m.p.m.16
Laurento. m.p.m.16
Lauinio. m.p.m.16

Iter Præneſtina ab vrbe Beneuentum vſque. m. p. m. CLXXXVI. ſic.

Gabijs. m.p.m.15
Præneſte. m.p.m.11
Anagnia. m.p.m.24
Ferentino. m.p.m. 8
Fruſinone. m.p.m.7
Fregellis. m.p.m.14
Fabrateria. m.p.m. 3
Aquino. m.p.m. 8
Caſino. m.p.m.7
Venafro. m.p.m.16
Teano. m.p.m.18
Allifis. m.p.m.16
Teleſia. m.p.m.26
Beneuentum. m.p.m.18

Iter Lauicana ab vrbe Beneuentum vſque.m.p.m. CLXX. ſic.

Ad Quintanas. m.p.m.15
Ad Pictas. m.p.m.10
Compito. m.p.m.15
Ferentino. m.p.m. 8
Fruſinone. m.p.m. 7
Fregellis. m.p.m.14
Beneuentum, manſionibus, quibus & in Præneſtina. m.p.m.CI

Iter Latina ab vrbe ad Compitum. m. p. m. XLV.

Ad Decimum. m.p.m.10
Roboraria. m.p.m. 3
Ad Pictas. m.p.m.17
Compitum. m.p.m.15

Iter Lauicana, & Salaria ab vrbe Hadriam vſque m. p. m. CLVI. ſic.

Hereto. m.p.m. 1
Vico nouo. m.p.m.14
Reate. m.p.m.16
Cutilijs. m.p.m.18
Interocrea. m.p.m. 6
Falacrina. m.p.m.16
Vico Badies. m.p.m. 9
Ad Centeſimum. m.p.m.10
Aſculo. m.p.m.12
Caſtro Truentino. m.p.m.20
Caſtro nouo. m.p.m.12
Hadriam. m.p.m.15

ITER Taleria ab Vrbe Hadriam vſque. m.p.m. CXLVIII. ſic.

Tibure. m.p.m.20
Carſeolis. m.p.m.22
Alba Fucentia. m.p.m.22
Cerſennia. m.p.m.23
Corſinio. m.p.m.28
Interbromio. m.p.m.11
Teate Marrucinorum. m.p.m.17
Hadriam. m.p.m.14

ITER Flaminia ab vrbe per Picetium Brunduſium vſque m.p.m. DCXXVII.

Ocriculis. m.p.m.47
Narnia. m.p.m.12
Ad Martis. m.p.m.18
Meuania. m.p.m.16
Nuceria. m.p.m.18
Dubios. m.p.m. 8
Prolaque. m.p.m. 8
Septempeda. m.p.m.11
Trea. m.p.m. 9
Auximo. m.p.m.18

Ancona.	*m.p.m.12*
Numana.	*m.p.m. 8*
Potentia.	*m.p.m.10*
Caſtello Firmano.	*m.p.m.24*
Caſtro Truentino.	*m.p.m.24*
Caſtro nouo.	*m.p.m.12*
Hadria.	*m.p.m.15*
Oſtia Aterni.	*m.p.m.16*
Angulo.	*m.p.m.10*
Ortona.	*m.p.m.11*
Anxano.	*m.p.m.13*
Hiſtonio.	*m.p.m.25*
Vſcoſio.	*m.p.m.15*
Arenio.	*m.p.m.14*
Corneli.	*m.p.m.26*
Ponte longo.	*m.p.m.30*
Syponto.	*m.p.m.30*
Salinis.	*m.p.m.15*
Aufidena.	*m.p.m.40*
Reſpa.	*m.p.m.23*
Bario.	*m.p.m.13*
Apeneſta.	*m.p.m.22*
Egnatia.	*m.p.m.12*
Speluncis.	*m.p.m.21*
Brunduſium.	*m.p.m.30*

Iter ab Hiluino Anconam. m. p. m. L. ſic.

Ad Callem.	*m.p.m.14*
Ad Pirum.	*m.p.m. 8*
Senogallia.	*m.p.m.18*
Ad Aeſim.	*m.p.m.18*
Anconam.	*m.p.m. 8*

Iter à Septempeda Caſtrum Truentinum. m. p. m. LXXIIII. ſic.

Vrbs Salnia.	*m.p.m.12*
Firmo.	*m.p.m.18*
Aſculo.	*m.p.m.24*
Caſtrum Truentinum.	*m.p.m.20*

VRBES, ET CASTRA ITALIAE.
Quæ in hac Hiſtoria præcipue nominantur.

Abiatvm caſtrum Mediolanenſium. 1154.
Acherontia in Apulia. 1042.
Adria in Exarchatu. 755.
Aeſernia in Ducatu Beneuentano. 667. terræmotu concidit. 847. de Sarracenis recepta à Ludouico II. 869.
Aeſium in Pentapoli. 755. à Deſiderio rege afflictum. 772.
S. Agathæ ciuitas in Ducatu Beneuentano. 869.
Alatrium in Ducatu Rom. 727.
Alba in Lombardia. cum Friderico ſenſit. 1176.
Alba Marſorum. receptaculum Clementis antipapæ. 1098. 1100.
Albanum in Ducatu Roma. Epiſcopus Albanenſis. 767.
Albingaunum in ora maritima prouinciæ Alpium Cottiarum. hodie Arbenga, incenditur à Piſanis. 1165. cum Friderico ſenſit. 1176.
Abintimillium in Alpibus Cottijs. vulgo Vintimillium. cum Friderico ſenſit. 1176.
Alexandria inter Derthonem, & Haſtam condita à fœderatis Lombardis contra Fridericum, & ab Alexandro III pont. Alexandria vocata, Cæſarea verò, & Palearis à Cæſarianis. 1168. obſeſſa à Friderico defenſa eſt à fœderatis. 1174. Epiſcopo ornata ab Alexandro pontifice. 1175. ſenſit cum Lombardis. 1176. poſt pacẽ factam fœdus accepit à Friderico. 1184.
Alliſæ in Ducatu Beneuentano. 869. 1137.
Alpes Cottiæ prouincia. lege ſupra. Patrimonium Alpium Cottiarum ſupra.
Altinum in ora Venetiæ. Altinas epiſcopus Torcellum confugit. 638. Altinas monaſterium. 874.
Ameria in Ducatu Rom. à Longobardis Ducibus occupata. 579. recepta à Romano Exarcho. 593. cũ Ducatu Rom. ad pontificem peruenit. 727. erepta à Luitprando rege, ac deinde reſtituta. 739.
Amalfis in Campania Amalfitani rẽ naualem tractant, & Sarracenos vincunt. 849.
Amalfis capitur à Piſanis bello contra Rogerium Siciliæ regem pro Lothario rege. 1137. ibiq; Pãdectæ iuris inueniuntur.

tur.1137.Petrus archiepiſcopus Amalphitanus legatus Leonis IX pont.Conſtantinopolim.1053.

Anagnia in Ducatu Rom. 727. Zacharias Anagninus epiſcopus. 860. Alexander III pont. in tumultu Rom. Anagniã ſe rettulit. ibiq; à legatis Friderici aditus pacẽ pepigit.tabulaq; pacis adhuc ibi inueniuntur.1176.

ANCON. in Pentapoli. 755.à Pipino cũ Pentapoli donata pontifici. 817. à Sarracenis diripitur. 835. Garnerius marchio Anconis. 1159. A Friderico obſidetur.1167.à Friderico oppugnata per Chriſtianum archiepiſcopum, & ad extrema redacta. Anconitani legatos Manuelis Imperatoris receperũt. Manuel omne damnum eorum ſarciuit. 1172. Marchoaldus marchio Anconis ab Henrico V factus ab Innocentio III pulſus eſt. 1198.

S. Andreæ caſtrum in regione abbatum Caſsinatium.1045.

S.Archangeli oppidum in Apulia. 1042.

Aprutij comitatus in Apulia.1140

Aquæ oppidum in prouincia Alpium Cottiarum à Sarracenis occupatæ. 905. 931. pro Friderico ſteterunt.1177. 1183.

Aqua nigra vicus in agro Brixiano. 1120.

Aquapendens in Tuſcia.964.

Aquila opp.in Aprutio,ſiue Apulia.1127. 1136.

AQVILEIA. lege patriarchas Aquileienſes.

Aquinum ex Ducatu Rom.727. Gaſtaldio Aquinas.874.

Arces ex Ducatu Rom.727.

Ardea ex Ducatu Rom. 1086.

Arretium in Etruria à Deſiderio rege inſtauratum.772.Camaldulum domicilium eremitarum in agro Arretino. 1009.Vido Arretinus artis muſicæ reſtitutor. 1028. Arretium ab Henrico IIII muris,& turribus exutũ. 1111. Arretini vna cum Comite Guidone Guerra Florentinos ad montem Crucis vicerunt. 1146, deinde ab eis victi,et capti ea lege dimiſsi ſunt,ne aduerſus ſe arma ferrent .1170.

Aſculum in Apulia. 1016. in diuiſione Apuliæ obtigit Gulielmo Normanio 1042.

Aſiſium in Ducatu Spoletano Datum ab Henrico V Conrado Duci cum Ducatu receptum eſt ab Innocentio III pontifice 1198. Franciſcus Aſiſias vir ſanctus.1198.

Ateſte in Venetia. Sigebertus marchio Ateſtis factus ab Othone Magno. 967. Inde familia marchionum Eſtenſium potentiſsima. Hugo marchio Ateſtis vir inſignis.997.

Atturina in Campania capta à Piſanis bello Rogeriano 1137.

Auerſa in Ducatu Beneuentano. 1041. 1045.ibiq; Comes Auerſanus.1045.

Auguſta ad alpes Italiæ. 773.

Auſtria regio,& Neuſtria in legibus Longobardorum ſignificat orientalem partem Italiæ, vt Ducatum Beneuentanum, & occidentalem, vt Tuſciam. 746.

Auximum in Pentapoli.755. à Luitprando rege captum. 727. Patrimonium Auximas.742.cum Pentapoli ad pontificem peruenit.773.

Vxiani caſtrum in Tuſcia.1168.

Balneocaballum in Exarchatu olim Caballum. 755. Comes Balneocaballi. 1151.

Balneoregium in Tuſcia à Longobardis captum.605. à Deſiderio rege refectũ. 772. ex Tuſco Ducatu.775.

Balneum. Comites à Balneo, qui & Comites Vidones.lege in familijs.

Baratellum arx Comi à Luitprando rege condita.718.

BARRIVM in Apulia infeſtum Græcis, 1016.à Sarracenis occupatum. 841. à Ludouico II rege receptum,& euerſum.867.869. à Lothario rege Rogerio Duci ereptum.1137. à Rogerio receptum. 1138.

Barulum in Apulia Rogerio à Lothario ereptum.1137.vulgo Barletta.

Baſentellum in Calabria. 982.

Baſsianum in agro Cremonenſi.1137.
Bellunum in Venetia. 1184. Epiſcopus Bellunenſis.588.
Belmons ſenſit cum Lombardis.1176.
S. Benedicti ciuitas condita à Baſſacio abbate Caſsinate.857.
BENEVENTVM. *lege Duces Beneuentanos.*
Berola in Campania.872.
BERGOMVM *captum ab Alboino rege Longobardorum.570. Duces Bergomi ſub Longobardis. Vallaris. 575. Gandulfus.590. qui cum rebellaſſet, victus eſt ab Agilulfo rege.591. Ioannes epiſcopus Bergomas vir ſanctus Arrianos Bergomo expulit. 659. ab Arrianis occiſus eſt. 683. Rotharitus Dux Bergomi. Aripertus rex Bergomum recepit. 705. Carolus Craſſus rex inuiſit baſilicam S. Alexandri martyris Bergomi.883. Arnulfus rex Germaniæ veniens auxilio Berengarij regis contra Vidonem Bergomum expugnauit, & Ambroſium Comitem ſuſpendit. 894. Vngari Bergomum vaſtarunt. 902. Adelbertus epiſcopus oſſa S. Alexandri in Confeſsionem tranſtulit. 902. Conradus rex eccleſiæ Bergomati priuilegia dedit. 1027. Albertus Bergomas monaſterium Puntidendenſe conſtruxit. 1095. Italia in libertatem erecta Bergomates cum Brixianis contendere cœperunt. 1156. cum Lombardis coniurant aduerſus Fridericum ad monaſterium Puntidenſe.1167. bellum ei faciunt, & ſocijs eius. 1167. inducias cum eo faciunt. 1177. & pacem Conſtantiæ. 1183. rurſus à Brixianis irrumpentibus vexati magnas clades vnà cum ſocijs ſuis Cremonenſibus acceperunt. 1192.*
Bibianellum in Lombardia.1091. 1111.
Bibianum in Lombardia.1091.
Biliſsionis caſtrum in diœceſi Mediolanenſi à Francis tentatum. 590.
Blanderatum. Vido Comes Blanderati. 1154. Marchiones Blanderati.1168. 1176.
Bleda ex Ducatu Rom. 727. occupata à Luitprando rege. 739. & à Deſiderio. 772.
Bobium in Alpibus Cottijs. 614. ſenſit pro Lombardis.1176 lege in monaſterijs.
Bobium in Exarchatu. 755.
Bondenum in agro Mantuano, vbi obijt Comitiſſa Mathildis.1114.
BONONIA. *primum fuit Etruſcorum, deinde Boiorum, tum populi Rom. colonia, deinde Imperatorum Rom. ornata fuit S. Petronio epiſcopo. inde occupata à Gothis, & recepta à Iuſtiniano Imp. & poſſeſſa à ſucceſſoribus eius paruit Imperatoribus, quouſque Luitprandus rex Longobardorum eam occupauit.727. qui eam quoque defendit contra Exarchum Imperatoris. 730. Recepta inde à Pipino cum Exarchatu donata eſt pontifici. lege vbi de Exarchatu. pecuniam ſignauit tempore Deſiderij regis. 772. in tabulis Ludouici numeratur inter ciuitates Exarchatus.817. Lotharius rex Bononiæ nuncius pontificis coercuit, ne ad Ludouicum patrem in Franciam ad conquerendas iniurias irent: ex quo tũ à rege ex poteſtate pontificis exẽpta iudicatur. 835. Ludouicus inde Lotharij filius Romã tendens, quòd ſibi parere nollet, adortus eſt, & muris exuit. 844. Berengarius Rex Bononiæ fuit.898. Bononiẽſes turres priuatas condere cœperũt ſub Othone II.975. Bononius ciuis Bononienſis abbas Locedẽſis inter Sanctos refertur.1027. Bononienſis epiſcopus eximitur obedientia archiepiſcopi Rauennatis à Paſchali II pontifice in conuentu Vardaſtalli. 1106. Bononienſes ſoluti cũ ceteris Italicis ſacramento à Gregorio VII pontifice deficiunt vnà cũ eis à rege Henrico III, & partes pontificis tuentur, & libertatem inſtituunt. & cauſſa rei militaris conſtituendæ vrbem in quattuor tribus diuidunt, quas portas vocant. 1088. ad quos frenandos Henricus IIII arcem ſibi conſtruxit. 1111. quam mox ipſi euerterunt. 1112. eamq; rem eis*

poſt reuertens Henricus Ignouit. & vt leges, mores, conſuetudinesq́ ſuas ſeruare liceret, conceſsit. 1116. Victor epiſcopus Bononienſis. 1116. Gelaſius II pont. epiſcopum Bononienſem ad obedientiam archiepiſcopi Rauennatis redegit. 1118. Bononienſes palatium Communis ædificant. 1121. Lambertus Fagnanus Bononienſis Cardinalis legatus pontificius pacem inter Caliſtum pontificem, & Henricum regem compoſuit. 1122. Bononienſes populos in diœceſi ſua ſitos in fidem recipere, & creſcere opibus cœperũt. 1123. Lambertus Fagnanus pont. factus, & Honorius II vocatus. 1124. Bononienſes fœdere cum Fauentinis icto bellum Imolenſibus intulerunt, & ad dandam quotannis ſericam mappam in feſto S. Petri adegerunt. 1131. Nonantulani ex diœceſi Mutinenſi ſe Bononienſibus Hildebrando abbate auctore dediderunt, quibus ſe conſules Bononienſes opem laturos contra omnes excepto Imperatore iurarunt. 1133. ijdem Lotharium regem in Italiam venientem contempſerunt. 1133. ijdem vt Nonantulanos defenderent, cum Mutinenſibus bellum ſuſceperunt, & rem per arbitros compoſuerunt. 1135. Pandectis iuris à Piſanis Amalfi inuentis, & iure ciuili Romano à Lothario publicato, ipſi primi ius ciuile per Irnerium publice docent. 1137. Mutinenſes rurſus propter Nonantulam ademptam in ſe irruentes in Campo Vallis Lauini vicerunt. 1142. Gerardus Caccianimicus Bononienſis pontifex factus, & Lucius II vocatus. 1144. Guarinus Bononienſis Cardinalis vir ſanctus. 1144. Gerardus epiſcopus Bononienſis. 1146. Bononienſes iterum intulere bellum Imolenſibus, & Caſtrum Imolæ, id erat oppidi nomen, eis ademere. 1151. Irnerius, Martinus, Bulgarus, Hugo, & Iacobus primi gloſſatores, & Iuriſconſulti Bononienſes. 1152. Bononienſes, vt Caſtrum Imolæ reciperent iterum contra Imolenſes proceſſerunt. atque eis pacem ea conditione dederunt, vt foſſas, & muros arbitrio ſuo permitterent. 1153. Cum Mutinenſibus fœdus faciunt, iurantes ſe Nonantulanos non ſolicitaturos. 1156. Fridericus rex de ſtatu Italiæ conſulturus Iuriſconſultos Bononienſes in primis adhibet. 1158. Idem poſt irato animo Bononiã venit, quòd eam ad Alexandri pontificis partes tranſiſſe compererat. Bononienſes gratiam eius per Iuriſconſultos ſuos ſibi conciliarunt. ille muros vrbis veteris deiecit, & foſſas repleuit, & Bocium præfectum impoſuit, & eccleſias Sanctorum Victoris, & Ioannis in monte liberauit à collecta, fodro, & manſionatico. 1162. Idem poſt reuerſus agrum populatus eſt, & obſides fidei exegit; cum nutare Bononienſes ſibi viderentur. 1167. Eo profecto Bononienſes fœderi ſe Lombardorum contra eum aſcripſerunt. Bocium præfectum Friderici præcipitarunt. 1167. fœdus Lombardorum confirmarunt. 1167 iterũ. 1168. Fauentini etiam fidẽ iurarunt Bononienſibus contra Imolenſes. Imolenſes iurarunt, ſe facturos bellum Bononienſium arbitrio, & binas mappas ſericas in feſto Sancti Petri daturos. 1168. Bononienſes Fauentinos adoriuntur, quia Sancaſſianum inuaſerant, & ad pontem Senij ab eis victi, fugatiq́ ſunt. 1169. Carrocio inde inſtituto, atque educto exierunt. ac pulſis in vrbem Fauentinis, & vrbe obſeſſa ad pacem petendam compulerunt. 1170. Fœdus Lombardorum confirmarunt. 1173. Chriſtianus archiepiſcopus Maguntinus exercitum in agrum eorum inducit Friderico Alexandriam obſidente. & cum eo Bononienſes vario euentu pugnant, ager vaſtatur à Chriſtiano. 1165. In inducijs Friderici cum Lombardis nominantur à parte Lombardorum. 1176. Itemq́ in pace Conſtantiæ. 1183. Bononienſes per inducias fœdus renouarunt cum Fauentinis.

1178.

1178. Imolenſibus, et Monbellienſibus bellum mouere, quòd pro Friderico contra ſe ſtetiſſent, & populatione agri contenti fuerunt. 1179. item. 1180. item. 1185. Mutinenſes iurarunt, ſe eis auxilio futuros aduerſus omnes præter Parmenſes, & fœderatos populos. Imolenſes ad Caſtrum Imolæ profligati pacem petierunt, & obſequium vt ſupra iurarunt. 1181. Fridericus Bononiam venit. 1185. Bononienſes ſummo ſtudio ius ciuile docuerunt, & peregrinos magiſtros accerſiuerunt, & magna frequentia ſcholam habuerunt. Lotharius Cremonenſis doctor conductus, & formula veteris conductionis expoſita. 1189. Clemens pontifex decretũ edidit de ædibus ſcholaribus Bononiæ locandis. Albericus de Porta Rauennate propter frequentiam ſcholarium in Palatio Communis docuit. 1190. Henricus V rex Bononiæ in Epiſcopio hoſpitatus ius monetæ cudẽdæ ciuitati conceſsit. primus nummus excuſus, qui adhuc à Bononia nomen tenet. 1191. Paciſcuntur cum Ferrarienſibus, & cum præturam vrbis ad Gerardum epiſcopum detuliſſent, in ſeditionem grauiſsimã inciderunt, qua epiſcopum vrbe depulerunt. 1193. Carſidonio legato pontificis affuerunt contra Marcoaldum, quem Henricus rex Rauennæ Ducem fecerat, & cum eo Romaniam recuperarunt. 1198.

Boſchum. in Lombardia. Marchio Boſchi inſtitutus ab Othone III. 997. Marchiones Boſchi. 1176. 1184.

Bouianum in Ducatu Beneuentano. 667. Bouiani gaſtaldius. 865.

Brittonorium in Romania. Brittonorij Comitiſſa. 1172.

Brixia. capitur ab Alboino rege Longobardorum. 570. Alahis Dux Brixiæ ſub XXX Ducibus. 575. Alahis Dux Brixiæ alius regnum per ſcelus inuaſit. 687. Aldo, & Grauſo Brixianĩ potentes Alahim tyrannum pellũt. 692. Petronax Brixianus Caſsinas monaſterium inſtaurauit impulſu Gregorij ſecundi pontificis. 719. 720. Anſa regina vxor Deſiderij regis monaſterium virginum Sanctæ Iuliæ condidit. 760. 761. Deſiderius rex monaſterium in Leno agri Brixiani loco extruxit. 758. Suppo Comes Brixiæ ſub Francis Dux Spoletanus euaſit. 822. item Adelardus. item Mauringus. 823. Brixiæ per triduum ſanguine pluit. 874. Ioſephus, Antonius, & Gothifredus epiſcopi Brixiani. 947. Conradus rex coniuratos Brixianos in exilium egit. 1037. Brixia terramotu quaſſatur. 1060. Brixiani armis vexantur à Cremonenſibus propter fines, & auxilio Mediolanenſium eos fugant trans amnem Olium, ac profligant. & Laudenſes ſocios eorum obſident, vrbemq́; capiunt, quam Cremonenſes cum maioribus copijs recurrentes receperunt. 1109. poſt aliquot annis vico Aquæ nigra Brixianos ſpoliarunt. 1120. Brixiani arcem Sancti Martini euertunt pulſo Germanorum præſidio. 1125. Arnoldus Brixianus hæreſiarcha ſolicitat Romanos contra pontificem Eugenium tertium. 1145. Brixia caſu incenſa. 1146. Brixiani in agrum Cremonenſium irrumpunt. 1156. à Friderico coercentur. 1158. Cremonenſium agrum populantur. 1159. auxilio ſunt Mediolanenſibus contra Fridericum ad Carcanum. 1160. poſt cladem Mediolanenſem ſe dedunt. 1159. iungunt ſe Lombardis contra Fridericum. 1167. Inducias cum eo, & pacem faciunt, vt alij. 1176. 1183. cum Bergomatibus contendunt, & carrocium Cremonenſibus eorum ſocijs eripiunt, & nolam carrocij in vrbem reportãt, & in turrim ſubducunt. priuilegio decorantur ab Henrico V. 1195. rurſus cum Bergomatibus certant. 1192.

Brixillum captum à Droctrulfo pro Romanis aduerſus Longobardos 583. receptum, & euerſum ab Authari

rege.585.cum eſſet Parmenſium, & à Cremonenſibus occupatum eſſet, cauſſam belli attulit.1521.

Brunduſium occupatum à Romualdo Duce Beneuentano.695.

Burgum Sancti Domnini in Lombardia. Vido abbas vir ſanctus mortuus in Burgo.1046. Ad Burgum S. Domnini Lambertus rex Adelbertum marchionem Tuſciæ profligauit.898. Parmenſes Burgenſibus, quòd in diœceſi ſua poſiti parere recuſarent, bellum intulerunt, & caſtrum cremarunt.1109.iterum incendunt.1152. de eo cum Placentinis cōtenderunt.1188. Henricus V pecunia accepta Burgum Placentinis adiudicauit.1101. Cum Burgenſes defeciſſent ad Parmenſes, bellum nouum ortum inter populos, et certaminé indicto ad S. Laurentium per integrum diem pugnatum.1198.1199.

Buſca. Marchio Buſcæ inſtitutus ab Othone III.997. Marchia Buſca.

Caballum oppidum in Exarchatu, idem, quod Balneocaballum.755.

Cære ex Ducatu Romano.727.857.

CAESENA *dimiſſa Eccleſiæ à Luitprando rege.743.in Exarchatu.755.obſeſſa à Syluestro II pontifice.1000.poſſeſſa à Marcoaldo Duce, quem Henricus V Ducem Rauennæ fecerat, ab Innocentio III pontifice ad fidem Eccleſiæ reuocatur.1198.*

Ceua. Marchio Ceuæ inſtitutus ab Othone III.997.

CAIETA. *Caietani rei naualis ſtudioſi Sarracenos fugāt.849. Ducibilis Dux Caietæ.877.Gelaſius II pontifex Caietanus.1118.*

Caira oppidum in Lombardia. Cairenſes cum defeciſſent, à Friderico coercentur.1155.

Calles in Pentapoli.755.

CAMERINVM *captum ab Ariulfo Duce Spoletano.591.Obſeſſum ab Arnulfo rege Germaniæ Lambertum Ducem Spoletanum, & regem Italiæ Berengarÿ gratia perſequente.896. item ab Othone Magno Berēgarium II perſequente.964.*

Campi Canini.590 in Lombardia.

Campus Carbonariæ.994. item.

Campus Coronata.692.item.

Campus Fabrica.1003.item.

Campus Gallianus in Campania.936.

Campus Maconagus in Lōbardia.1131.

Campus Malus in Lombardia.1025.

Campus Mortuorum in Lōbardia.1047.

Campus Neronis ad vrbem Romam.729.739.1081.

Campus Sorbariæ in Lombardia.1090.

Canna in Apulia.1019.1042.

Canuſium, in agro Regienſi conditur ab Athone Comite in agro Regienſi, & monaſterio decoratur.945.Obſeſſum à Berengario liberatur ab Othone Magno.950.953. Ibi Henricus III apud Mathildem piaculum accepit à Gregorio VII pontifice.1077.Canuſſini Comites ſubinde fuere Atho, Tedaldus, Bonifacius, & Mathildis, quæ ibi obſeſſa eſt ab Henrico III.1092.

Canturium ad lacum Comenſem.1124.

Canuſium in Apulia à Sarracenis occupatum.865.

Capitÿ Marchio.1158.

Caprulæ in æſtuario Venetorum.vulgo Caorle.Epiſcopus Caprulenſis factus ſede ex Concordia tranſlata.605.vrbs populatur à Sclauis.841. Leo Caprulenſis Epiſcopus.874.

CAPVA. *quare in principibus Capuanis.*

Carcanum in agro Mediolanenſi, vbi Fridericus victus eſt à Mediolanenſibus.1160.

Caput aggeris oppidū in æſtuario Venetorum ab Vngaris incenſum.810.nomē retinet, defecit à Venetis.983.

Carpi plebs in diœceſi Regienſi.1191.

Careſti marchio inſtitutus ab Othone III.997.

Caſale maius in Lombardia diœceſi Cremonenſi.1136.

Caſale S. Euaſii in Lombardia in regione Montisferrati.1176.1184.

Caſaleculum.1153.

Caſsinum in Lombardia ſentit cum Lombardis. 1176.
Caſsinum in Campania. quære in abbatibus Caſsinatibus.
Caſtellum Felicitatis ex Ducatu Tuſcia. 774. Se dedidit pontifici ſub Deſiderio. 773.
Caſtrocarum pro Friderico ſtetit. 1176.
Caſtrum Cœli arx in Campania. 1137.
Caſtrum Imolæ in agro Imolenſi. 1150.
Caſtrum Leonis conditum à Cremonenſibus. 1188.
Caſtrum nouum in valle Cuuia trans Padum. 1126.
Caſtrum nouum ad os Abdua. 1150.
Caſtrum S. Cæſarij in agro Mutinenſi. 1135.
Caſtrum S. Caſsiani in agro Imolenſi. 1149.
Caſtelleonum in agro Mediolanenſi obſidetur à nobilibus Mediolani. 1071. ibi etiam Caſtellionenſe incendium.
Catapanata regio Apuliæ, vnde. 1016.
Ceneta oppidum in Ducatu Foroiulienſi. Vrſus Dux Cenetenſis. 705. eadem pacis Conſtantia particeps. 1183.
Centumcellæ ex Ducatu Romano. 727. vaſtantur à Sarracenis. 813. Epiſcopi Centumcellenſes Petrus. 821. Leo. 826.
Ceredanum in agro Papienſi. 1156.
Ceruia. Epiſcopus Ceruienſis. 709.
Ciuitas, caſtrum Pergomatium. 1191.
Ciuitas oppidum in Apulia. 1042.
Ciuitas Geminiana, vel ciuitas noua prope Mutinam, in quam ſe Mutinenſes poſt Gothicam tempeſtatem contulerãt. 1055.
Ciuitas S. Benedicti à monachis Caſsinatibus condita. 857.
Ciuitas vetus in ora Etruriæ. 1191.
Claſsis oppidum Rauennatium. 578. quære in Exarchis.
Claſtidium in Lombardia nõ longe à Placentia. 1174.
Claterna vicus inter Bononiam, & Imolam. 1175.
Cluſium, ex Romano Ducatu. Dux Cluſinus. 742. cum fuiſſet ab Henrico V captum redijt ab pontificem. 1193.
Clodia in æſtuario Venetorum occupata à Pipino. 810. Epiſcopus Metamauci Clodiam ſedem tranſtulit. 1105. Fridericus rex Clodiam venit 1177.
Coloniola ad Comum. 1121.
Columna oppidum in agro Romano. 1101
Comacina inſula in lacu Comenſi receptaculum Italorum irrumpentibus Longobardis. 570. occupatur ab Authari rege. 587. bello Comenſi defecit ad Mediolanenſes. 1120. resq; præclaras geſsit. 1121.
Comaclus in æſtuario Padi. Epiſcopus Comaclenſis. 709. Aiſtulfus rex Comaclum pontifici dedit. 755. Deſiderius ademit. 772. in Exarchatu poſita. 755. 817. Comaclus inſula. 808. Ioannes Dux Venetorum Comaclum expugnauit. 881.
COMVM. *occupatum ab Alboino rege. 570. Luitprandus rex extra Comum ædem D. Carpophoro dedicauit, & arcem Baratelli condidit. 718. Vngari Comum vexarunt. 902. Valdo epiſcopus Comenſis. 960. Ardoinus rex Italiæ Comenſes bello perſecutus eſt à ſe auerſos. 1015. Comenſes defecerunt cum vicinis populis à Conrado rege. quare principes defectionis in Germaniam relegati ſunt. 1037. Eos deinde Henricus II reduxit, qui monaſticam vitam profeſsi Humiliatos ſe vocarũt, & à Ioanne Meda Comẽſi regula aſtricti ſunt, qui inter ſanctos relatus eſt. 1046. Aedes D. Abundij conſecrata ab Vrbano II pontifice. 1095. Comi oppidi deſcriptio. 1020. Mediolanenſes bellum Como intulerunt grauiſsimum, & per ſex annos auxilio Lombardorũ vario euentu geſſerũt. 1120. & deinceps in deditionem adductum euerterunt. 1128. Fridericus iuſsit, vt Mediolanẽſes ab iniurijs Comenſium abſtinerent. 1153. idem Comũ inſtaurauit. 1159. idem à Lombardis victus in arcem Baratelli ſe recepit. 1160. Comenſes Mediolano euertẽdo affuerunt. 1162. Comenſes coniurarunt cũ Lõbardis cõtra*

Fridericum. 1168. redierunt ad eum. 1174. 1176.

Concha in Pentapoli. 755.

Concordia. Ioannes epiſcopus Concordia ſedem Caprulas transtulit. 605. Epiſcopus Concordienſis. 1158.

Cornietum in Etruria à Deſiderio rege conditum. 772.

Crema condita ſub aduentum Longobardorum auctore Cremete ab accolis. 570. creuit clade Cremonæ, & Mantuæ. 602. peruenit ad Agilulfum regẽ. 602. Cum Cremenſes in diœceſi Cremonenſium poſiti ad Mediolanenſes ſe contuliſſent, à Cremonenſibus bello premi cœpti ſunt ſub Lothario III, Cremaq; obſeſſa à Cremonenſibus eſt, ſed defenſa à Mediolanenſibus. 1130. Lotharius inde Cremonenſium rogatu Cremenſes citauit, & cum non affuiſſent, damnauit. 1136. inde Cremam etiam obſedit, ſed fruſtra. 1137. irati inde Cremonenſes iterum ſub Conrado Cremam petiuerunt, atque iterum à Mediolanenſibus repulſi cum ad Rinoltam prælio cum eis contendiſſent, victi, ac capti ſunt. 1139. inde noua irruptione facta vaſtato agro ipſos victos prælio ceperunt. 1156. Inde Fridericum impulerũt ad edictũ faciendum, vt Cremenſes muros vrbis deijcerent, & decurſus aquarum ad riuos ſuos redire permitterent. 1158. Fridericus inde vt Mediolanenſes opprimeret, Cremam magno apparatu obſedit, quæ ſe fortiſsime tutata eſt, ac magna vtrinq; detrimenta illata ſunt. demum duris conditionibus deditionẽ facere coacta incenſa eſt. 1159. 1160. Fridericus banno Imperiali Cremenſes proſcripſit. 1159. Ioannes Cremenſis Cardinalis. 1121. Vido Cremenſis Cardinalis pontifex factus contra Alexandrum III, & Paſchalis vocatus. 1164. Fridericus inde iratus Cremonenſibus, quòd ad ſponſalia Henrici legatos non miſiſſent, ad dolorem eis faciendum Cremam iuſsit reparari. Crema foſsis, & vallis intra tres menſes munita Cremum, id eſt frixorium Cremonenſium appellata. 1186.

Cremona cum impetum Alboini euaſiſſet, inde ab Agilulfo erepta eſt Imperatori Orientis, atque euerſa. 602. ſinitq; ſubiecta regibus Longobardis, quouſque Franci Italiam inuaſerunt. Ludouico Pio imperante Volfoldus epiſcopus Cremonenſis particeps coniurationis Bernardi regis aduerſus Ludouicum. 817. à Francis inde ad reges Italicos peruenit. Eo tempore cum ab Vngaris Eccleſia magna detrimenta accepiſſet, Berẽgarius rex ea ſarciuit, priuilegium Ioãni Epiſcopo datum extat. 916. Inde ad Germanos reges Italiæ peruenit. Otho Magnus Luitprandum epiſcopum Cremonenſem legatum ad Ioãnem pontificem miſit. 963. Mox Liuzonem item epiſcopum. 965. Archiepiſcopus Mediolanenſis ſub Henrico primo Cremonenſes Ardoini regis amicos, et ſuos hoſtes nactus vrbem obſedit, & fidem ſibi iurare coegit. Donariorũ familia ex eo tẽpore creuit. 1015. Cremonẽſes cum vicinis Lõbardis à Conrado rege defecerunt, & Landulfum epiſcopum diuexarunt, & vrbe vetere eruta maiorem alteram refecerunt, & nouum epiſcopum Hubaldum poſſeſſionem bonorũ eccleſiæ inire prohibuerunt. 1035. 1036. Conradus rex Cremonæ congreſſus eſt cum Benedicto pontifice. 1037. et principes cõiuratorum vnà cum ceteris Lombardis in Germaniam relegauit. 1037. Hi deinde reuocati ab Henrico II monaſticam vitam egerunt, & Humiliatos ſe appellarunt. 1046. Cremonenſes carrocium inſtituerunt nomine Bertam, et Bertacciolam, quare. 1081. lite de finibus Brixianis intenta ſocijs Laudenſibus Olium traiecerunt, & à Brixianis auxilio Mediolanenſium repulſi ſunt. inde Landẽ à Brixianis oppugnatam defenderunt. Quare irati Mediolanenſes maiore apparatu facto Cremonam ceperunt, atque ignem intulerunt. 1109. poſt aliquot annos noua lite cum Parmenſibus

*inita aduerſus eos proceſſerunt,& ma
gna vtrinque clade in Parmenſi gla-
rea contenderunt,& impetu in Brixia
num agrum facto vicum Aqua nigra
eis ademerunt. 1120. Vrbs arſit. ter-
tio inde bello Cremenſes petiuerunt,
quòd cum eſſent in diœceſi ſua ſiti ad
Mediolanenſes defeciſſent. Cremamq;
obſederunt; ſed fruſtra accurrentibus
Cremenſium auxilio Mediolanenſibus.
1130 Brixillum caſtrum Parmenſium
adorti, atque inde ab eis pulſi ſunt.
1131. Caſtrum Piceleonis ad Abduam
contra impreſſiones Mediolanenſium
condunt. 1133. S. Bernardus iuſſu Lo-
tharij ad pacificādas Lombardiæ ciui-
tates miſſus Cremonenſes ad pacem fa
ciendam inducere non potuit, quòd opi
bus ſuis, vt ille inquit, confiderent.
1134. Cremonenſes Lotharium impu
lerunt, vt Cremenſes citaret, & con-
demnaret. 1136. inde vt Cremam ſe-
cum obſideret, quod fruſtra tentatum
eſt. 1137. Itaq; eo profecto ipſi proprijs
viribus Cremam obſederunt, & à Me
diolanenſibus nō ſolū inde auerſi ſunt,
ſed etiam ad Riuoltam prælio ſupera-
ti, & capti. 1139. cum Parmēſibus au
xilio eſſent, ad Tablanum Placentinos
profligarunt. Placentini Mediolanēſes
aduerſus eos miſerūt, qui cum Caſtrū
nouum ad os Abduæ cepiſſent, ibiq; cū
carrocio conſtitiſſent, eo à Mediolanen
ſibus ſpoliati ſunt. 1150. Placentini Ca
ſtrum nouum Cremonenſibus reddide-
runt, atque eos à Parmenſium ſocieta-
te auocarunt. 1151. à Friderico iure ſi
gnandæ pecuniæ decorantur. 1155. In
de in agrum Cremenſem progreſsi, eū
vaſtarunt, ipſosq; prælio victos cepe-
runt. 1156. Cum Fridericus Mediola-
nū obſideret, ipſi cum Papienſibus agrū
eorum vaſtarunt. 1158. Cremonenſes
Brixianos agrum ſuum populantes op
preſſerunt. 1159. cum Fridericus Cre
mam expugnaſſet, ipſi ei euertendæ af
fuerunt. 1160. cum idem Mediolanū
dirueret, ipſi ædificia portæ Romanæ
ſibi demoliēda ſuſceperūt. 1162. Itaq;
magno priuilegio ab eo donati ſunt pro
fideli opera præſtita. in quo promittit,
ſe non reparaturum Cremam illis inui
tis, atque eam illis ſubijcit. 1162. Pro-
uocati inde iniurijs præfectorum Ger-
manorum fœdus fecerūt cū alijs Lom
bardis contra Fridericum, & Lauden
ſes ſolicitarunt. 1167. & repugnantes
prælio cum eis facto coegerunt, vt ſe-
cum fœdere illigarentur. 1167. Inde
propter metum Friderici vrbem muni
uerunt. 1169. veniente Friderico ad
eum ſe retulerunt. 1174. feruente in-
de bello ſe pacis ſequeſtres præbuerunt
inter Fridericum, & Lōbardos. 1175.
in tabulis induciarum à parte Fride-
rici ſunt. 1176. Cum ad ſponſalia Fri
derici legatos Mediolanum non miſiſ-
ſent, Fridericus Cremam reparari iuſ-
ſit, quod cum illi impedire vellent, ca-
ſtella eorum Soncinum, et Manfredum
per Mediolanenſes & ſocios expugna
uit, & vrbem adortus muros diſiecit,
& multos captiuos fecit, ac demum ro
gatu Sicardi epiſcopi ignouit. Crema
iterum munita frixorium Cremonen-
ſium eſt appellata. Captiui, & Caſtella
reddita, & ius ſignandæ pecuniæ, qua
omnes ciuitates Italiæ vterentur, in-
dultum pariter etiam ab Henrico V fi-
lio eius venia, & gratia eſt impetrata.
vrbem muris, foſsis, pontibus muniue-
runt, & fœdus cum Parmenſibus per-
cuſſerunt. 1186. inde ad bellum ſacrū
III cohortes miſerunt. & cum à Fride
rico per Sicardum epiſcopum impetra-
re non potuiſſent, vt Manfredum ca-
ſtrum reficerent, alterum nomine Leo-
nem conſtruxerunt. 1188. Caſtrum
nouū ad os Abduæ munire cum cœpiſ-
ſent, à Placentinis accurrētibus prohi
biti ſunt. 1189. Lotharius Cremonen-
ſis iuris doctor Bononiam conductus.
1189. cum Bergomatibus auxilio cum
carrocio contendiſſent, & in agrum
Brixianum tranſiſſent, à Mediolanen-
ſibus, & Brixianis carrocio exuti, &
in flumen compulſi ſunt: corpus carro-
cij Mediolanenſes, nolam Brixiani ab-*

duxerunt. 1591. rurſus cum cauſſa Bergomatium in agrum Mediolanenſem irrupiſſent, iterum fuſi, fugatiq́; inſuper carrocio à Mediolanenſibus exuti ſunt. 1592. Truſardo inde legato Imperatoris agente pax inter Brixianos, & Cremonenſes, & ſocios eorum eſt facta. Henricus Sicardi epiſcopi rogatu captiuos liberauit. 1194. cum in contumeliam Cremenſium caſtrum Leonem educto carrocio munire cœpiſſent, Mediolanenſes, & ipſi cum carrocio accurrerũt, prælioq́; facto tertio Cremonenſes carrocio ſpoliarunt. 1596. Cremonæ Homobonus vir ſimplex mortuus, & aliquot miraculis editis opera Sicardi epiſcopi ab Innocentio III inter Sanctos relatus. 1599.

Croto in Calabria à Zothone Duce Beneuentano captus. 596.

Cumæ in Campania à Duce Beneuentano capta, inſtante pontifice recuperatæ. 716.

Cuuia vallis in Lombardia. 1126.

Cuuilium caſtrum in agro Regienſi. 1021.

Derrium ad lacum Comenſem. 1125.

DERTHON *capta ab Alboino rege. 570. Procus epiſcopus Derthonenſis monaſterium Bobienſe ſibi ſubijcere voluit. 629. Iudit vxor Ludouici regis Derthonem relegata. 833. Richildis vxor Calui regis Derthone Auguſta à pontifice coronata. 877. Derthonenſes iũgũt ſocietatem cum Mediolanenſibus, & Papienſes adoriũtur, et detrimentum accipiunt. 1507. Accuſati apud Fridericum à Papienſibus, quòd ad Mediolanenſes ſe contuliſſent. 1154. bello oppugnantur à Friderico. Vrbs obſeſſa euertitur. 1155. profecto Friderico vrbs à Mediolanenſibus inſtauratur. 1155. iungunt ſe Lombardis contra Fridericum. 1168. ad Fridericum ſe referunt. 1174. pro Friderico ſteterũt in iudicijs, & pace Conſtantiæ. 1176. 1583. Situs vrbis exponitur. 1155.*

Draconarium à Catapano in Apulia conditum. 1056.

Ducia in diœceſi Imolenſi pro Lombardis ſenſit. 1576.

EPOROEDIA *in Lõbardia vulgo Inurea. Craſſo regnante floruit potens marchio Eporœdienſis Anſcarius. 887. qui Arnulfo regi Germaniæ reſiſtere auſus eſt. 896. inde Adelbertus, qui Berengarij regis gener erat, Giſla filia in matrimonium ducta, & Berengarium, qui poſtea rex fuit, ex ea ſuſceperat, & tamen contra illum cõiurauit, alioquin vir ſanctus. 838. Eo mortuo Ermẽgarda vxor, Adelberti Tuſciæ marchionis filia Papiam occupauit, & regnum Rodulfo eripere cogitauit. 924. Anſcarius, & Berẽgarius fratres Adelberti filij. 924. Berengarius poſtea regnũ accepit. Ardoinus Eporœdiæ marchio item regnum accepit. 1002. Eporœdia bello Lombardico cum Friderico ſenſit. 1576.*

Equilium ad æſtuarium Venetorum conditum ab Agreſtibus Opiterginis. 638. auctum noua clade Opitergij. 666. Epiſcopus Equilinus. 959.

Eugubium in Ducatu Spoletano. 755. à Deſiderio vexatum. 772. receptum ab Innocentio III pontifice cum à Conrado Duce teneretur. 1598.

Fæſulæ in Etruria à Florentinis diruta. 1010.

Fananum in agro Mutinenſi, & ibi monaſterium. 750.

Fanum in Pentapoli. 742. 755. oppugnatum à vicinis ciuitatibus. 1140.

Farfæ monaſterium in Ducatu Romano. 1083.

Farra in inſula Fulcheria, qua nunc Glarea Abduana dicitur in Lombardia. 672.

FAVENTIA. *in Exarchatu ſita, & cũ Exarchatu data põtifici à Pipino. 75. confirmata à Ludouico. 817. Fridericus titubantem retinuit. 1562. in inducijs Lombardorum numeratur à parte Friderici. 1576. in pace Conſtantiæ à parte Lombardorum. 1583. Fauentinorum bella cum Imolenſibus, & Bononienſibus. lege in Bononia. Fride-*

ricus

ricus Fauentiam ad fidem redegit. 1185.

Feltria in Foroiulienſi Ducatu. 1183. Feltrinus Epiſcopus.588.

Ferenti caſtrum ex Tuſco Ducatu.774.

FERRARIA. *cincta mœnibus, & in oppidi formã redacta à Smaragdo Exarcho.606. Epiſcopi dignitate ornata à Vitaliano pontifice. 657. in Exarchatu ſita.755. occupata ab Aiſtulfo cum Exarchatu, recepta à Pipino, & attributa pontifici, & cum non redderetur ab Aiſtulfo, reſtituta eſt à Deſiderio. 757.lege in Exarchis. Ludouicus Pius in Exarchatu numerat.817. à Berengario inde erepta Ioanni XII pontifici recepta per Othonem Magnum reſtituta eſt Ioanni XIII. pontifici.Otho Magnus Ferraria fuit.970. Ioannes autẽ illam Tedaldo Comiti Canuſsino dedit, qui arcem, qua ab illo tenet nomẽ, conſtruxit. 970. cui Bonifacius filius & Mathildis neptis ſucceſſerunt. Henricus inde III eam Mathildi ademit, & Mathildis eam recuperauit. 1102. Mortua Mathilde ad Eccleſiam rediјt. 1115. Gulielmus Adelardus baſilicam Ferrariæ conſtruxit, quam Azo Cardinalis conſecrauit. 1135. Ferrarienſes vetus patrimonium Mathildis circumpadanum cum inuaſiſſent, à Friderico coerciti ſunt.& quadraginta obſides dare coacti. 1158.Fœderis Lombardici participes fiunt contra Fridericum. 1167. Hadrianus IIII pont. petiјt à Friderico rege, vt tributa Ferrariæ, Maſſa, & Ficaroli reſtitueret. 1159. Seditionibus agitantur Adelardis, & Taurellis ducibus partium. 1167. Argentam Rauennatibus adimunt.1170. Bononienſibus ex fœdere Lombardico mittunt auxilia aduerſus Chriſtianum archiepiſcopum Friderici præfectum. 1175. in inducijs Lombardorum ſtant à Lombardis. 1176. & in pace Conſtantia. 1183. Alexander III pont Venetijs Ferrariam contendit, vt cum Friderico colloqueretur, deinde Venetias rediјt.1177.Ferrarienſes paciſcuntur cum Bononienſibus. 1193. item cum Mutienſibus. 1198.*

Ficoclæ. in Exarchatu.645.755.

Fidentiola in Lombardia.apud Fidentiolam pugnauit Rodulfus rex Italiæ cũ Berengario. 922.

Firmum in Ducatu Spoletano, ad pontificem defecit ſub Deſiderio. 773. Marchia Firmana.1059.1074.

FLORENTIA. *à Romanis condita, ac militaris eorum colonia, fuit ſub triumuiris.1004.inde à Totila Gothorum rege euerſa eſt, & poſt Caroli Magni iuſſu, cum eò diuertiſſet, reſtituta eſt. 787.Itaque Henrico regnante vna cũ Piſis, & Genua celebrari cœpta.1004. Florentini Fæſulas, capiti ſuo imminentes, quas aperta vi capere nunquã potuerant, in feſto S. Romuli per inducias occuparunt, atque oppido euerſo ciues Florentiam traduxerunt. 1010. Ioannes Gualbertus Florentinus congregationem monachorum Vallis Vmbroſæ in agro Florẽtino inſtituit.1030. Victor II pont.& Henricus II rex ibi conuentum de rebus eccleſiæ egerunt. 1055.Hildebrandus monachus Benedicto X pontifici vitio creato ſuffecit Nicolaum Burgundionem epiſcopum Florentinum, eumq́ auxilio Gothifredi Ducis Etruriæ mariti Mathildis Romam deduxit.1059. Hẽricus III rex contendens Romam aduerſus Gregorium VII pont. Florentiam parere recuſantem oppugnauit. 1081. Paſchalis II pont.Florentiam profectus ex patrum auctoritate Epiſcopum Florentinum antichriſtum natum eſſe temere prædicantem compeſcuit.1104.Florentini contracta cum Senenſib. lite ſocio Vlrico Tuſciæ marchione aſſumpto Senarum ſuburbia incenderunt. Senenſes Lucenſib. adiunctis aduerſus Florentinos, qui Piſanos adiunxerant, proceſſere, & facto prælio victi, & Lucenſium multa caſtra amiſſa ſunt. tumquoque Guidonis Guerra, qui caſtra in diœceſi Florentina habebat,*

& aſsidue cum Florentinis contendebat, caſtra ipſa direpta, atque incenſa ſunt. Senenſes, qui ad populandum excurrerant pene omnes capti, & in carceres conditi. 1144. Cum inde Florentini bellum Guidoni Guerra monuiſſent, ab eo, & ſocÿs eius Arretinis magnam cladem ad Montem Crucis acceperũt 1146. Vido Florentinus Cardinalis põtificis legatus bello ſacroſecundo. 1148. Inde Aretinos adorti multos captiuos fecerunt, eoſque ea lege ne aduerſus ſe arma ferrent, dimiſerunt. 1170. cum parere præceptis Chriſtiani legati regÿ noluiſſent, proſcripti, & beneficÿs Imperialibus ſpoliati ſunt. 1172. Senenſes de caſtro Axiani contendentes magno prælio vicerunt. 1174. Seditionibus laborãtes inter ſe ex turribus domeſticis decertarunt. 1178. ÿdem frequentes crucem bello tertio ſacro acceperunt legato pontifico ad S. Donatum eam præbente. qua de cauſſa Fridericus iuriſdictionem agri ſui paullo ante ademptam reſtituit. 1188. ÿdem remp. à conſulibus ad prætorem tranſtulerunt. 1196.

Florentinum à Catapano in Apulia conditum.. 1056.

Forum Cornelium. Vide Imola..

Forum Iulÿ. vide Duces Foroiulienſes.

FORVMLIVII. *Cum Exarchatu datum pontifici. 755. confirmatum. 817. Forolíuiẽſis eccleſia ſubiecta Rauennati. 1118. Forolíuiẽſes adsũt Fauẽtinis cõtra Rauennates. 1168. à parte Friderici ſteterũt cõtra Lõbardos. 1176. cũ Marcoaldo Duci Rauennæ parerent, & fœde ſe aduerſus præfectum põtificis gesſiſſent, per Innocentium III ad eccleſiæ fidem redacti ſunt. 1198.*

FORVM *Popillÿ in Exarchatu euerſum à Grimoaldo rege. 665. cum Exarchatu perueniens ad pontificem. 755. Eccleſia Popillienſis. 709. item cum Friderico ſenſerunt contra Lombardos. 1176. & cum Marcoaldo parerent, ad eccleſiæ fidem redacti ſunt per Innocẽtium III. 1198.*

FORVM *Semproniÿ in Pentapoli. 755. Petrus epiſcopus Foroſempronienſis legatus pontificis. 876.*

Fracta caſtrum. Rebellis in Campania à Piſanis oppugnata bello Rogeriano. 1137.

Fracta in Marchia Veronenſi à Veronenſibus recepta. 1188.

Fraxinetum in Alpibus Cottÿs occupatũ à Sarracenis. 891. rex Hugo ibi Sarracenos oppugnauit. 940. Adelbertus rex Italiæ ad Sarracenos Fraxineti confugit, Othone veniente in Italiam. 961. Otto Magnus Sarracenos è Fraxineto pellere cupiens, morte filÿ audita non potuit. 972.

Fruſino in Ducatu Romano. 727.

Fulcheria inſula, quæ nunc Glarea Abduana. 672.

Fulgineum in Ducatu Spoletano. cum poſſideretur à Conrado Duce inſtituto ab Henrico, redditum eſt Eccleſiæ. 1198.

Fundi in Campania à Sarracenis incenſi. 846. 1137.

Furconenſium caſtrum. 1100.

Gabellum in Exarchatu. 817.

Galleſÿ caſtrũ ex Ducatu Romano redditum à Duce Spoletano pontifici. 727. 738.

Garda caſtrum ad lacum Benacum, in quod coniecta eſt Adeleis à Berẽgario. 950. expugnata ab Othone Magno. 964. à Lothario rege capta. 1136. à Friderico rege recepta. 1162. & donata. 1164.

Garganum in Apulia religionis cauſſa viſitatum. 867. ab Othone III. 1001. à Leone IX pont. 1049.

Garilianum in Campania à Docibili Duce Caietano conditur, & traditur Sarracenis. 877. recipitur de illis. 915. 1056.

GENVA. *cuius antiquitatis fuerit. 1005. Venientibus in Italiam Longobardis remanſit in poteſtate Imperatoris, unà cum prouincia Alpium Cottiarum. Itaque Honoratus archiepiſcopus Mediolanenſis Alboinum regem fugiens Genuam ſe cum optimatibus cõtulit. 570. Gregorius pontifex optimatium Me-*

dio-

gnas res gerunt. 1120. in Pace Conſtantiæ nominatur. 1183.

Gradvs. quære in patriarchis Gradenſibus.

Gubernolum in agro Mantuano. 1116.

Hasta in Lombardia. Gundoaldus Dux Haſtenſis ſub Longobardis. 590. Franci deleti ad Haſtam. 662. Manfredus marchio Haſtenſis, & Ardericus frater eius epiſcopus. Haſta expugnata ab archiepiſcopo Mediolanenſi. 1015. Cum defeciſſent ad Mediolanenſes, à Friderico exerciti ſunt vrbe incenſa. 1154. 1155. iterum vrbem diruit. 1159. cum Lombardis coniurarunt contra Fridericum. 1168. metu & vi ad Fridericum redeunt. 1174. à Friderici parte nominantur in inducijs. 1176.

Heraclia condita ab Opitergiinis ad æſtuarium Venetiæ. 628. nunc Ciuitas noua dicitur, & epiſcopum habet. lege in Ducibus Venetorum caſus eius.

Horta Nouarienſis lacus inſula. in quam Berengarius coniectus eſt ab Othone. 956.

Hoſtilia in agro Mãtuano ne an Veronenſi. readificata à Veronenſibus inuitis Mantuanis. 1198.

Imola Fori Cornelij nomen ante tulit, arce Imola a Clephone rege ornata dicta eſt Imola. 575. Longobardorum fuit. 743. tradita à Pipino pontifici cũ exarchatu. 755 confirmata à Ludouico. 817. titubantem Fridericus retinuit. 1162. à parte Friderici in inducijs nominatur. 1176. varie vexata eſt à Fauentinis, & Bononienſibus. lege Bononiam.

Eadem cum caſtris eius recuperata eſt ex manibus Marcoaldi Ducis per Innocentium III. pont. 1198.

Inſula S. Iulij in lacu Verbano, quẽ lacũ Maiorem vocant. Minulfus Dux eius 590. obſeſſa eſt ab Othone, qui ibi Villam vxorem Berengarij cepit. 962.

Intemellium. alias Albintemellium, vulgo Vintimillium. Comes Intemellinus. 1140.

Interãna ex Spoletano Ducatu. Interamnæ Luitprandum regem conuenit Zacharias pontifex. 742. cum Ducatu Spoletano & data, & erepta eſt pontifici. demum reddita eſt à Conrado Duce Innocentio III. 1198.

Iuſtinopolis in Iſtria accipit epiſcopum à Stephano II pontifice. 755.

Labellum in Apulia. 1042.

Landrianum in agro Mediolanẽſi. 1037.

Larius lacus, qui & lacus Comi dicitur. 1120.

Lauenna ad lacum Comenſem. 1122.

Laumellum in agro Mediolanẽſi. ibi Theodelinda nupſit Agilulfo regi. 590. Comites Laumelli pro Friderico ſteterunt. 1176.

Lavs. ſitus vrbis. 1111. Longobardorum primum, dein de Francorum, tum Italicorum, ad extremum Germanorum regum fuit, qui Italia regnarũt. à Mediolanenſibus ſæpe vexata. primum quòd epiſcopum ab archiepiſcopo datum, & conſecratum iuſſu Conradi regis recipere noluerunt, ab archiepiſcopo Mediolanenſi obſeſſi iurare ſibi obſequium coacti ſunt. 1025. inde quòd ſe cum Cremonenſibus aduerſus ſe iunxiſſent, obſeſſi ad deditionem adducti ſunt, ædificia euerſa, ciues grauiſſimis tributis, et imperijs oppreſſi sũt. 1111. Queſti apud Fridericũ iniurias Mediolanenſium ei ſe tradiderunt. 1153. à Mediolanſibus patrio ſolo pulſi Picelconem abierunt. 1158. Permiſſu Friderici ad montem Eghetionem ad Abduã nouam vrbem condunt. 1157. muros lapideos faciunt. Albericus epiſcopus primum lapidem poſuit. 1160. In prælio à Placentinis vincuntur capto prætore ſuo. 1161 oſſa S. Baſsiani in nouã vrbem præſente Friderico transferũt. 1163. bello coguntur à Lombardis ſecum contra Fridericum iungi. 1167. Fridericus omnes ciuitates præter Cremonam & Laudem banno Imperiali proſcripſit. 1167. Fœderati Laude conuenerunt, & fœdus firmarunt. 1168. in inducijs à parte Lombardorũ

ſunt. 1176.

Leucum ad Lacum Comenſem. 1126.

Leonina vrbs, quæ nunc Burgum Romæ, munitur, & conſecratur à Leone IIII pont. 855.

Liburia in Campania. 936.

Lignanum in agro Mediolanenſi, vbi Fridericus à Lambardis eſt victus. 1176.

Lignacum in agro Veronenſi. 891.

LVCA: ex parte tertia Tuſciæ, quæ à Longobardis regno attributa eſt, à Deſiderio rege inſtaurata. 757. 772. Inde marchiones Tuſciæ inſtituti Lucæ ſedem habuerunt, ac Lucæ marchiones vocati, quorum primus, quod memoriæ proditum ſit, fuit ſub Carolo Craſſo rege, Adelbertus, de quo, & ſucceſſoribus eius dictum eſt in Etruriæ Ducibus. Lucenſes contractis cum Piſanis inimicitijs eis Valdeſerchium ademerunt, atque ab eis ad Ripam fractam fugati ſunt. 1005. Anſelmus epiſcopus Lucenſis legatus pontificis Mediolanū miſſus. 1059. pontifex factus, & Alexandex II appellatus. 1061. ab hoc Chronica Lucēſium ordiuntur. is Mantuano à Concilio decedens Lucam venit, & Baſilicam S. Martini conſecrauit. 1064. Lucenſes auxilio fuere Senenſibus contra Florentinos. 1144. Velfo marchio Tuſciæ à Lucenſibus acceptus. 1161. conceſsit Lucenſibus omnem iuriſdictionem, quam habebant pertinentem ad ius Marchiæ, & domuni Comitiſſæ Mathildis. 1165. Lucenſes caſtrum Axiani Piſanorum obſederunt; & prælio facto multos eorum ceperunt. 1168. item noua impreſſione Piſanos vſque ad Arnum compulerunt. 1169. rurſus contendunt cum eis. 1170. fœdus percutiunt cum Piſtorienſibus aduerſus Piſanos. 1171. aliquot caſtra iuris ſui faciunt. 1172. Lucius III pont. ciuis Lucenſis Lucæ permiſſu Friderici indulſit, vt pecuniam cuderet Tuſciæ, Marchiæ, Romaniæ, Campaniæq; communem. 1181. Lucam adiens baſilicam S. Martini multis priuilegijs honeſtauit. 1184.

Luceoli Pentapoli. 755. à Longobardis Ducibus occupati. 579. recepti à Romano Exarcho. 593.

Luceria in Apulia poſſeſſa à Longobardis occupata à Conſtante Imper. 663. erepta Grimoaldo Duci Beneuentano à Pipino rege. 802. occupata à Sarracenis, & recepta à Ludouico II rege. 867.

Luna in Etruria, à Deſiderio rege inſtaurata. 772. 895. 1171.

Luganum, ad lacum Lugani in Lombardia. 1120. 1123.

Maiora, et Minora in Principatu Campaniæ bello Rogeriano capta. 1137.

MANTVA, capta ab Agilulfo rege Longobardorum. 602. Sanguis ex imagine Crucifixi Mantuam delatus multa miracula edidit. & Leo III Mantuam rei explorādæ cauſſa venit Carolo Magno regnante. 804. ſub Italicis regibus Mantua ab Vngaris incurrentibus eſt afflicta. 924. Hugo rex fœdus cum pontifice Mantuæ fecit. 928. Manaſſes Mantuanus epiſcopus. 933. Tedaldus marchio Mantuæ ab Othone II inſtitutus, monaſterium conſtruxit S. Benedicti inter Padum, & Larionem in agro Mantuano. 980. Sanguis Chriſti Mantuæ, qui in ignorationem inciderat, cæci reuelatione inuentus. 1048. Tedaldo marchioni ſucceſsit Bonifacius, atque huic Mathildis, qua præſente Mantuæ Concilium actum eſt ab Alexandro II contra Cadaloum antipapam. 1064. Henricus III rex eripuit Mantuam Mathildi. 1091. extant priuilegia à Mathilde data Mantuanis, & confirmata ab Henrico. 1091. Mathildis eam recuperat. 1111. Mantuani rebellarunt à Mathilde, & ſubacti redierunt ad eam. 1114. poſt mortem Mathildis Mantua peruenit ad Henricum regem. 1115. Fridericus Mantuanis fodrū, regalia omnia, & expeditiones ſuſcipiendas remiſit, aliaq; bona dedit. 1164. Man-

tuani ſe fœderi Lombardorum contra dericum aſcripſerunt.1167. 1173. in inducijs à parte Lombardorum ſtant. 1176. itemq́; in Pace Conſtãtia.1183. fugantur ad Pontem Molinum à Veronenſibus dum Hoſtiliam muniri impediunt.1198.

Marchia Tuſcana opp. ex Ducatu Romano.774.

Marincũ nemus in Lombardia, vbi Lambertus rex fuit occiſus.898.

Marſia in Campania.869.1198.

Matera in Apulia à Sarracenis capta. 868.979.

Maturanum ex Ducatu Romano.727.

Medicina caſtrum in diœceſi Bononienſi. 1115. 1155.

MEDIOLANVM. *quære in archiepiſcopis Mediolanenſibus.*

Melfia caput Apuliæ. 1042.1089.1137. expugnata a Rogerio rege. 1138. Conuentus Melfiæ actus à Lothario rege. 1137.

Metamaucũ in æſtuario Venetorum. Epiſcopus Patauinus ſedem Patauio tranſtulit Metamaucum. 638. qua deinde Metamauco Clodiam tranſlata eſt. 1105

Metapontum in Calabria.969.

MODOETIA *oppidum non longe à Mediolano nobilitatum à Theodelinda regina Palatio, et baſilica S. Ioannis Baptiſtæ.601. ibi Carolus Magnus, & poſteri eius coronati corona ferrea, quæ ibi cuſtodiebatur.1026. cum Otho Magnus Mediolani coronari regem inſtituiſſet, Conradus & Mediolani & Modoetiæ voluit. 1026. Fridericus Modoetiæ olim regia ſede coronam induit, & euerſam priſtino decori reſtituit.1158. Modoetia, quam ſibi Mediolanenſes vindicauerant, quoniam niam olim regia ſedes fuerat, ad regẽ pertinere iudicata eſt. 1158. Modoetia regalis ſedes à Friderico vocata. 1162.*

Monorbinum in Apulia.1042.

Mons Alfredi in agro Mutinenſi. 1092.

Mons altus à Genuenſibus expugnatus. 1128.

Mons bellus, ſiue Mons vellius in Lombardia.727. pro Friderico ſtetit.1176. lege Bononia.

Mons bellus ad Papiam.1175.

Mons Bardonis dictus eſt Apenninus, vt inquit Otho Friſingenſis.896.899.

Mons crucis in Etruria. 1146.

Mons Eghetionis, vbi Laus noua conſtructa. 1158.

Mons flaſco oppidum in Etruria. 1170. 1197.1198.

Mons feretrus in Pentapoli.755. oppugnatur ab Othone.963.

Monſferratus regio in Lombardia. Marchio Montisferrati inſtitutus. 967. 1019.

Mons malus ad ad vrbem Romam.1115. 1167.

Mons Maurellus in Lombardia. 1092.

Mons Piloſus in Apulia. 1042.

Mons Politianus in Etruria.1193.

Mons Porcus, vbi Romani à Tuſculanis victi. 1167.

Mons Silicis in Venetia opp. captum, & incenſum ab Agilulfo rege.601.

Mons Sorbus in Lombardia. 1126.

Mortaria inter Mediolanum, & Nouariam.773.

Motta inter Mediolanum, & Laudem. 1025.

Munionis oppido collectĩ Arimani, et Fluẽtini à Deſiderio rege.772.

MVTINA. *primum Gallorum Boiorũ ſedes, deinde ciuium Rom. colonia fuit. A Conſtantino Magno afflicta, & reſtituta Geminiano epiſcopo ſancto decorata eſt. A Gothis delata. ciues in proximos vicos ſe retulere. atque in primis locum quattuor millibus paſſuum ab vrbe diſtantem tenuere, quem Ciuitatem Geminianam, & Ciuitatem nouam dixere. 1055. Venientibus in Italiam Longobardis paruit. 575. Hildebrandus rex donauit Ioanni epiſcopi Mutinenſi ædem S. Petri ciuitatis Geminianæ. 743. Aiſtulfus rex confirmauit Lupicino epiſcopo priuile-*

gia à Cuniperto, & Rachi regibus data. 750. Anſelmus Dux Foriiulij monaſterium apud Fananum, et alterum Nonantula conſtruxit, & Hoſpitium in via Aemilia S. Ambroſio dicatum. 752. Geminianus epiſcopus impetrauit priuilegium à Deſiderio rege. 758. Idem à Carolo Magno impetrauit priuilegiũ, quo poſſeſsiones eccleſia confirmauit, & ne quis à ſe fodrum, aut manſionaticum exigeret., aut paratam, & ab eo Plebem Gandaceti accepit. 787. Adeodatus epiſcopus accepit priuilegium à Ludouico Pio, quo ſuperiora priuilegia confirmata ſunt, & vt in demortui epiſcopi locum ciues alium ſufficere poſſent. 822. Ernidus epiſcopus aliud priuilegium obtinuit à Ludouico II, in eandem ſententiam. 865. Vido Imp. conceſsit Leudoino epiſcopo loca, in quibus Mutina conſtructa fuerat, vias, pontes, portas, vectigalia, poteſtatem foſſas fodiendi, molendina conſtruendi, portas erigendi, & vltrà mille paſſus in circuitu muniendi ad ſalutem eccleſia, item aquam aperiendi, & claudendi. 895. Berengarius rex Gothifredo epiſcopo multa bona conceſsit. 902. Mutinenſis eccleſia ab Vngaris irrumpentibus afflicta eſt. 904. Vido epiſcopus Mutinenſis reliquit Hugonem regem. Vineola caſtrum epiſcopi. 946. Otho Magnus dedit ipſi Vidoni epiſcopo cancellario ſuo abbatiam Nonantulæ, & bona Berengarij regis, & Villæ vxoris in agro Mutinenſi, & Bononienſi. 962. 963. Ioannes epiſcopus donat ædem S. Petri monachis, idq́; monaſterium fit inſigne in vrbe. 996. Vxor Comitis Mutinenſis mirifice fidelis marito. 996. Conradus rex confirmauit ſuperiora iura Hugoni epiſcopo. 1039. Henricus II rex concedit Hereberto epiſcopo, vt vrbem readificare, & augere poſsit, & vſum aquarum Siclæ, & Scultemnæ. & poteſtatem aluei excauandi ad nauigationem aperiendam in Padum. 1055. Mutinenſes ſub Henrico III ædificant nouam baſilicam S. Geminiani. 1099. Corpus S. Geminiani eo transferunt Paſchali II pontifice, & Mathilde Comitiſſa præſentibus. 1106. bellum ſuſcipiunt cum Bononienſibus propter Nonantulanos, qui defecerant ad eos. 1131. pacem faciunt. 1135. iterum eadem de cauſſa bellant. 1142. propter vexationem Nonantulanorum ab Eugenio III epiſcopi dignitate priuantur. 1146. fœdus faciunt cum Bononienſibus. 1156. Gerardus Rangonus prætor Mutinæ, princeps Rangonorum familiæ. 1156. Fridericus rex paſcha Mutinæ egit. 1159. cum Regienſibus Mutinenſes bellum ineunt propter vſum amnis Siclæ. 1183. fœdus faciunt cum Parmenſibus. 1551. coniurant cum Lombardis contra Fridericum. 1167. Hildebrandus Craſſus epiſcopus Mutinenſis Cardinalis legatus pontificis miſſus Mutinam ad conuentum fœderatorum. 1173. Mutinenſes fœdus Lombardicum ſanciunt. 1173. Bononienſibus auxilio ſunt contra Fridericum, & Chriſtianum præfectum eius. 1175. in induciijs ſtant à parte Lõbardorum. 1176 item in Pace Conſtantiæ. 1183. Lucius III pont. baſilicam nouam S. Geminiani conſecrauit, mire cultus à Mutinẽſibus. 1184. Vrbis ambitum Mutinenſes augent. fœdus cum Parmenſibus renouãt. 1188. Populares portarum poteſtatem nobilibus adimunt. 1188. Sancæſarium aduerſus Bononienſes muniunt. 1190. paciſcuntur cum Ferrarienſibus auctore Salinguerra prætore ſuo. 1198. Parmenſibus adſunt cõtra Placentinos certamine ſummo indicto. 1198.

Narnia in Ducatu Romano. 602. 726. adempta Romanis à Luitprando rege. 728. occupata ab Aiſtulfo rege. 755. Ioannes epiſcopus Narnienſis. 963.

NEAPOLIS in Campania occupata à Ioanne Conſinio Duce ciuitatis, & recuperata ab Exarcho. 616. Neapolitani

tani rem naualem tractant. 849. Sergius Dux Neapolis. 876. Neapolis obſeſſa, & capta à Ricardo Normano, inde ſemper fuit Normanorum. 1077. 1078. Henricus V rex eam, ſed fruſtra, obſedit contra Tancredum. 1191. poſt in deditionem accepit. 1194.

Nepet. ex Ducatu Romano. 726. Dux Nepeſinus. 767. Epiſcopus Nepeſinus. 868. à Friderico occupata. 1166.

Nola in Campania. 936.

Nonantula. lege monaſterium Nonantulanum, Mutinam, & Bononiam.

NOVARIA in Lombardia. Nouariæ ædes S. Gaudentij. 926. Nouaria obſeſſa ab Ardoino rege. 1015. Nouarienſes adſunt Mediolanenſibus contra Comenſes. 1121. Petrus Lombardus Nouarienſis magiſter ſententiarũ epiſcopus Pariſinus. 1152. ab Henrico IIII euerſa. 1110. poſt inſtaurata. 1154. pro Lombardis ſtetit contra Fridericum. 1176. 1182.

Numana. in Pentapoli. 755. Patrimoniũ Numanas Eccleſiæ. 742.

Ocimiani marchiones. 1184.

Ocriculi ex Ducatu Rom. 727. à Deſiderio capti. 772.

Olinola, ſiue Caſtellum pars Venetiarum. ibi epiſcopus inſtitutus. 774.

Opitergium prætermiſſum ab Alboino rege. Gregorius patricius ibi Caconem, & Tatonem Duces Foriiulij per fraudem necauit. 616. captum à Rothari rege. 637. Opitergini ad mare fugientes Heracliam, & Equilium condiderũt. 638. Grimoaldus rex ad vlciſcendos Caconem, & Tatonem Opitergium euertit. 665.

ORBITVM lege Vrbeuetum.

Orta ex Rom. Ducatu. 727. à Longobardis Ducibus occupata. 579. recepta à Romano Exarcho. 593. erepta; & reddita à Luitprando rege. 739.

ORTONA in Ducatu Beneuentano à Pipino rege capta. 802.

Palumbinum in ora Etruriæ à Genuenſibus captum. 1125. 1126.

Pantaganum ad lacum Comenſem. 1124.

PAPIA olim Ticinum dicta, à quibus condita fuerit, & à quo Chriſtiana ſacra receperit. 570. ab Alboino rege Longobardorum per triennium obſeſſa in poteſtatem venit. ibique ab eo regni Lõgobardorum ſedes locata. 573. re ad xxx. Duces redacta Zabanus Dux eam tenuit. 575. Autharı regnante cum Franci in Italiam irrupiſſent, ipſam duce quodam Papio ceperunt, vnde Papiæ, vt ferunt, nomen accepit. 590. Varnecauſus Dux Papiæ ſub Agilulfo rege. 600. Gundeberga regina Rodoaldi vxor baſilicam S. Io. Baptiſtæ conſtruxit. Aripertus rex oratorium Saluatori condidit. 657. Grimoaldus rex ædem S. Ambroſio condidit. 673. Pertharitus monaſterium S. Agathæ ædificauit. Rodelinda vxor ædem S. Mariæ ad Perticas extruxit. 673. Ciuitas peſtilentia grauiſſime afflictata. 680. Damianus Epiſcopus Papienſis vir ſanctus contemptus ab Alahi tyranno. 692. archiepiſcopus Mediolanenſis epiſcopum Papienſem conſecrare voluit, cum moris eſſet, vt Romæ conſecraretur à pontifice; & lite inſtituta victus eſt. 715. Luitprandus rex condidit monaſterium S. Petri ad Cælum aureum, & ibi oſſa S. Auguſtini collocauit. 725. ſtatuam equeſtrem Rauenna Papiam tranſtulit. 725. Oratorium Saluatoris in Palatio conſtruxit. 743. Petrus epiſcopus Papienſis vir ſanctus. 743. Aiſtulfus rex Papiæ obſeſſus eſt à Pipino rege Francorum. 754. iterum 755. Deſiderius rex Papiæ obſeſſus eſt à Carolo Magno. 774. Papia vnà cum Deſiderio rege Longobardorum venit in poteſtatem Caroli Magni. 774. Is inſtituit, vt corona regni Modoetiæ ſumeretur. 774. Ludouicus II rex concilium epiſcoporum Papiæ de abuſibus eccleſiæ habuit. 855. Carolus Caluus rex Papiæ forum egit. 876. Carolus Craſſus rex Papiæ conuentum egit. 885. Berengarius rex

*poſt Fra.cos rurſus regni ſedem Pa-
piæ collocauit.887. pulſus eſt inde à Vi
done rege.887. ibi obſeſſus eſt à Zuen-
debado Arnulfi regis Germaniæ filio à
Berengario adducto, ſed fruſtra. 889.
Aduenienti inde Arnulfo Papienſes ſe
tradiderunt, Vidone abeunte Berenga
rius reſtitutus eſt.894. Lamberto autẽ
Vidonis filio Papiam veniente ceſsit.
894. Papienſes. Arnulfi milites per no
ctem in vrbe ciderunt. 896. Lam-
berto mortuo Berengarius Papiam re-
cepit. 898. Ludouicus inde metu fu-
giente Berengario eam occupauit cum
regno. 900. Quo Verona capto & ex-
cæcato Berengarius Papiam recupera-
uit. 902. Sub eo Vngari Papiam popu-
lati ſunt. 902. Anaſtaſius III pont.
epiſcopum Papienſem priuilegio cru-
cis, vmbellæ, & aſſeſsionis ornauit.
911. Berengario pulſo Rodulfus rex
Papiam inijt. 921. & Berengarius Ve
rona occiſus eſt. 923. Sub eo Vngari
Papiam incenderunt. 924. Ermengar-
da ſub Rodulfo obſedit Papiam. 925.
Rodulfo pulſo Hugo rex Papiam, & re
gnum tenuit. 926. qui Papienſium iu-
dicum Valperti, & Gezonis conixra-
tionem aduerſus ſe compeſcuit. 927.
Leo tum epiſcopatum geſsit. 927. Ci-
uitas peſtilentia vexatur. 932. Henri-
cus Bauaria Dux agrum Papienſem
populatur. 948. mortuo Lothario re-
ge Hugonis filio Adeleida vxor Papiã
nomine dotis obtinuit. 949. Berenga-
rius rex Adeleidam cum vrbe cepit.
949. Otho Magnus rex Germaniæ Ade
leidem obſidione Canuſsij liberatã du-
xit vxorem. & Papiam recepit. 955.
& regiam inſtaurauit. 961. Rex Ita-
liæ Mediolani coronatur. 961. Petrus
epiſcopus Papiẽſis pont. factus & Ioan
nes XIIII vocatus. 984. Papia arſit.
1004. Poſt Othonem III Ardoinus
marchio Eporædienſis rex Italia crea
tus Papiam tenuit. 1002. vnde poſt ab
Henrico rege Germaniæ, & Italiæ rege
pulſus eſt. 1013. Is Papiæ conuentum
egit. 1046. Papienſes cum epiſcopum
ab Henrico rege datum, quem duce-
bat archiepiſcopus Mediolanenſis, ac-
cipere nollent, à Mediolanenſibus ar-
mis petiti prælio profligati ſunt in cam
po, qui Mortuorũ eſt appellatus. 1047.
Papienſes lite cum Derthonenſibus con
tracta Laudenſes, & Cremonenſes ſo-
cios adiunxerunt, & Derthonem oppu
gnarunt, & ſuburbium incenderunt
prælijs aliquot cum Mediolanenſibus
Derthonenſium ſocijs factis. inde epi-
ſcopo duce in fines Mediolanenſium in
necti vnà cum epiſcopo à Mediolanen
ſibus occurrentibus capti, & ignomi-
nioſè tractati ſunt. 1507. 1508. Me-
diolanenſes poſt aliquot annos exerci-
tum in agrum Papienſem adduxere,
& prælio facto in campo Macona-
go Papienſes in fugam actos captiuos
fecere, & in cuſtodias abduxere, atque
agrum vaſtauere. 1131. iterum aduer
ſus eos mouerunt, & ad Martinengum
prælio facto ad internecionem cæcide-
runt, agrumque late vaſtarunt. 1132.
Papienſes legatos miſerunt ad Frideri
cum regem Conſtantiam queſtum de
iniurijs Mediolanenſium. 1153. Fride
ricus adiutoribus Papienſibus caſtra
Mediolanenſium deleuit. Item Dertho
nem cum eis oppugnauit, & cepit.
1155. & Papia de Derthonenſibus ſub
actis triumphauit. 1155. Profecto Ita
lia Friderico cum Papienſes impedi-
mentum attuliſſent, ne Mediolanenſes
Derthonem reſtituerent, eorum in ſe ar
ma conuerterunt, Mediolanenſes eos
Viglebano depulerunt, et captiuos mul
tos adduxerunt. inde vrbem adorti ad
deditionem compulerunt. & eos grauiſ
ſimis legibus oppreſſerunt. 1156. Pa-
pienſes Friderico reuerſo affuerunt ad
obſidendum Mediolanum, & agrum
eius vaſtandum. quare Mediolanenſes
in eorum captiuos crudeliſsime ſæuie-
runt. 1158. Fridericus Papiæ conuen-
tum epiſcoporum indixit. 1159. & Pa
pia de Cremenſibus ſubactis trium-
phauit. 1160. & conuentu habito Vi-
ctorem pontificem contra Alexan-*

drum III probauit. quod idem etiam epiſcopus Papienſis fecit. 1160. idem Papiæ altero conuentu principum, & epiſcoporum habito de Mediolano euerſendo conſilium habuit. 1162. Papienſes ædificia Mediolani portæ Ticinenſis diruerunt. 1162. Papienſes inuitantur à Friderico contra Lombardos, & priuilegio decorantur. 1164. Fridericus Papiæ omnes hoſtes Lombardos proſcripſit. 1167. Mediolanenſes, vt Fridericum ab Alexandria obſidione auerterent, in agrum Papienſem incurſionem fecere, & caſtra eorum tentauere. 1175. Alexander pont. epiſcopum Papienſem Crucis, & pallij dignitate ſpoliauit. 1175. Papienſes præcipue adſunt Friderico contra Lombardos. 1176. Fridericus ex prælio Papiam incolumis euaſit. 1176. in inducijs cum Lombardis Papienſes ſunt à Friderico. 1176. item in Pace Conſtantiæ. 1183. Cautum inde à Friderico, ne bellum fieret inter Mediolanenſes, & Papienſes. 1185. Papienſes affuere Cremonenſibus contra Mediolanenſes. 1192.

Paraſium oppidum euerſum à Mediolanenſibus. 1047.

PARMA occupatur ab Alboino rege Long. 571. recipitur à Callinico exarcho, atque ibi filia, & gener Agilulfi regis capitur. 601. recuperatur ab Agilulfo. 803. Elbungus epiſcopus Parmenſis. 909. Rodulfus rex confirmat priuilegia data Eccleſiæ Parmenſi. 924. item Hugo rex. 930. Sigifridus Comes Parmam occupat regnante Berengario. 896. cui ſuccedit Atho, cui Tedaldus, cui Bonifacius. Parmenſes cum dapiferum Conradi regis necaſſent, pœnas Bonifacio domino dederunt. 1038. Parma arſit. poſt Bonifacium ſucceſsit Mathildis. Gibertus Corrigia Parmenſis legatus Italiæ. 1056. archiepiſcopus Rauēnæ factus. 1070. Cadalous epiſcopus Parmenſis legatus Italiæ. 1056. archiepiſcopus Rauennæ factus. 1070. Cadalous epiſcopus Parmenſis fit pontifex contra Alexandrum II. 1061. Gibertus Corrigia pontifex factus contra Gregorium VII. 1080. Parmenſes Bernardum Cardinalem ſpoliant, & à Mathilde puniuntur. 1104. Paſchalis II pont. baſilicam Parmæ S. Mariæ conſecrauit. 1106. Parmenſes Burgum S. Domnini, quòd ciues in diœceſi ſua poſiti parere nollent, incenderunt. 1109. Baſilica terræmotu concidit. 1117. Bernardus Cardinalis, qui fuerat ſpoliatus, epiſcopus datus eſt. 1111. Parmæ ſanguine pluit. 1153. Brixilli cauſſa cum Cremonenſibus bellant. 1135. cum Placentinis caſtri Tablani cauſſa contendunt. 1149. fœdus cum Mutinenſibus iungũt. 1155. Mutinenſibus adſunt contra Regienſes. 1152. Burgum iterum incendunt. 1152. Placentinos ad Caſaleculum vicerunt. 1153. Prætorem, & carrociũ inſtituunt. 1175. Fœdere iunguntur cum Lombardis contra Fridericum. 1167. 1176. Parmenſis ager inũdatur aquis. 1180. de Burgo S. Domnini cum Placentinis certãt. 1188. 1198. 1199. & pacem componunt. 1199. fœdus cũ Cremonenſibus fecerunt. 1186.

PATAVIVM ab Agilulfo rege capitur, & incenditur. 601. Epiſcopus Patauinus ſedem tranſtulit Metamaucum. 638. Rorius epiſcopus priuilegium impetrat à Ludouico II rege. 849. Vngari populantur Patauium, et delent Italicos ad Brentam amnem. 902. Eccleſia Patauina ab Vngaris detrimenta accepit. 912. Goſtinus epiſcopus priuilegium impetrat ab Othone Magno. 964. Betenardus epiſcopus impetrat ius monetæ ab Henrico II. 1049. Patauini rogatu Bertæ reginæ obtinent ius inſtituēdi carrocij ab Henrico III. 1081. Patauini propter litem de flumine Brentæ ſocijs Taruiſinis, & Rauennatib. mouent Venetis bellum, & fugantur. 1150. Henricus IIII rem inter eos compoſuit. 1110. cum Vicetinis pugnant pro iure fluminis, atque cum Taruiſinis, quòd Ticetinos iuuiſ-

ſent. 1144. primi coniurarunt contra Fridericum cum Veronenſibus, Vicetinis, & Taruiſinis. 1167. auxilio ſunt Bononienſibus contra Fridericũ. 1175 in inducijs ſtãt à parte Lombardorum. 1176.

Patricum ex Ducatu Rom. 727.

Patrimonium S. Petri. regio in Etruria. 1198.

Perſicetum prope Bononiam. 727. nunc S. Ioannes in Perſiceto.

Petra ſancta, in Etruria à Deſiderio rege condita. 772.

Pervsia. Peruſia à Longobardis occupata. 579. à Romano exarcho Mauricione Duce ad ſe traducto recepta. 593. ab Agilulfo rege vna cum Mauricione Duce iterum capta. 594. vna cum Ducatu Romano ad pontificẽ peruenit. 727. confirmatur à Pio rege. 817. Rachis rex Peruſiam obſedit, & rogatus à pontifice Zacharia diſceſſit. 749.

Piceleonis Caſtrum conditum à Cremonenſibus. 1533.

Pisae, cuius antiquitatis. & nobilitatis fuerint. 1004. ab Alboino rege Etruriam ſubigente regno Italiæ attributa indicantur. inde Carolo Magno regnũ ſibi vindicante Francis regibus paruerunt. Lotharius rex leges de feudis tulit Romæ ex auctoritate Sapientum Piſanorũ. 825. cũ ad reges Italicos vrbs perueniſſet, Hugo ab Italis accerſitus ex Prouincia Piſas acceſſit. 926. Regno ad Germanos redacto Otho Magnus conuentum in Etruria habuit, vt res prouinciæ conſtitueret. 967 item Otho III. 999. Piſani rẽ tractare naualem rei militaris cauſſa contra prædones, & Sarracenos cœperunt eodem tempore, quo Genuenſes. 1004. Sardiniam à Sarracenis occupatam permiſſu pontificis aggreßi ſunt, quã rex Muſactus tenebat: & domum reuerſi Lucenſes, qui ſibi Valdeſerchium ademerant ad Ripamfractam profligarũt. 1004. 1005. Rhegium in Calabria, quod à Sarracenis obtinebatur, obſederunt. Muſactus rex eis abſentibus Piſas acceſſit, & captas incendit. quas in feſto S. Sixti Piſani recuperatas, vt potuere, reficere contendere. rurſus à pontifice incitati Muſactum expulerunt Sardinia 1006. & in quattuor partes inſulam diuiſerunt Caralitanam, Arborenſem, Turritanam, et Gallurıtanam, & ſingulis iudicibus eas commendarunt. inde à Muſacto expelluntur. 1055. inde ſocijs Genuenſibus eam adorti Muſactum ceperunt. 1035. in Africam prouecti Carthaginem ceperunt, & regem captiuum abduxerunt, & baptizatum dimiſerunt. 1030. à pontifice impulſi cum in Sardiniam contenderent, & ad Corſicam delati partem inſulæ Genuenſibus ademerunt. unde inimicitiæ ortæ. inde in Sardiniam reuerſi Muſactum abire coegerunt. 1051. Piſæ Duci Tuſciæ paruerunt, vt dictum eſt in Ducibus Tuſciæ. Panormũ in Sicilia, quod tenebatur à Sarracenis, diripuerunt, & ex manubijs baſilicam conſtruxerunt. 1052. Eiſdem Corſicam adortis Genuenſes XII triremes in Arni oſtia intulerũt, ex quibus Piſani ſeptem in die S. Sixti ceperunt. vnde ob geminam victoriã templum S. Sixto conſtruxerũt. 1070. claſſem ad bellum ſacrum primum miſerunt, & operam egregiam nauarunt. 1099. Gelaſium II pont. in Franciam abeuntem receperunt. 1118. Caliſto II pontifice in concilio ſtatuente, vt epiſcoporum conſecratio Romæ fieret, Piſani irati bellum cum Genuenſibus renouarunt. 1123, Genuenſes Palumbinum Piſanorum combuſſere. 1125. & poſt Volaterras, Palumbinum, & Caſtrum S. Angeli in Corſica eis ademere. 1126. Piſas adorti Piſanos ad deprimendas domos ſuas vſque ad primam contignationem coegere. 1127. Montaltum expugnauere. 1128. Piſani Innocentium II pontificẽ in Franciam abeuntem excepere. 1130. iterumq́; ex Francia reuertentem. 1133. itaque is archiepiſcopum eis dedit, &

*alteram partem epiſcoporum Corſicæ,
qua diſcordiam fecerat, attribuit. Pi-
ſani ei ad Romam obtinendam cum Ge
nuenſibus affuerunt. rurſus Innnocen
tius vrbe cedens Piſas ſe recepit. vnde
à S. Bernardo laudantur, quod Piſæ
factæ eſſent Roma. 1133. ibi concilium
aduerſus Anacletum eſt actum. 1134.
claſſe iuuant Lotharium regem contra
Rogerium Siciliæ regem. 1137. Amal
fim oppidum capiunt, & volumen Pan
dectarum iuris inueniunt, idq́ beneſi-
cij loco à Lothario impetrant. Petrus
Piſanus eloquens, & doctus S. Bernar
do opponitur in diſputando. 1137. Ber
nardus Piſanus abbas pontifex Euge-
nij tertij nomen tulit. 1145. Guido Pi-
ſanus Cardinalis. 1145. Piſani prohi-
bent, ne Fridericus mittat legatos ad
Sardiniam conſtituendam. 1158. Fri-
dericus nuncios miſit in Tuſciam ad
fodrum regium colligendum. 1159. Vel
fo marchio Tuſcia à Friderico conſti-
tutus à Piſanis recipitur. 1161. Pi-
ſani Conſtantinopoli mercatores Ge-
nuenſes inuaſerunt, atque aliquot eo-
rum interfecerunt. ea de re conſules Ge
nuenſium in portum Piſanum euecti
turrim in conſpectu ciuitatis euerte-
runt, & triremem vnà cum Conſule
Piſano captam abduxerunt. Piſani ve
ro duas Genuenſium onerarias cepe-
runt, & prælio cum eorum claſſe com-
miſſo magnas prædas ex Sardinia, &
Corſica egerunt. 1162. fruſtra queſti
ſunt, quòd Fridericus rogatu Genuen-
ſium Bariſonem Sardiniæ regem inſti-
tuiſſet. 1164. violatis inducijs nauim
Genuenſium eiectam ad Aſinariam in-
ſulam compilarunt. 1165. Albingau-
num eorum oppidum incenderunt.
1165. cum Genuenſibus de iure Sardi
nia apud Fridericum diſceptarunt.
1166. Lucenſes impulſu Genuenſium
caſtrum Axiani obſederunt, & cum
Piſanis occurrētibus prælio facto mul
tos eorum ceperunt, ex quibus decē no
biles Genuenſibus præda loco permiſit.
1168. Piſani terra cũ Lucēſibus, mari
cum Genuenſibus, contenderunt. 1169.
1170. Lucēſes, et Piſtoriēſes fœdus fece
re aduerſus Piſanos. 1171. Piſani, &
Florentini in Etruria mandatis Chri-
ſtiani regijlegati parere noluerũt. Itaq;
ambo proſcripti, & beneficijs imperia-
libus ſpoliati ſunt. 1171. item Lucen-
ſes terra, Genuenſes mari Piſanos la-
ceſsiuerunt. 1172. item. 1173. Piſani
violata pace mercatores Genuenſes ex
iudicatu Caralitano Sardiniæ detur-
barunt, ac bonis exuerunt. quare à
Genuenſibus Bonifacio in Corſica ſpo-
liati ſunt. 1187. ijdem ad bellum ſa-
crum tertium claſſem miſerũt. 1188.
Hubaldus Lanfrancus archiepiſcopus
eò profectus eſt. 1189. Henrico V ad-
ſunt contra Trancredum regem Sici-
liæ. 1191. & eo bello Meſſanæ cum Ge-
nuenſibus decertarunt, ſed ſtatim in-
ducias fecerunt. 1194. quibus tranſa-
ctis Genuenſes adorti, ab eis Bonifa-
cio, & multis nauibus ſpoliati ſunt.
1195. Dum autem ſequeſtre pontifice
pax in Eryce tractaretur, ijdem ad Bo
nifacium recuperandum miſerunt, ſed
obſtantibus Genuenſibus, fruſtra con-
tenderunt. 1196.*

PISAVRVM *ex Pentapoli. 755. Pi-
ſaurenſes bellum ſecere Faneſtribus.
1140.*

PISTORIVM. *inſtauratum à Deſiderio re-
ge. 772. Piſtorienſes fœdus fecere cum
Lucenſibus. 1171. Fridericus ab eis
abſtinuit. 1185.*

PLACENTIA. *occcupatur ab Alboino re-
ge. 571. Engilberga regina vxor Ludo
uici II monaſterium S. Sixti conſtru-
xit. 875. Vido epiſcopus Placentinus
Berengario fauet contra Rodulfum.
922. Sigulfus epiſcopus defecit ab Otho
ne. 965. Ioannes epiſcopus vltro ſe ar-
chiepiſcopum vocauit. idem ſe antipa-
pam fecit, & Ioannes XVII dictus eſt.
996. 997. ius publicæ ſchola Placenti-
ni impetrant ab Othone. 996. Vrbanus
II pont. concilium Placentiæ habuit.
1095. Aldo epiſcopus. 1111. Placenti-
ni baſilicam nouam faciunt. 1122. vr-*

bem foſsis firmant. 1135. iunguni ſe Papienſibus,& ius ſiguandæ monetæ à Courado rege accipiunt. 1140. bellant cum Parmenſibus cauſſa caſtri Tablani. 1150. item ad Caſaleculum. 1153. Damuati à Friderico muros vrbis deijcere iubentur. 1158. in prælio cum Laudenſibus prætorem eorum capiunt. 1161. ſe dedunt Friderico. 1162. Arnoldus Barbauara præfectus Friderici male habet Placentinos. 1164. qua de cauſſa ipſi fœdere iunguntur cum Lombardis contra eum. 1167. 1168. 1173. Bonouienſibus adſunt cōtra Fridericū. 1175. in inducijs ſunt à parte Lombardorum. 1176. & in Pace. 1183. propter Burgum S. Domnini contendunt cum Parmenſibus. 1188. 1198. 1199. & pacem componunt. 1199. In agro Placentino erant Roncaliæ, vbi rex ius dicebat, de quibus in omnibus regibus dictum.

Polimartium ex Ducatu Rom. 727. occupatum à Longobardis. 579. receptum à Romano exarcho. 593. ereptum, & reſtitutum à Luitprando rege. 739.

Pons Capellæ locus vltra Bononiam. 844.

Pons curuus caſtrum conditum à Rodoaldo gaſtaldione Aquinatum. 874.

Pons molinus in agro Veronenſi. 583.

Pontremulum in Etruria. 1167.

Ponzoni marchio iuſtitutus. 997.

Portus ex Ducatu Romano. 727. epiſcopus Portuenſis. 767. 876. 1147.

Populonium ex Tuſco Ducatu. 774.

Præneſte, Præneſtinus epiſcopus. 767.

Pugierula in Campania. 1137.

Radacomalum, à Deſiderio rege conditum. 772.

Ravenna. lege Exarchos, & archiepiſcopos Rauennates.

Reate, Reatini ad pont. ſe conferunt. 773.

Rebellis in Campania. 1137.

Regium in Lombardia, occupatum ab Alboino rege. 571. Apollinaris epiſcopus Regiēſis priuilegium à Carolo Magno impetrauit. 787. Norbertus epiſcopus. 814. Regienſis eccleſia detrimentis affecta ab Vngaris. 904. Adelardus epiſcopus corpora SS. Chryſanti, & & Dariæ à Berengario rege impetrauit. 947. Bonuſſenior epiſcopus. 1111. Herebertus epiſcopus tractat pacem inter Henricum, & Mathildem. 1092. Guala epiſcopus. 1111. Richiza Lotharij II regis vxor ius pro rege Regij dixit. 1136. cum Parmenſibus bellum ineunt. 1152. cum Lombardis fœdus faciunt contra Fridericum. 1167. Bononienſibus auxilia mittunt contra Fridericum. 1175. in inducijs, & Pace ſtant à Lombardis. 1176. 1183. bellum ineunt cum Mutinenſibus. 1183.

Rhegium in Calabria. Autharis rex Longobardorum Rhegium vſque peruenit. 589.

Ripafracta in Etruria. 1005.

Riuolsella in Lombardia. 1114.

Roma: ſub Iuſtino Imperatore veniente in Italiam Longino Exarcho, & ſedem Rauennæ locante Ducem nacta eſt, qui cum Exarcho pareret, multas in Etruria, & Campania ciuitates ſubiectas habuit. vnde Ducatus Romanus nominatus fuit. fuerūt autem hæ, vt ex donatione Ludouici Pij apparet, in Tuſcia partibus Portus, Centumcella, Cære, Bleda, Maturanum, Sutrium Nepet, Caſtellum Gallerij, Orta, Polimartium, Ameria, Tudertum, Peruſia cum tribus inſulis ſuis, Narnia, & Ocriculis. in partibus Campaniæ Signia, Anagnia, Ferentinum, Alatriū, Patricum, Fruſino, & Tibur. Ducatus Romanus ſub XXX Ducibus Longobardis vexatus. Orta, Tudertum, Ameria, Peruſia, & alia occupata. ager Rom. direptus. vrbs obſeſſa, & ad ſummam inopiam redacta. cui Tiberius Imp. frumento ſummiſſo ſubuenit. Longobardi maxima adhibita in captiuos crudelitate re irrita receſſerunt. 579. 580. Tiberis vrbem inundauit, horrea corrupit. draconem in mare detulit. 589. peſtilentia inguinaria ciuitatem aggreſſa eſt, qua Pelagius pōt. perijt. Gregorius ſupplicationibus Deū

placauit. 598. Romanus Exarchus Peruſiam Agilulfo regi ademit Mauricione Duce Longobardo ad ſe traducto; et Sutrium, Polimartium, Ortam, Tudertum, atque Ameriam. 593. Ea de re Agilulfus rex cum Ariulfo Duce Spoletano Peruſiam oppugnauit, eaq; capta Romam obſedit, & Gregorium pontificem in maximum timorem adduxit, & captiuis abductis receſsit. 594. Bonifacius IIII pont. templum Pantheon à Phoca Imp. petiuit, & impetratum S. Virgini ad martyres dedicauit. 610. Eleutherius Exarchus Romam venit, et ſummo honore exceptus eſt, qui deinde omnibus Exarchis ſolemnis fuit. 616. Iſaacius Exarchus patriarchium Lateranenſe expilauit. 637. Theodorus Exarchus Martinũ pontificem Romæ cepit iuſſu Conſtantis Imp. Iconomachi. 653. Conſtans Imp. Romam venit, & à Vitaliano pontifice dignè exceptus, ipſum donauit, & templis Romæ ſpoliatis abijt. 663. Ioannes Exarchus Romam profectus, pecuniam à Sergio pontifice extorſit. 687. Theophylactus Exarchus Romã ante, quam Rauennam, progreſſus ſuſpectus Romanis fuit. 702. Chriſtophorus Primicerius ſumma vir in ciuitate auctoritatis prohibuit, ne Petrus Dux miſſus à Philippico Imper. hæretico reciperetur, poſt cum iuraſſet ſe conſulturum Romanis, permiſit. 774. Tiberis vrbem inundauit. 716. Roma, & Romanus Ducatus transfertur ab Imperatore ad pontificem, cum Gregorius II Romanos ſacramento ſoluiſſet, ne hæretico Imperatori obtemperarẽt. 727. Luitprandus rex Sutrium dolo Eccleſiæ ademit. 728. Eutychius Exarchus vt Ducatum Romanum reciperet, vnà cum Luitprando rege vrbem obſedit. Luitprandus à Gregorio II placatus diſceſsit. 729. Luitprandus Ameriam, Ortam, Polimartium, & Bledã occupauit. 739. quæ poſtea Zachariæ pontifici à ſe repetenti reddidit, & fœdus cum eo fecit. 742. Rachis item Peruſiam obſedit, & à Zacharia rogatus receſsit, & monachum induit. 749. 750. item Aiſtulfus in Ducatum Romanum irrupit. & Narnia capta miſit ad pontificem, ſe Romanum agrum armis oppreſſurum, niſi Romani annuo ſe ſibi tributo obſtringerent. & adducto in agrum exercitu omnia vaſtauit, & vrbem obſedit. Qua re motus Stephanus II pontifex ad Pipinum regem Franciæ contendit, eumq; in Italiam adduxit: qui cum Aiſtulfum Papiæ obſeſſum Exarchatu, & Pentapoli cedere coegiſſet, hæc Eccleſiæ donauit. 752. 753. 754. Tum Roma à Duce etiam gubernabatur; Paulus Affiarta Ducatum gerebat. 772. Poſtremò Deſiderius rex in Exarchatum, & Pentapolim iam Eccleſiæ factas irrupit. Qua de cauſa Hadrianus pontifex Carolum Pipini filium regem Franciæ aduocauit, qui Deſiderio Papiæ circunſeſſo Romam profectus ingenti honore affectus eſt vniuerſa ciuitate obuiam effuſa, & donationem Exarchatus, ac Pentapolis à patre factam confirmauit. & poſt Deſiderio capto regnum Italiæ iniuit. ac Romam reuerſus Patricius Romæ factus eſt. 774. Tiberis vrbem inundauit. 791. Leone III inde ad pontificatum euecto principes Romæ laſciuire, & quaſi dominatum pontificis faſtidire incipientes Leonem ceperunt, & grauiter afflixerunt. quare à Carolo ob eam rem in Italiam progreſſo mulctati ſunt. Carolus à Leone Imperator coronatus. 799. 800. 801. Romani inde accuſarunt Leonẽ apud Ludouicum Pium regem, et villas eius diripuerũt. 815. Ludouicus Ducatum Rom. Exarchatum, Pentapolim, et alia Paſchali pontifici confirmauit. 817. Lotharius rex filius eius Romæ leges tulit. 825. Sarraceni inde baſilicam Vaticanam ſpoliarunt. Quare Leo IIII pont. Vaticanum muniuit, & vrbem Leoninam vocauit. Gratianus magiſter militum apud Lotharium accuſatus eſt, id agere, vt Imperium in Gra-

ciam transferretur.855. Tiberis vrbẽ inundauit.859. Comites Tuſculani Romæ principes mortuo Ludouico II ſine filijs à Ioanne VIII pontifice petierũt, vt Imperij titulum Italis daret, quod ille abnuit, deditq́ Carolo Caluo patruo eius. Itaque ab Alberto marchione eorum principe inſidijs petitus anathema contorſit in eos.876. mortuo vero Carolo in carcerem coniectus. 878. cum euaſiſſet, ad Ludouicum Balbum Caroli filium Franciæ regem confugit, eumq́ Imperatorem coronauit,& anathema in eos renouauit.878. mortuoq́ eo Carolum Craſſum Imperatorẽ conſecrauit. 881. Eo tempore ciuitas in duas factiones abijt. quarum vnius principes Comites Tuſculani fuerunt, qui ciuitatem, & eccleſiam diu perturbarunt,& Hadrianum III pontificem impulerunt, vt titulum regni,& Imperij poſt mortem Craſsi Italicis adiudicaret. 884. Ex quo decreto mortuo Craſſo duo Duces Italiæ regnum inierunt, Berengarius,& Vido. Inde mortuo Stephano V pontifice Sergium Comitem Tuſculanum pontificem intulerunt, contra quem aduerſarij Formoſum oppoſuerunt, atque ante illum conſecrauerunt. vnde ſeditio nata eſt. Itaque Arnulfus rex Germaniæ à Formoſo auxilio vocatus vrbem obſedit, eaq́ potitus Sergianos fugauit, et ſe Imperatorem coronari à Formoſo iuſsit.896. mortuo Formoſo pontifices modo ex hac, modo ex illa parte creati acta alter alterius reſciderunt, vt in pontificibus dictum eſt. Albertus marchio in offenſionem Ioannis X pont. lapſus Ortam ſeceſsit, atque Vngaros aduocauit. 925. Marocia Alberti marchionis mortui vxor Vidoni Tuſciæ marchioni nupta ipſum ad vrbis principatum vocauit. 926. Vidone vero mortuo Hugoni regi Italiæ nupta eum vocauit, ſed ſubito ab Alberico Marociæ filio vrbe eiectus eſt. Romani remp. mutarunt,& præfectum vrbis, conſules, & decarchones inſtituerunt. 928. Hugo inde rex Romam obſedit, eamq; Albericus defendit. 932. Idem Albericus filium ſuum Octauianum pontificem creandum curauit, qui Ioannes XII vocatus eſt. 956. qui ſpoliatus ditionis parte à Berengario II rege aduocauit auxilio Othonem regem Germaniæ, & coronauit Imperatorem. 962. Cum Ioannes inde mutata voluntate Berengario fauere cœpiſſet, Otho occultè Romam venit, & concilio epiſcoporum habito Ioannem, cui multa vitæ probra obijciebantur, deponendum curauit, et Leonem VIII ſuffecit. Interim amici Ioannis ab eo impulſi Othonem aggreſsi ſunt. Otho pacta pace contra Berengarium exijt. Romani inde pulſo Leone Ioannem reduxerunt. & eo mortuo Benedictum ſuffecerunt. qua re audita Otho accurrit,& vrbem obſeſſam inijt, & Leonẽ reduxit, qui conuentu habito Benedictum abdicauit. mortuo inde Leone Ioannem XIII ſubſtituit. Tum Romani libertatem affectantes præfectus vrbis, conſules & decarchones Ioannem exigunt, qui cum ſe ad Pandulfum Principem Capuanum contuliſſet, eius auxilio reuocatus eſt. Otho Romam reuerſus de omnibus ſeditionis auctoribus ſupplicium ſumpſit. 965. 966. 967. Othone II inde regnante Romani Cincio auctore iterum de libertate repetenda egerunt,& Benedictum VI aduerſantẽ mortem in carcere coegerunt. 974. Inde Comites Tuſculani plerunque ſuos in pontificatum intruſerunt. 974. Othone autem III regnante rurſus Romani duce Creſcẽte Conſule mouerũt, vt Imperij titulum ſibi vindicarent. atque Ioannem XV aduerſantem vrbe depulerunt, ſed metu Othonis reuocarũt. 994. 995. mortuo inde Ioanni Otho Gregorium V ſuffecit. quem Othone Italia profecto Creſcens vrbe exturbauit.& Ioannem XVII ſubſtituit, ac molem Hadriani muniuit, quæ ab ipſo Arx Creſcentis dicta eſt. 996. Otho reuerſus vrbem & arcem oppu-

gna-

gnauit, & Creſcentem, Ioannemq; vltus Gregorium reſtituit. Creſcentis inde vxor munere venenato Othonem peremit. 1002. Poſt aliquot annos cum Romani comitijs pontificis deprauatis multos pontifices vna viuentes, alios vi, alios pecunia feciſſent, rei turpitudine commotus Henricus II rex Romam venit, & falſis pontificibus remotis Clementem II ſubrogauit. qui reformationem inſignem Eccleſiæ inſtituit. Henricus ipſe Patricius factus, & iure ordinandi pontificis affectus eſt inde res quietiores fuere. 1047. Poſt aliquot inde annos ſchiſmate orto Cadalous antipapa auxilio Henrici III obſedit vrbem Leoninam, atque Alexandrum II pontificem, & furto eam occupauit. inde pulſus à populo ope Cincij ciuis Rom arcem tenuit, ibiq; obſeſſus eſt. 1063. Gregorius inde VII pontifex in magnam calamitatem incidit, ſiquidem à Cincio ciue Rom. irato captus, & in turrim Cincij conditus, ſed ſtatim à populo liberatus, turriſq; euerſa eſt. 1075. Henricus inde cum Clemente antipapa vrbem per multos annos obſedit, & ſuburbana vaſtauit, & Gregorio in arcem refugiente, vrbem cepit, & Gregorium in arce obſedit. & pulſus à Roberto Viſcardo duce Apuliæ Senas abijt. Inde profecto vrbe Gregorio Senis Romam reuerſus Clementem in ſede locauit, & abijt. 1084. quo profecto Romani Clementem vrbe eiecerunt. 1084. quem ille Vrbano pontifice poſt in Franciam profecto recepit. 1095. & ab eo reuerſo in arcem compulſus eſt, ex qua etiam deinde profugit. 1098. Poſt aliquot annos Paſchali II pontifice ab Henrico IIII rege in templo S. Petri cum Cardinalibus per dolum capto Romani Germanos inuaſerunt, & prælium acre fecerunt, & Henricum fugarunt. 1111. Inde Romanus deficientibus in Apuliam proceſsit, et reuerſus eos pacem petere coegit. 1558. Eo mortuo Cincius Frangipanes, quòd alium pontificem creare vellet, Gelaſio II infeſtus fuit, cui Petrileones obſtiterunt. 1118. Henricus ex Marchia Taruiſina ſubito Romam reuerſus, eaq; potitus Mauricium, qui Burdinus dicebatur, Gelaſio pontificem obiecit. eoque Frangipanibus commendato vrbe ceſsit. 1118. Poſt aliquot annos Romani rurſus diſſenſerunt in comitijs Innocentij II pontificis, & Anacleti II antipapa, atque ipſum fere Anacletum Petrileonis filium coluerunt. Innocentius in Franciam profectus demum à Lothario rege reductus, & capta vrbe in Laterano collocatus ipſum Lotharium coronauit Imperatorem. Romani tum ex ſectis cum Germanis pro Anacleto pugnarunt. 1133. Innocentius inde rurſus abire coactus rurſus à Lothario reductus eſt. 1137. Inde mortuo Anacleto, cum Romani ad obſequium Innocentij redijſſent, Innocentius Tiburtes, Præneſtinos, Tuſculanos, Albanos, qui in contumacia perſiſtebant, ope Romanorum adortus eſt. Tiburtes Romanos turpiter fugarunt. rurſus petiti à Romanis pacem ab Innocentio petierunt. cum autem Romani inſtarent, vt pontifex eorum vrbem euerteret, atque ipſos exterminaret, Innocentius abnuit. Quare Romani ab eo defecerunt, & libertatem inſtituerunt, & magiſtratus veteres creandos, & publica vectigalia pontifici adimenda decreuerunt, ad id maxime ab Arnoldo hæretico impulſi, & bellum cum Tiburtibus renouarunt. Quare Innocentius eos à Sacris amouit, & iure comitiorum pontificiorum priuauit. 1143. atque hæc cum pontificibus contentio ciuitatem turbauit vſq; ad Clemẽtem III. quo tempore Romani cum ſuburbanis populis prope aſsiduè dimicarunt. 1143. Ceterum præter Senatores, quos reſtituerunt, Patricium crearunt, ac vectigalia omnia publica pontifici ademerunt. pri-

mus Patricius Iordanes Petrileonis filius factus eſt. & Lucium II pontificem Senatores propterea in Capitolio obſidentem repulerunt. 1145. Hac de re Eugenius IIII eos auerſatus Viterbium ſe recepit illi litteras ad Conradum regem hortantes ad dominatum pontificis euertendum, ſed fruſtra, miſerunt. 1145. Eugenius ope populorum Latinorum vrbe oppugnata Romanos ad pacem petendam compulit, cum eo vt Patricium abrogarent, & Præfectum vrbis reſtituerent. 1045. Inde Romani rurſus ab Eugenio poſtularũt, vt Tibur euerteret, atque eum abnuentem vrbe expulerunt. 1146. is demum reuerſus eſt lenito, ſed non ſublato odio Romanorum. 1148. Inde Hadrianus IIII pontifex rogatus, vt in Laterano conſecrationem acciperet, et Senatoribus adminiſtrationem remitteret, abnuit, qua de cauſſa illi irati Vidonẽ Cardinalem interfecerunt. Hadrianus ſacris populo interdictis Vrbeuetum ſeceſsit. 1154. veniente vero Friderico ad coronam accipiendam Viterbium proceſsit. ibi Romani Fridericũ conuenerunt, poſtulantes vt clericorũ dominatum depelleret, & ciuitati antiquam libertatem reſtitueret, & vt quandam pecuniæ ſummam Romanis magiſtratibus ſolueret. quos Fridericus inſolentius agentes repudiauit. 1155. Interim Hadrianus vrbem Leoninam imprudentibus eis occupauit, ac poſtridie inſcientibus illis in Vaticano Fridericum coronauit, & cum eo vrbe exijt. 1155. Qua re animaduerſa Romani traiecto Tiberi paucos pontificis ſtratores, qui in Vaticano remanſerant, interfecerunt, & Cardinales aliquot ſpoliarunt. Fridericus in Vaticanum reuerſus prælium cum eis commiſit, & in vrbem eos fugauit. & egreſſus obſidione vrbis inita propter cæli grauitatem abijt. 1155. Alexandro III inde ſedente Romani finitimos populos rurſus inuaſerunt, inprimisq́; Tuſculanos adorti ab eis cladem maximam ad Montem Porcum acceperunt. Fridericus adducens Paſchalem contra Alexãdrum ab aulicis a Vaticano repulſus eſt. deinde cum incendium in baſilicam inieciſſet, receptus eſt, Alexandro ipſo in ædes Frangipanum ſe recipiente. quin etiã eo vrbe cedente Romani Fridericum, & Paſchalem introduxerunt. 1167. inde Albam adorti captam, ac direptam combuſſerunt, ac demum Tuſculum inuaſerunt. 1168. Alexander cum Tuſculi eſſet, pollicitus eſt, ſe ſacra adminiſtratione fore contentum, ſi Romani Caliſto antipapa reiecto ſe recepiſſent, neque obtinuit. 1172. Poſt aliquot annos Romani vbi Fridericum ſe ſummiſiſſe Venetijs Alexandro viderunt, ad eum legatos de pace miſerunt, & cum Senatores retinere vellent, nihil impetrarunt. 1177. Quibus Alexander ita permiſit, ſi iurarent, ſe Romanæ eccleſiæ obedituros. atque ita vrbem ingreſſus eſt. 1177. Eiſdem in oppugnatione Tuſculi perſiſtentibus, Lucius III pontifex, quia impedire non potuit, vrbe abijt. minantibusq́; eis, ni dominatu vrbis cederet, Veronam conceſſit, vbi concilio habito de illorum contumacia egit. 1184. Vrbanus item III odio Romanorum Veronæ manſit. 1185. ad extremum Clemens III rem compoſuit, cum eo vt Patritricium abrogarent, Præfectum autem vrbis, & Senatores à pontifice inueſtituram acciperent. 1188. Cum autem adhuc Tuſculum oppugnarent, Tuſculani Henrico V regi aduenienti ſe dediderunt, ille Romanis minantibus Tuſculum Cæleſtino pontifici tradidit, Cæleſtinus à Romanis fatigatus, ne ſeditionem renouaret, Romanis dedit. Romani illud per iram euerterunt, ac ciues diſperſerunt. 1191. Petrus præfectus vrbis apud Innocentium III obedientiam iurauit, & ab eo inueſtituram accepit. 1198.

INDEX.

Romanum in Marchia Veronenſi. Icilipus à Romano. 1175.
Rondinetum, in agro Comenſi. 1646.
Roſatum in agro Mediolanenſi. 1154.
Roſellæ in Ducatu Tuſco. 774.
Roncaliæ ad Placentiam prope Padum, vbi conuentus agebatur à rege. 973. lege reges.
Sabinenſis epiſcopus. 588.
Sacilanus epiſcopus. 588.
Sagarolum. 1101.
Salutiæ. 769. Marchio Salutiarum inſtitus. 997.
SALERNVM Salernitanus Principatus inſtitutus. 851. lege Principes Capuanos. Amatus archiepiſcopus Salerni inſtitutus à Ioanne XV. obſidetur à Sarracenis. 1016. Guaimarius princeps Salerni. 1016. nõ longe à Salerno Henricus cum Græcis debellauit. 1023. Giſulfus princeps. 1074. Robertus Salernum cepit. 1076. Gregorius VII pont. Salernum à Roberto deductus ibi concilium habuit. 1084. Salernum Rogerio ereptum à Lothario. 1137. Henricus per Diepoldum Salernum Tancrodo ademit. 1192. Romualdus archiepiſcopus Salernitanus. 543.
Saubaſsianum in Lombardia. 1159.
Sancaſsianum pro Lombardis ſtetit. lege Bononiam.
Sarnus in Campania. 1159.
Sauona in Alpibus Cottijs. pro Friderico ſtat. 1176.
Saxolum oppidum in diœceſi Mutinenſi. 1178.
Scala in Campania. 1137.
Scalella in Campania. 1137.
Seguſio ad alpes in Lombardia cum pro Lombardis ſtaret, à Friderico expugnata. 1174.
SENAE. Henricus III Roma Senas ſe retulit. 1084 Senenſium nomen obſcuriſsimum Romanis rerum potientibus. 1144. Senenſes à Florentinis armis petiti. ſuburbia ab eis incenſa. Senenſes in eorum agrum inuecti prope omnes capti, & in carceres conditi. 1144. Rolandus Senenſis pontifex factus, & Alexandex III vocatus. 1159. Senenſes victi à Florentinis cum ad arma veniſſent propter caſtrum Axiani. 1174. Chriſtianus legatus Friderici Senas omnes Etruriæ populos pro pacanda Etruria aduocauit. 1172.
Senogallia in Pentapoli ſita. 755. Petrus epiſcopus. Fanenſes adorti ſunt armis ſociorum. 1140.
Seprium, in diœceſi Mediolanenſi. 961. 1025.
Sergianum à Deſiderio conditum. 772. in Etruria.
Sicopolis i. Capua noua. 856.
Signia in Ducatu Romano. 817. Alexander ibi Thomam archiepiſcopum Cantuarienſem inter Sanctos retulit. 1172.
Soana. ex Tuſco Ducatu. 774. Romanis erepta. Gregorij VII pontificis, qui Hildebrandus dicebatur, patria.
Soncinum in Lombardia. 1137.
Sonica. in Lombardia. 1155.
Soracte mons, in Ducatu Romano. 747.
SPOLETVM. lege Duces Spoletanos.
Sueſſula in Campania.
SVTRIVM ex Ducatu Romano. 727. ereptum, & redditum à Luitprando rege. 728. Henricus II concilium Sutrij habendum curauit contra Gregorium VI. 1046. Nicolaus II pont. concilium habuit Sutrij contra Benedictum X antipapam. 1059. Caliſtus II Burdinum antipapam Sutrij capi iuſsit, & ignominioſè tractauit. 1121. à Friderico occupatur. 1166.
Syluæ candidæ epiſcopus in Ducatu Romano. 1053.
Syponum in Apulia. 1137.
Tablanum in Lombardia. 1149.
Tanetum inter Parmam, & Regium à Clephone rege captum. 574.
TARENTVM in Calabria occupatum à Romualdo Duce Beneuentano. 695. à Sarracenis poſſeſſum, & à Ludouico II tentatum. 869. Sarraceni è

INDEX.

Tarento ſaniunt.876.Princeps Tarentinus.1096. Tarẽtum ereptum Gulielmo regi à Roberto Comite.1155.
Tarracina in Campania.878. ibi conuentus habitus.1086.
TARVISIVM. in Venetia. captum ab Alboino rege, à quo Felix epiſcopus ſalutẽ obtinuit.569.Valfaris Dux Taruiſii.590. Carolus Magnus Rodgando Duce Forouilienſi capto Taruiſium ſe confert.776.Taruiſium populatur ab Vngaris.902.Taruiſini adſunt Patauinis contra Venetos.1110.Premuntur à Vicetinis, quia Patauinos cõtra ſe iuuiſſent.1143.primi coniurarunt contra Fredericum cum Veronenſibus, & Vicetinis, & Patauinis. 1167. in inducijs ſtant à parte Lombardorum. 1176.
TAVRINVM. Agilulfus Dux Taurinatiũ fit rex.590. Garibaldus Dux Taurinatium perfidus.661.Ragumbertus Dux Taurini fit rex.704. Monaſterium Fructeriæ in agro Taurinati. 1015. Vido epiſcopus Taurinas. 1039. Fridericus Taurinum conceſſit.1155.Taurinum pro Friderico ſtetit. 1176.
Teanum in Cãpania. 817. Leo epiſcopus. 877.Pandulfus Comes.1023.
Teate, in Ducatu Beneuentano, à Pipino rege ereptum Grimoaldo Duci. 801.Transmundus Comes Teatinus. 991.
Teleſia in Campania à Sarracenis capta. 855. Gaſtaldio Teleſiæ.865.
TICINVM. lege Papia.
Tibur, ex Ducatu Romano. 727. Otho III Tiburtibus obſeſſis ignouit rogatu S. Romualdi. 997 Tiburtes bellum ſuſcipiunt cum Innocẽtio II pontifice. 1140. & cauſſam afferunt diſsidij inter pontificem, & Romanos. 1142. 1143.
Torcellum in æſtuario Venetorum.epiſcopus Altinas ſedem Torcellum tranſtulit.638.805. Vitalis epiſcopus.1031. Senator epiſcopus.873. Dominicus epiſcopus.883.
Traiectum in Campania.899.
Tranum in Apulia.1042.
Tremetium ad lacum Comenſem. 1122.
Tremula in Apulia,1119.
Tricium ad Abduam amnem. 1159. à fœderatis captum. 1167. à Germanis deditum.1167.
TRIDENTVM Dux Tridentinus Euinus. 575. Alahis, Gundoaldus. 601. Tridentum expugnatur à Francis. 577.Secundus epiſcopus. 603. Agnellus epiſcopus.
Troia in Apulia à Catapano condita. 1016.ſe dedidit Henrico primo regi. 1023 Vrbanus II ibi conuentum habuit. 1091. item Honorius II. 1028. capta eſt à Lothario rege per Henricũ Ducem.1137.
Tudertum, ex Ducatu Romano. 727. 817. à Longobardis Ducibus occupatum.579. ab Exarcho receptum.593. Martinus Tudertinus pont. inter ſanctos relatus.647.653.Tudertini ad Innocentium pontificem à Conrado Duce redierunt. 1198.
Tuſcanella in Etruria à Deſiderio condita.772.
Tuſculum. Tuſculani fundunt Romanos ad montem Porcum.1167.oppugnantur à Romanis. 1182. ſe dedunt fidei Henrici V contra Romanos.Henricus tradit eos pontifici Cæleſtino, Cæleſtinus Romanis, Romani Tuſculum ſolo æquarunt.1191.
Vaccariccia in Apulia.1019.
Valdeſerchium in Etruria.1009.
Vardaſtallum in Lombardia.950. ibi concilium fit ab Vrbano II pont.1094.& à Paſchali II 1106. à Lothario rege capitur.1136.
Vaſti marchiones.1184.
Velitræ in Ducatu Romano,capta.1088.
Venafrum in Campania vaſtatum à Sarracenis.865.
VENETIAE. quære in Ducibus Venetorum.
VERCELLAE. Carolus Magnus hiemẽ Vercellis egit. 801. Truſardus epiſcopus Vercellenſis fugiens incidit in-

Vngaros 902. Vercellæ ab Ardoino rege occupatæ. 1015. Monaſterium Locedenſe in agro Vercellenſi. 1019. Ardericus epiſcopus Vercellenſis metropolitani ſui vices implet. 1027. epiſcopus Vercellenſis legatus Lombardiæ ab Henrico III factus. 1070. qui comitia Gregorij VII iuſſu Henrici comprobauit. 1073. Sigilfredus epiſcopus. Vercellenſes pro Lombardis ſteterunt. 1176.

V ERONA. *capta ab Alboino rege in Italiam irrumpente. 569. ibi occiſus ab vxore. 574. Miraculum Veronæ de catholico, & Arriano. 589. Atheſis inundauit vſque ad feneſtras oratorij S. Zenonis. 589. Verona celebrãtur nuptiæ Theodelindæ, & Autharis regis. Veronæ incendium conflatũ. 590. Zangrulfus Dux Veronæ ſubactus. 600. Theolapius vates apud Veronã. 743. Aragiſus rex Deſiderij filius euadit Verona, eaq́ occupatur à Carolo Magno. 774. Pipinus Caroli filius rex Italiæ monaſterium S. Zenonis condedit, & locupletauit, ibiq́ ſepultus eſt. 810. Berengarius marchio Veronenſis rex. 887. Adelardus epiſcopus. 902. Campi Veronenſes. 902. Ludouicus III rex Veronæ à Berengario captus, & cæcatus. 902. ibi Verona deſcribitur. Berengarius rex Veronæ occiditur. 923. Milo Comes Veronæ. 923. Hilduinus epiſcopus. 927. Ratherius epiſcopus. 927. 932. Veronæ conuentus habitus ab Othone rege. 967. Velfo marchio Veronenſis noui expectauit Henricum in Roncalijs, eaq́ prima Velfonum à Gibellinis alienatio fuit. 1046. Veronæ terræmotus. 1117. Veronenſes adſunt Vicetinis cõtra Patauinos. 1143. Hermanus marchio Veronenſis. 1147. Veronenſes pontem in Atheſim regi venienti facere debent. 1155. eum pontem Friderico interſciderunt, & ab illo per epiſcopum veniam impetrarunt. 1155. Veronenſes, qui caſtrum Gardæ occupauerant, à Friderico coerciti. 1158. Turiſendum, qui Gardam aduerſus ſe mouebat, Fridericus ad deditionem cogit. 1162. Veronenſes iniurijs prouocati à Comite Palatino, cui Fridericus Gardam conceſſerat, Venetis auctoribus coniurant cum Vicetinis, & Patauinis aduerſus eum. 1164. Fridericus ad eos motus comprimendos profectus cum infamia diſceſſit. 1164. Veronenſes fœdus faciunt cum Lombardis contra Fridericum. Verona factionibus agitatur. 1167. in inducijs pro Lombardis ſtãt. 1176. & in Pace Conſtantia. 1183. Lucius III pont. conuentum habuit Veronæ præſente Friderico. 1184. ibique mortuus eſt, & creatus Vrbanus III. 1185. Amphitheatri pars corruit terræmotu. Fractam recipiunt in finibus ſuis à Salinguerra Taurello Ferrarienſi conditam. 1188. Hoſtiliam reædificare inuitis Mantuanis cœperunt, eosq́ ad pontem Molinum fugarunt. 1198. Hoſtiliam muniuerunt. 1199.*

Veſtix ad montis Gargani radices. 1177.

V ICETIA. *capta ab Alboino. 571. Peredius Dux Vicetinus, Vectarus Dux. 664. Vngari Vicetiam populantur. 902. Bellum ineunt cum Patauinis. 1143. Coniurant contra Fridericum cum Veronenſibus, & alijs. 1167. in inducijs ſunt à parte Lombardorum. 1176. item in Pace. 1183.*

S. Victoris Caſtrum. 1045.

Viglebanum non longe à Mediolano. 1156.

Villa noua ad Comum à Mediolanenſibus condita. 1126.

Vineola caſtrum in agro Mutinenſi. 946.

V ITERBIVM *conditum à Deſiderio rege. 772. decoratum epiſcopo à Cæleſtino pont. 1193.*

V OLATERRAE *inſtaurata à Deſiderio rege. 772. à Genuenſibus captæ. 1126.*

Volturnia caſtrum. 602.

V RBEVETVM, *ſiue Orbitum à Longobardis Etruriæ captum. 605. à Deſiderio inſtauratum. 772. ex Ducatu Tuſco.*

774. Vrbeuetani conſules creare cape-
runt. 975. Sylueſter II pont. leges ei de
dit. 1000. Hadrianus IIII. pont. Vrbe
uetum ſecedit. 1155. Vrbeuetani bel-
lant cum Tudertinis. 1158. Seditionẽ
agitant. 1584. oppugnantur ab Hen-
rico V. 1186.
VRBINVM in Pentapoli. 755.
VRBS Leonina condita, & conſecrata
à Leone IIII pont. 855. nunc Burgum
Romæ ſiue S. Petri dicitur.
Vrſicinates immunitate donati à Medio-
lanenſibus. 1160.

FLVMINA ITALIAE, IN HAC HISTORIA NOMINATA.

ABDVA in tranſpadana. 570. 692.
1111. 1120. 1158.
Arnus, in Etruria. 1169.
Atheſis Veronam interluit. 589. 1092.
Aufidus in Apulia. 1041. nunc Lofanto.
Bobium, ad Bobium opp. in Alpibus Cot-
tijs prouincia. 614.
Brenta, olim Medoacus ad Patauium.
901. 1110.
Calor in Ducatu Beneuentano. 663.
Entia in agro Parmenſi. 1180.
Lambrus in Tranſpadana. 1111.
1561.
Liris in Campania. 877. hodie Garilia-
nus.
Mincius, ad Mantuam. 1037.
Ollius, in Tranſpadana inter Mantuam,
& Cremonam. 570. 1183.
Padus in Lombardia in Proemio. congla-
ciauit. 1126.
Parma ad vrbem Parmam. 1180.
Piſcaria in Apulia. 1140. olim Aternus.
Plauis in Forojulienſi Ducatu. 638.
Rhenus ad Bononiam. 1116. 1155.
Sagrus in Campania. 673.
Scultemna, ad Mutinam. 638.
Senius ad Fauentiam. 1570.
Serius ad Cremam. 570.
Sicla, olim Gabellus ad Mutinam. 1135.
1552. 1183.
Tanarus Placentia. 1091.
Tartarus Mantua. 1001.
Tarus Parma. 1180. 1510.
Tiberis Roma. 589. 856. 791.
Ticinum ad vrbem Papia. 1111.
Trebia Placentia. 889.
Treſia ad Comum. 1126.
Vernarolus ad Papiam. 891.

Nationes, quæ poſt aduentum Longobardorum in Italiam irrumpere, hæ fuere.

Franci, Hunni, Sclaui, Sarraceni, Vnga-
ri, Germani, & Normani.
Franci vexati à xxx Ducibus Longobar-
dorum in Italiam ingreſsi mala eis re
pendunt. 577. ſolicitati inde ab Impe-
ratore veniunt contra Longobardos,
Italiamq́ iterum ac ſapius vaſtãt ſub
Authari, & Agilulfo regibus. 586. fa-
cta demum pace cũ Agilulfo diu quie-
uerunt. 595. Inde à Perthartto rege
contra Grimoaldum adducti delentur
ab eo non procul ab Haſta in loco, qui
ab ijs Francorum riuulus dictus eſt.
662. Poſtremo vocati à pontificibus
auxilio accurrere ducibus Pipino, &
Carolo regibus, atque Aiſtulfum impe-
rata facere, Deſiderium regno cedere
coegerunt, & regnum Italiæ, atque
Imperij titulum adepti ſunt, vt ſupra
dictum eſt.
Hunni, quos Longobardi reliquerant in
Pannonia regem ſuum Cacanum dixe
re, qui fœdus cum Agilulfo rege per-
cuſsit. 597. Inde prædandi cauſſa in
Ducatum Forojulienſem irrupit. Gi-
ſulfum Ducem prælio interemit, oppi-
dum Forijulij prodente Romilda Gi-
ſulfi vxore cepit, atque diripuit, in-
gentem numerum captiuorum abdu-
xit. 615. Inde à Grimoaldo rege voca-
tus venit aduerſus Lupum Ducem Fo
rojulienſem, atque in prælio eum oc-
cidit, ac regionem populatus eſt, &
cum inde abire nollet, à Grimoaldo ar
te expulſus eſt. 664.
Sclaui ab Agilulfo rege ad debellãdos Ita
licos conducuntur. 602. ex Dalmatia,
quam occuparant, Apuliam inuecti

INDEX.

Aionem Ducem Beneuentanum occurrentem interficiunt. 649. in Forumiulium ſub Ariperto rege irrumpunt, ac Ferdulſum Ducem cum exercitu ſternũt. 705. iterum cum inuaſiſſent Pemmone Duce deleti ſunt. 758. Rachis rex in eorum regionem incurrit, atque eos ab impreſſionibus coercuit. 738. inde Venetorum oppidum Caprulas populati ſunt. 841.

Sarraceni Arabes à Machometo commouentur imperante Heraclio. 628. Siciliam ex Africa vaſtant. 649. Rhodũ capiunt. 655. Hiſpaniam Gothis eripiunt. 757. capta Sardinia ſepulchrũ S. Auguſtini fœdant. 720. Prouinciam in Francia inuadũt. 730 in Corſicam, & Sardiniam ſe intulerunt. 809. 813. Centumcellas in Italia; & Nicæam in Prouincia vaſtarunt. 853. in Dalmatiam incurſant. 841. Baſilicas S.S. apoſtolorũ Petri, & Pauli Romæ ſpoliant. 846. Caſsinas monaſterium diripiũt. 847. In Sardiniam appulſi ab Italis pelluntur. 849. Beneuentanum Ducatum vexant. 854. Fraxinetum in Alpibus Cottijs occupant. 891. Barrium in Apulia capiunt. 841. & Garilianũ in Campania ſibi vindicant. 877. à Ludouico II rege Calabria pellũtur. 872. Caſsinas monaſterium incendunt, abbatem obtruncant. 884. E Fraxineto, & Africa Italiam infeſtam habent. 905. Aquas oppidum in Alpibus Cottijs capiunt, Genuam diripiunt. 935. E Fraxineto in montes Sueuiæ transferuntur ab Hugone rege, vnde romipetas ſpoliant. 941. Campaniam inuadunt. 1000. Siciliam recuperãt. 1040. Chriſtianos in Syria affligũt. vnde bellum eis ſacrum ſub Vrbano II infertur. 1094. lege bella Sacra.

Vngari gens Scythica et immanis in Pannoniam eiectis Hunnis Craſſo regnante venerunt. 901. Speculatum in Venetiam prodierunt. 901. audita Italiæ opulentia ad prædam accẽſi iterum in Italiam irruperunt, ac Comum, Bergomum, & Papiam late populando petierunt. in fugam à Berengario rege, & Italicis acti cum ad Brentam perueniſſent, deſperatione ſalutis acti repente Italicos aggreſsi ſunt, eosq; occidione occiderunt. Inde Taruiſium, Vicetiam, & Patauium populati, inſulas Venetorum, & ipſas Venetias inuaſerunt, atq; vſque ad Appenninum prædando peruenerunt. Nonantulanum monaſterium incenderunt. 902. 903. Reuerſi Veronam inuadunt. 921. rurſus repetita Lombardia Papiam incendunt. & monaſterium S. Sixti Placentinum comburunt. 924. In Tuſciã vocati ab Alberico marchione ſæuiũt. 925. in Campaniam ingreſsi Capuanum, & Beneuentanum agrum Sarnum vſque, & Nolam, & Liburiam populantur. 936. In Lombardiam reuerſi non niſi pecunia ingenti accepta abeunt, quam Berengarius II collegit. 949. in Bauariam ſe conferunt. 955. ad fidem Chriſti conuertuntur. 1010.

Germani, Arnulfo rege Germaniæ duce in Italiam primum venerunt, à Berengario rege, & Formoſo pontifice vocati, & vrbem Romam ceperunt, & multa mala multis intulerunt. 896. Idem ab Henrico Bauariæ Duce Othonis Magni regis Germaniæ fratre ducti in Italiam irruperunt, & Aquileia capta Papiam petierunt & ingentibus populationibus factis abierunt Lothario II Hugonis filio regnante. 948. Inde amici facti Italicorum auxilio venerunt, ac regnum, & Imperium pepererunt.

Normani Franciam infeſtam habere incipiunt ſub Carolo Craſſo rege. 881. in Franciam migrant ſedibus à Carolo impetratis; eamq; partem Neuſtriam, quæ poſt Normandia dicta eſt, vocant. 887. Ex Francia in Apuliam veniũt, & quo modo. 1016. ad Pandulfum Principem Capuæ venerunt. & Melo Apulo contra Imperatorem Orientis ad recuperandam Apuliam ſe adiunxerunt. 1057. occaſionem nanciſcuntur parandæ dominationis in Apulia.

1041. Normani fratres XII Tancredi filij Gulielmus, Hunfridus, Ricardus, Rogerius, Robertus in Italiam venerũt, et Catapano Imperatoris ad recuperandam Siciliam affuerunt. fuderunt Græcos ad amnem Aufidum. Auerſam primum tenuerunt Ranulfo Comite. 1041. Normani fratres inſignes bello Apulo. 1042. Quemadmodum inde Apulia parta vexarint Italiam, & Siciliam, lege in Ducibus Apuliæ.

Vrbes Italiæ, aut Caſtra inſigniter, aut expugnata, aut obſeſſa poſt aduentum Longobardorum.

Papia obſeſſa ab Alboino rege capitur. 570.
Claßis oppidum Rauenna à Lõgino Exarcho obſidetur. 578.584. & à Smaragdo recipitur. 586.
Roma à XXX Ducibus Longobardorum obſidetur. 579.
Brixelllum ab Authari rege obſidetur, & capitur. 585.
Roma ab Ariulfo Duce Spoletano obſidetur. 591.
Peruſia ab Agilulfo rege capitur. 594.
Roma ab Agilulfo rege obſidetur. 594.
Patauium ab Agilulfo rege expugnatur. 601.
Cremona item. 602.
Mantua item. 602.
Forum iulium opp. ab Hunnis diripitur. 615.
Forum Popilij à Grimoaldo rege excinditur. 665.
Rauenna capitur à Luitprando rege, recipitur à Paulo Exarcho. 725.
Roma obſidetur à Luitprando rege. 729. cum eſſet in poteſtate Gregorij II pontificis, iterum cum eſſet in poteſtate Gregorij III. 739.
Peruſia obſidetur à Rachi rege. 749.
Rauenna expugnatur ab Aiſtulfo rege. 753.
Papia obſidetur à Pipino rege Francorum cum Aiſtulfo rege. 754.
Roma obſidetur ab Aiſtulfo rege. 755.
Papia iterum obſidetur à Pipino rege. 755.
Papia obſidetur, & capitur à Carolo Magno rege unà cum Deſiderio rege. 774.
Baſilica apoſtolorum Romæ diripiuntur à Sarracenis. 846.
Capua capitur à Ludouico II rege. 871.
Roma obſidetur, & capitur ab Arnulfo rege Germaniæ vocato à Formoſo pont. contra ſchiſmaticos. 896.
Papia inceditur ab Vngaris. 924. obſidetur à Rodulfo rege. 925.
Roma obſidetur ab Hugone rege. 933.
Canuſsium obſidetur à Berengario II rege. 950.
Roma expugnatur ab Othone Magno. 964. obſidetur una cum arce, & recipitur ab Othone III, & Creſcens necatur. 998.
Mediolanum obſidetur à Conrado rege. 1037.
Roma obſidetur à Cadaloo antipapa, & arx capitur. 1063. item obſidetur ab Henrico III, & capitur. 1083.
Laus obſidetur à Mediolanenſibus, & expugnatur. 1111.
Derthon expugnatur à Friderico rege. 1155.
Mediolanum obſidetur, & capitur ab eodem. 1158.
Haſta à Friderico inceditur. 1155. iterum diruitur. 1159.
Roma capitur ab Henrico IIII. 1117.
Comum obſidetur à Mediolanenſibus. 1120. expugnatur. 1127.
Beneuentum expugnatur à Lothario III rege. 1137.
Crema oppugnatur ab eodem. 1137.
Crema expugnatur à Friderico. 1159. 1160.
Mediolanum expugnatum euertitur ab eodem. 1162.
Vrbs Leonina capitur ab eodem. 1167.
Vrbeuetum obſidetur ab Henrico V rege. 1186.

Vrbes, aut Caſtra in Italia poſt aduentum Longobardorum condita.

Crema condita ab accolis Longobardos fugientibus auctore Cremese. lege ſuis locis.
Ferraria à Smaragdo Exarcho.
Heraclia ad æſtuarium ab Opiterginis ciuibus.
Equilium item ab agreſtibus Opiterginis.
Baratellum arx Comi, à Luitprando rege.
Radicoſanum à Deſiderio rege in Tuſcia.
Radicomalum item.
Sergianum item.
Tuſcanella item.
Petraſancta item.
Viterbium item.
Venetiæ à Venetis.
Vrbs Leonina, quæ nunc Burgum Romæ dicitur à Leone IIII pontifice.
Garilianum in Campania à Docibili Comite Caietano.
Canuſsium ab Athone Comite.
Troia in Apulia à Gregorio Catapano Imperatoris, unde etiam regio Catapanata dicta.
Florentinum item.
Draconarium item.
Caſtrum S. Angeli à monachis Caſsinatibus. 1046.
Ciuitas S. Benedicti à monachis Caſsinatibus.
Sicopolis, quæ & Capua noua à Sicone principe Beneuenti.
Pons curuus à Rodoaldo gaſtaldione Aquinate.
Piceleonis caſtrum ad Abduam à Cremonenſibus.
Villa noua ad Comum à Mediolanenſibus.
Villafranca à Genuenſibus in ora maritima.
Caſtrum Leonis à Cremonenſibus.
Laus noua ad montem Eghetionem à Friderico rege.
Alexandria à Lombardis fœderatis.

EPISCOPATVS INSTITVTI poſt aduentum Longobardorum.

Heraclea, quæ nunc ciuitas noua dicitur.
Equilij.
Caprularum.
Torcelli.
Metamauci.
Clodiæ.
Iuſtinopolis.
Oliuolæ, quæ poſt Venetiæ dictæ.
Ferrariæ.
Capuæ nouæ.
Alexandriæ.
Viterbij.

ARCHIEPISCOPATVS instituti poſt aduentum Longobardorum.

Gradi.
Salerni.
Capuæ.
Ioannes Epiſcopus Placentinus vltro ſe archiepiſcopum vocauit, & antipapa factus Ioannes XVII dictus.
Genuæ.
Piſarum.

MONASTERIA SIVE ABBATIAE nouæ inſtitutæ:

Monaſterium Caſsinas paucis ante annis à S. Benedicto conditum erat. lege in Abbatibus Caſsinatibus.
Monaſterium S. Petri Bobij conditum eſt à S. Columbano Scotto ſub Agilulfo rege opem ferente. 614.
S. Georgij in Campo Coronata à Cuniperto rege. 692.
S. Agathæ Papiæ à Pertharito rege. 673.
S. Iuliæ Brixiæ ab Engilberga filia Deſiderij regis. 761.
Leni in agro Brixiano à Deſiderio rege. 758.
S. Petri ad Cœlum aureum Papiæ à Luitprando rege. 743.
Berceti in monte Bardonis à Luitprando rege. 743.

S. Ana-

S.Anaſtaſij in Olonna à Luitprando rege.743.
S.Sylueſtri Nonantula in diœceſi Mutinenſi ab Anſelmo Duce Foroiulienſi fratre vxoris Aiſtulfo regis.752. Corpore S. Sylueſtri Romam deportato ornatur. cui adiungitur Hoſpitium in via Aemilia S. Ambroſio dicatũ.752. Petrus abbas Caroli Magni.813. Anſfridus abbas legatus Ludouici Pij regis.828. Ludouicus III confirmat priuilegia monaſterio.901. Monaſterium incenditur ab Vngaris.903 reficitur. 909. Petrus abbas tranſtulit Nonantulam corpora SS. Gyneſij, & Theopontij.912. Vido epiſcopus Mutinenſis abbas.963. Monaſterio ab abbate ad præpoſitos redacto per Berengarium II regem abbatus honor redditur ſub Othone Magno.998. Nonantulani à Mutinenſibus ad Bononienſes deficiũt auctore Hildebrando abbate, & cauſam belli inter eos ferunt.1131.
S.Zenonis Veronæ à Pipino rege cõditum eſt.810.
S. Sixti Placentiæ ab Engilberga vxore Ludouici II regis.875.950. combuſtum eſt ab Vngaris.924.
Canuſsij ab Athone Comite.945.
Brixilli ab Athone Comite.945.
S.Benedicti inter Padum & Larionem in agro Mantuano à Tedaldo marchione.980.
S.Celſi Mediolani à Landulfo archiepiſcopo.995.
S.Petri Mutinæ à Ioanne epiſcopo ciuitatis.996.
Camaldi à S. Romualdo abbate.1009. qui item congregationem Camaldulenſem inſtituit.
Locedi in agro Vercellẽſi à Bonifacio marchione Montisferrati.1019. Bononius abbas Locedenſis.1027.1199.
Vallis Vmbroſæ in Etruria à S. Ioanne Gualperto Florentino.1030.
Rondineti Humiliatorum ad Comum ab exulibus Comenſibus.1046.
Puntida in diœceſi Medıolanenſi ab Alberto epiſcopo Bergomate.1095.
Claraualis apud Mediolanum à S. Bernardo abbate.1034.
S.Anaſtaſij ad Aquas Saluias Romæ ab Innocentio II pontifice.1038.
Morimundi in agro Ticinenſi à monachis Ciſtertienſibus.1183.
Monaſterium Floris in Calabria. Ioachimus abbas vates.1189.
Monaſterium Teani.910.
Monaſterium S.Vincentij in Campania.851. ſpoliatur à Sarracenis.865.
Monaſterium Capuæ.945.
Monaſterium Altini.874.
Monaſterium Claſsis, cuius abbas Honeſtus.970. & S.Romualdus.995.
Monaſterium Fructeria in agro Taurinati.1015.
Monaſt.S.Iuſtinæ Padua.
Monaſterium Farfa.1145.
Monaſterium S.Modeſti Beneuenti.1071.
Monaſterium Cauæ in Campania.1121.

HOMINES SANCTORVM in numerum relati ferme ex Italia.

Gregorius Magnus pontifex.604. Romanus.
Columbanus Scotus abbas Bobij.614.
Attala abbas Bobij.614.
Bertolfus abbas Bobij.614.
Secundus epiſcopus Tridentinus.603.
Ioannes epiſcopus Bergomas.659.683.
Martinus Tudertinus pontifex.653.
Leo II pontifex.683.
Leo IIII pontifex.855.
Romualdus Rauennas abbas Camaldi.1009.
Bononius Bononienſis abbas Locedenſis.1027.
Vido abbas Pompoſiæ.1046.
Leo IX pontifex.1054.
Stephanus IX pontifex.1058.
Dominicus Loricatus Campanus.1031.
Io.Gualbertus Florentinus Vallis Vmbroſa abbas.1030.
Ioannes Meda Humiliatorũ abbas.1046. ab Alexandro III relatus.

INDEX.

Petrus Damiani monachus, & Cardinalis Rauennas. 1080.
B.Henricus Cremonenſis abbas monaſterij Puntidenſis. 1095.
Gerardus Placentinus epiſcopus Potentinus. 1119.
Guarinus Bononienſis canonicus regularis, & Cardinalis. 1144.
Martinus Turrianus Mediolanenſis martyr. 1148.
Thomas archiepiſcopus Cantuarienſis in Anglia. 1172. ab Alexandro III.
Bernardus abbas Clarauallenſis Burgundus. 1174. ab Alexandro III.
Galdinus archiepiſcopus Mediolanenſis, & S.R.E.Cardinalis. 1175.
Homobonus Cremonenſis laicus. ab Innocentio III relatus. 1199.
Franciſcus Aſsiſias. 1198.
Dominicus Calarogenſis Hiſpanus. 1198.

HOMINES VATICINIO preſtantes.

Eremita quidã in Calabria ſub Grimoaldo rege. 663.
Ioãnes monachus in Gracia ſub Philippico Imperatore.
Baudolinus ſub Luitprando rege in Longobardia. 743.
Theolapius Veronæ ſub Luitprando rege. 743.
Villelmus archiepiſ. filius Othonis Magni. 956.
S.Romualdus Rauennas ſub Othone III. 1001.
Ioachimus abbas in Calabria. 1189.

FAMILIAE ITALIAE antiquæ nobilitatis.

Marchionum Ateſtinorum. 967.
Comitum Canuſsinorum. 896. lege marchiones Tuſciæ.
Comitum Tuſculanorum Romæ floruit ſub Carolo Craſſo. 876. 883.
Marchionum Montisferrati ſub Othone Magno cæpit. 967.
Comitum Mutilianæ in Romaniola. 967. qui deinde Comites Guidi, poſt Comites à Balneo dicti. 1164.
Malateſtarum in Romaniola, ſub Othone III. 997.
Vicecomitum Mediolani. 1037.
Comitum Pirouani, Mediolani. 995.
Comitum Meregnani, Mediolani. 995.
Douariorum, Cremonæ. 1015. De Perſico 1186.
Rangonorum, Mutinæ. 1156.
Columnarum Romæ. 1101. 1108.
Petrileonum Romæ. 1118. 1130.
Frangipanum Romæ. 1118.
Corrigiarum Parmæ. 1156.
Marchionum Blanderati Mediolani. 1154. 1168.
Marchionum Malaſpinarum. 1158.
Turrianorum Mediolani. 1148.
Monticulorum, & Sanbonifaciorum Veronæ. 1167.
Taurellorum, & Adelardorum Ferrariæ. 1167.
Malauoltarum, Prendipartiorum, Aſinellorum, Gariſendorum, Rampanorum Bononiæ. 1170. 1194.
Doriarum, & Spinolarum Genuæ. 1189. 1197.
Landrianorum, Cottarũ, à Raude, Puſterlarum, Lampugnanorũ, et Cribellorũ Mediolani. quare in archiepiſcopis.

CATALOGVS PERSONArum, rerum, & verborum memorabilium.

Abbates poſt epiſcopos ſunt. 973. inueſtiũtur per baculum, ſiue virgam. 752. cum Abbatiam dimittunt, baculum reddunt. 997. iuſiurandum non ſuſcipiunt. 1137.
Abbatia. lege Monaſteria.
Abſtentus pro excommunicato, vox eſt Arnobij. 1077.
Adelbertus Eporædiæ marchio Berengario regi ſocero infeſtus, alioqui pius. 898. filij eius Berengarius, & Anſcarius. 924. 933.
Adelbertus Tuſciæ marchio. lege Tuſciæ marchiones.

INDEX.

Adelbertus Berengarÿ filius rex Italiæ.lege in Regibus.

Adeleis Rodulfi regis filia nubit regi Lothario.938.vidua relinquitur. dotis nomine obtinet Papiam.949.repudiat nuptias Adelberti regis. capta Papia in caſtrum Gardæ conÿcitur à Berengario II rege.Inde fugit ad Athonem Canuſsinum.950. & Canuſiÿ obſeſſa liberatur ab Othone,& ducitur vxor, & Papia recipitur. 951. Gulielmus archiepiſcopus Moguntinus iubet, vt pater Otho dimittat eam,quia commater eſſet.954.vixit inde etiã ſub Othone III. 984.

Adeleis vxor Henrici III regis à marito contumelia affecta confugit ad comitiſſam Mathildem,& Vrbanum II pontificem.1093.

Adelolfus rex Angliæ Romam profectus regnum ſuum tributariũ Eccleſiæ Ro. fecit.851.

Agnellus epiſcopus Tridentinus, vir inſignis.591.

Agnes vxor Henrici regis. 1043. vnà cum marito coronata Auguſta à Clemente II pont.Romæ. 1047. poſt mortem mariti tutricis nomine Henrici III filÿ pueri gubernat Italiã. 1056. Romæ moritur,& ſepelitur. 1077.

Alabarda.teli genus.1170.

Almaranus primus marchio Montisferrati.967.

Autocephalia hæreſis.lege hæreſes.

Aquæ Graui conditæ à Carolo Magno. 795.

Archiepiſcopi Moguntinus, Colonienſis, & Treuerenſis, quo iure in conſecrando rege Germaniæ, & toto regno fuerint. 973. lege creationes ſingulorum regum.

Arces in Italia fieri cœptæ propter incurſiones Vngarorum, & Sarracenorum. 905.

Auditorium Conſtantinopoli.726.

Sancti Auguſtini oſſa Papiam tranſlata. 721.

Auſtraſia poſt Lotharingia dicta.843.

Azo marchio Ateſtis intereſt colloquio Henrici III, & Gregorÿ VII apud Mathildem Canuſsÿ. 1077.

Azo alter marchio Ateſtis ducit Marcheſellam Ferrariæ.1196.

Baioaria à Carolo Magno in prouinciæ formam redacta.790.

Baioarius eques præſtans arte equitandi prouocat Italos.892.

Batuli,& alÿ miniſtri occurrunt Romæ Carolo Magno.801.

Baltheus pretioſus à muliere auara mirè apetitus.935.

Baldoinus II rex Hieroſolymorum. 1100.

Banni Imperialis formula. 1159. 1167.

Barbam in adoptione præcidebant Longobardi.616.

Bardo mons, qui quondam Apenninus. 896.899.

Bariſo rex Sardiniæ factus à Friderico. à Genuenſibus captus,& Genuam deuectus,donec pecuniam mutuò datam ſoluat.1164.

Baſilicæ magnificæ in ciuitatibus Italiæ refici cœptæ.1122.

Baudolinus vates ſub Luitprando rege. 743.

Beatrix vxor Bonifacÿ marchionis, & mater Mathildis vidua ab Hẽrico retinetur. 1055. colitur vnà cum Mathilde à Gregorio VII pont. eumq; colit.1073.

Beatrix vxor Friderici Imp.lege in Friderico.

Bernardus Cardinalis legatus Pontificis à Parmenſibus ſpoliatus.1104.

S.Bernardus monachus Ciſtercienſis factus.1113.reſpuit eccleſiam Mediolanenſem.1123.fauorem regis Franciæ conciliat Innocentio II contra Anacletum.1130.miracula edit.1134.colitur a Mediolanenſibus.1134.multos ab Anacleto antipapa alienauit.1137 Cardinales reprehendit,quòd Bernardum abbatem fecerunt pontificem. 1145.Crucem in Sarracenos prædicat in Francia ſigna faciens.1146.obiurgat Romanos,quòd Eugenium pontificem vrbe deiecerint. 1146. miracula

edit

edit apud Conradum regem.1147. inter ſanctos refertur ab Alexandro III pont.1574.

Berta Carlomani vxor ad Deſiderium regem ſe contulit contra Carolum Magnum regem.772.

Berta vxor Adelberti marchionis Lucenſis accendit maritum contra Berengarium.regem. 900. nouis rebus ſtudet. 920.

Berta vxor Henrici III. regis. 1081.

Berta,& Bertaciola nomina carrocij Patauinorum , & Cremonenſium. 1081.

Bertrada mater Caroli Magni Romam profecta conciliat nuptias filiæ Deſiderij regis cum Carolo filio.770.

Bilsdulfus monachus Bobienſis à Rege Arriano male habitus.626.

Bocius Germanus præfectus necatus à Bononienſibus.1167.

Boemundus Normanus ad ſacrum bellũ tendit cruce cum ſuis ſignatus. 1096. Antiochiæ princeps fit.1098.

Bonicius Dux Mediolani parans archiepiſcopatũ Lãdulfo filio occiditur. 990.

Bonifacius Moguntinus archiepiſcopus conſecrat Pipinum regem Francorum 750.

Bonifacius comes Corſicæ.828.

Bonifacius martyr in Boemia.997.

Bonifacius pater Mathildis,quære ĩ marchionibus Tuſciæ.

Bonifacius marchio Montisferrati monaſterium condit in Locedo.1019.

S.Bononius abbas Locedi ciuis Bononien. s027.

Boſo rex Burgundia.878.

Boſo marchio Tuſciæ, quære in marchionibus Tuſcia.

Bracilla,machina militaris.s127.

Breuia.i.ſabellæ. 1106.

Briccolæ,machina militaris.s127.

Brolium Mediolani ſale diſſeminatum à Friderico.1162.

Bubali primi in Italiam.595.

Bulgarus iuris interpres Bononiæ. s552.

Burcardus epiſcopus Vormaciẽſis auctor Decreti. s008.

Burcardus Dux Sueuorum in Italiam. ad Nouariam à Lamberto archiepiſcopo Mediolani occiditur.926.

Cacanus.i.rex Hunnorum appetit amicitiam Agilulfi regis. 597. incendit Forumiulium.615.

Cacodæmon in peſtilentia venabulo domorum oſtia feriens viſus.680.

Cadalous antipapa,lege in Alexandro II pontifica.

Campanæ tres tribus conſilijs ciuitatum deſtinatæ.1106.

Campanarium S.Petri à Leone IIII factum 850.

Campulus infectus Leoni III. pont. 798.

Canes duo dono miſsi ab Hugone rege lacerare voluerunt Imperatorem. 927.

Canonici Regulares ſiue Auguſtiniani antiquitus celebres. 973. Henricus rex Germaniæ, & Italiæ, idemque Imperator cœnobium condidit in Germania, & S.Stephano dicauit,ac canonicis regularibus attribuit 1006. Ex familia canonicorum regularium fuit Valterius archiepiſcopus Rauennas, qui eccleſiam illam ad obſequium Romanæ poſt diuturnam contumaciam redegit. & à Gelaſio II pont. Epiſcopos Aemiliæ à Paſchali ſubtractos recuperauit. s118. Honorius II pont. 1124. Innocentius II pont.s130. Lucius II pontifex. s144. Guarinus Cardinalis inter Sanctos relatus. s144. Anaſtaſius IIII pont. 1153. Hadrianus IIII pont.1154. Alexander III pontifex 1159. item Innocentius III pontif.1198. Fridericus rex liberauit fodro, parata, & manſionatico eccleſias SS.Victoris, & Ioannis in mõte Bononiæ,quæ erant, vt etiam nunc ſunt,canonicorum regularium. quarum nunc eſt abbas D. Archangelus Roſsius Bononienſis,qui ſcripta canonica vtriuſque harum hiſtoriarum ſcriptori liberaliſsimo oſtendit. 1562.

Capitanei,& Valuaſores qui.973.

Capitanei portarum Mediolani.i. nobiles

in tribubus ſingulis ciuitatis.1041.
Capitanei Nonantulani.1131.
Cardinalium Rom. dignitas. 973. poſt decretum Nicolai II pont. creuit. 1059.
Cardinales eccleſiæ Mediolani. 973.
Carlomanus monachus diſſuadet bellum contra Deſiderium regem. 754.
Carolus,& Carlomanus reges Franciæ. 768.
Carolus Marcellus Maiordomus Franciæ Pipinum filium Luitprando regi adoptandum dat. 729. liberat pontificem Gregorium III obſidione Luitprandi regis. 739. moritur, relictis filijs Carlomano,& Pipino.741.
Carrocium in bello à quo inuentum, & quale. Carrocium Lombardorum. 973. 1077. Patauini, & Cremonenſes carrocium inſtituerunt nomine Bertam, & Bertaciolam. 1081. Carrocium amittere, turpe erat.1150. Carrocium adducitur in deditione.1162. non educitur, niſi decreto Conſilij Generalis,& Credentiæ. 1170. Carrocij malus,& nola. 1191.
Caſtra vrbibus ſe adiunxerunt. 106. Caſtrorum in diœceſi ſtatus. quid differãt ab vrbibus.1106.
Catapanus Græcorum in Apulia magiſtratus 982. 1040. vnde Catapanata regio.1016.
Certamine ſingulari probationes,& purgationes lege Probationes.
Chartularij,qui.567.
Chilpericus rex Francorum abdicatus à Zacharia pont.750.
Chunigundis vxor Henrici regis, mulier ſancta.1024.
Ciborium.ideſt ornamentum eccleſiæ rotũdum,& faſtigiatum.1130.
Cilicio inuoluebantur pœnitentes. 1054.
Cimiliarcha. ideſt cuſtos theſauri eccleſiæ. 1176.
Cincius Romanus Benedictum pontificem in cuſtodiam tradit.974.
Cincius alter Romanus ſeruat Cadaloum antipapam.1063. capit Grego. VII. pont.1075.
Cinere aſpergebantur,& cilicio inuoluebantur pœnitentes.1054.
Cingulo militari donabat Imperator. 1155.
Cælibatus clericorum fatigauit diu eccleſiam poſt Clementem II pontificem: quare in Pontificibus.
Collegia in ciuitatibus Lombardiæ multa.1106.
Columbæ duæ fecere omen victoriæ Mediolanenſibus.1176.
S.Columbanus Bobienſe monaſterium cõdit.613.
Comites qui lege Feudatarios.
Comites Canuſsij. Auerſæ, Apuliæ, & Calabriæ quare ſuo loco.
Comites Canuſsini. lege Duces Etruriæ.
Comites Tuſculani Romæ potentes. 875. 883.
Commune.i.reſpublica.1106.
Conſilia tria in ciuitatibus Lombardiæ, Generale, Speciale, & Credentia. 1106.
Conſtantiæ Pax.1183.
Conſularis dignitas Romæ renouata in Alberico ſub Hugone rege.928. celebrari cœpta ſub Othone.II.973.
Conſules ciuitatum iurarunt apud præfectum vrbis.973.
Conſules communis,& iuſtitiæ.1106.
Conſurrectio in comitijs quid.1106.
Corona regni Germaniæ,Italiæ,& Imperij qualis.973.
Corſorum epiſcoporum conſecratio Romæ, vt fieret, conſtitutum.1123.
Coſroes Perſarum rex Hieroſolyma capit,& crucem aſportat,et Trinitati illudit.615.
Credentia Mediolani complexa eſt opifices.906.1041. Credentia ſeu populus Capitaneus.1041.
Credentia conſilium in ciuitatibus Lombardiæ erat Auguſtus. 1173. 1176. 1191.
Cremes Cremam condidit.602.
Creſcẽs Romæ cõſul cõcitat tumultũ propter Imperij cupiditatem. 993. pontificem Ioannem aduerſantem vrbe

pel-

pellit.994.molem Hadriani muniuit. ab eo arx Creſcentii dicta.996 vexat Gregorium V pontificem. 996.contra fidem captus ab Othone III,& ſupplicio affectus.997.

Crucem praferebant ſupplicantes.1558. 1153.1166.

Cruciatæ tres, prima ſub Vrbano II. 1095.ſecunda ſub Eugenio III.1145. tertia ſub Clemente III, & quomodo indicta.1188.

Cruciferi fratres reformati ab Alexandro.III. 1169.

Crucis ſignum è panno humeris affixum militibus ad ſacrum bellum euntibus. cruce ſignati.1095.

Crucis ſupplicium.1159.

Crux recuperata de Perſis ab Heraclio Imperatore.627.

Crudelitatis exemplum Romæ ab Othone II editum.985.alterum ad Cremam. 1160.

Cunigundis vxor Henrici regis,& Imp. mulier ſancta.1024.

Damianus epiſcopus Papienſis vir ſanctus,& doctus.692.

Dalmatia redijt in fidem Imperatoris. 806.à Venetis recepta eſt. 997.

Daniel turbator ocij Romæ.855.

Dattus Apulus auctor Apuliæ Græcis adimenda captus Gariliani, & in mare præcipitatus.1020.

Decarchones Romæ inſtituti.928.

Decretum quid.1106.

Dedentes ſe ſtrictos gladios tenebant.

Deditionis formula.952.1531.1162.

Dignitates in Imperio vtroque,in regno, in Eccleſia Rom.& alijs eccleſijs,quære ſuis locis ſupra.

Diluuia.589.608.726.885.

Diſceſsio in ſuffragijs ferendis quid. 1106.

Docibilis Dux Caietanus Cariliani arcem condidit.877.

B.Dominicus Loricatus in Campania moritur.1031.

B. Dominicus Calarogenſis claret ſanctitate.1198.

Domini, idem,quod magiſtri.589.

Domus lignea in Lombardia.973.

Draco è Tiberi prolapſus in mare. 589.

Droctrulfus à Longobardis defecit ad Smaragdum exarchum.584.

Duces, qui,et quomodo inſtituti.973.Duces Fori Iulij,Spoleti,Etruriæ, Beneuenti,Apuliæ, & Calabriæ, Romæ, Mediolani, Venetiarum. lege ſuo loco.

Ducatus ſinguli Italiæ, quomodo inſtituti.quære in Regibus,& Pontificibus.

Ebronenſis arch. ſimoniæ mirabiliter ab Hildebrando monacho conuictus. 1055.

Eccleſia Rom.corrumpi cœpit per ſimoniacos,& Nicolaitas poſt Ioannem VIII pont.883 reformari cœpta à Clemente II,& deinceps à ſucceſſoribus eius. lege in Pontificibus. Eccleſiæ dignitates,ritus, ditiones,bona. quære in Pontificibus.

Eccleſia Conſtantinopolitana.lege in litterа c.Mediolanenſis,Rauennas, Aquileienſis,in ſuis archiepiſcopis.

Edeſſa capta in Meſopotamia à Sarracenis.1145.propter quam crux eſt indicta. 1145.

Elephas miſſus dono ad Carolū Magnū à rege Perſarum in Italiam.801.

Elephantia ſcabiei genus.655.

Elprādus Vicecomes archiepiſcopi,à quo Vicecomitum familia Mediolani, archiepiſcopum tuetur.1037.

Eoinus Dux Tridenti.575.

Epiſcopi,qua auctoritate. 973. Epiſcopos ſingularum ciuitatum.quære in ſuis ciuitatibus. 973.

Equeſtris dignitas in ciuitatibus,ſumma 973.

Equi ſylueſtres in Italiam.595.

Equitandi ars oſtentata.891.

Erlembaldus Cotta inuehitur contra clericos coniugatos Mediolani.1065.elicit decretū pontificis contra eos.1064. iterum aliud 1067.contra Gothifredū archiepiſcopum.1072.renouat ſeditionem.1074.

Engilberga regina condit monaſterium S.Sixti Placentiæ.875.

INDEX.

Ermengarda vxor Adelberti Eporædiæ marchionis bellum renouat Rodulfo regi Italiæ.924.

Exaltationis Crucis feſtiuitas quando, & quomodo inſtituta.629.

Excommunicatio cãdelis accenſis.1160. Excommunicationis pontificiæ formulæ.1076.1079.

Excutiendi ſandalia, ſeu puluerem pedũ in contumaces mos in Eccleſia.1054.1146.

Expeditiones militares apud Lõbardos, quales.1106.

Faba alba, & nigra pro ſuffragijs apud ciuitates Italiæ.1506.

Factiones eccleſiæ, & Imperij ortæ.1567.

Felix Orgellorum epiſcopus hæreticus.792.

Feudum, & fundatarij.quære in regibus. eorum iuramenta.

Fideles regibus ſuis Ieſualdus.663. Zeno diaconus.692.

Fides quomodo iurata regi.1158.1584. quomodo ſocijs.1585.1595.

Flambertus proditor Berengarij.923.

Flauij reges Longobardi dicti ab Authari.

Foderum, ſiue fodrum quid.774.787.973.1559.1162.Fredum.804.

Fœdera Lombardorum.1107. quære in Italia.

Fœdus quomodo fieret inter ciuitates.1551.1107.1568.1173.1183.1576.

Fontanetum, ad quod Franci reges fratres pugnarunt.841.

Formoſus epiſcopus Portuenſis infeſtus Ioanni VIII pontifici.876.primus ex aliena Eccleſia pontifex factus.

Forum iuxta amnem Tanarum.743.

Franciſcus Aſsiſias claret ſanctitate.1198.

Fridericus archidiaconus, monachus, Cardinalis, & pont.1054. Stephanus IX dictus.

Fridericus archiepiſcopus Moguntinus particeps coniurationis contra Othonem.954.

Fulmina de cœlo.956.

Gabulenſis epiſcopus hortatur ad bellum ſacrum.1545.

Garibaldus Dux Taurini perfidus in regem.662.

Gaſtaldius, & Gaſtaldio fuere gubernatores ciuitatis loco principis, & Comes.667.

Gaſtaldiûs Teleſiæ & Boniani.865.Aquinas.874.Capua.899.840.

Gatti machinæ bellicæ genus.1160.

Gaudentius Auſerenſis epiſcopus epiſcopatum deponit.1040.

Gerardus Rangonus pętor Mutinæ.1156. legatus Friderici Imp.1567.

Germani aduerſantur Gregorio VII põt. propter cœlibatum, & ſimoniã.1074. acceduntur ad bellum ſacrum.1146. eunt in Hiſpaniam cõtra Sarracenos.1547. ſæuiunt in obſidione Cremæ.1559.quære in regibus Italiæ poſt Othonem, & regibus Germaniæ ante Othonem.

Gibertus Corrigia Parmenſis legatus Italiæ.1056. defendit Cadaloum contra Alexandrum II.1062.Romam adducit, & eam obſidet.1062.

Gibellini. in Gibellinis deficit regnum.1526. Gibellinorum cum Velfonibus antiqua contentio.1139. Eorũdem factiones, vnde.1159.

Gilbertus Porrectanus hæreticus.1148.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto dicere non potuit ſimoniacus.1055.

Gloſſatores primi Irnerius, Bulgarus, Hugo, Iacobus, Martinus, Albericus de porta Rauennate.1152.

Gothifredus Dux Tuſciæ frater Stephani IX pont. quære in Ducibus Tuſciæ.

Gothifredus Bolionius Dux Lotharingiæ primus rex Hieroſolymorum.1099.

Græcus ignis extinguitur tantum aceto.940.

Gratianus decreti ſcriptor Bonon.1152.

Guarinus Cardinalis Bononienſis inter ſanctos relatus.1144.

Guarnerius marchio Anconæ.1159.

Guido Guerra hoſtis Florẽtinorũ.1144.1146.priuilegio ornatur à Frede.1164.

Gu-

INDEX.

Gulielmus Adelardus Ferrariæ baſilicā condidit.1135.
Gulielmus marchio Montisferrati condidit monaſterium Locedenſe in agro Vercellenſi.1020.
Gundeberga regina.633.
Gundoaldus Dux Tridenti.601.
Gundoaldus Dux Haſtenſis.615.
Gymnaſiarcha inſtituti.1189.
Gymnasij Doctor quomodo conductus. 1189.
Hadriani moles, S. Angeli dicta. 591. arx Creſcentis. 996.
Hæreſis deteſtatio quomodo fieret. 1102. 1137.
Hanno Colonienſis archiepiſcopus Henricum regem puerum eripit matri Agneti. 1062. poſcit concilium Mantuam cauſſa Cadaloi antipapæ. inuehitur in Alexandrum pontificem præſentem. 1064.
Henricus Dux Saxoniæ cum Friderico venit in Italiam, diſceſſit ab eo.1175
Hiems aſpera. 603. 764. 823. 1125. 1164.
Hieroſolyma capta à Sarracenis 635 recepta a Chriſtianis 1099. iterum capta à Saladino.1185.
Hildebrandus Soanenſis monachus Cluniacenſis cum Leone IX pont. venit in Italiam 1049 reuerſus legatus ab Imperatrice Agnete improbat comitia Benedicti X, & Nicolaum II ei ſufficit. 1058 miraculum edit in redarguendo epiſcopo Simoniaco.1055. Cardinalis defendit comitia Alexandri. II. 1064. fit pont. & Gregorius VII vocatur. lege in pontificib.
Hilduinus Laudocienſis epiſcopus ad Hugonem regem ſe confert in Italiam. 927.
Hiſpani pulſi à Sarracenis.717.
Homo pro vaſallo.973.
Hominium, & Homagium, quid. 973.
Homobonus Cremonenſis inter Sanctos refertur.1199.
Hoſpitalarij milites inſtituti.1113.
Hugo de Paganis primus militiæ Templi magiſter.1129.
Hugo Mangifredi Comitis Mediolani filius necat Lambertum regem. 898.
Hugo Malaſpina hæres Mathildis.1115.
Humiliatorum monachorum origo. 1046.
Hunni relicti à Longobardis in Pannonia. 597. erumpunt in Forumiulium. 655.
Iacobus Auenius Francus princeps expeditionis ſacræ tendit in Syriam. 1189.
Icilinus à Romano.1175.
Ieſualdus Longobardus fidem ſeruat ſingulari exemplo.663.
Ignis Græcus, qualis.940.
Imago Deiparæ virginis picta à S. Luca. 591.829.
Imago Saluatoris picta.753.
Imperator deſignatus, quis.973. Quæ ad Imperium pertinent, lege ſuo loco.
Imperium militare quomodo mandaretur in ciuitatibus Italiæ.1106.
Inſignia ciuitatum Italiæ vnde ſumpta. 1099.
Inueſtituræ epiſcoporum fiebant annulo, & virga danda.1024.
Inueſtituræ abbatum fiebant baculo dando.752.997.
Inueſtituræ Ducum fiebant vexillo dando.1059.1137.
Inueſtitura populi de poſſeſſione per vexillum.1158.
Inueſtitura præfecti vrbis Romæ fiebat manto porrigendo.1188.1198.
Inundatio Atheſis.1091.1195. fluminū in Lombardia.1189. Tiberis.589.
Ioachimus abbas vates in Calabria. 1189.
Ioannes Gualbertus auctor Congregationis Vallis Vmbroſæ.1030.
Ioannes Meda Humiliatos regula aſtrinxit.1046.
Irnerius primus docuit ius ciuile Bononiæ.1137.
Iudices Communis.1106.
Iudith vxor Ludouici Pij Imp. cauſſa multorum deſidiorum.830.
Iuriſconſultorum dignitas.973.

INDEX.

Ius ciuile Romanum, quale vſque ad Imp. Lothariũ III. 973: in gymnaſijs exponi cœptum poſt Lotharium in Italia. 1138.

Kyrie eleiſon dicendi in miſſa initium. 590.

Lacus Italiæ in Proemio.

Lambertus Fagnanus Cardinalis epiſcopus Oſtienſis legatus tollit diſcordiam inter Imperium, & eccleſiam de inueſtituris. 1122. Idem fit pontifex, & vocatur Honorius II.

Lampridius primus Iadræ epiſcopus ab Eugenio datus. 1146.

Lanzo Curtius nobilis, dux plebis Mediolani. 1042. à nobilitate vindicatus. 1043.

Lateranenſe patriarchium ſpoliatum à miniſtris Heraclij Imp. 638.

Legati pontificis mandata tranſgrediuntur. 862. rem pro dignitate agunt. 1054.

Lege Romana, Longobarda, & Salica pro arbitrio vſi Itali ſunt vſq; ad Lotharium. 825. 973. 1007.

Leges à regibus Italiæ latæ. lege in Regibus.

Lepuſculus cauſſam affert, vt Roma capiatur. 896.

Libertas ciuitatum Italiæ conſtituta ſub Othone Magno. 973.

Litaniæ maioris inſtitutio. 590.

Litaniæ minoris inſtitutio. 801.

Litulfus interficitur in Ducatu Spoletano. 957.

Literarum ſtudia modica. 973. earũ progreſſus. 1152.

Liudeuitus rex Pannoniæ inferioris. 818.

Locuſtæ allapſæ. 592. milites cruce ſignatos præceſſerunt. 1096.

Lotharius Dux Lotharingiæ propter Valdradam concubinam mouet ſeditionẽ. 863. de adulterio ſe purgat Hadriano pontifici euchariſtia, & moritur, 869.

Lotharingia vnde dicta. 843. eadem diuiſa. 870.

S. Luciæ corpus Syracuſis Conſtantinopolim tranſlatum. 1039.

S. Lucas imaginem Virginis Deiparæ pinxit, quæ ad Præſepe ſeruatur Romæ. 591. 829.

Ludouicus rex Franciæ crucem ſuſcepit à S. Bernardo. 1146. iniit ad bellum ſacrum. 1147.

Luna cruore infecta. 1015. Lunæ defectio 680. 683. 685.

Machinæ militares, caſtella lignea, briccola, gatti, trabuchi, mangana, petrariæ, bracilla. 1127.

Magiſter militum. 582.

Magiſtratus militares, & vrbani quomodo legerentur in ciuitatibus Italiæ. 1106.

Magorum oſſa Mediolanum tranſlata. 1159. & Mediolano Coloniam. 1164.

Mahometus Sarracenorum princeps religionis prauæ auctor ad Heraclium Imp. peruenit. 628.

Mamertus Vienníenſis epiſcopus litanias in Gallia reformat. 801.

Manaſſes Arelatenſis epiſcopus venit ad Hugonem regem in Italiam. obtinuit ab eo Veronenſem Tridentinam, & Mantuanam eccleſiam. 933.

Manganum machina militaris. 1155.

Mancoſus eſt nummi genus. 861.

Manſionaticum, ſiue Albergaria, ſiue mãſio, quid. 774. 787. 804. 973. 1116. 1133.

Marcoaldus Dux Rauennæ, & marchio Anconæ factus ab Henrico V, petitus armis ab Innocẽtio III pontifi. 1198. Apulia pulſus. 1199.

Mare dulce à Neapoli vſque Cumas. 967.

Margaritus præfectus claſsis Tancredi regis Siciliæ. 1194.

Maria Auguſta combuſta ab Imp. Othone marito. 996.

Marcha, & marchiones vnde. 774. 973.

Marchiones Eporœdiæ, Lucæ, ſiue Tuſciæ, Montisferrati, Ateſtis, Ferrariæ, Mantuæ, Salutiarum, Cenæ, Ponzoni, Caretti, Boſchi, Buſcæ, Blanderati, Rauennæ, Anconæ. lege ſuo loco.

Marocia femina Romæ potens Hugonẽ regem ſibi matrimonio ſociat.928.
Marcellus marchio Malaſpina.1187.
Martinus Turrianus Mediolanenſis bello ſacro martyr.1148.
Maſſa pro vicis.658.
Mathildis Dux. quare in Ducibus Etruriæ.
Matres propter cibi inopiam filijs veſci coactæ.1084.
Melus auctor Apuliæ liberandæ.1016.
Meningerus Treuirenſis archiepiſcopus Parmæ captus.1129.
Militiæ diſciplina in Lombardia.973.
Militari cingulo aonare.1155.
Milo Comes Veronenſis.946.
Miracula varia.
Equi Alboini regis ingredientis Ticinum oppidum.573.
Arriani, & Catholici de lampadibus templi ſponte accenſis.585.
Atheſis amnis ad feneſtras ædis S. Zenonis peruenientis, neque intrantis. 589.
Vocis de cœlo in peſtilentia auditæ. 591.
Angeli abdito gladio ex mole Hadriani apparentis in peſtilentia.591.
S. Sabini iuuantis in prælio Longobardorum.592.
Monachi Bobienſis pro mortuo relicti ab Arriano.626.
Oſsium S. Sebaſtiani in peſtilẽtia tranſlatorum.680.
Cacodæmonis ferientis domos in peſtilentia. 680.
Telarum aranearum in concilio cadentium.681.
Rei occultæ patefactæ per dæmonem; 695.
Violatoris pontificis.723.
Oſsium S. Auguſtini, dum traſferrentur.721.
Crucifixi vulnerati.766.
Sanguinis Chriſti Mantuæ reperti. 804.1048.
Imaginis ſacræ virginis Grabadonæ. 823.
Leonis IIII pontificis baſiliſcum verbo necantis, & incendium extinguentis. 847.
Cadaueris Formoſi pontificis.897.
SS. Apoſtolorum apparentium in prælio contra Sarracenos.915.
Euchariſtia ſumptæ in ſcelere. 869.
Hildebrandi monachi coarguentis ſimoniacum. 1055.
Corporum SS. Syneſij, & Theopontij in peſtilentia.932.1006.
Annuli ex cathena S. Petri facti. 969.
Sancti Ambroſij Conrado regi minantis à cœlo. 1037.
Alexandri II pontificis ſanantis morboſum.1072.
Miſsi id eſt legati regis ad iura reddenda. 973.
Moguntinus archiepiſcopus primas Germaniæ, regem Germaniæ coronat.973. cauſſam contra Nicolaitas ingreſſus nihil agit.1074.1075.
Moles Hadriani, arx Creſcentis.998.
Monachi dant operam litteris.973. celebres.973. non iurant.1137.
Monaſteria Italiæ donari cœpta ab Agilulfo rege.590.
Monetæ ſignandæ ius ab Imper. dabatur.
Monotheletæ, qui vnam tantum in Chriſto voluntatem ponebant.680.712.
Mons Bardonis, eſt Apenninus.896.899.
Mulieres equis inſidentes more virorum ad bellum ſacrum eunt.1147.

MVLIERES ILLVSTRES ITALIAE.

Roſimunda vxor Alboini regis.
Theodelinda vxor Autharis, & Agilulfi regis, hæc præſtantiſsima fuit.
Anſa vxor Deſiderij regis.
Adeleis vxor Lotharij II, & Othonis Magni regum. & hac laude digniſsima fuit.
Engilberga vxor Ludouici II regis.
Richardis vxor Caroli Craſsi regis.
Cunigundis vxor Henrici primi regis, mulier ſancta.
Agnes vxor Henrici II regis, & mater tertij.

Berta vxor Adelberti marchionis, nouis rebus ſtuduit. 917.
Ermengarda vxor Adelberti Tuſciæ marchionis. 924.
Marotia Romana vxor Hugonis regis, mulier inquieta.
Villa Vxor Boſonis marchionis Tuſciæ auariſsima.
Villa Vxor Berengarij II regis.
Vxor Comitis Mutinenſis, quæ virum mortuum innocētem fero igniso purgauit. 996.
Beatrix vxor Bonifacij marchionis, mater Mathildis.
Mathildis Comes Canuſsij Beatricis filia Parmæ, Mantuæ, Ferrariæ, & Etruriæ Dux hac nulla fuit pietate, & virtute præſtantior.
Beatrix vxor Friderici regis.
Conſtantia vxor Henrici V regis.
Munichis capti, & vincti egregium facinus. 705.
Narſes Dux Italiæ vocat Longobardos in Italiam. moritur. 565.
Nicolaitæ hæretici, qui. 883.
Nobilitas in Italia ex priuilegio Imperatoris. 973.
Nola Carrocij, erat campana minor. 1191.
Obſidiones, & expugnationes vrbium Italiæ.
Omen cuculi in haſta regis. 740.
Omen columbarum in carrocio. 1176.
Opizo marchio Malaſpina. 1167. 1168.
Opſiciani populi Aſiæ.
Orarium, idem, quod ſtola. 681.
Ordinationis Imperatoris dies, qui. 1049.
Ordines tres equitum inſtituti Hoſpitalarij, Templarij, & Teutonici, 1103. 1192.
Ordo fratrum Cruciferorum S. Mariæ reformatus ab Alexandro III pont. 1169.
Ordo Ciſtertienſis accepit Alexandrum pont. contra Victorem. 1161.
Oſſa Oſius iuriſconſultus Mediolanenſis legatus ad Fridericum. 1162.
Oſſa S. Bartholomæi deportata Beneuentum. 839. inde Romam. 983. oſſa S. Auguſtini, S. Sebaſtiani, S. Paulini. lege ſuis locis.
Oſcitantes in peſtilentia morientes ſigno crucis ſignari cœpti. 590.
Otho Vicecomes Eliprandi filius in obſidione Hieroſolymorum ſtrenue ſe geſſit, & ducem Sarracenorum interfecit. 1099.
Palefridus equi genus. 1158. 1177.
Pallium archiepiſcopo aut patriarchæ datur à pontifice. 849. humilitatem, & iuſtitiam ſignificans. 1118.
Pandectarum iuris ciuilis volumen à Piſanis inuentum Amalfi. 1137.
Panormus in Sicilia à Sarracenis capta. 821.
Pantheon templum Romæ dicatum martyribus. 610.
Parata quid. 774. 787. 804. 1183.
Paſchalis Romanus infeſtus Leoni III pontifici. 798.
Patricius Romæ qui poſt Conſtantinum Magnum. 774.
Patrimonia Eccleſiæ. lege in pontificibus.
S. Paulini oſſa Beneuento Romam tranſlata ab Othone rege. 1001.
Pax quibus ſolemnibus cōponeretur; elici poteſt ex pace inter Caliſtum pont. & Henricum IIII regem. item 1153. 1181. & inter Alexandrum, & Fridericum, & pace Conſtantiæ.
Pax Conſtantiæ. 1183. & deinceps.
Pecunia ſignabatur tempore Longobardorum a nomine Sancti protectoris ciuitatis.
Penuria ex obſidione. Romæ. 579. Anconæ carnes impuras, & caput aſini comederunt. 1172. Salerni. 1076. Derthonæ. 1155. Mediolani. 1158.
Ex inundatione. 590.
Ex ſiccitate, & locuſtis. 592.
Ex vermibus ſub terra latentibus. 970.
Ex intemperie cœli. 808. 1005. 1006. 1084. 1118. 1177.
Ad Perticas locus Papiæ, ad quem Rodelinda regina ædem condidit.
Peſtilētia inguinaria, ſiue bubonis quan-

di.

do emerſerit,& qualis, & quam ſæpe ſauierit. 567. 590. 591. 606. 680. 746. 748. 823. 835. 933. 970.
Petronax Brixianus Caſsinas monaſterium inſtaurauit 719.
Petrus Abailardus hæreticus damnatur. 499.
Petrus Dux Romæ à Philippico Imp. miſſus non eſt acceptus. 715.
Petrus Damianus Cardinalis à Stephano IX creatus. 1058. reluctans conſecrauit Benedictum X pont. 1958. legatus Nicolai pontificis Mediolani clerum, & archiepiſcopum ad pœnitentiam,& obedientiam adduxit. 1059. ſcripſit ad catholicos Mediolanēſes contra archiepiſcopum. 1060. ſcripſit ad Cadaloum, oſtendens ipſum adulterinum eſſe pontificem. 1064. Rauennam à pontifice miſſus ad expiandam ciuitatem moritur, & inter Sanctos refertur. 1080.
Petrus Piſanus vir doctus cum S. Bernardo diſputat. 1137.
Petrus à Columna Romanus. 1101.
Petrus Lombardus theologus Sententiarum libros ſcripſit. 1052.
Piligrinus archiepiſcopus Colonienſis præfectus Hērici regis bello Apulo. 1022.
Pipinus ſuccedit Carolo Martello patri. III rex Francorum à Zacharia pontifice factus. 750. promittit exarchatum pontifici Stephano III. 754. mouet ea de cauſſa bellum Aiſtulfo regi. cogit Aiſtulfum dare exarchatum pontifici. 754. 755.
Pipinus nothus coniurat contra Carolum Magnum patrem. 792.
Pipinus Caroli Magni filius rex Italiæ. quære in regibus.
Poculum ſoporiferum. 896.
PONTIFICES Romani, quomodo creati, & conſecrati. lege ſupra in pontificibus. quibus verbis lectus ſit Gregorius VII. 1073. quomodo decreta fecerint in concilio 898. 1180. pepigerint de corona danda regi. Italiæ 1111. de inueſtituris eccleſiarū. 450 regi promiſerint iura. 963. pacē per legatum fecerint. 1122. pacem præſentes fecerint 1176. Regem coronauerint. lege ſupra. regem depoſuerint. 1076. titulum Imperij ademerint. archiepiſcopo dignitatem reddiderint. pallium conceſſerint. 1118. Excommunicauerint hæreticum,& ſchiſmaticum regem, et alios. 1075. 1079. 1160. excommunicauerint antipapam. 1087. hæreticum publicauerint. 1102. interdixerint. 1078. 1199. ſchiſmaticum in fidem receperint. 1106. piaculum pœnitenti impoſuerint. 1059. purgauerint alios, aut probauerint. 869. 1076. 1079. purgauerint ſemetipſos. 823. 1064. 1077. Inueſtiuerint epiſcopos, & abbates,& alios. lege inueſtituræ. Cruciatam indixerint. 1095. 1145. 1187. urbem nouam conſecrauerint. 855. Acta probarint, aut infirmarint. 878. 1112.
Porta pro tributis. 1041.
Porticus S. Petri in Vaticano erat à mole Hadriani vſque ad templum. 1145.
Poteſtates Imperatoria idest prætores. 1162.
Prætor ſiue Poteſtas, quomodo legeretur. 1306.
Principis nomen vſurpatum primum ab Aragiſo Duce Beneuentano. 786.
Principes Beneuentanus, Capuanus, Salernitanus, quære ſuo loco.
Probationum genera lege Purgationum.
Prodigiorum cœleſtium exempla.
Sanguine pluit. 874. 1113.
Sāguine haſta viſa. 602. Haſta ignea. 567.
Luna cruore infecta. 1015. Lunæ defectio. 680. 683. 1191.
Lux clariſsima noctu. 602.
Sol tinctus ſanguine. 948. Solis defectio. 760. 1034. 1191. Duo ſoles viſi. 967.
Haſta, & acies ignea à Septentrione in cœlo. 567.
Stella crinita 605. 836. Stella cœlo lapſa. 765. Stella cœlo ſereno obſcura. 685.
Lapides de cœlo cum grandine lapſi. 823. 956.

Fulmi-

INDEX.

Fulmina.823.956.1037.1195.
Corui ignem per aerea tulerunt. 1195.
Nix per Augustum.1199. viginti cubitorum. 764.
Prodigia à terra.
Fons manans ſanguine. 1171. Fontes tempeſtate turbati.1117. Noui fontes terræmotu facti. 1171. Fons ex dulci ſalſus.1171.
Caligo è mari tanquam è fornace emergens, quæ in lapidem concreta arſit. 726.
Templorum lampades tempeſtate per aerem lata.1117.
Mare receßit, & acceßit mirifice. 1171.
Veſuuius ignes euomuit.685.
Terræmotus ingentes. lege in voce terræmotus.
Cruces in veſtibus apparentes.959.
Siccitas mirabilis. 1158.
Gelu, glacies, nix inaudita. 764. Hiems aſpera. lege Hiems.
Tempeſtates ſæuæ lege Tempeſtates.
Diluuia lege in voce Diluuia.
Proditores, Roſimunda. 574. Romilda. 655. Gregorius. 616. Garibaldus. 661. Alabis. 692. Flambertus. 923. Adelbertus.898. Hugo rex. 932. Adelgiſus princeps Beneuentanus.871. Pandulfus princeps Capuæ.1020.
Profitebantur Itali qua lege viuere vellent.1007.
Pudicitiæ exemplum.615.
Purgationum, & probationum diuerſa genera.
Per ſingulare certamen. 633.866.887. 931. 963. 1158. 1199. ad ſingulare certamen pertinent etiam torneamenta, de quibus in voce torneamenta.
Per euchariſtiam.869.1078.1078.
Per ſacramentum. 963. 1049. cauſus eſt Vigilius, & Leo III pontifices. 800.
Per candens ferrum.887.996.876. tollitur à Stephano V. pont.885.
Per aquam feruentem.876. tollitur à Stephano V. pont. 885.
Per aquam frigidam. 876.
Ranulfus Dux Apuliæ. lege Duces Apuliæ.
Raymundus ſecundus Hoſpitalis magiſter.1155.
Regalia quæ ſint. 1158. lege etiam in Feudis.
REGES, quomodo coronati ſint ab archiepiſcopo, aut pontifice ſupra. quomodo poſſeſsiones Deo obtulerint. 615. quomodo leges ediderint. ſupra. pontifici promiſerint. 960. 1177. conceſſerint, aut conceſſum confirmarint. 817. priuilegia dederint. 849. 891. 950. 964. 992. 1039. 1049. 1055. 1162. 1191. in deditionem receperint. 1158. in tutelam receperint. 1158. pacem fecerint. 1122. inueſtiuerint. lege inueſtitura, legatum pro ſe iurare iuſſerint. 1078. 1177. ſemet purgauerint. bannum imperiale ſcripſerint. 1159. iniurias remiſerint. 1116. in ſocietatem, & fidem receperint.1167.
Regere pro, publicè interpretari.1189.
Regina cæli lætare, quando cani cœptum in eccleſia.591.
Regino Tuſculum Cæleſtino pontifici tradidit, & Montemflaſconem ac cepit 1170.
Rex Italiæ, ſiue Romanorum. lege in Regibus.
Rhodus capta à Sarracenis.651.
Ricardus Comes Auerſæ Capuam cepit. 1052.
Ricardus rex Anglorum captus rediens à bello ſacro.1192.
Richardis Auguſta tuetur pudicitiæ famam purgatione per ferum, & certamen.887.
Richildis Auguſta coronata à Ioanne VIII pont.877.
Richiza Auguſta Lotharij II vxor. 1137.
Robertus Viſcardus Dux Apuliæ. lege Duces Apuliæ.
Rodulfus Dux Sueuiæ.1077.
Rodulfus Dux Burgundiæ, & Italiæ. 888.
Roga, pro ſtipendio.567.

Roge-

INDEX.

Rogerius Dux Apuliæ. vide Duces Apuliæ.

Romilda maritum Giſulfum Ducem Foroiulienſem prodidit ob libidinem. 615.

Romipete. 781. 946. vexati à Sarracenis. 941.

S. Romualdus monachus, & eremita. abbas Claſſenſis cultus ab Othone III rege. 995. religionem Othoni iniecit, quòd fidem Creſcenti feſelliſſet. 1001. vaticinatur diem mortis Othoni. 1001. Congregationem Camaldulenſiũ monachorum inſtituit. 1009.

Roſimunda necauit Alboinum maritum, & tranſiit cum theſauro Longobardorum ad Longinum exarchum. 574.

S. Sabinus epiſcopus Spoleti. 575. eius miraculum. 592.

Sacra iuſſio Imperatoris Orientalis. 590. quæ etiam dicitur ſacra. 750. 714. & Diualis. 679. 684.

Sacrum bellum primum ſub Vrbano II pontifice. 1096 & deinceps, ſecundum ſub Eugenio IIII. 1147. tertium ſub Clemente III. 1188.

Sagona flumen in Gallia, quondam Arar. 1162.

Saladinus cladem Chriſtianis rettulit Syriæ infeſtus 1185.

Salinguerra Taurellus Azonis Eſtenſis inimicus Ferrariæ. 1188. 1197.

Sanctorum in numerum relati. ſupra.

Sardinia, & Corſica decreto Pontificis facta occupantis. 1004.

Sardinia in quattuor partes diuiſa à Piſanis Caralitanam, Arborenſem, Turritanam, & Galuritanam. 1015.

Saxones cum Longobardis venerunt in Italiam. 568.

Scabies fœdiſſima. 615.

Schiſmata pontificia pernicioſa Italiæ. Cadaloi contra Alexandrum II. Giberti contra Gregorium VII. Petri Leonis cõtra Innocentium II. Victoris contra Alexandrum III.

Schola publica in Italia quando. 973.

Sculdaſio magiſtratus apud Lõgobardos, & Francos. 1037.

Scutum in ſtipite poſitum, ad quod vocabantur feudatarij. 973.

S. Sebaſtianus quando coli in peſtilentia cœptus, & de tranſlatione eius. 680.

Secundus Tridentinus Epiſcopus vir inſignis. 603.

Seditionum cauſſæ in ciuitatibus Italiæ. 1184.

Seditiones Longobardorum inter ſe, Italicorum, Mediolanenſium, Genuenſium, Venetorum, Ferrarienſium, Romanorum, Apulorum, lege ſuis locis.

Serici conficiendi artificium tranſlatum è Grecia in Italiam. 1148.

Siccitas ingens. 591. 1158.

Sicilia recepta, corpus S. Luciæ Syracuſis tranſportatum Conſtantinopolim. 1039.

Siciliæ terramotus ingens. 1171.

Sigifridus Comes ex agro Lucenſi in Regienſem venit, & Canuſsium condidit. 896.

Simoniaci, qui. 883.

Solis defectio. lege inter prodigia.

Sponſalia ſumptuosè facta à Bonifacio Marchione. 1037.

Stella crinita. 606. 836. 1065.

Sternutantes in peſtilentia moriebantur, vnde eis ſalus dici cœpta. 590.

Stratagemate valuit Grimoaldus rex. lege acta eius.

Stratoris facinus egregium apud Derthonam. 1155.

Strepa olim, quod nunc Staffa. 1177.

Suffraganei archiepiſcopi Mediolanenſis. 973.

Supplicantes crucem præferebant. 1553. 1158. 1566.

Syncellus Patriarcha Conſtantinopolitani erat tanquam coadiutor. 729.

Synodica Epiſtola eſt, quam mittit aut pontifex, aut patriarcha. 655. 785.

Tamnus periurus monachum induit. 997.

Tãcredi Nortmani filij dominati ſunt in Apulia. lege Nortmani.

Tãcredus Nothus rex à Siculis ſuffectus.

1189.

INDEX.

1189. mortuus poſt Rogerium. 1194.

Tempeſtates fœdæ. 676. 823. 1195. 1199.

Templariorum militum ordo inſtitutus. 382. Templariorum magiſter primus Hugo de Paganis in concilio Trecenſi habitum album accepit. 1129. Templarij creuerunt. 1129. Crucem accepere purpuream ſuper veſte alba. 1148.

Terramotus inſignes. 740. 746. 749. 805. 848. 896. 815. 1004. 1060. 1117. 1158. 1175. 1185.

Teſtes adempti captiuis. 933.

Taſſilo rex Baioriæ expugnatur à Carolo Magno. 787.

Theodericus Metenſis epiſcopus annulum confecit ex cathena S. Petri, quo dæmoniacos ſanauit. 970.

Theolapius vates apud Veronã ſub Luitprando rege. 743.

Thietberga regina Lotharingiæ rea adulterij. 866.

Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus in Anglia à regis ſatellitibus occiſus. 1171. inter ſanctos relatus. 1172.

Titulus Romæ eſt idem, quod Parochia, vt titulus Caliſti. 855. item alibi. 865.

Torneamenta, quæ. 1139. 1158. interdicta. 1148. 1180. 1199.

Trãſlationes epiſcoporum duabus de cauſſis fiunt.

Tributa regi debita foderũ, parata, manſionaticum. 973.

Tributa quomodo imperarentur in ciuitatibus Italiæ. 1106.

Truſardus legatus Italiæ ab Henrico rege relictus. 1188.

Turres in vrbibus Italiæ à ciuibus ædificari cœpta. 973. 1178.

Trullus, vbi ſextum Concilium actum Conſtantinopoli. 680.

Valpertus iudex Papienſis coniurat in Hugonem regem. 927.

Valuaſores, & Valuaſini. lege Feudatarij in regibus.

Varnecauſus Dux Papiæ. 600.

Vaſſalli. lege Feudatarij in regibus.

Vaſſi dominici. 785. 855.

Vectigalia vnde exigerentur in ciuitatibus Italiæ. 1106.

Velfo maritus Mathildis. 1088.

Velfo alius Dux Spoletanus, Marchio Tuſciæ. lege Duces Tuſciæ.

Velfonum cum Gibellinis antiqua contentio. 1139.

Veneficus homo inſignis. 507.

Veſuuius mons flammas euomuit. 685.

Vexilliferi peditum, equitum, & poli.

Via Aemilia. 1133. Flaminia. 1155.

Vicecomes quis. 1037.

Vido Aretinus muſicam artem auxit inuento ſuo. 1028.

Vido Pompoſiæ abbas ſanctus. 1046.

Vido Comes Blanderati Mediolanenſis ciues hortatur ad deditionem. 1158.

Vido Cremenſis Card. vitio pontifex factus, & Paſchalis IIII vocatus contra Alexandrum III. 1164.

Villa vxor Boſonis marchionis Tuſciæ baltheum pretioſum in genitalibus abdidit. 935.

Villelmus Othonis Magni filius archiepiſcopus Moguntinus. patrem increpuit quòd Adeleidem commatrem duxiſſet. 954. mortis diem ei prædixit in cuſtodia. 956.

Villelmus marchio Montisferrati. 1175.

Vipera inſigne Vicecomitum, vnde.

Vrbes more Chriſtiano dictæ quæ epiſcopos habent. 1106.

Vredo nimia.

Vt dies noſtros in tua pace diſponas, quando ſit in canone adiectum. 594.

Zabanus Dux Ticini. 575.

Zangrulfus Dux Veronæ. 600.

Zenonis diaconi amor erga regem. 692.

S. Zenonis Oratorium Veronæ. 590. monaſterium. 810.

Zuendebaldus Arnulfi regis filius Berengarij auxilio venit. 891.

Monu-

Monumenta Scriptorum, vnde hæc Hiſtoria excerpta eſt.

Scriptores historiarvm.

Dialogus S. Gregorij, qui hiſtoriam Sanctorum continet.

Regiſtrum epiſtolarum eius hiſtoriam pōtificatus ſui continens ab ann. 590. vſque ad annum 604.

Gregorius Turonenſis, qui ſcripſit de Frācis vſque ad pontificatum Gregorij primi, anno 590.

Beda, qui ſcripſit hiſtoriam eccleſiaſticam Angliæ, & vitam S. Gregorij, & vitas aliquot abbatum Bobienſiū poſt an. 600.

Landulfus Sagax.

Zonaras,

Cedrenus,

Nicetas Choniata.

Ioannes Curopalates.

Glycas.

Manaſſes.

Nicephorus.

qui Græce ſcripſerunt hiſtoriam Conſtantinopolitanam & profanam, & ſacram.

Eginardus, qui ſcripſit vitam Caroli Magni, æqualis eius.

Paulus Diaconus in eo libro, quo Eutropium ſuppleuit.

Paulus, idem in eo libro, quem de Longobardis ſcripſit ab Alboino rege vſque ad obitum Luitprandi regis i. ab anno 565. vſque ad 713.

Epiſtolæ Nicolai Magni pōtificis hiſtoriā pontificatus eius continentes; qui pontificatum iniit an. 858.

Annonius, qui & Aimoinus, & qui eum ſuppleuerunt, qui de Francis ſcripſerunt vſque ad annum 1000. & amplius.

Anaſtaſius bibliothecarius, qui ſcripſit vitas pontificum Rom. vſque ad Ioannē VIII. i. ad annum 880. manuſcriptus habetur.

Gulielmus bibliothecarius, qui Anaſtaſium ſuppleuit vſque ad annum 1072. item manuſcriptus.

Pandulfus Piſanus, qui Gulielmum eſt ſequutus. item manuſcriptus.

Lambertus Schafnaburgenſis, qui de rebus Germaniæ ſcripſit ab anno 1040. vſque ad annum 1080.

Leo Cardinalis Oſtienſis, qui ſcripſit hiſtoriam monaſterij Caſſinatis, & plurima de reb. Campaniæ, & Apuliæ intexuit, et aliquorum pontificum vitas deſcripſit.

Petrus Diaconus, qui eum ſuppleuit vſq; ad Innocentium II pōtificem i. ad an. 1130.

Helmoldus, qui ſcripſit res Danorum à Carolo Magno vſque ad Fridericum primum. i. ab anno 800. vſque ad 1190.

Luitprandus Diaconus Ticinenſis, qui ſcripſit res per Europam geſtas, & maxime de rebus Italiæ à primo Berengario vſque ad Othonem Magnum ideſt ab anno 888. vſque ad 962.

Vitichindus monachus Saxo, qui ſcripſit res Saxoniæ vſque ad Othonem II.

Geſta ſummorum pontificum à Leone nono vſque ad Alexandrum tertium. M.S.

Petrus Damiani, qui ſcripſit vitam S. Romualdi, et quorundam aliorum. actus legationis Mediolanenſis, librum contra Cadaloum antipapam, librum de deponendo epiſcopatu, librum, qui dicitur Cariſſimus, & epiſtolarum opus manuſcriptus.

Vita Petri Damiani antiqua, manuſcripta.

Regiſtrum epiſtolarum Ioannis Papæ octaui. M.S.

Regiſtrum Epiſtolarum Gregorij VII pōt. hiſtoriam pontificatus ſui continens, manuſcr.

Epiſtolæ Iuonis, qui vixit ſub Henrico III manuſcriptæ.

Otho epiſcopus Friſingenſis, qui res Germanorum ſcripſit vſque ad tempus, quo Fridericus Mediolanum cepit.

INDEX.

Radeuicus canonicus Friſingenſis, qui ſuppleuit Othonem vſque ad Alexandrum III ad annum 1160.

Gulielmus Neubrigenſis, qui ſcripſit de reb. Angliæ ab anno. 1063. vſque ad an. 1198.

Gulielmus archiepiſcopus Tyrius, qui de bellis Terræ Sanctæ ſcripſit, eorum tẽporum æqualis.

Robertus monachus, qui item.

Hugo Falcãdus, qui de rebus Siciliæ ſcripſit, vixitq; Henrico V regnante incipiens à Rogerio anno 1130. vſque ad 1200. ferè, æqualis eorum temporum.

Vita S. Bernardi à duobus eius ætatis ſcripta, qui vixit cum Innocentio II. põt. circa annum. 1130.

Epiſtolæ S. Bernardi quæ hiſtoriam ſuorũ temporum continent.

Regiſtrum Epiſtolarum Innocentij III pontificis duorum annorum pontificatus eius hiſtoriam exprimens. 1198. 1199.

Matthæus Paris Hiſtoria Anglica uſque ad 1260.

Rodericus archiepiſcopus Toletanus de rebus Hiſpaniæ.

Blondus de rebus poſt inclinationem Imperij.

Volaterranus, qui Commentarios ſcripſit orbis terrarum.

CHRONICORVM
Scriptores.

Beda de temporibus.

Ado epiſcopus Viennenſis, de rebus Francorum vſque ad annum 870.

Regino abbas Prumienſis de rebus Germanorum vſque ad annum. 1000.

Marianus Scotus monachus, qui Chronicum ſcripſit vniuerſale vſque ad ann. 1080.

Dodechinus, qui eum ſuppleuit.

Hermanus Contractus, qui vſque ad annum: 1066.

Sigebertus, qui de rebus Germanorum vſque ad annum. 1200.

Martinus Polonus epiſcopus Cõſentinus, qui de pontificib. & Imperatorib. vſq; ad an. 1320.

Gothifredus Viterbienſis, qui de Imperatoribus vſque ad annum 1186.

Chronicum Moguntinæ eccleſiæ, vſq; ad Fridericum primum.

Abbas Vrſpergenſis, & qui eum ſuppleuit vſque ad annum 1230.

Chronicum S. Antonini archiepiſcopi Florentini.

Chronicum eccleſiaſticum Onuphrij Panuinij fratris Eremitæ Auguſtiniani.

Eiuſdem de ſeptem Eccleſijs liber.

Eiuſdem de Cardinalibus liber.

Eiuſdem annotationes in Platinam.

LIBRI SACRI.

Libri Conciliorum nouiſſime à Surio editi.

Libri Conciliorum alij manuſcripti in archiuio Canonicorum Regienſium.

Decretum Burchardi.

Lanfranci liber contra Berengarium.

Decretum Iuonis.

Decretum Gratiani.

Liber Decretorum alius manuſcriptus apud Canonicos Mutinenſes.

Liber, qui dicitur Ordo Romanus.

Ioannes Belethus de diuinis officijs.

Rationale diuinorum officiorum Gulielmi Durandi.

Innocentio III. de ſacro altaris myſterio.

LIBRI LEGVM.

Libri legum Longobardorum, Francorum, & Germanorum typis impreſſi.

Liber eiuſdem argumẽti alius manuſcriptus apud me.

Liber eiuſdem argumenti alius manuſcriptus apud Canonicos Mutinenſes.

Conſtitutiones Feudales, typis impreſſæ.

Pax Conſtantiæ manuſcripta correctior, quàm impreſſa in omnibus Lõbardiæ ciuitatibus reperitur.

I N D E X.

Odofredus.
Bartolus } *in Pãdectas iuris.*
Lælius Taurellus

QVAE IN SINGVLIS Italiæ ciuitatibus lecta ſunt.

BONONIAE.

Regiſtra Communis duo.
Antiqua ciuitatis ſtatuta.
Regiſtrum priuilegiorum Eccleſiæ apud epiſcopum.
Regiſtrum Canonicorum Eccleſiæ, apud Canonicos.
Regiſtrum Canonicorum S. Ioãnis in Mõte & S. Victoris.
Regiſtrũ Canonicorũ S. Mariæ de Rheno, quod eſt apud Canonicos S. Saluatoris.
Priuilegia aliquot fratrum Cruciferorũ.
Chronica ciuitatis manuſcripta apud priuatos plurima, vt apud Comitem Romanum Pepulum, Herculem, & Ioannem fratres Fãtuccios, Hieronymum Caprαram, Iacobum Bõualorium, manuſcripta.
Liber Sanctorum vitas continens apud monachos S. Stephani.

MVTINAE.

Regiſtra Communis duo.
Regiſtrum Canonicorũ apud Canonicos.
Priuilegia monachorum S. Petri.
Chronicum ciuitatis apud Ioa. Mariam Barberium, manuſcriptum.

NONANTVLAE.

Priuilegia monaſterij Nonantulani.
Chronicum abbatum Nonantulanorum apud abbatem, manuſcriptum.

REGII.

Regiſtra Communis duo.
Priuilegia aliquot ciuitatis.
Priuilegia eccleſiæ apud epiſcopum.
Priuilegia Canonicorũ apud Canonicos.
Priuilegia monaſterij S. Petri.
Priuilegia monaſterij S. Proſperi.
Chronicum ciuitatis apud Canonicos manuſcr.

PARMAE.

Priuilegia eccleſiæ apud epiſcopum.
Chronicum fratris Salimbeni ordinis Minorum manuſcriptus ab anno 1070. vſque ad 1280. in quo non ſolum Parmæ, ſed etiam totius Lombardiæ res cõtinentur. manuſcript.
Chronicum ciuitatis apud priuatos. manuſcriptum.

PLACENTIAE.

Chronicum ciuitatis manuſcriptum Piſtorio miſſum opera Antonij Gigantis Foroſempronienſis.
Chronicum ciuitatis ab Huberto Locato editum.
Regiſtrum Cõmunis, prout citatur ab ipſo Locato.

B O B I I.

Priuilegia monaſterij Bobiẽſis S. Colũbani

GENVAE.

Hiſtoria ciuitatis à Stella ſcripta. manuſcr.
Hiſtoria eadem à Iuſtiniano edita.
Regiſtrum Communis, prout citatur à Iuſtiniano.

PAPIAE.

Priuilegia monaſterij S. Saluatoris.
Sanctuarium Iacobi Gualla de epiſcopis Ticinenſibus impreſſum, ſed vetus, à Iulio Cæſare de Velis Bononienſe antiquitatis ſtudioſo mihi datum.

MEDIOLANI.

Hiſtoria ciuitatis ſcripta à Triſtano Chalco manuſcripta.
Hiſtoria Bernardini Corij.
Chronicum Donati Boſsij de rebus Mediolanenſibus, & archiepiſcopis.
Chronica ciuitatis manuſcripta multa.
Tituli ſepulchrorum Bernardi, & Ludouici regum.

BERGOMI.

Bartholomæus Peregrinus de epiſcopis Bergomatibus.

C O M I.

Thomas Porcacius de nobilitate Comenſium.

CREMAE.

Hiſtoria Cremenſis Petri Terni.

CREMONAE.

Regiſtrum Communis.
Regiſtrum Eccleſiæ apud epiſcopum.

Chronicum ciuitatis.
Scriptura nobilium de Summo à Ioanne Baptiſta de Summo mihi data.

BRIXIAE.

Priuilegia monaſterij S.Iulia.
Priuilegia monaſterij S.Fauſtini.
Hiſtoria ciuitatis edita ab Helia Capreolo.

VERONAE.

Regiſtrum eccleſia apud epiſcopum.
Priuilegia Canonicorũ apud Canonicos.
Priuilegia cõgregationis presbyterorum.
Priuilegia monaſterij S.Zenonis.
Priuilegia monachorum Oliuetanorum Sanctæ Mariæ in Organo, qui ſcripturas alias antiquiores habent Congregatione ſua.
Chronicum ciuitatis à Sarayna editum.
Chronicum ciuitatis manuſcriptum à nobilibus de Radice mihi datum.
Regiſtrũ Cõis, prout citatur à Sarayna.

MANTVAE.

Hiſtoria ciuitatis edita à Mario Equicola.
Regiſtrum Communis, prout citatur ab Equicola.
Priuilegia Comitum de Balneo, qui olim Comites Guidi dicti.

FERRAIRAE.

Hiſtoria Principum Eſtenſium Ioannis Baptiſta Pigna.

PATAVII.

Priuilegia Canonicorum, & epiſcopi.
Regiſtrum monachorum S Iuſtina.

VENETIIS.

Hiſtoria Venetorum ſcripta ab Andrea Dandulo Duce. manuſcripta.
Item aliæ hiſtoria, ſed ſine nomine.
Priuilegia data ab Imperatoribus, prout citantur à Dandulo.
Fragmentum cuiuſdam Chronici ad res Alexandri III pontificis pertinens.

CENETAE.

Priuilegia Eccleſia.

AQVILEIAE.

Hiſtoria Ioannis Candidi de patriarchis Aquileienſibus.

RAVENNAE.

Priuilegia Eccleſiæ.
Chronicũ ciuitatis manuſcriptum a Vincentio Carraria mihi datum.
Hiſtoria de rebus Rauennæ, à Hieronymo Rubeo edita.

FAVENTIAE,

Priuilegia eccleſiæ.

FLORENTIAE.

Hiſtoria Ricordani Malaſpina, & Io.Villani.

LVCAE.

Chronicum ciuitatis manuſcriptum.
Regiſtrum ciuitatis citatum à Chronico.

PISIS.

Fragmentum Chronici cuiuſdam de bello Piſanorum ad Amalfim tempore Lotharij Imp. repertũ in bibliotheca fratrũ Prædicatorum Bononiæ inter libros relictos à Ludouico Bolognino Bononienſi Iuriſconſulto quondam Florẽtiæ Pratore.

VITERBII.

Edictum Deſiderij regis, lapide inciſum.

VRBEVETI.

Hiſtoria Vrbeuetana, & prope totius Patrimonij ab Horatio Manente edita.

ROMAE.

Inuentarium, & ſumma omnium priuilegiorum, quæ in bibliotheca Vaticana, & Caſtro S.Angeli reperiuntur.

ANAGNIAE.

Pacta inter Alexandrum III pontificem, et Fridericum Imp. & alia quadã ſcriptura ad Henricum V, & Conſtantiã reginam pertinentes.

CASSINI.

Hiſtoria Caſsinas Leonis Oſtienſis, et Petri Diaconi.
Chronicum manuſcriptum, in quo ſunt litteræ Alexandri III ad abbatem, & res Principum Capuanorum.

NEAPOLIS.

Hiſtoria regni Neapolitani Pandulfi Collenucij

SALERNI.

Priuilegia Eccleſia Salernitana.

INDEX.

AD HAEC VERO CONquirenda, & colligenda auctoritatem, ſtudium, operamq; ſuam hi præſtiterunt:

In primis is, qui ſapientiæ, & pietatis magnitudine honoris, & dignitatis amplitudinem adæquauit, Gabriel Palæotus Cardinalis, atque Epiſcopus Bononienſis.

Antonius Aelius patriarcha Hieruſalem, epiſcopus Polanus.

Nicolaus Sfondratus Epiſcopus Cremonenſis.

Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronenſis.

Antonius Florebellus Epiſcopus Lauellinus.

Io. Frãciſcus Bonhomus nuper abbas Nonantulanus, nunc Vercellenſis Epiſcopus.

Io. Andreas Caligarius Referendarius Apoſtolicus.

D. Archangelus Roſsius, Bononienſis, abbas Canonicorum Regularium S. Ioannis in Monte Bononia.

D. Germaus Gennenſis monachus Caſsinas.

Fr. Marcus Medices Veronenſis Inquiſitor Venetijs.

Ioannes Fallopius Clericus Mutinenſis.

Vincentius Stella eques, & iuriſconſultus Brixianus.

Ioannes Baptiſta Mainoldus iuriſconſultus Cremonẽſis, qui nuper eſt mortuus, Iacobi iurisconſulti pater.

Franciſcus Serena Morandus iuriscõſultus Veronenſis, qui nuper eſt mortuus.

Camillus Boſius Philoſophus Regienſis.

Antonius Gigas Foroſempronienſis, cuius beneficio bibliotheca Ludouici Beccatelli archiepiſcopi Raguſini multis veteribus monumentis referta, patuit.

Io. Vincentius Pinellus vir planè in omni ſtudiorum genere ſingularis, ac propter eximiam humanitatem inter omnes maxime memorabilis, qui non ſolum pretioſiſsimum ingẽtis ſuæ bibliothecæ theſaurum totum explicuit, ſed nullum etiam diligentiæ, atque impenſæ officium in hoc opere prouehendo reliquit.

Io. Baptiſta Fontana Mediolanenſis, qui nuper magno hiſtoriarum detrimento eſt mortuus.

Gratioſi etiam fuerunt in archiuijs ſuis aperiendis Canonici Eccleſia Bononiẽſis, Mutinensis, Regiensis, & Veronensis.

F I N I S.

ERRATA ALIQVOT
ITA CORRIGENDA.

Pag. 48.	verſ. 27.	Beneuantano	Beneuentano
57.	1.	parientes	parietes
57.	8.	peccatum fuiſſet	peccatum fuiſſe
60.	18.	Bonifacius quarti	Bonifacij quarti
62.	37.	confimatis	confirmatis
62.	38.	Cræciam	Græciam
68.	30.	Proximo Conſtantinopoli.	Proximo Heraclius Conſtantinopoli.
69.	2.	ornatis cum	ornatis. Cum
112.	8.	Baratelium	Baratellum
145.	20.	per nouam	per nonam
226.	28.	Xyoſt	Xyſto
238.	30.	Oerthonenſis	Derthonenſis
241.	9.	meonia	moenia
258.	4.	Romam	Romanam.
258.	39.	Hubaldus	Hubaldum
259.	3.	oſtendit. Hubaldus	oſtendit, Hubaldus
259.	15.	exarcebatus	exacerbatus
259.	23.	quietam ſub	quietem
262.	10.	vrbe be primus	vrbe primus
267.	17.	quod veſtro	quod à veſtro.
270.	14.	Italicæ	Italiæ
397.	in margine.	1077.	1067.
577.	38.	eosq; ad	eoq; ad
758.	9.	ſi bellum	ſibi bellum
584.	28.	auctoritate ordinatum	auctoritate ornatum

Series Chartarum.

BIBLIOTECA ... ROMA

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk.

† a b c d e f g h i k.

Omnes ſunt Terniones, præter Kkk, & k, qui ſunt Duerniones.

Digitized by Google